This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TH 50/12

SANCTI BONAVENTURÆ

S.R.E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS

OPERA OMNIA

TOMUS DUODECIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI BONAVENTURÆ

EX ORDINE MINORUM

S. R. E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS

EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS

OPERA

SIXTI V. PONT. MAX.

JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA,

Et in hac nova Editione tres in Partes tributa; quarum una Certa; altera Dubia; Suppoſititia tertia complectitur.

TOMUS DUODECIMUS.

TH

VENETIIS CIƆ.IƆ.CC.LVI.

EX TYPOGRAPHIA JOAN. BAPTISTÆ ALBRITII HIER. F.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS, OPUSCULUM CUI TITULUS EST

STIMULUS AMORIS.

Opuſculum hoc in tres partes diſtributum anno Domini milleſimo, quingenteſimo, decimoſeptimo, die ſeptima menſis Junii Pariſiis impreſſum fuit, & a magiſtro Joanne Quentin ſacræ Paginæ profeſſore eximio, Canonico, & Pœnitentiario Pariſienſi correctum & emendatum. Cujus editio longe copioſior, ac integrior eſt ea, quæ omnium ultima Venetiis prodiit, & magis concordat cum Trithemio, qui Opuſcula Sancti Bonaventuræ connumerans, hoc quod De paſſione Domini *inſcribit, tribus libris conſtare affirmat, ejuſque principium apponit, nempe,* Currite gentes undique. *Propterea viſum eſt exemplar hujus antiquæ editionis ſequi. Prologus vero longe diverſus eſt ab eo, qui habetur in prænominata editione Veneta. In ea enim loco Proœmii eſt devota illa oratio Auctoris,* Transfige dulciſſime Domine Iesu, &c. *cujus magna pars habetur ſupra in Soliloquio cap. 1. quæ etiam hic appoſita eſt, poſt Prologum antiquæ editionis. Argumentum vero hujus Opuſculi, quod eſt in antiqua editione ſic habet:*

Liber iſte, qui ſtimulus amoris in dulciſſimum, & piiſſimum Jesum Salvatorem noſtrum non incongrue poteſt dici, in tres dividitur partes. In quarum prima de Chriſti glorioſiſſima paſſione agitur, videlicet quomodo homo ipſam paſſionem meditari debet, &

quam ſit utilis ejus meditatio: & qualiter, & quam libenter homo converti debet ad compatiendum Domino JESU crucifixo: & alia plura, quæ circa ipſam paſſionem conſiderari poſſunt. In ſecunda vero parte, de his, quæ ad contemplationem diſpoſita ſunt, tractatur, videlicet qualiter homo poſſit amplius proficere, & magis Deo placere: qualiterque ordinatus eſſe debeat ad Deum, ad ſe, & ad proximum; & alia plura, quæ, ad ipſam contemplationem diſpoſitiva & inductiva ſunt. Tertia vero & ultima parte de ipſa contemplationis quiete proſequitur, videlicet quæ ſunt, quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem, & quam glorioſiſſimum ſit ſe mutare in Deum, qualiterque homo mutetur in Deum; & alia plura, quæ ad ipſius contemplationis quietem pervenire volentibus, perutilia, ac neceſſaria ſunt. Qui vult habere ſaporem amoris in his, quæ ſequuntur, debet cum humilitate & amore majeſtatem, & dignitatem Dei admirari, quantum humilitatem & paſſionem propter charitatem pro nobis moriendo in cruce ſuſtinuit meditari, & ruminare cum amore, & cum ardentiſſimo deſiderio; petitiones, quæ ibi continentur ſibi petere, & pro certo proficere in Chriſti amore.

CAPITA HUJUS PRIMÆ PARTIS.

Quomodo homo debet libenter Chriſti paſſionem meditari, & quam ſit utilis ejus meditatio. Cap. I.

Qualiter debet homo niti ad compatiendum Chriſto crucifixo. Cap. II.

Meditatio in Paraſceve de dolore, quem tunc Virgo Maria habuit. Cap. III.

Quod circa paſſionem Domini ſex ſunt conſideranda. Cap. IV.

Quod paſſio Domini adaptatur quatuor affectibus animi. Cap. V.

Quod paſſio Domini adaptatur virtutibus, & primo fidei, & poſt de aliis. Cap. VI.

De ſeptemplici aſcenſu contemplationis in paſſione ſecundum ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti. Cap. VII.

Quod Chriſtus in ſua paſſione beatitudines octo perfecte habuit. Cap. VIII.

Quod in cruce apparent duodecim fructus ſpiritus, quos enumerat Apoſtolus ad Galatas. Cap. IX.

Quod in cruce ſpeculari poſſumus pulcherrimum exemplar decem mandatorum Decalogi. Cap. X.

Quod a paſſione omnia ſacramenta Eccleſiaſtica trahunt virtutem, & quod ſine ea impoſſibile eſt intelligere ſacram ſcripturam. Cap. XI.

Quomodo in beata Domini paſſione relucet omnium Angelicarum Hierarchiarum Officium. Cap. XII.

Quomodo etiam ibi relucet ſumma Dei potentia, ſumma ejus ſapientia, & ſumma clementia, & circa hoc quædam excitativa vel exercitativa. Cap. XIII.

Quomodo in paſſione Domini excitetur cor hominis ad ſeptem opera miſericordiæ. Cap. XIV.

Oratio valde devota circa paſſionem Domini. Cap. XV.

PRO-

PROLOGUS.

Pſalm. 24. AD te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido non erubeſcam. Confiſus de tua liberaliſſima pietate, allectus mira ſuaviſſimi amoris & odoris tui ſuavitate, attractus inſtringibili vinculo tuæ ardentiſſimæ charitatis, ad te, qui habitas in cœlis, levavi oculos meos, ſplendore ſolis juſtitiæ illuſtratus, charitatis tuæ lumine provocatus, avidiſſime requirens ſpecioſiſſimum decorem amatiſſimi vultus tui: Solicitant me intima, quæ tibi in me placita habeas. Quid autem mihi indigno ſervo acceptabilius, quam ſcire qualiter tanto Domino valeam famulari? Ad tuum igitur amorem erectus amici prece inductus, zelo interno coactus, qualiter quiſque te ſtudioſe quærere debeat, qualiter invenire valeat, qualiter poſſit ad te accedere, & ſtrictis tenere amplexibus quibuſdam meditationibus declamare præſumam. In quibus, & ſi diverſæ chordæ tanguntur, ad unum redactæ puris auribus faciunt melodiam. Quamvis enim diverſæ & plurimæ materiæ in diverſis capitulis deſcribantur: tamen inde nihil reſonat, niſi perfectio animi ad divinum amorem. Si aliquid aliud inveneris, pie lector, legitime corrigas, & non rodas: quia malitia non eſt in cauſa, ſed ſimplicitas. Diverſum namque modum invenies in eis, ut diverſitate modi & materiæ, C lectoris faſtidium temperetur, & ejus anima ad cœleſtia cautius elevetur variis illuſtrata radiis, cibis refecta diverſis, multiplicique varietate allecta. Tu autem frater mi Joannes de ordine Fratrum Minorum, qui Euchariſtius appellaris, accipe munuſculum quod a me indigno ſæpe tua humilitas poſtulavit, nec irrideas meam ignorantiam, ſed potius mihi parvulo balbutienti, & infantilibus artubus geſtienti, ſicut pia mater arride. Scio namque quod ſimplicitatem diligas, & fercula etiam ruſticana ſapide quodam famelico appetitu deguſtes. Inſatiabile eſt enim deſiderium tuum, A & avide apprehendis oblata. Aperi ergo os tuum, & tibi quamvis rudis incorpora infra ſcripta. Ipſa enim præſervativa ſunt, & conſervativa humidi radicalis: quia ea de ligno vitæ ſuſcepi. Cave ergo ne lignum ſcientiæ retrahat ab hoc eſu, & nudus apparere verearis coram Deo, inſipidaque tibi ſapida, & ſapida tibi inſipida videantur. Hic vero modum orandi, vivendi, & meditandi inveniet vir devotus. Iſtis juſtus ab infimis eripitur, ad intima tollitur, ad ſumma erigitur cum dulcore. Qui ergo voluerit uſque ad perfectum creſcere, legat & impleat, quæ ſcribam gratia Crucifixi irrigante.

B ALIUS PROLOGUS.

TRansfige dulciſſime Domine Jeſu medullas animæ meæ, ſuaviſſimo ac ſaluberrimo vulnere amoris tui. Vulnera viſcera animæ meæ, vera, & firma, & Apoſtolica charitate: ut vere ardeat, langueat & liquefiat anima mea ſolo ſemper amore, & deſiderio tui. Concupiſcat, & deficiat anima mea in atria tua, cupiat diſſolvi, & eſſe tecum. Da, ut anima mea te ſolum ſemper eſuriat panem vitæ cœleſtis, qui de cœlo deſcendiſti, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, & ſuperſubſtantialem, habentem omnem ſaporem, & omnem dulcorem, & omne delectamentum ſuavitatis, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Te ſemper eſuriat, te comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Te ſemper ſitiat fontem vitæ æternæ, fontem ſapientiæ, fontem ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, & ubertatis domus Dei. Te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur, & omnia operetur ad laudem, & gloriam nominis tui, cum omni humilitate, & diſcretione, omni dilectione, & delectatione, omni facilitate & affectu,

omni patientia & pace perfecta, omni longanimitate, & perſeverantia uſque in finem. Ut tu ſolus ſemper ſis mihi ſpes mea, gaudium meum, jucunditas mea, fiducia mea, divitiæ meæ, dilectio mea, quies mea, tranquillitas mea, dulcedo mea, ſuavitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, ſuſtentatio mea, expectatio mea, refugium meum, auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, reſponſio mea, locutio mea, meditatio mea, operatio mea, theſaurus meus, in quo ſolo fixa & firma, & immobiliter radicata ſit ſemper mens mea, & cor meum. Amen.

Caput I.

Quomodo debet homo libenter Chriſti paſſionem meditari.

CUrrite gentes undique, & miramini erga vos charitatem Dei, & erga ipſum cæcitatem & malitiam veſtram. Si enim Dei Filius voluit inſeparabiliter conjungi naturæ humanæ, quanto magis anima veſtra deberet ſibi inſeparabiliter copulari? Si enim Dei filius voluit tanto charitatis fervore ſic viliſſimos cineres ſibi venire, quanto avidius deberet unuſquiſque ad recipiendum ipſum devotiſſime cor ſuum recipere? Quæ veſania animæ, quod hoc negligit, & potius vult ſtercoribus adhærere? Non enim aſſumpſit Filius Dei carnem, ut homo carni adhæreat, ſed ſicut ipſe in carne exiſtens carnem afflixit, & carnalia contempſit & anima ejus ſemper Deo Patri adhæſit; ſic homo carnem mortificet, & ſemper ſe exigat ad divina. O mirabilis cæcitas hominis, qui cum ex anima & carne conſiſtat, & anima ſine comparatione melior ſit, & nobilior ipſa carne, totum tempus expendit in proviſione carnis, ſive in his, quæ caro requirit, & animam ſuam negligit, ac ſi nihil eſſet, nec ipſam paſcere, nec ipſam nutrire, nec in ſummo quietare ſtudet Creatore: cum

Hominis cæcitas.

Atamen hoc lenius, ſuavius, delectabilius, ſeu opportunius ſine comparatione valeat impetrari. Ubique ſe enim offert hominis Deus, & ſuiipſius niſi mortem Filii ſui pretium non requirit. Corporalia autem ſemper fugiunt, nec etiam cum omni ſolicitudine & labore, ac anxietate poſſunt plene ab aliquo poſſideri in hoc mundo: niſi forte dicamus, quod plene omnia contemnit. Sed quod mirabile eſt, hoc ſibi facit anima a carne aliquantulum inclinata, non tamen coacta. Nam voluntarie ſubdit ſe carni, & carnis beneplacita nititur adimplere, & Deo ſuo ſubdere cum omni exhortatione, beneficio-

B rum collatione, interna inſpiratione contemnit, & in proprio bono, id eſt, in propria utilitate non vult Dei voluntatem facere. Certe ſi anima non eſſet pejor omni animali, Deum, cui ſimilis eſt, deberet ſuper omnia diligere, & de ceteris non curare. Si ergo anima carnem diligis, nullam carnem, niſi carnem Chriſti ames. Hæc enim pro tua, & totius humani generis ſalute eſt ſuper aram crucis oblata, cujus paſſionem in corde rumines quotidie. Hujus enim paſſionis Chriſti meditatio continua mentem elevabit, quid agendum, quid meditandum, quidque ſciendum, & ſentiendum ſit, indicabit: te demum ad ardua inflammabit: te viliſicari, & con-

C temni, & affligi faciet: affectus tuos tam in cogitatione, quam in locutione, ac etiam operatione regulabit. O paſſio deſiderabilis, o mors admirabilis! Quid mirabilius quam quod mors vivificet, vulnera ſanent, ſanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi conjungat. Sed adhuc mirari non ceſſes, quia ſol obſcuratus plus ſolito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, paſſio ignominioſa glorificat. Sed vere mirabile eſt, quod Chriſtus in cruce ſitiens inebriat, nudus exiſtens virtutum veſtimentis ornat; ſed & ejus manus ligno conclavatæ nos ſolvunt, pedes confoſſi nos currere

Paſſionis Chriſti meditatio quam utilis.

vere faciunt, emittens ſpiritum vitam inſpirat, in ligno decedens ad cœleſtia vocat. O paſſio mirabilis, quæ ſuum meditatorem alienat, & non ſolum reddit angelicum ſed divinum. Nam per meditationem commorans in Chriſti tormentis etiam ſeipſum non videt, ſemper intuetur Dominum ſuum paſſum, vult ſecum crucem bajulare, & pro ipſo leviſſime omne bonum, & malum vult portare, & ipſe in corde portat, cœlum & terram pugillo tenentem. Vult ſecum ſpinis coronari, & ipſe ſpe gloriæ coronatur. Vult ſecum in ligno ſine veſtimentis frigeſcere, & nimio amoris ardore accenditur. Vult ſecum acetum guſtare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult ſecum in cruce exiſtens ſibi illudi, & ipſe ab Angelis honoratur, & a beata Virgine in Filium adoptatur. Secum volens triſtari, lætatur; ſecum volens affligi, conſolatur, & nimium jucundatur. Cum Chriſto vult in cruce pendere, & eum dulciſſime Chriſtus amplexatur. Secum vult faciem mortis pavore perfuſam inclinare, & ejus caput Chriſtus elevans ſuaviſſime oſculatur. O mors amabilis, o mors delectabilis! O cur crucis illius loco non fui, ut Chriſtus fuiſſet manibus meis & pedibus conclavatus! Certe illi Joſeph ab Arimathia dixiſſem, non auferas Jeſum a me, ſed me ſecum ſepelias in ſepulcro. Non enim volo amplius ab ipſo ſeparari. Sed ſi hoc modo facere non poſſum corpore, ſaltem hoc volo mente. Bonum eſt enim ſecum eſſe: & in ipſo volo tria tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, ſed aliud continuum in latere: ubi volo quieſcere, dormire, videre, bibere, comedere, legere, orare, & omnia mea negotia pertractare. Ibi loquar ad cor ejus, & ab ipſo quod voluero, impetrabo. Sic faciens dulciſſimæ matris veſtiga ſequar, cujus animam paſſionis Filii gladiis pertranſivit. Secure de cetero ipſam alloquar vulneratus, & ipſam ad quod volue- Luc. 2

A ro, inclinabo. Et non ſolum apparebo cum Filio ſuo crucifixus, ſed ad præſepe rediens ibi cum eo jacebo parvulus, ut ibidem cum ſuo Filio ſuis uberibus merear ablactari. Miſcebo igitur lac Matris cum ſanguine Filii, & mihi faciam unam dulciſſimam potionem.

O amatiſſima vulnera Domini noſtri Jeſu Chriſti! Nam cum in ea quadam vice oculis ſubintrarem apertis, ipſi oculi ſanguine ſunt repleti, ſicque nihil aliud videns cœpi ingredi manu palpans, donec perveni ad intima viſcera charitatis ſuæ, quibus poſt undique circumplexus reverti nequivi. Ideoque ibi inhabito, & quibus veſcitur cibis, veſcor, ac inebrior ſuo potu. Ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat pro peccatoribus in utero virginali, tunc dignatur me ſervum ſuum intra viſcera ſua comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus ejus, & ab illis deliciis excidar, quibus fruor. Sed certe, & ſi me pepererit, debebit ſicut mater me lactare uberibus, levare manibus, portare brachiis, oſculari labiis, foveri gremiis, aut certa quid faciam ſcio. Quantumcumque me pariat, ſcio, ſemper ſua vulnera ſunt aperta, & per ea in ejus uterum iterum introibo, & hoc totiens replicabo, quouſque ero ſibi inſeparabiliter conglobatus. O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Chriſto neſciunt introire! Supra ſuas vires laborant in vanum, & aperta ſunt oſtia ad quietem. An ignoratis, quod Chriſtus eſt gaudium beatorum? Cur ergo tardatis per ſui corporis foramina in illud gaudium introire? Quomodo inſanitis, quia beatitudo Angelorum patet, & circumſtans, aut paries ejus confractus eſt, & vos introire negligitis? An forſan expectatis, quod prius reſolvatur corpus veſtrum, non credentes quod in Chriſto in præſenti anima valeat, quietari? Sed crede mihi o homo, quia ſi in ipſum per hæc anguſta foramina intrare volueris non ſolum anima, ſed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet

Raptus mirabilis S. Bonav.

veniet corpus tuum, quod carnale eſt, A & ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeo ſpirituale, ut ceteras præter eas, quas ibi ſentit, delicias reputes eſſe nihil. Immo fortaſſe aliquando anima propter aliquam obedientiam vel utilitatem dictabit eſſe recedendum, & caro allecta illa dulcedine dicet ibi eſſe immorandum. Et ſi ita accidit de corpore quanta credis animam frui dulcedine, quæ per illa foramina conjungitur cordi Chriſti? Certe exprimere tibi nequeo, ſed experire, & ſcito. Ecce aperta eſt apotheca omnibus aromatibus plena, & medicinalibus opulenta. Per vulnerum ergo feneſtras intra, & accipe medicinam ſanativam, reſtaurativam, B præſervativam, & conſervativam. Ibi quaſcumque volueris ſpecies accipe. Ibi quæcumque delicata appetieris electuaria ſume.

Si etiam ſuavitatis unguentis volueris deliniri, per illa intrare vulnera non poſtponas. Ecce aperta eſt janua paradiſi, & per lanceam militis gladius verſatilis eſt amotus. Ecce lignum vitæ tam in ramis, quam in ſtipite perforatum, in quibus foraminibus niſi pedes, id eſt, affectus poſueris, non poteris capere fructus ejus. Ecce apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ, & charitatis æternæ. Intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione delicias obtinebis. O quam beata lancea, & beati clavi, qui apertionem C hujuſmodi facere meruerunt! O ſi fuiſſem loco illius lanceæ exire de Chriſti latere noluiſſem, ſed dixiſſem:
Pſ. 131 Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam. O ſtulti, & tardi corde qui ad poſſidendum aliquod vanum per incerta foramina introitis, & inde etiam exire multoties non poteſtis: ſed ad poſſidendum Dei Filium ſummum bonum, candorem, & ſplendorem æternum per apertas vulnerum januas non introitis! O anima ad imaginem Dei facta, quomodo te potes amplius continere! Ecce Sponſus tuus dulciſſimus pro te vulneratus jam factus glorioſus te cupit amplecti, & tibi dulciſſima elargiri oſcula, & ad ipſum negligis feſtinare? Nam præ nimio amore aperuit ſibi latus, ut ibi tribuat cor ſuum: ſibi etiam voluit pedes & manus perforari, ut cum ad ipſum perveneris, ſic tuæ manus intrent in ſuas, ac pedes tui in ſuos, ut ſibi inſeparabiliter conjungaris.
Obſecro ſecundum Apoſtolum omnia 1 Theſſ. 5
proba, hoc experiri coneris, & ſi ibi bonum tibi videtur, inde amplius ne diſcedas, & non dubito quod ſi fueris expertus, omnia, præter ipſum, amaritudinem reputabis. Velles libenter tunc tibi illa vulnerum oſtia, poſtquam intraveris, obſerari, ut inde exire amplius non valeres. Admiraberis tunc valde tuam & aliorum ſuper hoc habitam cæcitatem. Gaudebis nihilominus de tanta dulcedine; quam tu ſenties & in tantum etiam inflammabitur cor tuum, ut quaſi nitens anima de corpore exire velit, & naturaliter in Chriſti vulneribus habitare. Et inebriabitur anima a tanta dulcedine & fervore, & vix poteris eam ad aliud inclinare. O vulnera corda ſexea vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantina liquefacientia præ amore! O certe vita, dulcedo, & ſpes noſtra! Si enim per meditationem iſtius paſſionis ad illam perveneris dulcedinem, de qua dixi, vel etiam ad majorem, attende ne velis ipſam paſſionem meditari propter aliquam dulcedinem temporalem, ſed ut tui creatoris beneficium recognoſcens in ejus accendaris amore. Et hæc debet ſemper eſſe tua continua oratio.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, propter tuam largitatem, & filii tui, qui pro me ſuſtinuit paſſionem & mortem: & Matris ejus excellentiſſimam ſanctitatem, atque beati Franciſci, & omnium Sanctorum merita: concede mihi peccatori, & omni tuo beneficio indigno: ut te ſolum diligam, tuo amore ſemper ſitiam, beneficium paſſionis continue in corde habeam,

beam, meam miſeriam recognoſcam, & ab omnibus conculcari, & contemni cupiam: nihil me contriſtet niſi culpa. Amen.

CAPUT II.

Qualiter debet homo niti ad compatiendum Chriſto crucifixo.

AD compatiendum Domino Jeſu *Chriſto*, *crucifixo*, primo ſtudeas quantum potes te unire illi per ferventem amorem. Nam quanto ferventius diliges eum, tanto magis ſuæ compatieris paſſioni: & quanto plus ei compatieris, tanto plus erga eum tuus accendetur affectus. Unde ſi mutuo ſe augebunt dilectio, & compaſſio, donec venias ad perfectum, niſi hoc remanſerit propter aliquam tuam miſeriam, & præcipue ſtudeas abiicere omnem præſumptionem, diffidentiam & negligentiam. Debet enim homo tam nobile opus aggredi humiliter, & confidenter, & inſtanter, & cum quanta poteſt munditia cordis. Et quamvis homo videatur ſibi indignus, & nequam, nihilominus non deſiſtat: quia *ipſe pro peccatoribus crucifixus eſt*.

Inſtructio I. ad compatiendum Chriſto crucifixo. Primo igitur ſic ibi uniaris amore, ut cor tuum jam ſibi non tibi videatur conjunctum. Quomodo enim tunc non ſenties ejus vulnera, aut quas paſſiones habebit, quæ non perfundant cor tuum? Studeas ergo quantum potes, ut cor tuum intret in ipſum totaliter, & te extra ipſum reputes eſſe nihil, & de te extra ipſum tamquam de nihilo curabis. Tota cura tua *vertatur* ad præſens circa Dominum tuum paſſum. Nam ejus es quidquid es, nec debes alteri de te quidquid exhibere. Si ergo translatus in ipſum ſic fueris, non poſſum credere, quin ejus vulneribus vulnereris, & perfundaris ejus contumeliis, illuſionibus & opprobriis. Tunc quantam jucunditatem & dulcedinem aſſequaris, Dominus per ſuam miſericordiam te faciat experiri. Male enim ſcirem hoc tibi calamo declarare. Et ſi hæc tibi nimis alta videntur, nec ad hæc bene pertingere potes, ſicut velles; potes te adhuc exercere modo alio groſſiori ſubſequenti.

Debes enim cogitare quantam paſſionem ſuſtineres ſi excoriareris ſicut beatus Bartholomæus, vel aſſareris, ut beatus Laurentius, aut uſque ad oſſa carnes tuæ dentibus ferreis lacerarentur, alias etiam cogita pœnas, quas volueris, & paſſiones. Et cum ita iſta cogitando ſuper te, conceperis quemdam horrorem nimiæ paſſionis, tunc cogita quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro te viliſſimo peccatore multo graviores, & intolerabiliores ſuſtinuit in cruce dolores, quam tu ſuſtineres in paſſionibus ſupradictis. Tunc ergo rumina in corde tuo, quantam ſuſtinuit anguſtiam & afflictionem, & quantus amor ad hoc ipſum induxit, & ſic meditando afficiatur cor tuum illis doloribus quantum poteſt, & quaſi illos ſuſtineres amariſſimis lacrymis perfundaris: nec dubium quin in dulcedinem maximam convertantur. Inſtructio II.

Et ſi adhuc hoc tibi non valet, melius experire. Facias tibi unum bonum flagellum multum afflictivum, & non nimis læſuum, & in abſcondito egregie te flagella non parcens corpori, donec fuerit bene perfuſum dolore. Et tunc cum illos ſenties dolores, ad Chriſtum paſſum dirige cogitatum tuum, & meditare, quod dulcis dilectus Sponſus tuus, amor tuus, deſiderium animæ tuæ, Angelorum ſolatium, beatorum præmium; Dominus Jeſus Chriſtus pro te viliſſimo ſtercore voluit in ſuo corpore quaſi ſine comparatione ſuſtinere multo intenſiores dolores. Et non nubiles, quod ultimum iſtud remedium multum valet, quia per paſſiones addiſcit homo compati patienti. Ad hæc omnia addas orationem, ut quaſi continue deprecceris Dominum Jeſum Chriſtum, ut ſuis vulneribus mentem tuam vulneret: ut per ipſas paſſiones & vulnera a ſua largitate impetres, quod intendis. Inſtructio III.

Instructio IV.

Et ſi hæc omnia non valent tibi propter duritiem cordis tui, te tamquam ſtercus abhorrens plores amare, & dicas: Uſquequo cordis mei nequitia prævalebit adverſus Jeſum Dominum meum paſſum: cujus vulnera vicerunt diaboli poteſtatem, ſuperaverunt primi parentis veneficia, confregerunt portas inferni, & aperuerunt portas paradiſi, & in tantum abundat malitia cordis mei, ut non devincatur a tam excellentiſſima bonitate. Quid ergo me nequius, & quid majus malitia cordis mei? Heu mihi quid faciam, qui nimium infirmus a paſſione Domini mei Jeſu Chriſti nequeo recipere medicinam? Non ceſſent oculi mei a ploratu, donec lacrymarum abundantia demolliar duritiam cordis mei. Heu, heu, quo ibo a ſpiritu tuo? Quid faciam ex quo animæ meæ vitam neſcio invenire, & erga me ſummam diffuſionem divinæ clementiæ non valeo deguſtare? Sedebo in ſterquilinio & mentis meæ ſaniem teſta radam, affligam me de cetero, nec aliquatenus mihi parcam, donec in afflictione inveniam Dominum meum afflictum. Mirum eſt certe quomodo homo habet patientiam in ſeipſo: videns tantam nequitiam cordis ſui, & non doleat. O cor peſſimum immo diabolicum uſquequo reſiſtes largitati immenſæ. Quare magis delectaris in vulneribus peccati, quam in vulneribus Jeſu Chriſti? Quare magis compateris parvæ puncturæ pedis tui, quam graviſſimæ morti Domini tui, & intenſiſſimo dolori patris tui, vitæ animæ tuæ Chriſti? Ubi major imbecillitas & inſania? O homo, nonne tibi videtur quod illum plus diligis, cui plus compateris in dolore? Et numquid ergo plus diligis pedem tuum, quam Dominum tuum, quia ſcilicet iſti pedi plus compateris in parva afflictione, & in illum quaſi cor tuum tendis, quam illi, ſcilicet Domino Deo tuo, in maxima anguſtia & dolore, & parum aut nihil inclinatur cor tuum ad ipſum? O cæcitas immenſa! o ſerpentibus deteriores, qui in afflictione compatiendo capiti, totum corpus ſuum exponunt flagello! Sed certe videtur quod tamquam membra putrida jam ſumus exciſi a capite noſtro Jeſu Chriſto, quia ipſo vulnerato, ejus vulnera non ſentimus. Heu, heu Domine mi, quare me feciſti, ſi non debeo tibi eſſe conjunctus? Aut ſi tibi ſum conjunctus, quare non ſum tecum pariter vulneratus? Pro me Domine, pro me vulneratus es, non pro te: & tu vulnera portas, non ego. Quid eſt hoc? Ego debeo eſſe ſubjectum vulnerum & non tu: quia ego ſum qui peccavi, ego qui inique egi: ſed tu qui es innocens ovis, quid feciſti? Vertantur, obſecro vulnera hæc in me, & in domum patris mei. Redde nobis Domine, redde vulnera noſtra, ne tu qui innocens es, nocens appareas, retinens vulnera aliena, aut ſaltem tecum vulnera corda noſtra. En mori volo, niſi vulneres mentem meam. Abhorreo videre cor meum non vulneratum: cum videam te Salvatorem ſic pro me viliſſimo cruci affixum. Aut ergo Domine Jeſu me tecum convulnera, aut certe da mihi licentiam transverberandi meipſum materiali gladio. Nolo enim Domine ſine vulnere vivere, quia te video vulneratum. Si hæc omnia non valuerint tibi, tam nobiliſſimo beneficio es indignus, & de cetero non reputes te hominem, ſed beſtiam, & cum feris ſit habitatio tua, quia indignus es conſortio aliorum. Forte tamen ſi multum te humiliaveris, ille, qui reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, reſpiciet humilitatem animæ tuæ, & dabit tibi cor novum, ut cognoſcas Dominum Deum tuum paſſum. Sed quando Domine Jeſu, quando hoc erit? Differre Domine, mors mihi eſt. Et ſi multum expectaveris, forte deſiderio liqueſiam, & poſtmodum in liquido vulnera permanentia imprimi non valebunt. Nam anima mea Domine incipit jam languere, & quaſi ad nihilum redigor, deſiderans tuis vulneribus conſolari. O Domine Jeſu, ubi eſt ſapientia tua? An ignoras, quod melius eſt te habere creaturam tuam vul-

Pſal. 138

Job 2

vulneratam, quam ad nihilum redactam? Non ergo me, quæſo, differas vulnerare, ne multa dilatione amittas, quem tuo pretioſo ſanguine redemiſti. Curre, curre Domine Jeſu, curre, & me vulnera, quia fortaſſe nihil de me invenies, ſi expectas. Sed heu mihi, quam vilis factus ſum: quia videtur etiam quod Deus qui inimicos diligit, me odiat. Numquid ergo pluſquam inimicus factus ſum? Nam, ut inimicos redimeret, voluit lethaliter vulnerari, & ego deficio, & non videtur curare. Non enim peto, ut pro me amplius vulneretur, ſed ut miſi quaſi jam mortuo applicet ſua vulnera, & revivam.

Domine Jeſu ferrum, tuam creaturam inſenſibilem, voluiſti tuum corpus vulnerando intrare, & me tuam creaturam rationalem intrare per jam facta vulnera non permittis. Quid eſt hoc? Numquid cor meum eſt durius, & vilius omni ferro? An cogitas, quod crudelius eſt; Sed mea crudelitas non tibi oberit ſi intravero, cum amodo ſis impaſſibilis. Quantumcumque enim intrem per tua vulnera, & diſcurram, & tuas carnes comedam præ amore, ſemper impaſſibilis permanebis, & meus ſatiabitur appetitus, ita tamen quod amplius incendatur. Sed quid vociferabor amplius? Tardas, & non venis, & jam laſſatus deſiderio incipio inſanire. Amor regit, & non ratio, & curro cum impetu quocumque me volueris inclinare. Nam qui me vident, derident, & quod tuo amore ſim ebrius, non cognoſcunt. Dicunt enim, quid iſte inſanus vociferatur in plateis? Et quantum ſit deſiderium non advertunt. Ignorant, quod amor tuus incenſus impedit uſum ſenſus, & quod qui te ferventer quærit, ſeipſum & omnia derelinquit, & qui te quærit puro corde, ſic parum de extrinſecis curat, ut etiam quid faciat multoties non advertat. Veni domine, bone Jeſu, & noli amplius tardare, ne præ nimio deſiderio fiam ſimpliciter ſine ſenſu. Sed forſitan

A

hoc requiris, ut cum ab omnibus fuero abſtractus, purus intrem per vulnera tua glorioſa, quibus tunc plenarie vulneres amantem. Tunc clamabo, & dicam. Heu, heu mihi Domine mi Jeſu, quomodo te video crudeliter vulneratum, quanto dolore te video aggravatum? Quis mihi hoc tribuat, ut pro te moriar dulciſſime Domine Jeſu? Te videre vivere in tanto dolore ſuſtinere non poſſum, te aſpicere horreo ſupra modum, te etiam liberari mors mihi eſſet; & ideo anguſtiæ ſunt mihi undique, & quid eligam, ignoro, niſi tecum pariter crucifigi. Tuas anguſtias conſiderans in meipſo deficio, etiam exanimis

B

efficior præ dolore, & ita, quod pro me ſuſtines tanta mala. Quid feciſti Domine, quare pro me viliſſimo aſcendiſti in crucem? Et quid ſum ego viliſſimus vermis, putredo deteſtabilis, pro quo tu Dominus omnium debeas ſic affligi, cum tu ſis ſapientia Patris? Quare talem commutationem feciſti, ut dares viam pro morte, veritatem pro vanitate, gratiam pro malitia, gloriam pro miſeria? Quis, quare hoc tu potens feceris, poterit cogitare vel judicare? Nimia fuit dilectio tua, & in hoc apparuit abyſſus, tuæ ſcilicet immenſitas pietatis. Non enim in te video cauſam mortis, niſi ſuperabundantiam charitatis.

C

Nonne melius erat bone Jeſu, ut non eſſem, quam ut factus te occiderem? Et cur carnes meas non lacero præ dolore, aut quomodo me omnis creatura non occidit, qui fui occaſio tuæ mortis? Nonne mirabile videtur me cogitare te tam nobiliſſimum & benigniſſimum Dominum pro me tam viliſſimo mortuum, & non ſtatim deficere præ nimia triſtitia? Et quomodo, ſi non eſſet tuæ contrarium voluntati, me materiali gladio non occido præ dolore, qui fui occaſio tuæ mortis? Cum patientia ergo magna me debeo ſuſtinere, ſicut ſuſtinerem aliquem inimicum meum coram oculis meis, cum video quem toto corde occidere affectarem, quamvis non auderem aliqua ratione. Non-

ne

ne & hoc æquiſſimum eſt, quod poſt tam admirabile & fructuoſum tuæ paſſionis beneficium non ceſſo peccare in conſpectu oculorum tuorum, ac ſi tua paſſio nihil eſſet? Te mihi dediſti, & te renuo, tenebras effugaſti, & ipſas incurro, mundum abjeciſti, & ipſum eligo, vel elegi. An non vides patientiſſime Domine Jeſu, quod ſemper nitor facere tuæ contrarium voluntati, & in facie tibi reſiſtó aperte? Si dicis, Nolo ut hoc facias, dico, Volo. Si dicis, Volo ut hoc fiat; dico, Nolo. Scio te Dominum meum ſummum bonum eſſe, & nihil ego ſum, & ad te ac ſi nihil eſſes, non aſpicio, ſed converto cordis & corporis mei faciem ad ea, quæ vana ſunt, & aliquando ad quæ incongruum eſt nominare, & ſic eis cor meum amoris vinculo colligatur, ut ad te, cujus eſt, nequeat elevari, & hoc certe deteſtabilis abuſio eſt. Sed numquid bone Domine Jeſu voluiſti pro me fruſtra mori, qui quem ſic care emiſti, pro nihilo perdidiſti? Me tecum occidas, & pariter tranſfigas, ne a te valeam amplius ſeparari, ut tecum poſſim vivere in æternum. Amen.

ORATIO DEVOTISSIMA.

Domine JESU Chriſte, cor meum tuis vulneribus ſaucia, & tuo ſanguine inebria mentem meam, ut quocumque me vertam ſemper te videam crucifixum, & quidquid aſpexero, in tuo ſanguine mihi appareat rubricatum: ut ſic in te totus tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil niſi tua vulnera valeam intueri. Hæc mihi conſolatio, tecum mi Domine vulnerari, hæc intima ſit mihi afflictio ſub te aliquid meditari. Non quieſcat cor meum bone JESU, donec inveniat te centrum ſuum. Ibi cubet, ibi ſuum terminet appetitum. Amen.

A

CAPUT III.

Meditatio compaſſiva in Paraſceve doloris quem tunc habuit beata Virgo Maria.

STabat juxta crucem Jeſu Mater ejus. O Domina mea, ubi ſtabas? Numquid tantum juxta crucem? Imo certe in cruce cum Filio ibi crucifixa eras ſecum. Sed hoc diſtat, quia ipſe in corpore, tu autem in corde. Necnon & ejus vulnera per corpus ejus diſperſa, ſunt in corde tuo unita. Ibi Domina lanceatum eſt cor tuum, ibi ſpinis coronatum, ibi illuſum, exprobratum, & contumeliis plenum, aceto & felle potatum. O Domina cur iviſti immolari pro nobis? Numquid non ſufficiebat Filii paſſio nobis, niſi crucifigeretur & mater? O cor amoris, cur converſum es, in globum doloris? Aſpicio Domina cor tuum & id non cor, ſed myrrham & abſynthium, & fel video. Quæro matrem Dei, & ecce invenio ſputa, flagella, & vulnera: quia tota converſa es in iſta. O amaritudine plena quid feciſti? Cur vas ſanctitatis feciſti vas pœnalitatis? O Domina quare non es ſolitaria in camera tua? Quare iviſti ad Calvariæ locum? Non eſt tua conſuetudo Domina ad talia ſpectacula properare. Cur te non retinuit pudor mulieris, cur te non retinuit horror facinoris? Cur te non retinuit verecundia virginitatis? Cur te non retinuit loci turpitudo, multitudo vulgi, deteſtatio mali? Cur te non retinuit clamoris vehementia, ſtultorum veſania, dæmoniacorum caterva? Hæc non conſideraſti Domina, quia cor tuum alienatum totum præ dolore non erat in te, ſed in afflictione Filii, & in vulneribus unici, & in morte dilecti. Non conſiderabat cor tuum vulgus ſed vulnus: non preſſuram, ſed fixuram: non clamorem, ſed livorem: non horrorem, ſed dolorem. Revertere Domina ad locum priſtinum, ne eum percuſſione paſtoris, te etiam amittamus, ut non una hora utriuſque pri-

B

C

privemur regimine. Non eſt conſuetudo Domina, mulieres tali morte condemnari, nec etiam contra te Domina ſententia eſt promulgata. Sed ut puto audire, hæc non rotes, quia amaritudine repleta es, totum cor tuum verſum eſt Domina circa Filii tui paſſionem. O mira res, tota es in vulneribus Chriſti, totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui. Quomodo eſt hoc, quod *continens ſit in contento*? O homo vulnera cor tuum, ſi vis hanc intelligere quæſtionem. Aperi cor tuum clavis, & lancea, & veritas ſubintrabit. Non enim intrabit ſol juſtitiæ in cor clauſum. Sed o vulnerata Domina vulnera corda noſtra, & in cordibus noſtris tuam, & Filii tui renova paſſionem. Cor tuum vulneratum conjunge cordi noſtro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc tuum cor ſaltem Domina non habeo, ut quocumque pergam ſemper tuo Filio videam te confixam. O Domina ſi non vis mihi dare tuum Filium crucifixum, nec cor tuum vulneratum, ſaltem quæſo mihi tribue Filii tui vulnera, contumeliaſque & illuſiones, ac opprobria, & illa quæ in te *ſentis*. Quæ enim mater eſt, quæ ſi poſſet & a ſe, & a ſuo Filio non auferret paſſiones, & in ſuo poneret ſervo? Aut ſi ſic inebriata es iſtis, quod nec ea vis a tuo corde, nec a tuo Filio ſeparare, ſaltem Domina illis ignominiis, & vulneribus indigniſſimum me conjunge, ut ibi, & Filio tuo ſolatium ſit habere ſocium pœnarum. O quam beatus eſſem, ſi poſſem vobis ſaltem in vulneribus ſociari. Nam quid eſt majus hodie Domina, quam habere cor junctum cordi tuo, & Filii tui corpori perforato? Nonne cor tuum plenum eſt gratiæ illius? Et ſi apertum eſt, gratia illa non decurrit in cor ſibi junctum? Et ſi Filius tuus gloria beatorum, quomodo ſi perforatum eſt corpus ejus, non emanat illius dulcedo gloriæ in cor ſibi junctum? Non enim intelligo aliter poſſe eſſe, ſed timeo ne ſimus aliquando longe, & credamus eſſe prope. O Domina quare mihi quod peto non tribuis? Si te offendi, pro juſtitia cor meum vulnera. Si tibi ſervivi, nunc pro mercede peto vulnera. Et ubi eſt Domina, ubi eſt pietas tua, ubi eſt immenſa clementia tua? Quare facta es mihi crudelis, quæ ſemper fuiſti benigna? Quare facta es mihi amara, quæ ſemper fuiſti dulcis, & pia? quare facta es mihi avara, quæ ſemper fuiſti liberalis, & larga? Non peto a te Domina ſolem, neque ſidera, ſed peto vulnera. Quid eſt hoc ſi de iſtis vulneribus es avara? Aut a me Domina vitam auferas corporalem, aut cor meum vulnera. Verecundum enim & opprobrioſum eſt mihi, videre Dominum meum Jeſum vulneratum, & te convulneratam Dominam, & me ſervum viliſſimum pertranſire illæſum. Certe ſcio, quid faciam, vel tibi ſine ceſſatione vel intermiſſione cum clamore, & lacrymis, tuis pedibus provolutus poſtulabo, proclamabo, & ero nimium importunus, & hæc mihi tribues, aut ſi me percuſſeris, ut recedam, tamen ſtabo, & tua ſuſtinebo flagella, donec ero undique vulneratus, nec aliud a te niſi vulnera peto. Si autem ſine percuſſione blandiri volueris, perſeverabo conſtans, & tua recipiam blandimenta, & ipſæ blanditiæ cor meum vulnerabunt amore. Si autem, nec quidquam dixeris, tunc cor meum vulnerabitur triſtitia, & dolore, & ſic ſine dolore non recedam.

Caput IV.

Circa paſſionem Domini ſex ſunt conſideranda.

Circa paſſionem Domini Jeſu ſic poteſt homo ſe habere ut conſideret eam, primo ad imitandum, ſecundo ad compatiendum, tertio ad admirandum, quarto ad exultandum, quinto ad reſolvendum, ſexto ad quieſcendum.

Primo igitur eam conſideret ad imitandum, hæc enim eſt ſumma & perfectiſſima Chriſtiani imitatio. *Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad imitandum.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc eſt ſumma, & perfectiſſima vita imitando Chriſtum. Hæc eſt ſumma, & perfecta religio, & religioſa perfectio. Hæc eſt regula, & exemplar perfectionis omnis vitæ & virtutis, ſcilicet Chriſtum imitari in paſſione & morte. Sit ergo regula noſtra vivendi paſſio Salvatoris, & tanto amplius in hoc conſolemur, quanto amplius Chriſto conformamur, & tanto amplius deſolemur, quanto ab hoc exemplari, & regula amplius elongamur. Semper ergo, quantum in nobis eſt, velimus ab omnibus conculcari, deiici, vilipendi, illudi, perſequi, flagellari, & in divinis obſequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum eo nudo, & nihil penitus cupiamus habere aliquid, ſit nobis graviſſima pœna, & dolor immenſus: nihil autem habere, plena exultatio. Abhorreamus dulcia, & delectabilia deguſtare, & potius velimus vilibus & amaris cibari, & deſideremus quod quælibet cibaria felleum nobis potius, quam melleum ferant ſaporem: quia ipſe Chriſtus felle & aceto fuit potatus. Et, ut breviter dicam, conſideremus, quæ pro nobis ſuſtinuit, qualiter in paſſionibus ſe habuit, & nos pro modulo noſtro, quantum poſſumus, conformemus eidem.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad compatiendum.

Secundo deberet eam homo conſiderare ad compatiendum. Debemus enim conſiderare ipſius flagella, illuſiones, & opprobria, & in corde noſtro ruminare, & imaginari quanta ibi fuit dejectio, & contemptus erga Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quantus dolor, quantave afflictio in corde & corpore. Sic & ratione paſſionis, & compaſſionis pro peccatis noſtris fuit. Conſideremus ergo, quanta tunc amaritudine repletus erat Angelorum dulcedo, quantumque aggravabat eum non tantum pœnæ illatio, & noſtra ingratitudo, ſed & aſſiſtentis Matris afflictio, quam ſic diligebat, & quaſi deficere præ compaſſionis dolore videbat. Ibi Filius crucifigebatur cum Matre, & propter mutuam & intenſam dilectionem ex compaſſione mutua erat nimia afflictio utriuſque, & maxime cum pro invicem paterentur. Sciebat Mater, quod Filius patiebatur pro ipſa, ſicut pro reliquis redimendis, ſciebat Filius, & certiſſime ſcrutabatur, quod ſuus gladius ex compaſſione, Matris animam pertranſibat. Unde paſſio Filii erat paſſio Matris. Eja ergo Chriſtiane hæc verte, & converte in corde tuo, & totum cor tuum reple conviciis illis, & pœnis videns Dominum tuum, & Sponſum tuum pro te talia ſuſtinere. Si enim ei per amorem bene unitus fueris, tunc compatieris eidem. Si autem non ſentis dolorem capitis, quomodo es unum cum ipſo? Et ſicut plus compatiendum eſt capiti, quam ceteris membris, ſic magis ſine comparatione ſibi compati debemus, pluſquam quantumcumque dilecto Filio, vel amico, immo pluſquam tibi ipſi, ſi omnia prædicta patereris. Nunc ergo chariſſimi felle & abſynthio, atque myrrha inebriemur, & ſolum ejus vulnera ſentiamus, transfigant cordis noſtri intima, ejus convitia, flagella, & vulnera, nec in nobis ſit, quod non perfundatur compaſſionis dolore, & affligatur intenſe.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad admirandum.

Tertio conſideremus eam ad admirandum. Si enim conſideremus quis, quæ, pro quibus paſſus eſt, multum mirari debemus. Quis ſcilicet Filius Dei verus, ſumme potens, ſapiens, & bonus, & ſimpliciter quidquid nobilitatis ei attribueris, nihil eſt adhuc reſpectu magnitudinis ſuæ. Omnia quantumcumque bona ſint & magna, ſunt ſicut quædam favilla, immo quædam vanitas in comparatione ipſius. Quæ, ſcilicet peregrinationem, fugas, ſitim, famem, calorem, frigus, tentationes, horrores, perſecutiones, ſputa, opprobria, vincula, flagella, illuſiones, & dolores, plagas, & vulnera. Conſpuitur enim gloria, condemnatur juſtitia, Judex judicatur, inoffenſus inculpatur, innocens infamatur, Deus blaſphematur, Chriſtus conculcatur, occiditur vita, obſcuratur ſol, luna denigratur, ſidera

ſidera diſperguntur: & hæc omnia tolerat patienter ut agnus, cum ſolo nutu omnem creaturam demergere poſſet in profundum inferni. Sed pro quibus hæc patitur? Pro nequiſſimis mancipiis, pro ſceleratiſſimis inimicis, immo pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filiis, pro contemptoribus divinæ majeſtatis, & divinæ bonitatis ingratis. Ergo talis & tantus, talia & tanta pro tam vi*liſſimis, & abjectiſſimis* paſſus eſt. Sed a quibus? a ſpecialiter prædilectis, quibus omnem benignitatem oſtendit, a viliſſimis maximus, a ſtultis ſapientiſſimus: quia Dei verbum, & Dei ſapientia, ab impiis ſumme pius, a ſanie fœtidiſſima ſplendor æternus. In his ergo omnibus in divinæ benignitatis, & largitatis admirationem elevemur.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad exultandum.

Quarto conſideremus eam ad exultandum. Exultare in ea debemus de *redemptione humana*, reſtauratione Angelica, & divina *clementia*. De redemptione humana ſine dubio nimis gaudere debemus facta per Chriſti paſſionem & mortem. Quis, quæſo, non exultet & gaudeat, cum cernit ſeipſum *per hanc beatiſſimam paſſionem liberatum* a damnatione æterna, a culpæ ignominia, a poteſtate diabolica? Sed quis non exultet in immenſum, cum cernit Deum ipſum in tantum diligere, ut tantæ utilitati, & pœnalitati ſubjecerit ſemetipſum pro eo? Non quod gaudeat de ejus vilitate & paſſione dico, ſed de ejus effectu, affectuſque & amoris manifeſtatione. Quis Princeps in Regno vel Imperio alicujus Imperatoris, vel *Regis*, cernens ſe tantum a Rege vel Imperatore diligi, ut paratus eſſet mori pro ipſo, non gauderet & exultaret? Quanto magis nos viliſſimi homines, & nefandiſſimi peccatores, & ſervi gaudere debemus & exultare, cum videmus Regem regum, & Dominum dominantium, & creatorem noſtrum Jeſum nos ita continue diligere, ut immolaverit ſeipſum pro nobis in tam turpi & viliſſima morte? Debemus etiam ſuperextolli immenſa exultatione. Plus enim ſine comparatione me diligit, quam ego meipſum. Gaudeamus etiam & exultemus, quod per Chriſti paſſionem reſtaurata eſt Angelica ruina: Magna jucunditas debet nobis eſſe, cum videmus per Chriſti mortem tam nobile collegium reparari de nobis, ut fiat unum ovile, & unus paſtor, & ſimus unum in uno. In hoc enim debet tota cœleſtis curia & etiam militaris Eccleſia gratulari. O certe amabilis, & venerabilis paſſio ſalutaris quæ ſic disjuncta conjungis, & tranſequeſtrata conglutinas, & unis firmiſſime inſimul, ſtringiſque vinculo conſummati amoris & felicitate gaudii ſempiterni. Præcipue autem gaudere, & exultare debemus cernentes in ſupradictis omnibus ſummam clementiam Domini, Deique noſtri Jeſu Chriſti. Hæc puto ſummam eſſe gloriam bonorum tam hominum, quam etiam Angelorum, quanto intimius, & profundius contemplantur clementiam & benevolentiam Dei, & immenſitatem bonitatis ejus, & hoc debet eſſe cujuslibet contemplantis exultatio medullaris. Sed ubi, quæſo, magis apparet diffuſio bonitatis divinæ, & benigniſſimæ clementiæ dulciſſimi, & amantiſſimi Patris & Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam in paſſione ſua, ubi talia, tanta, tam turpia & gravia ſuſtinere voluit pro inimico ſuo liberando & glorificando, pro vanitate quadam digna morte æterna? In iſtud gaudium intret homo, & reficiatur magnificentia benignitatis divinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde ſuo exaltetur excellentiſſima, & inenarrabilis clementia Chriſti paſſi, &c.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad transformationem in ipſum.

Quinto etiam conſideremus beatiſſimam Chriſti paſſionem ad cordium noſtrorum reſolutionem, & etiam perfectam transformationem in ipſum, quod fit quando homo non ſolum imitatur, compatitur, admiratur, & exultat, ſed etiam totus homo convertitur in eum, ſcilicet Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum crucifixum, ut jam quaſi ubique, & ſem-

ſemper crucifixus ſibi occurrat. Immo tunc ille vere in ipſum reſolvitur homo, quando exiens ex ſe, & ſuperpoſitus univerſis, immo ſuper ſe abſtractus ab omnibus totus eſt converſus in Dominum ſuum paſſum, ut nihil videat, aut ſentiat intra ſeipſum, niſi Chriſtum crucifixum, illuſum, exprobratum, & paſſum pro nobis.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad interni dulcoris quietem.

Sexto conſideremus eamdem beatiſſimam Chriſti paſſionem ad quietem dulcoris interni, quod fit quando reſolutus homo, ut dixi, ſitibundus eamdem paſſionem ruminare non ceſſat, & intrans ſecundum poſſe ſuum illum paſſionis theſaurum ſimiliter & devote, liqueſcit amore devoto, & fervida devotione vel dilectione deficit a ſe, & requieſcit in Chriſto crucifixo. Sed quanto ei plus inhæret, & appropriat, tanto amplius devotiſſimo amore in ſe deficit, & liqueſcit; & quanto plus deficit a ſe amore, & devotione, tanto amplius eidem dilectio pro ſe mortuo inhæret, & plus requieſcit in eo. Et ſicut mutuo ſe augent adhæſio amoris, & devotio donec tota Sponſa abſorbeatur ab illo camino amoris paſſionis dilecti. Sic in amplexibus Sponſi ſoporata quieſcit, qui clamat, & dicit: Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ne evigiletis, neque ſuſcitare faciatis dilectam donec ipſa velit, &c. (Cant. 2.) Sic ergo circa paſſionem Domini debet eſſe imitatio ad purgationem mentis & dilectionem, compaſſio ad unionem & amorem, admiratio ad mentis elevationem, gaudium, & exultatio ad cordis dilatationem, reſolutio ad perfectam conformationem, quies, & pauſatio ad devotionis compoſitionem.

CAPUT V.

Qualiter paſſio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

SEd necdum ruminare ceſſemus Chriſti glorioſiſſimam paſſionem, ut per eam dirigamur in omni bona A affectione, virtute, ſapientia, cogitatione, locutione, & operatione. Sed primo de quatuor affectibus animi videamus, qui ſunt gaudium, dolor, ſpes, & timor. In hac autem beatiſſima paſſione datur nobiliſſimi gaudii materia, & vehemens exultatio. Ibi eſt etiam omnis inutilis, & nocivi gaudii reſecatio. Ubi eſt major materia gaudii & exultationis, quam circa Chriſti paſſionem, qua ab omni poteſtate diaboli liberamur, a culpa & pœna abſolvimur, in Dei filios adoptamur, & Chriſto in matrimonium jungimur, qua etiam gratia largitur, cœlum aperitur, gloria offertur & datur? Ubi eſt major & excellentior B gaudii materia, quam ut videamus nos a Deo in tantum diligi, ut talia voluerit pati pro nobis. Eſt etiam ibi inutilis & nocivi gaudii reſecatio. Conſidera Domini noſtri paſſionem beatiſſimam, & videbis quomodo reſecanda eſt omnis conſolatio corporalis, & omne gaudium corporale & omnis laus humana. Eſt etiam in hac beatiſſima paſſione materia immenſi doloris. In dolore enim Domini noſtri Jeſu Chriſti, debemus intime ſibi condolere, & compati. Debemus etiam ei condolere, & multum dolere quod peccata noſtra fuerunt ſibi occaſio tantæ abjectionis, tam immenſæ afflictionis. Eſt inſuper ibi materia ſpei. Qui (Rom. 8.) enim proprio Filio ſuo non pepercit, C ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo, etiam cum illo non omnia nobis donavit? Eſt etiam ibi vehemens materia timoris. Si enim pro delictis noſtris paſſus eſt homo Deus, in quo non potuit eſſe peccatum, magis punientur peccatores? Si enim (Luc. 23.) ſic actum eſt in viridi, quid fiet in arido? Invicem autem conjunge, ſcilicet gaudium & dolorem, ſpemque ac timorem, ne deſperationem incurras, vel præſumptionem. Et ſic aliqualiter adaptatio de quatuor animi affectibus patet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Qualiter paſſio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

NUnc aliquantulum de virtutibus videamus divinis. Quid dicimus de fide? Dico, quod hæc eſt robur & fundamentum totius Chriſtianæ fidei, vel religionis. Peto an Deus erat iſte, qui paſſus eſt, an non? Si ſic, *habeo propoſitum*, quid ipſa paſſio veram humanitatem demonſtrat, patet ipſum eſſe verum Deum & hominem. Si autem dubitas, oſtendo tibi ex ipſa paſſione ipſum fuiſſe Deum. Nam ſi non erat Deus, & dicebat ſe Deum eſſe, erat ſuperbiſſimus hominum, immo & dæmonum: quia lucifer numquam dixit ſe eſſe Deum, licet quantum ad aliud voluerit eſſe ſimilis Altiſſimo. Sed ſic ſuperbum impoſſibile eſt, tantam dejectionem, *illuſionem*, paſſionem, & ignominioſam mortem ſubire, tam voluntarie, tam humiliter, tam pacifice, & velle cum peccatoribus reputari. Si enim non erat Deus, & volebat ſe oſtendere Deum, quidquid fuiſſet utilitatis, *fragilitatis*, & *dejectionis*, occultaſſet pro poſſe. Ideoque nec famem, nec ſitim, nec laborem, nec fatigationem, nec lacrymationem, nec timorem, nec ullum dolorem oſtendiſſet, ſed ſi habuiſſet libenter occultaſſet. Nec enim multum curaſſet ſe oſtendere hominem, & maxime paſſibilem & mortalem, ſed quod videretur eſſe apparentiæ ſublimitatis, & magnificentiæ, ut poſſet aliqualiter credi Deus. Cum hæc ſimul *credere* ſit difficillimum, & parum ad elationem ſuperbi faceret reputari homo mortalis, quomodo obſecro dixiſſet. Triſtis eſt anima mea
Mar. 14 uſque ad mortem? Quomodo ſe dixiſſet Filium hominis? Si dicas quod non voluntarie, ſed invide paſſus eſt: hoc ſtare non poteſt, quia ipſe dixerat: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &
Luc. 18 Filius hominis tradetur, ut crucifigatur, &c. Unde prædixit omnia. Si dicas, quod hæc ad deceptionem fe- A cit, hoc nihil eſt, quod ſcilicet aliquis ſe velit morti tradere propter aliquam deceptionem. Si dicas, quod videbatur mori, ſed non moriebatur: ad hoc dico, quod nullo modo homo, quantumcumque malitioſus, ſeu etiam diabolicus, nec etiam diabolus hoc feciſſet: quia non erat iſta via tradenda ad credendum aliquem non Deum eſſe Deum, ſed potius contrariabatur. Quod patet, quia diſcipuli *Matth. 26*
ejus relicto eo abierunt, & ut dicitur in ſola virgine remanſit fides Eccleſiæ. Stultiſſimum enim & incredibile eſt, nec etiam licet dicere, nec etiam cogitare, quod homo quantumcumque diabolicus procuret ſe ab om- B nibus pro Deo coli, tam ignominioſa morte, & viliſſima dejectione, ſed potius e contrario, cum paſſio Chriſti ſit Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia. Ex qua glorioſiſſima paſ- *1 Cor. 1*
ſione arguitur, Jeſum Chriſtum non eſſe tantum verum hominem, ſed etiam verum Deum, & omnium Dominum. Item ſi ſolam humanam laudem quæreret & appeteret, nonne deſcendiſſet de cruce, quando Judæi dixerunt. Deſcendat nunc de cruce, *Matth. 27*
& credemus ei? Hæc enim via paſſionis ignominioſe, & ſi non eſſet expediens homini decipere volenti, ut oſtenſum eſt, tamen congruentiſſima fuit Deo ſalvare cupienti ratione ſuæ C bonitatis, potentiæ, & ſapientiæ, qui non procurabat niſi noſtram redemptionem, & ſalutem, obediendo Patri uſque ad mortem.

Eſt autem hæc glorioſiſſima paſſio, non ſolum fidei fundamentum, ſed ſpei erectio, ubi ſeipſum donavit, & charitatis inflammatio, ubi ſe pro nobis immolavit. Et hæc ſufficiant de Theologicis virtutibus, & etiam de Cardinalibus. De quibus tamen latius tam in præcedentibus, quam etiam in ſequentibus patet.

Eſt nihilominus exemplum, & ratio perfectiſſimæ prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, & juſtitiæ, ſicut intelligentibus apparet manifeſtiſſime.

Digitized by Google

ſemper crucifixus ſibi occurrat. Immo tunc ille vere in ipſum reſolvitur homo, quando exiens ex ſe, & ſuperpoſitus univerſis, immo ſuper ſe abſtractus ab omnibus totus eſt converſus in Dominum ſuum paſſum, ut nihil videat, aut ſentiat intra ſeipſum, niſi Chriſtum crucifixum, illuſum, exprobratum, & paſſum pro nobis.

Paſſio Chriſti conſideranda eſt ad interni dulcoris quietem.

Sexto conſideremus eamdem beatiſſimam Chriſti paſſionem ad quietem dulcoris interni, quod fit quando reſolutus homo, ut dixi, ſitibundus eamdem paſſionem ruminare non ceſſat, & intrans ſecundum poſſe ſuum illum paſſionis theſaurum ſimiliter & devote, liqueſcit amore devoto, & fervida devotione vel dilectione deficit a ſe, & requieſcit in Chriſto crucifixo. Sed quanto ei plus inhæret, & appropriat, tanto amplius devotiſſimo amore in ſe deficit, & liqueſcit; & quanto plus deficit a ſe amore, & devotione, tanto amplius eidem dilectio pro ſe mortuo inhæret, & plus requieſcit in eo. Et ſicut mutuo ſe augent adhæſio amoris, & devotio donec tota Sponſa abſorbeatur ab illo camino amoris paſſionis dilecti. Sic in amplexibus Sponſi ſoporata quieſcit, qui clamat, & dicit: Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ne evigiletis, neque ſuſcitate faciatis dilectam donec ipſa velit, &c. Sic ergo circa paſſionem Domini debet eſſe imitatio ad purgationem mentis & dilectionem, compaſſio ad unionem & amorem, admiratio ad mentis elevationem, gaudium, & exultatio ad cordis dilatationem, reſolutio ad perfectam conformationem, quies, & pauſatio ad devotionis compoſitionem.

Cant. 2.

Caput V.

Qualiter paſſio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

Sed necdum ruminare ceſſemus Chriſti glorioſiſſimam paſſionem, ut per eam dirigamur in omni bona A affectione, virtute, ſapientia, cogitatione, locutione, & operatione. Sed primo de quatuor affectibus animi videamus, qui ſunt gaudium, dolor, ſpes, & timor. In hac autem beatiſſima paſſione datur nobiliſſimi gaudii materia, & vehemens exultatio. Ibi eſt etiam omnis inutilis, & nocivi gaudii reſecatio. Ubi eſt major materia gaudii & exultationis, quam circa Chriſti paſſionem, qua ab omni poteſtate diaboli liberamur, a culpa & pœna abſolvimur, in Dei filios adoptamur, & Chriſto in matrimonium jungimur, qua etiam gratia largitur, cœlum aperitur, gloria offertur & datur? Ubi eſt major & excellentior B gaudii materia, quam ut videamus nos a Deo in tantum diligi, ut talia voluerit pati pro nobis. Eſt etiam ibi inutilis & nocivi gaudii reſecatio. Conſidera Domini noſtri paſſionem beatiſſimam, & videbis quomodo reſecanda eſt omnis conſolatio corporalis, & omne gaudium corporale & omnis laus humana. Eſt etiam in hac beatiſſima paſſione materia immenſi doloris. In dolore enim Domini noſtri Jeſu Chriſti, debemus intime ſibi condolere, & compati. Debemus etiam ei condolere, & multum dolere quod peccata noſtra fuerunt ſibi occaſio tantæ abjectionis, tam immenſæ afflictionis. Eſt inſuper ibi materia ſpei. Qui Rom. 8. C enim proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo, etiam cum illo non omnia nobis donavit? Eſt etiam ibi vehemens materia timoris. Si enim pro delictis noſtris paſſus eſt homo Deus, in quo non potuit eſſe peccatum, magis punientur peccatores? Si enim Luc. 23. ſic actum eſt in viridi, quid fiet in arido? Invicem autem conjunge, ſcilicet gaudium & dolorem, ſpemque ac timorem, ne deſperationem incurras, vel præſumptionem. Et ſic aliqualiter adaptatio de quatuor animi affectibus patet.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Qualiter paſſio Domini adaptatur quatuor affectibus animi.

NUnc aliquantulum de virtutibus videamus divinis. Quid dicimus de fide? Dico, quod hæc eſt robur & fundamentum totius Chriſtianæ fidei, vel religionis. Peto an Deus erat iſte, qui paſſus eſt, an non? Si ſic, habeo propoſitum, quid ipſa paſſio veram humanitatem demonſtrat, patet ipſum eſſe verum Deum & hominem. Si autem dubitas, oſtendo tibi ex ipſa paſſione ipſum fuiſſe Deum. Nam ſi non erat Deus, & dicebat ſe Deum eſſe, erat ſuperbiſſimus hominum, immo & dæmonum: quia lucifer numquam dixit ſe eſſe Deum, licet quantum ad aliud voluerit eſſe ſimilis Altiſſimo. Sed ſic ſuperbum impoſſibile eſt, tantam dejectionem, illuſionem, paſſionem, & ignominioſam mortem ſubire, tam voluntarie, tam humiliter, tam pacifice, & velle cum peccatoribus reputari. Si enim non erat Deus, & volebat ſe oſtendere Deum, quidquid fuiſſet utilitatis, *fragilitatis*, & *dejectionis*, occultaſſet pro poſſe. Ideoque nec famem, nec ſitim, nec laborem, nec fatigationem, nec lacrymationem, nec timorem, nec ullum dolorem oſtendiſſet, ſed ſi habuiſſet libenter occultaſſet. Nec enim multum curaſſet ſe oſtendere hominem, & maxime paſſibilem & mortalem, ſed quod videretur eſſe apparentiæ ſublimitatis, & magnificentiæ, ut poſſet aliqualiter credi Deus. Cum hæc ſimul credere ſit difficillimum, & parum ad elationem ſuperbi faceret reputari homo mortalis, quomodo obſecro dixiſſet. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem? Quomodo ſe dixiſſet Filium hominis? Si dicas quod non voluntarie, ſed invide paſſus eſt: hoc ſtare non poteſt, quia ipſe dixerat: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur, &c. Unde prædixit omnia. Si dicas, quod hæc ad deceptionem fe-

Mar. 14

Luc. 18

cit, hoc nihil eſt, quod ſcilicet aliquis ſe velit morti tradere propter aliquam deceptionem. Si dicas, quod videbatur mori, ſed non moriebatur: ad hoc dico, quod nullo modo homo, quantumcumque malitioſus, ſeu etiam diabolicus, nec etiam diabolus hoc feciſſet: quia non erat iſta via tradenda ad credendum aliquem non Deum eſſe Deum, ſed potius contrariabatur. Quod patet, quia diſcipuli ejus relicto eo abierunt, & ut dicitur in ſola virgine remanſit fides Eccleſiæ. Stultiſſimum enim & incredibile eſt, nec etiam licet dicere, nec etiam cogitare, quod homo quantumcumque diabolicus procuret ſe ab omnibus pro Deo coli, tam ignominioſa morte, & viliſſima dejectione, ſed potius e contrario, cum paſſio Chriſti ſit Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia. Ex qua glorioſiſſima paſſione arguitur, Jeſum Chriſtum non eſſe tantum verum hominem, ſed etiam verum Deum, & omnium Dominum. Item ſi ſolam humanam laudem quæreret & appeteret, nonne deſcendiſſet de cruce, quando Judæi dixerunt. Deſcendat nunc de cruce, & credemus ei? Hæc enim via paſſionis ignominioſe, & ſi non eſſet expediens homini decipere volenti, ut oſtenſum eſt, tamen congruentiſſima fuit Deo ſalvare cupienti ratione ſuæ bonitatis, potentiæ, & ſapientiæ, qui non procurabat niſi noſtram redemptionem, & ſalutem, obediendo Patri uſque ad mortem.

Matth. 26

B

1 Cor. 1

Matth. 27

C

Eſt autem hæc glorioſiſſima paſſio, non ſolum fidei fundamentum, ſed ſpei erectio, ubi ſeipſum donavit, & charitatis inflammatio, ubi ſe pro nobis immolavit. Et hæc ſufficiant de Theologicis virtutibus, & etiam de Cardinalibus. De quibus tamen latius tam in præcedentibus, quam etiam in ſequentibus patet.

Eſt nihilominus exemplum, & ratio perfectiſſimæ prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, & juſtitiæ, ſicut intelligentibus apparet manifeſtiſſime.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De ſeptemplicis aſcenſu contemplationis in paſſione ſecundum ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti.

IN hac etiam glorioſiſſima paſſione, glorioſiſſime lucet ſpeculum ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris. Sed qualiter ibi ſit, & appareat ſumma ſapientia, eſt ſenſus conſummatus cogitare de ea, & quam ſapientiſſimus homo fiat in illa, & de aliis donis pertractare per ſingula nimis eſt prolixum. Adhuc tamen chariſſime frater potes in præclariſſima paſſione, quam nominare ſum indignus ſeptem aſcenſus ſive gradus contemplationis evidentiſſime ſpeculari ſecundum ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, donum ſcilicet ſapientiæ, & intellectus, &c.

Gradus primus per donum ſapientiæ.

Nam in illa beatiſſima paſſione crucifixus cum Chriſto ad acumen contemplationis aſcendit per ſapientiæ donum hoc modo. Conſideratio ſapientialis eſt in hac beatiſſima paſſione, quando homo conſiderat potentiſſimum pro nobis conculcari, ſapientiſſimum ad modum ſtulti illudi, optimum amaritudine repleri, & tamquam peſſimum turpiſſima morte damnari. Et ex hoc ſurgit mens in quamdam admirationem tantæ dignationis divinæ, & tantæ erga nos benignitatis indignos. Et tunc cum maſticat illam paſſionem Domini ſui Jeſu, diligenter admirans in ea excellentiſſimam benignitatem Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti erga nos ſervulos ſuos incipit mentis deſiderium, & amoris ardor erga Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum intendi, & quadam aviditate hanc excellentiſſimam paſſionem & immenſam Salvatoris clementiam ruminare. Incipit ejus guſtu animi quodam modo ineffabili dulcorari, amaritudine appetitus reſici, & totus homo interior alienari a ſe, & quietari in Chriſto. O mira, & a ſæculis res inaudita! In ineffabili amaritudine, dulcor indicibilis reperitur: & in hoc A perficitur contemplatio ſpeculantis, quia ſummam, & inenarrabilem dulcoris ſuavitatem, quam ſentit in conſideratione illius ſummæ clementiæ, qua digatus eſt pro nobis mori, conjungit cum amaritudine inæſtimabili, quam ſentit compatiendo doloribus Domini noſtri Jeſu Chriſti paſſi. Amaritudo enim compaſſionis animum recolligit, & unit; admiratio divinæ clementiæ in eadem paſſione animum jam unitum elevat, & totum in Deum diffundit. O mira paſſio! O ineffabilis potatio! O confectio impretiabilis, commixtio ineffabilis, intimus dolor internæ compaſſionis cum immenſa exultatione divinæ bonitatis. Et quia B ibi inenarrabilis amaritudo cum inenarrabili dulcedine reperitur, ideo inter utrumque contemplantis animus obſtupeſcit, & quaſi ebrius corruit totus in Deum. In compaſſione illius amaritudinis fit quaſi aurum in fornace anima puriſſima. In conſideratione vero illius clementiæ, & benignitatis, fit anima ab illo ſole juſtitiæ ſplendidiſſima. Fit quidem illa amaritudine homo innocentiſſimus, fit illa benignitate doctiſſimus. Fit homo interior illa amaritudine abſtractiſſimus, & fit illa clementiæ immenſitate diviniſſimus. Quid dicam? Ecſtaticus fit aſpectus interior, & ab illa ineffabili clementia abſorbetur, & C tunc requieſcit Sponſa cum Sponſo, & mira ſuavitate ſopitur.

Gradus ſecundus per donum intellectus.

Eſt etiam aſcenſus in præamabili paſſione per donum intellectus hoc modo. Eo enim quod homo cogitat, quod Filius Dei voluit pro ipſo redimendo talia ſuſtinere, recognoſcit quantæ nobilitatis ſit anima ſua pro qua redimenda voluit Filius Dei mori: & hoc ipſo ad nobiliora animatur. Et quia illum pretioſiſſimum ſanguinem pro anima ſua dealbanda deffuſum eſſe agnoſcit, dedignatur ſe vilitatibus vitiorum inquinari. Quia cognoſcit etiam per illam beatiſſimam paſſionem ruinam Angelorum de hominibus reparari: Ideo revocatur ad Angelice vivendum, & in cœleſtibus converſari. Et quia videt Chriſtum

ſtum

ſtum in cruce totum pro nobis expoſitum tribulationi, jam ſibi omnia levia videntur, dum tamen poſſit illi ſoli vivere, & placere. Recogitat quomodo ab ipſo Chriſto dilectus eſt, quem pro ſe ſic videt ignominioſe, & acerbe tractatum, & amore ipſius accenſus illud latus beatiſſimum pro ſuo modulo nititur introire, quod pro ſe, ac ſibi dignoſcit eſſe apertum. Ardeſcit quaſi ignis animus ejus, & cum *Chriſto* toto corde deſiderat crucifigi. Suſpirat, anhelat, & anxiatur totaliter illa paſſione perfundi, & plenarie in ſuum Dominum crucifixum transformari. In ſervitute & miſeria ſe reputat eſſe, niſi conſervetur in ſanguine Redemptoris. Non ſe reputat hominem, ſed beſtiam, & pejus quam beſtiam, niſi ſit veſtitus Dominica paſſione. Abhorret negligere tam nobiliſſimum Dei beneficium, & ideo ſemper, vel quaſi, vult meditari de *ipſa* paſſione: Sicut enim vult ſemper redemptus manere, ſic ſemper vult redemptionis pretium in corde portare. Suam vitam, & ſuas delicias reputat Chriſtum paſſum, & ideo ſemper converſatur cum illo. O quantus dolor, quantaque triſtitia, ſi videat cor ſuum ad illud inclinari! Inebriat ſe Chriſti cruore, & jam dedignatur perfui alia re. Nam ſanguis Chriſti ornat genas ejus, ut Chriſtiformis ſit pura Chriſti Sponſa. Agnoſcit enim quod apertione lateris ejus copulata eſt in conjugium ejus. Et ideo ſemper vult ſtare ad latus ejus. Palpat & tractat ſponſum ſuum vulneratum, & totum vulneratur cor ejus. Applicat cor ſuum vulneribus Sponſi, perligat, & ſignat indiſſolubili vinculo charitatis, & ſic colligatur vulnerata Sponſa cum vulnerato Sponſo, & vulnus vulneri copulatur. Emanat Sponſi ſanguis in vulnera Sponſæ, & ipſa deficit dolore, amore liqueſcit, ibique requieſcit.

Gradus tertius per donum conſilii.

Tertius aſcenſus eſt in illa beatiſſima paſſione per donum conſilii, hoc modo. Recogitat animus contemplantis, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus crucifixus uſque ad crucis mortem

A fuit obediens Patri, omni vilitati, abjectioni, & deriſui ſubjectus pro nobis, paternum cum ſua dejectione requirens honorem, ut ſicut quantum ex parte noſtra erat, peccatis noſtris inhonoraveramus eum, ſic ſeipſum inhonoraret ignominioſe moriendo pro nobis. Recogitat etiam quod ſi Chriſtus ſemper fuerit pauper in cruce, tamen pauperrimus fuit, cum expoliatus, nudus remanſit pendens in ligno. Recogitat etiam quod in cruce fui amaritudine & doloribus plenus, qui Angelorum dulcedo & ſolatium erat. Elongata enim fuit ab eo omnis delectatio & conſolatio temporalis. Ex his ergo conſurgit animus ad ſimilia facienda, etiam ſe

B abſtrahere cupit ab omni appetitu honoris, & ab omni rerum poſſeſſione, ac ab omni corporali conſolatione. Primo ergo intuens Chriſtum Dominum ſuum abjectum & vilificatum, non jam temporalem honorem appetit, ſed toto corde deſiderat cum Domino ſuo omnem vilitatem, abjectionem, & deriſionem ſubire: in quibus poſſit Domino ſuo aliqualiter conformari: honores tamquam viliſſimum ſtercus abhorret. Jam non deſiderat placere hominibus, ſed potius quantum in ſe eſt, omnibus diſplicere, & ab omnibus abhorreri, ſemper tamen ad Dei honorem: & etiam ſi indifferenter eſſet utrumque,

C vituperium potius appeteret quam honorem. Sunt enim ei fœtidiſſimæ ſanies laudes ſui, id eſt, de ſeipſo; unde ſolum divinas laudes requirit, ibique totus affluit, reſolvitur, & ſiti inextinguibili inæſtimabiliter in omnibus ſolum divinum honorem requirit. Jam non ad ſe reflexus, nec ad alia obliquatus, ſed totus rectiſſime tendens in Deum. Tunc maxime lætatur ejus animus, quando vituperio ſuo honorificat Deum: quia ad utrumque anhelat cor ejus, & utrumque reſpicit in Chriſto crucifixo fuiſſe. Sed quid dicam de paupertate? Semper vellet eſſe nudus cum nudo in cruce: dolor enim ſibi eſt intimus aliquid habere,

gaudium maximum non habere ſive in proprio, ſive in communi, ſive quantum ad dominium, ſive quantum ad uſum. Uſus enim paupertatis maxime ei placet. Sed quia neceſſitas, aut ſpiritualis utilitas non permittit eum aliquorum uſibus non indigere: ideo ſecundum quod ad honorem Dei videt eſſe, tenet ea, ſed tamen quaſi gladium acutum in corde. Et ideo paucioribus utitur, quibus poteſt, allevians ſe amplius quo poteſt, nec delectatur in multiplicando, ſed gaudet in abiiciendo. Sed quid de corporeis conſolationibus & deliciis dicam? Ab omni breviter conſolatione, quæ eſt a Deo, vel ſecundum Deum, vel in Deo, ſe abſtrahit quantum poteſt. Semper deſiderat amaritudine & afflictione cum Chriſto repleri: quidquid complacet ſuo corpori, aut corporis ſui oblectationi, corde abhorret. Non poteſt gaudere, non poteſt lætari, niſi videat ſe illis beatiſſimis vulneribus conformari, horret in conſolationibus, in amaritudinibus & doloribus gaudet. Sic ergo egregius contemplator per donum conſilii in paſſione Chriſti ſe ab omnibus abſtrahens totus in Deum tendens ſuper omnia elevatur, a ſeipſo abſtractus, ſolum in Dei honore, in Chriſti vilificatione & afflictione, cor ſuum, & ſua meditatio converſatur. Jam ſolus cum ſolo converſatur, & circa divinos honores, circa æternas divitias, circa immenſas Dei delicias negotiatur in prædicta paſſione anima delicata. Ibi habitat, ibi requieſcit, in Domino ſuo dulcoratur, cor liqueſcit, pectus, mens ſupra ſe elevatur, inebriatur anima ſpiritualibus deliciis, & in eis ſepelitur.

Gradus quartus per donum fortitudinis.

Quartus aſcenſus eſt per donum fortitudinis, per hunc modum in prædicta paſſione. Nam anima diligenter illam paſſionem Domini ſui ruminans conſiderat Chriſti fortitudinem aggrediendo, tolerando, ſubjugando. In aggrediendo, tam voluntarie tam opprobrioſa certamina, offerendo ſe ad tam vilia, & acerbiſſima perferenda pro nobis idololatris & inimiciſſimis

A ſuis. In tolerando tam acerba & vilia pro creatura ſua, quam in momento deſtruere poſſet, quaſi manſuetiſſimus agnus, immo ſine comparatione manſuetior in tolerando. In ſubjugando ſe in cruce diabolum ſuperavit, & mortem moriendo deſtruxit. Sic & fortis Chriſti miles, & imitator Domini ſui quanto res difficilior, quantoque ignominioſior, tanto ferventius & ardentius, atque libentius aggreditur eam, dum tamen ſit ad Dei honorem & laudem, aut aliorum ſalutem, vel propriæ animæ utilitatem, quod totum ad honorem Domini eſt. Nam nihil ei difficile eſſe vel ignominioſum vi-
B detur, dum pro eo facit, qui pro ipſo indigno talia eſt aggreſſus: imo omnia dulcia, omnia amabilia, omnia laudabilia, & deſiderata judicat. Quanto magis aſſimilatur illi ignominioſæ paſſioni, illam libentius aſtringit, amplectitur avidius. Hæc quærit, hæc recogitat, hæc ſcienti animo adimplere deſiderat. Non dicit: Quare mihi impoſitum eſt hoc vel illud onus? ſed dicit: Quare non ſubeo hoc, & illud graviſſimum & viliſſimum opus. Ex hoc nititur etiam imitari Dominum ſuum Jeſum in tolerantia paſſionum. Fit enim agnus & coram ſe tondentibus irridentibus & flagellantibus obmuteſcit
C penitus, imo in omnibus his arridet cor ejus, videns ſe Domino ſuo conformari, & pro meritis digna pati, & eo ipſo Dominum honorari. Imitatur etiam Dominum in fortitudine dominandi. Subjugat enim ſibi omnem animi ſui appetitum, ut ad nihil nocivum, nihil ſupervacuum, & inutile extendatur. Quaſi caſtrum fortiſſimum cor ſuum cuſtodit, ut non ſolum nociva, ſed etiam otioſa, vel infructuoſa permittat ibi rogari. Omni cuſtodia cuſtodit cor ſuum, & ſemper vult divina vel ad Deum ſuum tendentia ruminare. Et quia dum in hac vita ſumus ſemper, vel quaſi ſemper tritico paleæ admiſcentur; ideo ſemper ventilabrum tenet in manu ad continue perflandum & pur- *Matth. 3 Luc. 3*

Digitized by Google

purgandum aream ſuam. In oſtio cordis ſuiipſius ſtatuit verſatilem gladium, ut ipſum quaſi Dei paradiſum cuſtodiat diligenter. *Gen. 3* Quique cogitatus in corde ſuo veſci voluerit ligno vitæ, hunc diligenter fovet & nutrit: qui vero ad lignum vetitum ſolum aſpectum direxerit, illum ſtatim a corde ſuo abſcidit. Non ibi introitus colubri tortuoſi, nec muliebris cogitatio reperitur. Et ſi inveniatur, cum vituperio, & cum impetu removetur, ſolumque ibi virilia nutriuntur. Hic vere poteſt divinæ contemplationi adhærere, qui purgato corde, & mundo corpore incedit. Non enim levat oculos ad vana, aures ad inutilia vel nociva, non nares ad odorifera, non guſtum ad dulcia, non tactum ad mollia: ſed totaliter interius & exterius cum omni diligentia ſe cuſtodit & dominatur ſui plenarie ſecundum quod poteſt aſſequi in hac vita: ſicque propter ſui puritatem aptiſſimus fit ad ſuſceptionem divinarum irradiationum. Libenter in tam puro habitaculo habitat ſol juſtitiæ, & fulget in quibuslibet angulis ejus. In intimis ejus reſplendet claritas hujus ſolis, quia nec impediens invenit, nec reſiſtens: ſplendet, & reſplendet, donec illud cor purum abſorbeatur divina claritate. Tunc anima ſuper ſe elevata, divinam caliginem intrat, tunc *Pſal. 138* clamat & dicit: Et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Gradus quintus per donum ſcientiæ.

Quintus gradus per donum ſcientiæ eſt in beatiſſima paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et ſi velis accipere donum ſcientiæ in medio nationis parvæ & perverſæ prudenter converſari; primo clariſſimum ſpeculum de hoc invenies in hac beatiſſima paſſione. Poſſumus tamen præfatum donum ſcientiæ accipere, prout eſt inferiorum cognitio, prout ipſa ſunt auxiliantia, & inducentia ad ſpiritualia, & ſupercœleſtia contemplanda, & hoc in paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti invenire poterimus, maxime conſiderantes correſpondentiam figurarum. Et reperies ibi mirabilem theſaurum ſub illis figuris abſconditum, in quo mira devotionis ſuavitas, & animarum ſatietas fodienti cum diligentia elargitur. Videas ergo qualiter figuræ, & divina Scriptura in Domini paſſione clareſcunt, & inde poſtmodum altius elevare ad admirandam ſapientiam, & clementiam Dei Patris noſtri, qui ſic ad utilitatem noſtram omnia tam diligenter ordinavit. Omnia ergo in quantum poſſumus ad Chriſtum crucifixum reducamus. Dicamus igitur: In principio creavit Deus cœlum, & terram *Gen. 1* id eſt in Filio ſic crucifixo Angelicam, & humanam naturam reſtauravit, humanam redimendo, Angelicam de hominibus reparando. Dixit Deus: Fiat lux. *Ibidem.* Ipſe in cruce lux eſt expellens omnes peccatorum tenebras per ſui præſentiam faciens diem, & per abſentiam noctem. *Ibidem.* Fecit etiam firmamentum in medio aquarum in cruce, dividens conſolationes temporales ab æternis, vel dividens aquas ſapientiæ humanæ ab aquis ſapientiæ divinæ, vel dividens aquas vitiorum ab aquis gratiarum, vel aquas tribulationum ab aquis divinarum conſolationum. Item in Chriſto exiſtente in cruce congregatæ ſunt aquæ, quæ ſub cœlo erant: quia Deus poſuit in eo omnes iniquitates noſtras, id eſt pœnas pro noſtris iniquitatibus debitas. In eo vero facta eſt congregatio aquarum, quia in eo fuit diluvium paſſionum, amaritudinum, & opprobriorum: & ideo gratia ſui terra apparuit arida. Qui enim pro peccatis noſtris digni eramus inundatione omnis pœnæ, liberati ſumus merito paſſionis ſuæ. Unde vere ipſe *Pſalm. 103* fuit mare magnum, & ſpatioſum nimis, & profundum. Et ſic diſcurre per Scripturas ſecundum quod Dominus tibi dabit: quia quaſi infinita invenies ibi, quæ pulcherrime Dominicam paſſionem deſignant. Nec tamen ſi multo plus ſine comparatione eſſent, ſufficerent ad ipſam plenarie declarandam. Et ſi quis bene & diligenter eas Scripturas recolligeret, & videret, in quo iſta & illa Chriſti paſſionem oſtendunt, vi-

Digitized by Google

deret in eis mirabilem correſponden-tiam, & audiret ibi mirabilem melodiam, quæ miro modo dulcoraret cor ſuum, & faceret eum ingredi in Sanctuarium Domini. Accipe unam quantumcumque vis alienam figuram de paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & videbis quanta eſt ibi dulcedo, ſi bene cum diligentia ruminetur. Vide obſecro, illam Abrahæ figuram de vitulo, quem tribus Angelis ad veſcendum dedit, quantam dulcedinem continet contemplationis, quæ tamen in apparentia parum, vel parva apparet. Quantam ergo continet dulcedinem, quæ in ipſo primo aſpectu ipſam mentem dulcorat, ſicut eſt illa ligni vitæ in medio paradiſi, id eſt Chriſti in cruce in medio Eccleſiæ, ſive in corde Virginis, quæ erat ſicut paradiſus, & de fonte egrediente de loco voluptatis, id eſt de latere Chriſti, &c. Quid eſt, obſecro, Abraham vitulum tenerrimum de armento dare ad veſcendum tribus viris, niſi Deum Patrem, ſuum Filium unigenitum innocentiſſimum, immo gratiæ & veritatis plenum pro noſtris iniquitatibus tradere morti crucis? Et quid eſt tres viros vitulo veſci, niſi ex illa paſſione toti ſatisfieri Trinitati, quæ erat pro noſtris iniquitatibus ad juſtitiam famelica? In hoc apparet illius figuræ dulcedo, quod per Abraham intelligitur Deus Pater, & per vitulum Filius, & per illos tres viros ipſa Trinitas, cum tamen non diſtinguantur Pater, & Filius ab ipſa Trinitate, niſi quia ſunt de tribus perſonis duæ. In hoc dico apparet ineffabilis, & mira dulcedo cordi contemplantis: quia Deo ad juſtitiam ſuam fameſcente in ſeipſo propter nimiam benignitatem ſuam judicium flexit. Alioquin devoraſſet nos juſtitiæ fames: quia non erat qui ſatisfacere poſſet illi appetitui, niſi iſte vitulus tenerrimus. Deus ergo Pater tradidit Filium ſuum omni afflictioni, & deriſui ad ſatisfaciendum ſibi, & Filio, & Spiritui ſancto pro injuria eis illata a nobis. Quid eſt hoc? Numquid, quia offendimus eum, debuit ſeipſum judicare? Nonne aliter potuit vindicare ſe, niſi adiret pœnam offenſæ? Ipſe Chriſtus erat offenſus a nobis, & iterum judicatus fuit a nobis, & in nobis, & pro nobis, & hoc ſecundum diverſas naturas, tamen eadem perſona fuit offenſa, & judicata. Comede ergo tu frater dulciſſime de vitulo Abrahæ, ſi vis mirabilem refectionem habere. Attende etiam quidquid in figura ſequitur. Filius Abrahæ promittitur de Sara poſt vituli comeſtionem, cum tamen eſſent ambo ſenes provectæque ætatis. Quid eſt hoc? Numquid poſt mortem Chriſti naſcitur denuo Chriſtus, qui per Iſaac intelligitur? Sic certe in cordibus noſtris. Nam iſte Abraham ſenex, eſt Deus Pater, qui antiquus dierum in Daniele vocatur propter principalitatem auctoritatis, quæ reſidere conſuevit apud ſenes. Non enim in eo eſt durationis ſucceſſio. Nam etſi propter immenſitatem ſit ejus duratio interminabilis vitæ poſſeſſio, tamen propter nimiam ſimplicitatem eſt tota ſimul. Iſte pater antiquus de Sara antiqua poſt vituli comeſtionem genuit Iſaac id eſt, unicum filium quem genuit, & generat ab æterno, id eſt, poſtquam pro nobis in cruce immolatus eſt, in mentes noſtras omni malitia antiquatas miſit non per loci mutationem, ſed per mentium noſtrarum irradiationes: & tunc ridere vere potuimus, quia dulce lumen, & delectabile oculis ſolem Juſtitiæ intueri potuimus. Et ideo vere Iſaac dicitur riſus noſter. Sed numquid Domino mirabile fuit, quod antiquus de antiqua generaret? Item omni admiratione dignum, & gratiarum actione, quod ille, qui eſt ſummæ majeſtatis & antiquus propter auctoritatis principalitatem, viliſſimarum animarum, & idololatrarum, omnique malitia antiquatarum voluerit recordari, ſed hoc maxime mirum videtur, quia poſt mortem vituli, id eſt, Filii: quia eo ipſo digni eramus carentia ejus, quia ipſum occi-

Gen. 18

Dan. 7

A B C

Digitized by Google

occideramus. Fecit ergo benigniſſimus Dominus antiquato tempore, & antiquata malitia, nobis bene, quia facimus ei male, occidimus Filium ſuum, & illa morte nobis ipſam damnavit. Vide, & attende mirabilia Dei. Sed nonne anxiaris in corde in noviſſimis diebus, jam ſene Sara? Quid ſi Sara mortua eſſet? quid ſi paululum exſpectaſſet, qui tanto diſtulit tempore? Nonne defeciſſemus *in iniquitatibus noſtris*, niſi eſſet Iſaac amplius riſus noſter: Sed quare plus modo, quam prius? Nonne quia abundaverunt iniquitates præ ceteris? Gratias tibi Domine Jeſu, gratias agimus: quia recordatus es noſtri, repugnantibus meritis noſtris.

Totum ergo me tibi debeo, immo in infinitum pluſquam totum, ſi poſſem: quia non ſolum me feciſti totum, ſed immenſa etiam benignitate tua me refeciſti. Accedam ergo, & attendam ad te totus, & tibi totaliter adhærebo. Ibi requieſcat cor meum, & de cetero per devia non diſcurrat. Si ergo in prædicta paſſione mens elevari debet per ſcientiam figurarum correſpondentium, & præfigurantium ipſam beatiſſimam paſſionem, debet enim eas cum ſumma diligentia ruminare, & in illos divinæ bonitatis, & benignitatis theſauros per ipſarum conſiderationem introire, donec in tantum elevetur, ut tota mens in Chriſtum ſuum Dominum vulneratum totaliter perfundatur, & ejus amore abſorbeatur cor ejus. Hoc tamen donum Dei eſt, totumque ab ipſo recognoſcere debet, faciat tamen quod in ſe eſt.

Gradus ſextus per donum pietatis.

Sextus eſt etiam ibi aſcenſus per donum pietatis. Cum enim homo conſiderat illa intima pietatis viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ſuper nos effudit in cruce taliter moriendo pro nobis, movetur, & aperitur cor ejus erga proximum ſuum, ut libenter pro ſalute ſua ſe totum ei impendat, pro quo videt ſuum Dominum crucifixum. Dilatatur cor ejus ad ſanguinem Chriſti

A Redemptoris, & ſicut toto corde compatitur Domino ſuo Jeſu Chriſto in cruce pendenti, ita intime, & quaſi ſibimetipſi condolet proximo ſuo ab ipſis vulneribus recedenti, immo iſtum ſanguinem conculcanti. Ideo vulneratur cor ejus propter contemptum ſui domini vulnerati, & propter compaſſiones, ſcilicet proximi beatam vitam in æternam mortem voluntarie commutantis. Dei videt contemptum, mortem Chriſti Filii Dei unigeniti contemptam, ejuſque pretioſiſſimum ſanguinem conculcatum, nobiliſſimam Creaturam Dei imagine inſignitam voluntarie ire ad inferni ſuſpendium. Et ſicut malis condolet, ita bonis congaudet, videns eos recipientes effectum vulnerum Jeſu Chriſti. Cum omni-
B bus intrat vulnera illa & fit unum cum illis. Cum gaudentibus de bono gaudet, & cum triſtantibus de malo triſtatur. Quemlibet proximum reputat ſeipſum, videns ſe & proximum eſſe ab eodem creatos, conſimili imagine inſignitos, eodem ſanguine redemptos, & ad idem præmium ordinatos. Et ex hoc præcipue ad proximum cor ſuum aperit, quia videt Dominum ſuum pro omnibus crucifixum: & ideo ipſum in omnibus requirit, in omnibus conſiderat, & in omnibus pro ſuo modulo intuetur, ſcilicet Chriſtum ſuum contemplans totuſque eſt proximi:
C quia totus eſt crucifixi. O quantum cordis gaudium quantumque tripudium cum videt is proximum ſuum Dominum bonis operibus honorare! Non invidet, non æmulatur, non detrahit, non retrahit, non impedit, non retardat ſignis, dictis, aut factis, cauſaliter, ſeu occaſionaliter, ſed totaliter ſitit proximi profectum, & deteſtatur defectum, utrumque reputans ſuum. Et hoc maxime placet Domino noſtro Jeſu Chriſto crucifixo: quia pro ipſarum ſalute, & paterno amore eſt ipſe affixus in cruce. Animarum ſalus, honor divinus, compaſſio proximi, inflammatio ſui ſunt proprie attendenda in

vulneribus Chriſti, & per illius pietatis donum modo mirabili anima elevatur in Deum ſuum. Quando enim homo inquantum poteſt, ſe nititur conformare illi divinæ pietati; quam erga nos manifeſtavit in cruce: tunc anima præcipue complacet ipſi Chriſto. Et ideo ſibi conformatam, ſibi dilectam ad pietatem apertam, ad ſuos amplexus tamquam Sponſam electam adduxit, hanc amat, hanc diligit, hanc ſtringit quam videt ſecum idem ſentire, ſibi compatiendo: idem ſapere, Deum honorando: idem zelare, animas ſitiendo: in ſeipſum transformari nimio amore ardendo. Ideo pietas ad omnia utilis eſt, quæ, & divinum honorem appetit, & dolores ab animabus expellit, & animarum fructus ſitit, & Chriſti ſanguinem in anima ſua requirit, & amorem erga Deum & proximum, erigit, & ignit, &c. Attendamus ergo chariſſimi, quia pro certo credo quod iſtud donum inter omnia, & forte præ aliis imo firmiter credo, quod præ aliis placet Domino Deo noſtro Jeſu Chriſto. Facimus ergo obſecro, beneplacitum ejus, & pietatem ſuam hauriamus de latere ejus. Simus omnes unum in Domino noſtro crucifixo, & nihil niſi Jeſum in proximo requiramus, & ſic in proximum tendamus, ut ſuper Chriſti vulneribus recurramus cum ipſo. Non proximum noſtrum aſpiciamus, ut pulchrum, aut hujuſmodi, quæ animam retrahere a Chriſto vel ejus amore poſſunt: ſed ut Chriſti morte redemptum, ſanguine Chriſti perfuſum. Anima proximi cum ſanguine Chriſti intret in cor noſtrum, nihil nobis ſit difficile, nihil videatur vile, etiam ignominioſa morte mori pro illo, pro quo Dominus noſter eſt cum tanta ignominia crucifixus: imo omnes ſitiamus pro animarum ſalute omnem afflictionem, omnem ignominiam, & mortem etiam turpiſſimam ſuſtinere. Sit unuſquiſque proximus ſicut cor noſtrum, pro quo fuit cor, vel corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti tot doloribus ag-

1 Tim. 4

A gravatum. Multiplicemus prædicationes, exercitationes, bona exempla, orationes, jejunia genuflexiones, vigilias, & vilificationes pro animarum ſalute. Hoc ſit officium noſtrum, hæc gloria, & conſolatio noſtra ſemper pro animabus aliquid Deo offerre. Non ceſſet lacrymarum fons ab oculis noſtris, pro noſtris & proximorum peccatis. Sufficiat nobis chariſſimi his doloribus in hac valle miſeriæ ſatiari. Semper proximorum peccata, & noſtra pendeant in oculis noſtris, immo intrent, & penetrent intima cordis noſtri, & ſemper ubique, & in omnibus Dominus noſter Jeſus Chri-B ſtus pro peccatis noſtris crucifixus occurrat. Hæc pietatis Aſcenſio totum emollit cor, & dilatat, & inter Chriſti amplexus collocat, & quietat.

Gradus ſeptimus per donum timoris.

Septimus gradus ac ultimus eſt per donum timoris, a quo omnis perfectio actionis, & contemplationis obſervatur, vel conſervatur dumtaxat ut ſervitus excludatur. Ft eſt iſte aſcenſus per hunc modum in paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quando enim homo videt, quod Filius Dei Dominus Deus ſuus natura humana aſſumpta tanta pro peccatis noſtris ſuſtinuit, & tam graviſſime peccatum noſtrum in ſe judice innocen-C tiſſimo, immo Deo noſtro piiſſimo vindicavit; conſiderat quanta pœna, quantis opprobriis atque illuſionibus, & flagellis dignus eſt ipſe, qui ipſam nequitiam perpetravit. Cognoſcit etiam ex hoc quantum peccatum ſuum ſummæ majeſtati diſplicuit, & quantum ipſum abhorruit, dum ad ipſum abluendum ſuum Filium tradidit morti crucis. Sicut enim Deo diſplicet Filii contemptus & occiſio, ſic ſuo modo ei noſtrum diſplicet peccatum, pro quo facta eſt illa traditio, immo tantum peccatum noſtrum abhorruit, ut potius mortem Filii, quam peccatum ſuſtineat, magis ſibi placuit Filium tradere cruci, quam deducus peccati ſuſtinere. Videat ergo homo, & conſideret, quantum il-

lam

Digitized by Google

lam majeſtatem offenderit; dum ipſum Deum etiam poſt tale judicium contempſit, rurſus quantum in ſe eſt Dei Filium crucifigens. Mirum eſt quomodo homo nimio timore non continue tremit coram Deo, quem offendit, ſicut tremit populeum folium cum a magno vento movetur, & deberet quaſi in cinere, & terra præ timore reſolvi. Recurramus ergo chariſſimi ad vanitatem, & nequitiam noſtram, & divinam offenſam, & coram ipſo nos humiliemus quantumcumque poterimus: quia adhuc modicum eſt ſecundum quod congrueret nequitiæ noſtræ, & majeſtati ſuæ. Paveamus atque vereamur oculos noſtros ad cœlum levare, & tundamus pectora more publicani, ut nobiſipſis peccatoribus miſereamur. Dicamus: Magnum eſt, ſi indignabitur aſpicere nos, qui pro viliſſimo ſtercore contempſimus ipſum. *Timore reverentiæ illius ſummæ majeſtatis in nihilum, prout poſſumus redigamur: & de cetero de nobis nonniſi vilia ſentiamus.* Contra noſtram pravam nequitiam animemur, & noſipſi noſtri judices ſimus, vindicemus in *nobis injuriam Domini noſtri*, & quantum poſſumus nos conculcemus, dicentes unuſquiſque intra ſe: Si pro peccatis meis Dominus meus ita vilificatus eſt, & afflictus: quomodo meæ vilitati, & afflictioni parcere potero, qui peccavi? Abſit a me, ut de cetero præſumam de me, niſi deteſtabile, viliſſimum, & abominabile ſtercus cujus fœtorem ego ipſe ſuſtinere non poſſum. Ego ipſe, qui contempſi Do*minum Deum*, & pro quo mortuus eſt Dominus meus Jeſus. Jam horrent me veſtimenta mea, & mirum videtur, quo modo me non deteſtatur omnis creatura, quia omnium Creatorem contempſi. Sic tamen timere debemus, ut ſemper de Dei infinita clementia confidamus: quia certe in infinitum ſua bonitas excellit malitiam noſtram. Et iſte ſupradictus timor, & humilitatis, & reverentiæ eſt miræ aſcenſionis occaſio: quia tunc præcipue ducitur homo ad ſuperabundantiam gratiæ. Sed ne tibi diſpliceat chariſſime frater, ſi hujus timoris occaſione aliquam digreſſionem fecero a Dominica paſſione. Intendo enim tandem reverti ad illam. Ut plenius ergo hujus timoris conceptum tibi exprimere valeam: jam mihi videtur, ut tota hujus mundi machina poſt me, & contra me nefandum proclamet, & dicat: Iſte eſt ille, qui Dominum Deum noſtrum contempſit, & contemnit. Iſte eſt vaniſſimus, & nequiſſimus, qui plus vanitatem quam Dominum dilexit. Iſte eſt ille peſſimus, & ingratiſſimus, qui plus diabolicis figmentis, quam divinis beneficiis eſt tractus, plus ſibi complacuit diabolica nequitia, quam divina benevolentia: magis eligit eſſe ſervus diaboli, quam filius Dei. Iſte eſt, qui in præſentia Dei ei injurari non timuit. Iſte trahi non potuit divinis blanditiis, nec terreri divinis iudiciis. Iſte certe eſt, qui divinam potentiam, divinam ſcientiam, divinam ſapientiam, divinamque bonitatem ſuis maleficiis contempſit, & quantum in ſe fuit, irriſit. Plus timuit uni infirmiſſimo viro iniuriari, quam ſummæ potentiæ Dei. Plus verecundabatur coram aliquo viliſſimo ruſtico aliqua turpia peragere, quam coram ſummæ ſapientiæ Deo nefandiſſima perpetrare. Plus amplexus eſt ſtercus fœtidiſſimum, quam ſumme bonum, & ſumme ſuaviſſimum, cum tamen id eſſet in prohibitione, iſtud in præcepto, & exhortatione. Iſte eſt, qui Deum pro nihilo reputavit, & non pro Deo adoravit, & vanitatem ſupra Deum dilexit, convertebat ſe ad abominabiliſſimam ſaniem, & dorſum vertebat ad divinam maieſtatem. Quid dicam? Omnia abominabilia non timuit in Dei præſentia perpetrare; nec veritus eſt Creatorem ſuum. Clamant ſuo modo creaturæ, & dicunt: Iſte eſt qui nobis abuſus eſt, & qui debuit in beneplacito Creatoris nos ordinare, fecit nos ad diaboli dolum ſervire: dum nos ſupra Deum ama:

vit, magnam nobis injuriam fecit. Iſte eſt nefandiſſimus homo, qui nos ad honorem Dei factas in injuriam Dei convertit: debuit nobis in beneplacito Dei uti, & voluit potius nobis in diabolica ſervitute abuti. Erat anima ejus ad imaginem Dei facta, & ipſam deturpans voluit omnium noſtrum imagine inſigniri. Terrenior enim fuit terra, fluxibilior aqua, vanior aere, plus ardeſcens vel ardentior igne concupiſcentia, durior ſaxis contra ſe, crudelior brutis contra alios, venenoſior baſiliſcis. Quid dicam? Nec Deum timuit, nec homines reveritus eſt: ſuum venenum quantum in ſe fuit in multos diffudit, nunc oculis, nunc cogitationibus, nunc verbis, nunc geſtibus, & factis. Non ſuffecit ei Deo injurari in ſe, ſed, & alios ad Dei injuriam, quaſi inquantum potuit, provocavit. Quid dicam? Seipſum quaſi aliquid magnum non omnipotentem Deum exiſtimavit, dum nec Dei voluntate, nec aliqua lege voluit regulari, ſed pro libito contra Deum, & prout ſibi placuit ſua voluntate vagari, ſe pro ſuo poſſe ſupra Deum erexit. Si Deus ſuum non adimplevit beneplacitum, & aliqua adverſa intulit, vel non ſemper ſuæ felicitati providit: contra ipſum Dominum Deum ſuum, quaſi contra unum ſuum famulum turbabatur. Non Deum dilexit propter Deum, ſed propter ſeipſum, & Deum ordinans ad ſe, tamquam ad finem. In ſua propria voluntate omnia ad ſe, tamquam finem, & Deum, & finem ultimum, prout potuit, ordinavit. Et ſi dimiſit aliquando peccare, non dimiſit propter odium, & deteſtationem mali, & dilectionem ſummi boni, ſed quia aliquando timuit repelli. Unde ſemper erat ad ſe reflexus, ſive in dimittendo, ſive in faciendo, & omnia propter ſe, vel dimiſit, vel fecit. Tam de bonis, quam de malis voluit commendari, ac ſi Deus eſſet, a quo cuncta quæ ſunt bona, & mala ordinantur in bonum. Quid ultra diſcurram? Superbior fuit Lucifero, præſumptuoſior Adam eje- A ecto de paradiſo: quia illi claritate pleni habuerunt allectivum aliquod, immo maximum ad præſumendum: iſte autem plenus fœtidiſſimo ſtercore, tenebroſitate, & miſeria non habuit niſi retrahentia. Clamant ergo contra me indigniſſimum digniſſime omnes vel univerſæ creaturæ, & dicunt: Venite, & diſperdamus eum, qui totus fuit deditus injuriæ Dei noſtri. Unde ſuo modo clamat, & dicit terra: Quare tam nequiſſimum ſuſtineo? Aqua dicit: Quare eum non ſuffoco? Dicit aer: Quare non deficio? Ignis autem: Quare eum non comburo? Lapis: Quare eum non lapido? Infernus: Quare eum non devoro, & crucio? Heu, B heu miſer, quid faciam, quo ibo, quia omnia contra me ſunt armata? Ad quem recurram? Quo divertam? Contra omnia feci, Deum contempſi, Angelos, irritavi, Sanctos inhonoravi, homines viatores multipliciter offendi, abuſus ſum ceteris creaturis. Quid tantum diſcurro? Hoc ipſo quod Deo Creatori omnium injuriatus ſum cum ipſo ſimul omnem creaturam offendi. Neſcio ergo miſer, quo me convertam, qui omnium me conſtitui inimicum, nec ſuperius, vel inferius, ante, vel retro, a dextris, vel a ſiniſtris declinare poſſum, immo nec interius, nec exterius. Conſcientia enim mea contra me pugnat, & totum diviſum eſt cor meum. Evigilabo ego mi- C ſer, & oculis ſine fine plorabo, dum ſum in hac valle miſeriæ, ſi forte dignetur me reſpicere piiſſimus Pater. Scio quid faciam, vel facere diſpoſui. Proiiciam me in conſpectu Domini Dei mei, & dicam ei.

Eia vere Domine, ego ſum ille tuus peſſimus inimicus, nequiſſimus ſervus, nefandiſſima creatura, quæ fecit deteſtabiliſſima in præſentia tua. Non ſum dignus Domine creatura tua eſſe, etiam in quantacumque pœna conſtitutus. Si enim ego ſolus haberem illam pœnam infernalem, quam omnes dæmones, & omnes homines damnati habebunt, non ſufficienter ſecundum peccata mea punirer. Expande Domine ſuper hunc miſerum,

pal-

Digitized by Google

pallium immenſæ clementiæ tuæ, & vincat nequitiam meam immenſa bonitas tua. Recognoſce in me imaginem tuam, quamvis deturpatam, & deduc me ovem quamvis errantem ad te pium paſtorem. Gratuletur dulciſſimus Pater de redeunte prodigo filio, paſtor bonus de inventa ove, & piiſſima mater de drachma reperta. O quam felix erit dies, & hora, quando ſuper collum meum corrues, & oſcula exhibebis! Et ut te quidem poſſim placare, ſcio quid faciam. Contra meipſum ego ipſe armabor, & ero præ ceteris crudelior mihi, & ſeveriſſimus judex. Afficiam me undique pœnalitatibus, & anguſtiis, & me tamquam lutum fœtidiſſimum conculcabo, & abominabor me ſicut ſtercus, & intolerabilis ero mihimetipſi. In mea confuſione, & dejectione, & conculcatione ſive a me, ſive ab aliis illata lætabor, & exultabo cum apparuerit ignominia mea. Et quia non ſufficio me deteſtari contra me univerſum cœtum creaturarum congregabo, & a qualibet confundi, & puniri deſiderabo, quia earum contempſi Creatorem. Hic erit mihi theſaurus deſiderabilis, ſuper me pœnas, & opprobria aggregare & eos intimo corde diligere, qui me adjuverint in hoc facto. Omnem conſolationem, & honorem vitæ præſentis horrebo, & velut valde hoſtes blandientes habebo. Credo firmiter, quod ſi ſic fecero, univerſa quamvis a me offenſa ad mihi compatiendum potius, quam ad vindicandum inclinabo, & quæ prius contra me clamabant, nunc ſuo modo pro me Creatori ſuo intercedent. Aperietur ſuper me indignum, & miſerrimum divinæ pietatis theſaurus, ſed & illuſtrabor in eum vel gloria ſua. Exuar veſtimentis viduitatis nimiæ, & clara veſte fulgebo. Et certus ſum, quod ſi ſic me dejecero, ſicut dixi, qui nunc ſum omnibus creaturis abominabilis, & malo digniſſimus, propter nimiam clementiam Dei mei ornabor monilibus, & in ejus Sponſam aſſumar.

A Introibo ſecum in cubiculum ejus, & tandem ſecum matrimonium conſummabo. Reſolvar in ipſum, & fiam unus ſpiritus cum eo, & qui prius eram dæmoniacus, ero divinus. O mira, & inenarrabilis immutatio dextræ tuæ Domine Deus meus! Ad quid ergo retardabo adimplere, quæ dixi? Quomodo capient ſomnum oculi mei, aut quietem cor meum, donec veniam ad diu deſideratum Sponſum meum, & Dominum meum Jeſum? Currant ergo undique opprobria, & flagella, & me nequiſſimum introducant ad benigniſſimum Dominum meum Jeſum. Omne honorificum, & delectabile fit

B procul a me, nec audiatur in finibus meis. Solus honor divinus in omnibus nobis requiratur, & abjectio noſtra. Scio etiam quid faciam Domini mei Jeſu vulnera introibo, & in ejus dolores, & opprobria quantum potero, tranſibo, vel transformabor, & ejus opprobrioſiſſimam paſſionem induam tamquam veſtimentum regale, & nihil requiram, niſi quæ ſunt conformia huic paſſioni, ceteraque abiiciam ſicut ſtercus. Quæ creatura audebit de cetero poſt me conclamitare? Si fuero hac veſte indutus, jam Chriſti paſſio pro me prout neceſſarie fuerit contra omnia militabit. Non erit qui contra me militare audeat, ſi Chriſti ſtigmatibus fue-

C ro conſignatus. Ubique & ſemper habitabo in illis, ut ſim quaſi in caſtro ſecurus ab omni impulſu maligno. Et impoſſibile erit chariſſime frater, quod ſi fuero bene in Chriſtum crucifixum transformatus, quin ſim illi conformis, & coheres in regno, ubi illi ſunt dilectiſſimi Dei, qui ſunt crucifixi cum Chriſto. Non enim poteſt ſe Deus negare ſanguine Chriſti perfuſo. Ornabo ergo genas meas Chriſti cruore, & ero amabilis Deo, mirabilis mundo, laudabilis conſortio beatorum, qui clamabunt, & dicent: Quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua? Quis eſt iſte, qui ſic glorioſe incedit laureatus in ſanguine Chriſti? Certe omnes prædicabunt me

bea-

Digitized by Google

beatum, qui oculum habebunt apertum. Unde non dubites frater chariſſime, quod hoc eſt ſummum refugium ad omne malum vitandum, & ad omne bonum aſſequendum. Hic deliciarum paradiſus, de cujus lateris medio abundantia omnis dulcoris & ſuavitatis emanat. Ibi inebriatur homo dulcedine indicibili, & mira amœnitate alienatur a ſe, & ſuperexcedenti devotione reparatur, & ſuperfertur in Chriſto. Ibique requieſcit inter amplexus dilecti. Hæc autem omnia chariſſime frater redigamus ad tria, ad quæ ſemper tenemur, vel conemur, ſcilicet ad honorem Dei, compaſſionem Chriſti, & proximi, & dejectionem noſtri. Et hoc toto corde, & nihil aliud ſitiamus. Quod nobis concedat qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput VIII.

Quod Chriſtus in ſua paſſione beatitudines octo perfecte habuit.

Beatitudinum ſeptem refulget clariſſimus ſplendor in hac beatiſſima paſſione Domini noſtri Jesu Chriſti, immo proprie hic eſt fons, & origo earum, & etiam allectivum, & directivum exemplar. Quis enim pauper ſpiritu, niſi Chriſtus in cruce nudus? Quis mitis, niſi, qui tamquam ovis ad occiſionem ductus eſt, & coram tondente ſe non aperuit os ſuum? Quis lugens, niſi, qui cum clamore valido, & lacrymis preces, ſupplicationeſque offerens pro ſuis crucifixoribus, & nobis pec-
Luc. 23 catoribus ſuiſque inimiciſſimis? Quis excuſabat apud Deum Patrem intercedendo, & dicebat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt: Ipſe enim plus peccata noſtra lugebat, quam pœnam ſuam, plus com-
Joan. 19 patiendo nobis, quam ſibi. Quis vero eſurivit, & ſitivit juſtitiam, niſi Chriſtus in cruce pro peccatis noſtris, ſatisfaciendo injuriæ Patris, eſuriens,
Luc. 10 & ſitiens animarum ſalutem? In cujus rei ſignum dicebat: Sitio: Quis vero miſericors, niſi hic Samaritanus, qui tranſeunte ſacerdote, & Levita, infundens vinum, & oleum vulnerato alligavit vulnera, & impoſuit jumento ſuo, ſcilicet corpori proprio, noſtras infirmitates aſſumens pro peccatis noſtris? Quis patiens niſi, qui juſtiſſimus, & innocentiſſimus pro peccatis, & injuſtitiis noſtris crucifixus vi amoris, & ardore charitatis iniquitates noſtras portavit ſuper lignum? Ubi relucet munditia cordis, niſi in eo, qui innocens immolatur, & ipſe corda noſtra ſuo ſanguine pretioſo mundavit, & lavit? Quis vero pacificus, niſi ille, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & paſſione ſua pacificavit nos Deo in ſanguine ſuo? Quis vero perſecutionem paſſus eſt
propter juſtitiam, quam habebat, faciebat, prædicabat, & ſitiebat, niſi ille, qui eſt a Judæis crucifixus? *Ephes. 2* Vere hic eſt vere beatus, cui maledixerunt homines adverſus eum mentientes. Hæ ſunt beatitudines, quas habere ipſe Chriſtus docuit, & in ſeipſo qualiter ſint adimplendæ ſuo exemplo monſtravit.

Caput IX.

Quod in cruce apparent duodecim fructus ſpiritus, quos enarrat Apoſtolus ad Galatas.

In hac etiam crucis arbore ſunt illi ſuaviſſimi fructus, quos enarrat Apoſtolus ad Galatas, dicens: Fructus autem ſpiritus ſunt charitas *Gal. 5* gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides: quia ibi eſt fundamentum fidei, & fulcimentum, & verum oblectamentum in ratione ſui objecti, & non ſubjecti, quia in Chriſto non fuit fides. Sequitur modeſtia, continentia, & caſtitas. Hæc omnia manifeſtiſſime relucent in paſſione Chriſti in cruce. Et ideo convenientiſſime ſubdit Apoſtolus ibidem: Qui autem ſunt Chriſti, carnem

Digitized by Google

nem ſuam crucifixerunt cum vitiis, A & concupiſcentiis, ſcilicet ut maniſeſtiſſime oſtendat hos fructus pendere in arbore ſanctæ crucis, quos capere poſſunt conformantes ſe ei affigentes ſeipſos cruci.

Caput X.

Quod in cruce ſpeculari poſſumus pulcherrimum exemplar decem mandatorum decalogi.

EST etiam in hac beatiſſima paſſione regula, & exemplar, & executio mandatorum Dei, ut ſicut ipſe fuit Deo Patri obediens uſque ad mortem, ſic, & tu obedias uſque B ad mortem divinis mandatis. Poſſumus autem ibi ſpeculari exemplar pulcherrimum omnium mandatorum.

Quantum enim ad primum mandatum, in quantum ipſe homo ſummus Dei cultor fuit offerens ſe Deo Patri in ara crucis ſacrificium medullatum, oblationem, & hoſtiam pacificam pro peccato.

Quantum ad ſecundum mandatum, non aſſumpſit nomen Dei in vanum, nec falſum iuravit, ſed in paſſione crucis beatiſſima, quæ Patribus iuraverat, adimplevit.

Quantum ad tertium mandatum, ſabbato in ſepulcro quievit, & ibidem etiam nos debemus celebrare C ſabbata noſtra non in trufis, vanitatibus, & diſcurſibus, ſed in quiete cum gratiarum actione.

Quantum ad primum præceptum ſecundæ tabulæ, Patri ſummam reverentiam in cruce exhibuit, dum ſe ei uſque ad mortem crucis humiliavit, ut debitum honorem contra iniuriam a nobis illatam impenderet ei. Exhibuit etiam debitam reverentiam Matri ſuæ, cui non ſolummodo fuit ſubiectus, immo in cruce pendens cum magna diligentia dilecto diſcipulo eam commendavit.

Quantum ad ſecundum non ſolum mortuos non occidit, ſed etiam ſua beatiſſima paſſione, & morte, mortem occidit, & mortuos vivificavit.

Quantum ad terſium contra mœchiam deteſtabilem, ſibi in matrimonium copulavit Eccleſiam, Sponſus caſtiſſimus Sponſam caſtiſſimam eligendo non habentem maculam, neque rugam.

Quantum ad quartum, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Vel dicimus quod furtum non fecit ſed furtum recuperavit per mortem. Deſcendit enim ad inferos, & ſpoliavit infernum, & quos furtiva manus diaboli de bonis iniuſte rapuerat, & iniuſte detinebat, merito ſuæ paſſionis redemit, captivamque ducens captivitatem dedit dona hominibus. *Philip. 2*

Quantum ad quintum, non ſolum falſum teſtimonium non dixit ſed pro veritate quam dicebat, & faciebat contra ſe falſos teſtes habuit dicentes contra eum blaſphemiam, & nequitiam, propter quod etiam adiudicatus eſt morti.

Quantum ad ſextum, & ſeptimum non ſolum non aliena concupivit, ſed etiam ſemetipſum proximis in cruce donavit. Sic igitur manifeſtiſſime apparet, qualiter mandatorum obſervantia relucet in paſſione glorioſa Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Caput XI.

Quod a paſſione Domini omnia ſacramenta Eccleſiaſtica trahunt virtutem, & quod ſine ea impoſſibile eſt intelligere ſacram Scripturam.

AB hac etiam ſacratiſſima paſſione omnia ſacramenta Eccleſiaſtica trahunt virtutem, quæ ſunt nobis contra omnem morbum ſpiritualem ſaluberrima medicina. Hæc etiam beatiſſima paſsio eſt nobis divinarum Scripturarum Davidica clavis, quæ aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sine hac enim impoſsibile eſt intelligere ſacram Scripturam, & hac bene in mente impreſſa omnia in luce clareſcunt. Incipias ab Adam, quomodo Eva *Apoc. 3*

de

de latere ejus formata eſt, & de ligno vitæ in medio paradiſi, de immolatione Abel, & morte ejus: & ſic per totam Scripturam diſcurre, ſi vis videre, quomodo veritas ejus reſplendet in ſpeculo paſſionis:

CAPUT XII.

Quomodo in beatiſſima Domini paſſione relucent omnium Angelorum hierarchiarum officia.

EX prædictis manifeſtiſſime apparet, quomodo a paſſione Chriſti emanat omnis perfectio, & in ea relucet omnis pulchritudo Eccleſiaſticæ, vel Evangelicæ Hierarchiæ. Simili modo in ea reſplendet, & relucet omnis perfectio, pulchritudo, & decor Angelicæ Hierarchiæ. Nam in ea primo, & principaliter refulget ille Seraphicus ardor amoris, quia majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Non credo, quod omnes Angeli de paradiſo poſſent ſuis intelligentiis capere hanc vehementiam charitatis, qua Dominus noſter Jeſus voluit talia pati pro nobis viliſſimis ſervis, immo nequiſſimis inimicis ejus. Refulget etiam Cherubim ſpeculatio, & intelligentia veritatis. Nihil enim ſcio in hoc mundo, quod tantum veritatem ſcripturæ elucidet, tantum ad cœleſtia contemplanda elevet, tantum ad Deum ſapiendum illuminet, ſicut paſſio Jeſu Chriſti. Hic vere invenitur ſcientiæ plenitudo. Hic etiam maxime ſplendet erga majeſtatem æternam Thronica reverentia, & veneratio. Sicut enim illi cæleſtes ſpiritus Throni dicuntur, quia in ipſis dicitur Deus tamquam in ſuo Throno quieſcere propter nimiam venerationem, & reverentiam, quam erga divinam majeſtatem habent, quia ipſe quieſcit ſuper humiles & timentes ejus ſermones: ſic & in hac beatiſſima paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, dicitur Dominus Deum tam- A quam in ſuo Throno quieſcere, quia ibi fuit excellens humilitas, reverentia, & veneratio ſumma erga majeſtatem æternam, nullamque credo Angelorum reverentiam huic poſſe comparari. Et ideo, ut per Anthropopathos loquar, ſpiritus Dei peccatis noſtris irritatus & inquietatus in hac beatiſſima paſſione pacificatus fuit, & quievit. Naturaliter enim Dei Thronus poteſt appellari paſſio, quia in ea, ideſt in ſignis ejus iudicaturus eſt mundum. Unde etiam firmiter credo, quod ad mundum judicandum de nequitia ſua apparebit ibi lancea, corona ſpinea, clavi, ſpongia, & hujuſmodi, & Dominus B Jeſus cum ſtigmatibus ſuis, qui clamabit, dicens: Videte qualia a vobis, in vobis, & pro vobis paſſus ſum, & tamen ingrati omnia contempſiſtis, & pro nihilo pœnam & ignominiam meam duxiſtis. Ite ergo maledicti in ignem æternum, &c. Et ſic patet de prima Hierarchia.

Hierarchia cæleſtis prima. — *Joan. 15* — *Matth. 25*

In hac etiam beatiſſima paſſione relucet dominationum præcellentia. Humiliavit enim ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Ibi etiam relucet vel reſplendet Poteſtatum reſiſtentia, quia illam diabolicam poteſtatem, de qua dicitur, C quod non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, ipſe Jeſus victorioſiſſime ſibi ſubjugavit per patibulum crucis, & mortem moriendo deſtruxit. Refulget etiam ibi Virtutum efficax operatio, & præcipue ibi fuit virtus cordium penetrativa & attractiva. Unde illud eſt: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum. Unde quod nos credamus, & diligamus eum nullo modo nobis ipſis attribuamus, quia nemo venit niſi tractus. In quo notatur motus non voluntarius ex parte noſtra, ſed potius violentus. Et ſic patet de ſecunda Hierarchia.

Hierarchia ſecunda. — *Philip. 2* — *Job 41* — *Joan. 12*

Clareſcit etiam in hac beatiſſima paſſione Principatuum regimen, quia

Hierarchia tertia. — *Iſa. 9*

quia factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Ibi etiam vireſcit Archangelorum reſolutio, quia per hanc glorioſiſſimam paſſionem fit ſufficiens levatio ab omni culpa, & ab omni pœna. Ibi etiam luceſcit Angelorum revelatio, qua occulta Scripturæ abdita, vel abſcondita, & divinorum ſecretorum myſteria panduntur per apertionem lateris Chriſti. Et ideo merito in ejus morte velum templi *ſciſſum eſt, ut apparerent* quæ erant in ſacris Scripturis occulta. Et ſic patet de tertia Hierarchia.

Iſa. 9

Ex his ergo omnibus patet maniſeſtiſſime, quomodo non ſolum Eccleſiaſtica, ſed etiam Angelica Hierarchia in paſſione Domini refulget. Et ſicut eſt Angelorum purgare, illuminare, & perficere, ſic imo multo magis in paſſione Chriſti reperitur aperte. Per has igitur conformitates, quas Chriſti paſſio cum ordinibus Angelorum habet, convenientiſſimum fuit non ſolum redimere animas, ſed etiam ad reparationem Angelicæ ruinæ convenientiſſime diſponere, & ordinare. Propter nimiam enim charitatem, quæ reſplendebat in cruce incendium amoris erga Deum, & proximum in hominibus accendebatur. Et ſic reddebantur, & adhuc redduntur apti ad ſupereminentem Seraphicum ordinem. Per veritatem etiam in hac beatiſſima paſſione expreſſam illuminantur homines contemplantes ipſam ad divinæ veritatis cognitionem: & ideo aperti ſunt ad cognitionem, & reſtaurationem Cherubim. Et per magnam humilitatem, & reverentiam, & venerationem erga Dei majeſtatem, quæ fuit in illa paſſione, provocantur homines ad conſimilem pro ſuo modulo humilitatem. & venerationem, ac reverentiam, & honorem: & ſic apti fiunt ad Thronorum reparationem. Exemplo etiam illius excellentiſſimæ Dominationis divinæ per paſſionem habitæ, de qua dictum ſupra, propter quod, & Deus exaltavit illum, &c. homines provocantur ut macerationibus, & afflictionibus corporalibus nitantur, vitiis, & concupiſcentiis dominati, & omnem ſibi animi appetitum ſubjugare, ut nihil otioſum, nihil inordinatum præſumant in ratione hominis dominari, ſed omnia recto judicio rationis hujuſmodi appetituum genua flectantur, & ſic apti fiant ad reparationem ordinis Dominationum. Et ut breviter tranſeam, ſic per reliquos ordines diſcurre, ſive per ordinum perfectiones, ſecundum quod de iſtis dictum eſt: ut ſcilicet per reſiſtentiam contra diabolicam tentationem, & fraudem ad Poteſtates. Per virtuoſas operationes, & converſationes ad Virtutes. Per diligens regimen omnium ſenſuum ſuorum, & mortuum internorum, & etiam aliorum hominum, ſi ad ipſum ſpectant, ad Principatus. Per revelationem neceſſitatum, & diligentiarum proximorum ad Archangelos. Per prædicationem, & doctrinam ad Angelos. Vel ſi vis dicere, quod Archangelorum eſt majora, Angelorum minora docere, ſic doctores ad Archangelos, prædicatores ad Angelos ordina. Et hæc omnia ad paſſionem Chriſti ordina ſicut de Seraphim, & aliis dictum eſt.

Potes etiam aliam brevem aſſignare rationem, quare paſſio Chriſti fuit idonea ad reparationem Angelorum, quia ſicut illi per ſummam præſumptionem, & ſuperbiam ceciderunt: ita per infimam exinanitionem, & humiliationem Chriſti crucifixi veri Dei, & hominis, debuerunt prædicti ordines ex hominibus in ſuis oculis abjectis, & humilibus reparari: ut quod ſuperius dictum eſt, particulariter per reſtaurationem Thronorum, hoc pro omnibus univerſaliter reſtaurandis ordinibus ſumamus.

His autem eiſdem rationibus, quibus videmus qualiter Angelorum decor, & perfectio in Chriſto crucifixo refulget, poſſumus videre, quomodo in eadem paſſione refulget gloria hominum beatorum. Quia illi claræ veritati, quæ eſt in illa paſſione beatiſſima, ſicut ſupradictum eſt, correſpondet aperta viſio patriæ quan-

quantum ad cognitionem rationalis. Illi profundiſſimæ humilitati, & reverentiæ, qua paſſio Domini Thronus dicebatur ſuperius correſpondet firma intentio quantum ad iraſcibilem. Quia ſuper quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, &c. (*Iſa. 16*) Illi etiam ſuperexcellentiſſimæ charitati Dominicæ paſſionis correſpondet in patria ipſius concupiſcibilis dilectio vere conſummata. Illi Dominationi, de qua dictum eſt propter quod, & Deus exaltavit illum, &c. (*Philip. 2*) correſpondet agilitas, quia ſubeſt ei cum voluerit poſſe. Illi reſiſtentiæ poteſtatis, qua moriendo mortem deſtruxit, correſpondet impaſſibilitas. Illi virtuoſitati, qua exaltatus a terra omnia traxit ad ſeipſum, correſpondet ſubtilitas tamquam penetrativa virtus. Illi claritati, & nobilitati Principatus, de quo dicitur. Factus eſt principatus ejus ſuper humerum, &c. (*Iſa. 9*) & de qua claritate poteſt illud adduci, Pater clarifica me, &c. (*Joan. 17*) correſpondet dos claritatis. Officio autem Archangelorum, & Angelorum, quod bene repræſentatur in illa paſſione, ut præmonſtratum eſt, correſpondet in hominibus beatis decor aureolæ, quæ debetur doctoribus, & prædicatoribus.

Et ſic patet qualiter in hac beatiſſima paſſione refulget tamquam in ſpeculo præclariſſimo, & mundiſſimo omnis gratiæ, & gloriæ plenitudo. Gloriæ dico quantum ad præmium ſubſtantiale, ut dotes corporis, & quantum ad præmium accidentale, ut decor aureolæ, quæ debetur prædicatoribus, ſive doctoribus, martyribus, & virginibus. Nam in cathedra ſanctæ crucis docuit, & martyrum caput fuit, & Virgo virginum Virginem virgini commendavit. Non ſolum autem ipſorum ſanctorum plenitudo gloriæ refulget in hac beatiſſima paſſione, ſed etiam ab ipſa meritorie emanat. Et ut magis appropriate loquamur per apertionem lateris mittit Sanctis viſionem apertam: per pedum, & manuum conclavationem, intentionem firmam: per guſtationem aceti, & fellis inebriationem amoris, & hoc erat quod ſitiedat: per coarctationem ligaminum meruit nobis agilitatem: per illuſionem ſputorum ſolis claritatem: per mortem impaſſibilitatem: per incluſionem in ſepulcro ſubtilitatem: per coronam ſpineam non ſolum aureæ, ſed etiam aureolæ venuſtatem, ſcilicet illis tribus generibus hominum, videlicet virginum, martyrum, & doctorum. Et quidquid dicamus, credo quod in hac beatiſſima paſſione eſt materia excellentiſſimæ gloriæ, & immenſi gaudii tam Angelorum, quam hominum beatorum. Et hoc eſt quod credo firmiter, & non dubito, **B** quod tam Angeli, quam homines beati totaliter in Deum tendunt, & totis mentibus intime Deum diligunt, ita quod plus ſine comparatione Deum diligunt, quam ſeipſos: immo non credo quod ſeipſos diligant, niſi propter Deum. Et ideo ſine comparatione plus exultant, & gaudent de Dei magnificentia, quam de propria gloria. Cum ergo in Chriſti paſſione ſit excellentiſſima manifeſtatio ſummæ potentiæ, ſummæ ſapientiæ, ſummæ clementiæ Dei, ſicut poſtea aliqualiter declarabo: ideo prædicta paſſio eſt eis materia excellentiſſimi gaudii, & exultationis immenſæ. Unde quamvis gaudeant homines videntes ſe per illam paſſio- **C** nem redemptos, & Angeli videntes ſe per eamdem reparatos, & ſic quodammodo ad ſeipſos reflectantur, quamvis hoc ſemper videant, & referant in Deum: tamen credo, quod ſine comparatione plus exultent, & gaudeant, & totaliter in Deum excedant cognoſcentes in ea tam potentiam, quam ſapientiam, & inæſtimabilem, & immenſam clementiam Dei ſui. Unde ſicut apparet hic ſumma, & immenſa diffuſio divinæ bonitatis, ita credo quod in ea ſit excellentiſſima, pleniſſima, & totaliter medullaris diffuſio mentium in Deum ob nimiam jucunditatem, & gaudium. Sic ergo manifeſte apparet quod paſſio Chriſti fons gratiæ, & glo-

Digitized by Google

gloriæ reperitur, & quod in ea refulget decor, & perfectio ſub cœleſtis hierarchiæ, & etiam cœleſtis.

CAPUT XIII.

Quod ſumma potentia, ſapientia, & clementia ſumma ibi relucent, & etiam circa hæc quædam excitativa vel exercitativa.

NUnc Deo favente, videre reſtat, qualiter ſupercœleſtis hierarchia, quæ Deus eſt, in cruce ſplendet, ut ſcilicet aliqualiter videamus, qualiter in ea refulget ſumma potentia, ſumma ſapientia, ſumma clementia Dei. Et quia infirmum de potentia, ſtultum de ſapientia, pravum de bonitate loqui, præſumptuoſum eſt: ideo mihi velle ſubtilia, & quæ ſupra vires meas ſunt, inveſtigare non licet. Attamen ad majorem prædictorum intelligentiam, & conſolationem noſtram aliqua communia videamus. Manifeſtatur autem in illa beatiſſima paſſione divina, divina potentia, & benevolentia in tolerando, *in liberando*, in gratificando, in ſuſcitando, in magnificando.

Dico primo, quod manifeſtatur in hac beatiſſima paſſione ejus fortitudo, & clementia in tolerando. Quod autem ille, qui eſt Deus omnium, & omnia conſervat, ſine cujus manu omnia reducuntur in nihilum ſuſtineret patienter, effugari, qui ubique erat, ligari, qui immenſus erat flagellari, qui glorioſus exiſtebat, alapari, qui mundum plaſmaverat, conſpui, ſplendor æternus, & ſpeculum ſine macula, blaſphemari, pater immenſæ bonitatis, dijudicari, judex immenſæ poteſtatis, crucifigi, Dominus immenſæ libertatis, aceto, & felle potari, fons immenſæ ſuavitatis, gaudium Angelorum affligi, vita viventium occidi, ſpinis coronari gloriæ corona, latus aperiri, agnus immenſæ clementiæ, in lapide ſepeliri ſol juſtitiæ. Hæc omnia a A nequiſſimo homine pro eo patienter ſuſtinere, imo pro eis orare, fuit poteſtatis immenſæ tolerantiæ bonitatis, & clementiæ. Sic ergo patet poteſtas ſeu potentia, & bonitas Chriſti in tolerando.

Signum etiam fuit hujus immenſæ bonitatis, & potentiæ in liberando. Quod enim Chriſtus crucifixus potentiſſimum ligaret, mortem moriendo deſtrueret, & occideret, & ſepultus infernum ſpoliaret, fuit immenſæ potentiæ ſignum. Sed etiam hoc fuit immenſæ, & exceſſivæ clementiæ ſignum, quod pro ſuis nequiſſimis inimicis a morte liberandis dignatus eſt mori. Hoc enim B inexcogitabile eſt, quod morte, quæ ſibi inferebatur, liberaret inferentes a morte, cum propter hoc debuiſſet fortius, vel potius ſecundum humanum judicium nos omnes æterna morte condemnare, hoc ipſo quod a nobis, & occaſione noſtri fuiſſet tam vili, & crudeli morte occiſus. Nec credo, quod Angeli de paradiſo potuiſſent hanc ſummam clementiam cogitaſſe, antequam fuerit eis revelatum.

Fuit autem immenſæ potentiæ, & benevolentiæ ſignum in juſtificando. Si enim majus eſt juſtificare impium, quam cœlum, & terram creare propter repugnantiam voluntatis: quantæ ergo clementiæ, quantæque fuit C potentiæ ſalvare, & juſtificare impium ſummam impietatem perpetrantem, & Salvatorem, & juſtificatorem occidentem? Et ideo illud immenſæ clementiæ fuit, quod effectu illius ſummæ impietatis voluerit nos ab omni impietate juſtificare, cum ſecundum humanum judicium debuiſſet, ſi numquam alia interveniſſet culpa, nos penitus reliquiſſe, & ad nihilum redegiſſe, quod idem eſt: quia ſi penitus nos relinqueret in nihilum redigeremur, aut illam nequitiam non in juſtificationem, ſed in pœnam ordinaſſet æternam. Hoc ergo ſummæ potentiæ, & clementiæ fuit, quod nos juſtificavit merito ſuæ paſſionis, quæ procreata eſt a nequitia noſtra, & merito nequitiæ noſtræ.

Hæc

Digitized by Google

Hæc omnia inaudita, & mirabilia ſunt diligenter ruminanda, & omni admiratione digna, & deficit ibi omnis ratio, & intellectus, & non modicum ſuccenditur affectus.

Apparuit etiam ibi ſumma potentia in reſurgendo. Planum eſt enim, quod a mortuis reſurgere, & maxime per ſe, vel mortuum reſuſcitare, utrumque eſt infinitæ potentiæ, & utrumque ibi fuit, quia reſurrexit, & aliquos ſecum ſuſcitavit, qui venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Sed & hoc fuit immenſæ clementiæ, quod dignatus eſt non ſtatim reſurgere, ſed pro fide noſtra aliquantulum differre, & pro nobis mortuus permanere, ut ipſum fuiſſe verum hominem crederemus fideliter. Nec nimis diſtulit, ut & ipſum eſſe Deum verum credamus, & alios ſuſcitavit, ut ei redderent teſtimonium. Et ipſemet per quadraginta dies adhuc apparens in multis argumentis, ut ei crederemus, diſtulit ad cœlum aſcendere cum omni dignatione, & ferventi dilectione noſtram ſalutem operans, & procurans. Non enim ſufficit ei mortalis, & paſſibilis converſari nobiſcum, ſed, & glorioſus, & immortalis per quadraginta dies manifeſtiſſime apparere Apoſtolis, & eos de regno Dei docere. O amor quantum Deum noſtrum Jeſum ſignaſti nobiſcum, qui non videtur poſſe ſeparari a nobis, & nos viliſſimam ſaniem dignetur cum tanta ac tali diligentia ſibi per fidem, & amorem unire!

Matth. 27

Manifeſtata eſt etiam ibi ſumma potentia in magnificando. Magnificavit enim eum in conſpectu regum, & principum, qui tamen in conſpectu Dei fuit ſemper magnus, & iſtud ſcilicet Chriſtum crucifixum in conſpectu hominum magnificare, & omnibus ſuperextollere fuit ſummæ potentiæ. Quare? quia fuit contra ſapientiam Græcorum, contra ſcandalum Judæorum, contra idololatriam Romanorum, contra ſævitiam tyrannorum, contra omnem aſtutiam dæmoniorum, ſupra omnem rationem,

A & intellectum, ſcilicet credere hominem crucifixum eſſe Deum. Et iſtud fuit ſummæ clementiæ ejus, quod nos fecerit ſibi credere, imo etiam eum credere Deum contra omnem duritiam, & nequitiam noſtram, nos ad ſe ſua intima virtute trahendo. Et ideo ſummas grates, & gratias ei debemus: quia non fuit currentis, neque volentis, ſed Dei miſerentis. Quid enim ſibi fecimus, quod nos in eum pluſquam reliqui crederemus? Fideliter ergo, & cum omni timore, & honore ſerviamus ei, perfecto corde, & animo volenti, & jubilemus ei cum totis præcordiis noſtris: quia nobis indignis luxit cum jucunditate admirabile lumen ejus, & dulciſſima, ſuaviſſima, & amabiliſſima claritas ejus irradiat intima mentis & tenebras convertit in lucem, elevat, conjungit, Deificat, & reſolvit. Ex his ergo manifeſte apparet, quod ſumma potentia, & ſumma clementia Dei refulget in paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Rom.* 9

B

Nunc reſtat videre qualiter ſumma ſapientia relucet ibidem. Et quamvis non ſufficiamus, neque ſciamus omnia enarrare, tamen aliqua de multis ad conſolationem noſtram dicamus. Sapientia eius ſumma in hac paſſione apparet in gratiſſima correſpondentia in omnibus myſteriis redemptionis a culpa. Nam ſicut prima mulier de virginea carne ſumpta, & facta ſeducta eſt, ſic Chriſtus de Virgine natus, crucifixus eſt. Et ſicut illa accepit de ligno vetito, & dedit viro ſuo, de quo facta erat, ſic Chriſtus in ligno crucis eſt paſſus voluntarie, & hanc paſſionem Matri ſuæ, de qua natus fuerat, communicavit, cuius animam doloris gladius pertranſivit. Uſque enim hodie ignoravi, quare Dominus noſter Jeſus Chriſtus voluerit illam dulciſſimam Matrem ſuam ſibi aſſiſtere, & ſecum tam immenſo dolore affligi cum bene nobis ſufficeret ſua paſſio. Sed ut video hoc ſumma clementia, & ſumma eius ſapientia exigebat, quamvis eſſemus indigni. Et ſicut Eva ſeducta *Luc.* 2

C

ćta eſt volendo eſſe ſicut Deus, ita paſſus eſt homo Deus. Et ſicut illa de latere viri facta fuit principium noſtræ damnationis, quia virum ſibi conſentire fecit: ſic Chriſtus latus aperuit, unde virtus ſacramentorum emanavit. Et ſicut illa vidit lignum, quod erat pulchrum viſui, & ad veſcendum ſuave: ſic Chriſtus conſputus eſt in vultu, & amaritudine fellis guſtatus. Et ſicut illius pedes currunt ad lignum, & manus extenduntur ad fructum, ſic Chriſtus pedibus, & manibus eſt in cruce affixus. Illa ambitioſa, iſte humillimus. Illa vero inobedientiſſima, iſte uſque ad mortem obedientiſſimus. Contra appetitum ſcientiæ, Dei ſapientia condemnatur. Illi erant ambo nudi cum peccaverunt, Chriſtum vero nudum crucifixerunt. Ibi homines poſt culpam ſe abſconderunt a facie Dei, hic Chriſtus Dominus Deus noſter poſt mortem in ſepulcro abſconditur a facie hominum. Illi deſcenderunt ad imum ad laborandum, hic deſcendit ad infernum ſpoliandum. Sic apparet aperte, & manifeſtavit, qualiter in hac beatiſſima paſſione glorioſiſſima ſumma Dei ſapientia claret. Et in omnibus iſtis non ſolum Dei ſapientia; ſed etiam ſumma Dei dignatio, & clementia demonſtratur, quod ipſe voluerit pro comeſtione illius ligni lignum crucis aſcendere, & pro extenſis ad fructum manibus, manus ſuas elevare in cruce, & hujuſmodi, quæ ſuperius dicta ſunt. Hoc enim fuit ſummæ & ineffabilis ſuæ clementiæ. Nec credo, quod tanta dignatio poſſit a creatura aliqua comprehendi, ſed credo quod in ipſa Angeli, & Sancti vere exceduntur, & ſupereffunduntur ab illis immenſitate clementiæ, utpote ſicut piſcis in mari, & ſi non ſit ſimilitudo perfecta. Accedamus ergo chariſſimi ad cor altum, & in illa profunditate benignitatis immenſæ totaliter immergamur. Accedamus cum fiducia ad Chriſti latus, & intremus ipſum. Accedamus chariſſimi accedamus, & moriamur cum ipſo. Accedamus obſecro accedamus, quia ad amplexus eius brachia ſunt extenſa. O bone Jeſu, quid feciſti, quid me tantum amaſti? Quare Domine, quare? Quare Domine Jeſu? Quid ſum ego? Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, quanto magis ut moriaris propter peccatum meum, ſed tantum dic verbo & ſanabitur anima mea. Quare ad ipſam ſanandam vis emittere animam tuam? Sufficit Domine, ſufficit verbum tuum. Quare tam ignominioſa & crudeli morte effundis ſanguinem tuum? Solo verbo Angelos, cœlos, & totum hunc mundum creaſti. Quare tot doloribus tam dura & crudeli morte me nequiſſimum ſervum redemiſti? Sonet obſecro chariſſimi fratres in auribus veſtri vox illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, immo ſonet in intimis cordis veſtris: Attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Penetrent chariſſimi etiam iſti dolores intima noſtra, & corda noſtra iſtis doloribus gladientur. Accedamus ad latus eius, & ſugamus ſanguinem eius: quia hoc beneplacitum eius eſt. Non faciamus ipſum talia fruſtra pati: non permittamus hunc ſanguinem effluere ſuper terram. Fiant ergo corda noſtra receptacula, & vaſa ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & eius inebriati doloribus dicamus: Nobis autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti crucifixi. Quod nobis concedat, qui vivit, & regnat, &c.

Gen. 3 — *Matth. 8* — *Thren. 1* — *Gal. 6*

Caput XIV.

Quod in paſſione Domini excitetur, & inflammetur cor hominis ad ſeptem opera miſericordiæ.

Cum jam per ea, quæ dicta ſunt in paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti multipliciter poſſit noſtra contemplatio regulari, & perfici: nunc, qualiter in eadem ad actionem excitemur, & dirigamur, reſtat aliqualiter intueri. Et quia activæ vitæ inter alia opera miſericordiæ, & pie-

pietatis amplius eloquia ſacra commendarunt, & etiam quia de illa actione quæ ad veram afflictionem, & dejectionem ſpectat, ſatis eſt ſuperius tractatum: ideo ad præſens, aliis prætermiſſis, videamus qualiter in illa paſſione Dominica eſt excitatio, inflammatio, exemplar, ſpeculum illorum miſericordiæ operum, de quibus in Matthæo Dominus noſter dicit ſe in judicio diſceptaturum & pro illis æternum præmium largiturum, ſive redditurum. Venite, inquiens, benedicti patris mei, &c. Eſurivi, &c. Abſtergamus ergo chariſſimi caliginem ab oculis cordis noſtri, & intueamur diligentiſſime illam beatiſſimam paſſionem, & videbimus clare, qualiter in ipſa, prædicta opera eleganter relucent. Sed primo videamus qualiter ad ipſa complenda allicimur; poſtea videre poterimus qualiter per ipſam in eiſdem operibus regulamur. Si enim conſideramus, qualiter Dominus noſter eſurivit, & ſitivit, multum pro nobis, multum moveri debemus, ut eſurientes, & ſitientes paſcamus, ut ſibi in ſuis membris ſubveniamus. Et, ut omnia reducamus ad paſſionem Chriſti, audiamus in Evangelio ipſum Jeſum clamantem in cruce. Sitio. Nam ſi beati ſunt, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, cum ipſe fuerit plenus omni gratia & perfectione; ipſe maxime in hac beatiſſima paſſione noſtram juſtitiam eſurivit & ſitivit; quia quando moriebatur non pro ea ſolum eſuriem, & ſitim ſpiritualem habuit ipſe in cruce; ſed etiam valde probabiliter credo quod corporalem famem, & ſitim ibi habuit: quia nocte præcedente multum laboraverat, & vigilaverat in oratione, & poſtmodum in capturæ anxietate, & demum diverſis flagellis, & laboribus fatigatus circa horam ſextam, quando appetitus ſolet incitari, & incendi, fuit cruci affixus: & uſque ad nonam jejunavit ibidem, & dixit, Sitio. Et ipſi ei propinaverunt acetum, quod cum accepiſſet inclinato capite, emiſit ſpiritum. Nec eſt multum credibile, quod tunc virtute divinitatis reſtiterit alicui neceſſitati, & indigentiæ corporali, ſicut cum quadraginta diebus jejunavit: quia ipſi paſſioni expoſuerat ſe plene pro nobis in cruce. Sic ergo quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſurivit, & ſitivit pro nobis, multum allici debemus ad ipſum paſcendum in membris ſuis. Peregrinus etiam fuit Dominus noſter, quia dixit imminente illa morte beatiſſima: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Etiam in cruce maxime peregrinus fuit, & alienus reputatus pro nobis, quia amici, & proximi ejus tunc longe receſſerunt ab eo, & tamquam peregrinus, extraneuſque factus eſt fratribus ſuis. Hunc ergo peregrinum, fratres chariſſimi, pro nobis factum, recolligamus in membris ejus.

Matth. 25 · *Joan. 19* · *Joan. 18* · *Pſal. 68*

A · B · C

Nudus etiam fuit Dominus noſter in cruce pro nobis: ipſum obſecro induamus in membris ejus. Ibi etiam apparuit vere infirmus doloribus, & anguſtiis plenus pro nobis; ipſum viſitemus in membris ejus. Captus eſt pro nobis, & captivus ad crucem deductus, in ea ſuſpenſus, & conclavatus: ad membra ſua captiva, & incarcerata eamus. Sic ergo apparet qualiter in præhabita paſſione fuit tamquam verum objectum allectivum, & excitativum ad prædicta opera complenda in membris ejus.

Nunc videamus qualiter in prædicta paſſione fuit exemplar motivum, & directivum in operibus ſupradictis Ipſe enim eadem opera exercuit. Ipſe enim latus ſuum aperuit, & ſanguinem ſuum fudit ad ſitientes potandos. Carnem ſuam in ara crucis igne ardoris nimii amoris concremavit ad eſurientes paſcendos. Et ideo in cœna præcedenti ſacramentum altaris ordinavit ad nos reficiendum, quod quidem ſacramentum eſt memoriale Dominicæ paſſionis. Nam caro ſua vere eſt cibus, & ſanguis ejus vere eſt potus, ſicut ipſe Dominus teſtatur. Si ergo de ſeipſo Dominus noſter Jeſus fecit cibum nobis.

Joan. 6

&

Digitized by Google

& potum, quanto magis nos alere debemus eſurientes, & ſitientes non ſolum de ſuperfluis, ſed etiam de neceſſariis noſtris? Si enim Dominus noſter dedit nobis carnem ſuam in cibum, quanto magis nos debemus dare ei in membro ſuo carnes beſtiarum noſtrarum? Si enim ſeipſum panem vivum, qui de cœlo deſcendit, dedit nobis ad manducandum, quanto magis dare ei debemus in membris *ejus panem mortuum*, qui de terra exivit? Si nobis dedit cibum ſpiritualem, panem ſcilicet Angelorum, qui nos ſibi unit & convertit in ſeipſum, quanto magis nos ei in membris ejus dare debemus utrem vini, vel lactis vermium ſcilicet nutrimentum? Simus ergo, chariſſimi fratres, ſolliciti ad alendos pauperes Chriſti, immo ad alendum Chriſtum in pauperibus ſuis.

Opus etiam hoſpitalitatis exercuit *in ipſa cruce*. Nam ibi erat quidam peregrinus, qui iverat in viam longinquam, & a Chriſto hoſpitium petens, ait: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. (Luc. 23) Quaſi diceret: Digneris Domine Jeſu Chriſte peregrinum recognoſcere, & in illo *regni tui palatio* recolligere. Mirum de Dei clementia, jam oblitus eſſe videtur, quod alias dixit illi, qui de ejus hoſpitio interrogabat eum: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet. (Matth. 8 & Luc. 9) Sed quid? Non tantum non tardat ipſum hoſpitio recipere, non ſub porticu, non in ſtabulo, ſed in ſeipſo, non cras, non poſt cras, ſed hodie mecum eris *in paradiſo*. (Luc. 23) O miſera hominum nequitia! Dominus noſter latronem recipit in hoſpitio, & in ſeipſo, & nos in terrenis, & lutoſis domibus, etiam bonos recipere nolumus, ſed excuſamus nos, & dicimus forte ipſi ſunt latrones. Memento miſer homo, quod latronem Dominus ipſe recepit. Et ſi forte non potes, quia & tu pauper es, recolligere in materiali domo, recollige ſaltem eum in corde tuo, ei compatiendo.

A Denudavit etiam ſe dominus noſter Jeſus Chriſtus ad noſtra verenda operienda, & nudus pependit in cruce. Quanto magis perſonas noſtras nudare debemus ad operiendum eum in pauperibus ſuis, aut, ut de nobis loquar, cellarum aut lectorum angulos a ſuperfluis tunicis pro Chriſti pauperibus evacuare debemus? O quantum gaudium nobis eſſe deberet, cum nos exuere poſſemus pro Chriſto, ut non ſolum ſuperflua, ſed etiam nobis neceſſaria pauperibus largiremur. Ipſe enim pro me nudatus eſt, & ego pro ipſo nolo indigentiam illam pati? Abſit a nobis hoc fratres chariſſimi non ſolum noſtra, ſed nos proximis noſtris, B immo Chriſto in proximo largiamur: quia ipſe ſe totum nobis dedit. Nam, & ipſe nos infirmos viſitavit, & in cruce infirmitates noſtras, & conſtarum infirmitatum noſtrarum anguſtias, & dolores ſuper ſe portavit. Sic chariſſimi fratres infirmos ejus ſolicite viſitemus, & eorum infirmitates in nos compatiendo inſimul recipiamus, ſive transformemur, ut dicamus cum Apoſtolo Paulo: (2 Cor. 11) Quis infirmatur, & ego non infirmor?

Ipſe etiam Dominus noſter Jeſus in illo triduo captivos inferni adiit. Quomodo ergo erit ſic deterrimus, & profundiſſimus carcer, quin ibi viſitemus captivos, C immo in captivis Dominum noſtrum Jeſum? Totum enim reputat Dominus noſter ſibi fieri, quod amore ipſius facimus membris ejus. Omnium autem iſtarum pietatum in Domino noſtro compulſiva, conſervativa, & confortativa fuit illa pietas, qua pro ſuis crucifixoribus exoravit. Sic & nos noſtram pietatem, & miſericordiam erga proximum conſervare debemus in hoc, ut non ſolum nos offendentibus parcamus, & erga illos tranquillum animum habeamus, verumetiam pro ipſis affectuoſiſſimas ad Deus preces fundamus. Quod nobis concedat, qui in Trinitate, &c.

Digitized by Google

Caput XV.

Oratio valde devota circa paſſionem Domini.

O Domine Jeſu Chriſte, o vere amice, o amantiſſime Sponſe, fac lutum ex ſputo, & lini oculos meos, ut qui cæcus ſum videre valeam vulnera tua. Introduc me Domine Jeſu quamvis indigniſſimum famulum tuum in gazophylacium veri templi, ut intueri valeam, quid quantumque obtuleris Patri pro nobis. Fortaſſis anima mea quamvis a te vero ſponſo multis iniquitatibus viduata ſit, offerret tibi duo minuta. B Recipe me quamvis filium prodigum ad comedendum tecum vitulum saginatum, aſſatum in cruce. O bone, & vere magiſter doce me theſauros ſapientiæ beatiſſimæ mortis tuæ. Iterum atque iterum Domine Jeſu aperire digneris latus tuum mihi nequiſſimo famulo tuo, ut oculi mei, qui deprædati ſunt animam meam in tuo latere inveniant prædam meam. O bone Jeſu nimis ſaxeum eſt cor meum, niſi emolliatur ſanguine tuo, nimis diſtractum eſt cor meum, niſi recolligatur in latere tuo. O bone paſtor, ego ſum illa ovis, quæ periit, & erravit, pro qua in cruce poſuiſti animam tuam. Ecce ego ſum, agnoſce eam, introduc me caulas vulnerum tuorum. Tu autem Domine Jeſu Chriſte in tua paſſione me cuſtodias diligenter. Nam ſine tua morte morior, ſine tuis vulneribus vulneror, ſine tuis conviciis convicior, ſine tuis flagellis virga non æquitatis, ſed iniquitatis flagellor ſed quia neſcivi perſeverare in tua beatiſſima paſſione, ſum quaſi in nihilum redactus: quia ignominiam crucis dimiſi, ignominioſus factus ſum: quia ſtultitiam crucis reliqui, ſtultiſſimus, & vaniſſimus factus ſum: quia infirmitatem tuæ paſſionis neglexi, infirmus factus ſum: quia a doloribus aculeorum tuorum receſſi, ſpinis concupiſcentiarum confixus ſum. Quid dicam? Niſi cor meum doloribus tuis aperiaA tur, nefandiſſimis vitiis aperietur. Niſi ſciat latitare in vulneribus tuis, a latronibus plagis impoſitis ſpoliabitur. Nam contra ſupervacuam, & vanam gloriam, avaritiam, & invidiam, odium ſive iram, & accidiam; gulam, & luxuriam perfectiſſima medicina, immo ſine qua nulla alia medicina, eſt paſſio tua. Contra ſuperbiam, ejus humilitas: vanam gloriam ejus vilitas: avaritiam, ejus nimia largitas: & ſic de aliis. Ipſa eſt, quæ ſepit aures, ne audiam vana vel prava: oculos claudit, ne aſpiciam mortifera vel nociva: os obſtruit, ne loquela vel guſtu offendam: nares obturat, ne circa odorifera offendam: manus ligno affigit, ne extendantur ad tactus vel opera vitioſa: pedes conclavat cruci, ne inutiliter, vel nocive diſcurrant. Ipſa fovet mutuam dilectionem, auget internam devotionem, elevat ad ſupernam contemplationem. Hanc ergo Domine acerbiſſimam paſſionem, & ignominioſam da mihi in Sponſam, & indiviſibili, & indiſſolubili vinculo ipſam mihi conjunge, ſuper omnes mulieres, id eſt, delicias & conſolationes temporales adamavi eam, & tamen ſæpe alia ſuperinducta repudiavi eam. Nunc modo venio, & requiro eam, ne quæſo mecum agas juris rigore, ſed tuæ clementiæ diſpenſatione. Hanc ergo C da mihi Domine Jeſu, quia hanc amavi, hanc dilexi, hanc totis viſceribus concupivi, ipſa ſola mihi ſufficit, ipſa ſola me medullitus nutrit, & reficit in hac vita. Ipſe eſt vita mea, conſolatio mea, & deliciæ meæ, ipſa lux, & ſapientia mea, ipſa reducit, & deducit, ſine ipſa devio, & erro, ſine ipſa a portu ſalutis declino.

O bone Jeſu nihil a te peto in hac vita, niſi ut perfecte ſim tecum crucifixus in cruce. Certe dilectiſſime Domine Jeſu volo vivere, niſi moriar tecum, aut ergo da mihi mortem temporalem, aut in corde meo imprime tuam mortem. Heu mihi, quare natus ſum, niſi Dominum meum Jeſum amplectar in cruce, & requiſcam in vulneribus ejus. Magis eligo

Digitized by Google

go ad præſens tecum crucifigi, quam tecum deliciis affluere. Hanc tuam beatiſſimam paſſionem volo, hanc peto, hanc totis internis concupiſco medulis, omnibus pro ipſa abrenuncio, & etiam meipſum relinquo, ipſa ſit mihi anima mea & corpus meum, & omnis conſolatio mea. Nam ſanguis tuus inebriat me, & dolores tui ſciderunt cor meum. Domine Jeſu pro me feciſti cœlum, & ſolem, lunam, & ſtellas, ignem, aerem, aquam; & terram, aves, & piſces, beſtias, & reptilia, arbores & flores, herbas, & olera, aurum, & argentum, univerſa metalla, colores diverſos, lapides pretioſos. Sed quis de manibus tuis quæſivit hæc? Sine petitione, ſine inſtantia hæc omnia nobis dediſti, & tota die affligo animam meam petendo ignominioſam mortem tuam & vix poſſum aliquam guttulam impetrare. Scias Domine Jeſu, quia omnia viſibilia mihi vileſcunt, pro ipſa tibi univerſa reſtituo, & da mihi vulnera tua. Hæc ſuper cœlum habilitant cor meum, ſuper ſidera refulgent, & illuminant intellectum meum, ſuper ignem accendunt affectum meum, ſuper aerem fœcundant ſermonem meum, ſuper aquam emolliunt animum meum, ſuper terram ſtabiliunt, & fœcundant affectum meum. Hæc avibus, beſtiis, & piſcibus utiliora, fructibus ſuaviora, arboribus, & floribus amœniora, argento, auro, & lapidibus pretioſis pretioſiora, immo certe hæc omnia non niſi vanitas eſt, vel ſunt, reſpectu tuæ paſſionis beatiſſimæ. Hanc volo Domine Jeſu, hanc volo, tribue mihi in uxorem. Non peto pulchritudinem cœli, ſed ignominiam tui, non mundi delicias, ſed tuas anguſtias. Cito mihi Domine Jeſu tribue eam, nolo ſecum Domine Jeſu ſponſalia facere, ſed matrimonium conſummare. Conſentiat in me Domine Jeſu, quia conſentio in eam, & eſt matrimonium ratum. Intrent cor meum vulnera tua, & ipſa intrent animam meam, & erit matrimonium conſummatum.

Sed quis ſum ego Domine mi Je-
A ſu, ut a te in Sponſam, illam audeam petere, quam ſolam tuis intimis amicis, & maximis pro omnibus amicitiis tuis conjungis? Sed quamvis nihil niſi vanitas, & deteſtanda ſanies ſim, præſumo tamen de immenſa clementia tua. Et ſi non habeam puritatem, & ſanctitatem matris tuæ, ut digne tibi compatiar, latronis tamen pravitatem habeo, ut ſecum ad latus tuum crucifigi debeam. Magis in hac vita deſidero Domine Jeſu cum latrone tecum in crucem aſcendere, quam cum Petro, Jacobo, & Joanne in monte transfigurationis tuæ conſcendere. Magis placet ad præſens oculo mentis videre te conſputum,
B quam transfiguratum. Et ſi non ſum tamquam velum nobiliſſimum in templo, ut morte tua ſcindar, ſum tamen fœtidiſſimum monumentum, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam. Quid in me quæris dulciſſime Domine Jeſu? ſi in morte petræ ſciſſæ ſunt, & ego tamen durior ſum petra. Si enim terra mota eſt, ego terreniſſimus ſum. Quid ergo iniquitatis deeſt in me ut non indigeam tua morte? Et ſi cœleſtis non ſim in tibi compatiendo, nec queam cum ſole obſcurari, tamen infernalis converſationis ſum, ut in hoc triduo mortis tuæ a te debeam viſitari. Non ergo Domine Jeſu te retrahat iniquitas mea,
C quin mihi hanc nobiliſſimam Sponſam ignominioſam ſcilicet mortem tuam inſeparabiliter mihi ejus deſiderio æſtuanti conjungas. Ipſa enim eſt pulcherrima omnium mulierum, id eſt, excellentiſſima omnium gratiarum. In ea fuit ſummus cultus Dei, ſumma Dei dignatio, ſumma Dei ad nos diffuſio. Ipſa ſumma Dei ſapientia, & prudentia percuſſit ſuperbum, ſua potentia animas de inferno tranſtulit in cœlum, ſua poteſtate placavit, imo & donavit Deum, cujus violeum colorem amplectuntur humiles, & confeſſores, lilii candorem innocentes, & virgines, roſeum ruborem amplectuntur martyres in charitate ferventes, qui in ea fuit ſumma humilitas, innocentiſſima vir-

ginitas, & excellentiſſima, & exceſ-ſiva charitas. Ejus purpureum, & coccineum colorem admirantur Angeli, ad ejus fragrantiſſimum odorem ſentiunt, & ſuſcitantur mortui, ad ejus ſuaviſſimum tactum roborantur infirmi, ad ejus dulciſſimum guſtum reficiuntur, & conſervantur perfecti. Talis eſt filii Hieruſalem & filiæ, Sponſa mea, & amica mea, deſiderium animæ meæ. Ipſa inimicum meum diabolum ſuperat in me, a mundo me alienat, carnem meam bene caſtigat. Mihi ergo abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chiſti, per quem mihi mundus crucifixus, &c. Eſt ergo mihi quippe mi Domine Jeſu magna gloriatio, quod pro me cœlum, & ſidera, & alias inferiores creaturas feciſti. Sed multo ſine comparatione major mihi gloriatio quod pro me dignatus es moralis fieri. Magna quippe gloriatio, quod me feciſti ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, ſed ſine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me formam ſervi accipiens, factus es ſimilis mihi. Magna mihi gloriatio, quod tot beneficiis me gubernas, & nutris: ſed ſine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me eſuriſti, ſitiſti, & fatigatus ſuper fontem ſediſti, & multa incommoda ſuſtinuiſti. Magna mihi gloriatio, quod cunctis animalibus me præpoſuiſti, ſed ſine comparatione major, quod pro me te Dominum omnium uni puellæ, & fabro ſubdidiſti. Magna mihi gloriatio, quod me ſi amicus tuus fuero, honorificaturus es in cœlo tuo: ſed ſine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me adhuc peſſimo inimico tuo convitiatus, conſuptus, & multipliciter illuſus es in medio terræ. Magna mihi gloriatio, quod me, ſi juſtus fuero, ditaturus es in regno, ſed multo magis eſt mihi magna gloriatio, quod pro me peccatore in extrema paupertate fuiſti in ligno: quia quantum ad guſtum, cum ſitires, fel habuiſti & acetum: quantum ad operimentum, corpus habuiſti nudum: quantum ad reclinatorium, non habuiſti, ubi reclinares caput tuum, immo corona ſpinea fuit pulvinar tuum. Magna mihi gloriatio, quod ſi gratiam uſque ad finem habuero me delectatione es impleturus univerſarum deliciarum paradiſi: ſed multo mihi major gloriatio, quod pro me tuo contemptore, & pleno omni abominabili ſanie, impletus es inæſtimabilibus anguſtiis & doloribus, morte turpiſſima condemnatus in Calvariæ loco. Magna mihi gloriatio, quod ſi Angelice vixero in terris, Angelis es me ſociaturus in cœlis: ſed multo major mihi gloriatio, quod pro me diabolicam vitam ducente cum latronibus es Crucifixus in terris cum impiis, & iniquis aſſociatus, & deputatus. Mihi ergo abſit niſi in cruce Jeſu Chriſti gloriari. In quo debeo gloriari niſi in ſummo Dei mei honore, ſumma Dei mei erga me gratia, ſive dilectione, & dignatione? Hæc autem ſunt plene in cruce. Mihi ergo abſit gloriari, &c. Si enim pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, quia patiuntur & moriuntur pro ipſo quanto magis debet eſſe glorioſa in conſpectu noſtro mors Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum ipſe patiatur, & moriatur pro nobis? Igitur gloriari nos oportet in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed heu, heu audi iterum clamantem Jeſum, & dicentem. Longe feciſti notos meos a me, poſuerunt me abominationem ſibi. Elongaſti a me amicum, & proximum, & notos meos a miſeria. Qui videbant me foras, fugerunt a me. Periit fuga a me, & non eſt qui requirat animam meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur, & non inveni. Nolite fratres chariſſimi, nolite fugere, nolite crucifixum in medio latronum ſolum relinquere. Redite obſecro, & eamus, & moriamur cum illo. Omnes fugerunt, ſola Domina Mater remanſit cum eo. Eamus cum Joanne, & aſſociemus Dominam noſtram, & flemus juxta crucem cum ea. Si enim Maria Cleophe, &

Marginalia: Gal. 6. — Pſalm. 117 — Pſalm. 87 — Ibidem. — Pſal. 30 — Pſal. 141 — Pſal. 68 — Ibidem. Section letters: A, B, C.

& Maria Magdalene aſſociantur Virgini Matri, bene poſſumus nos aſſociare Matri, & Diſcipulo. Credo firmiter, quod cum Joanne dicetur nobis: Ecce Mater veſtra de Domina noſtra, & ei dicetur: Ecce filii tui. Simus chariſſimi cum Matre, ſi volumus Filium cum Matre lucrari. Non enim poteſt unus ſine altero impetrari. Aſcendamus cum eis in palmam, & apprehendamus fructum ejus: nam in ea cor *Virginis cum* Filio pendet. Nullus ſe excuſet in quocumque ſit ſtatu, quia nullus eſt, qui non inveniat in hac arbore ſuaviſſimum fructum, & ſufficientiſſimum nutrimentum. Nam ſi peccator es illam acerbiſſimam, & ignominioſam paſſionem conſidera ad deteſtandum peccatum, & horrendum, quia ipſe pro peccatis noſtris mortuus eſt. Si incipiens, & pœnitens, es conſidera illam paſſionem ad exemplum pœnitentiæ, & ſatisfactionem habendam. Si es proficiens, conſidera illam paſſionem ad ejus effectus rimandum, & ruminandum, in quo multum proficit homo. Si es perfectus, conſidera illam paſſionem ad Chriſto, & Matri ejus intime compatiendum, & totum te in illam paſſionem transformandum. Si tu es in juſtitia conſummatus, conſidera illam paſſionem ad Dei dilectionem, & dignationem erga nos admirandum. Nullus ergo ſe excuſet, quin hic inveniat ſuum pabulum, quin hic inveniat portum, domicilium, & centrum ſuum. Hos igitur quinque ſtatus, quinque Domini noſtri plagas cum æſtuanti deſiderio apprehendite in curam, & ſolicitudinem continuam cordis veſtri. Quod nobis concedat Jeſus Chriſtus crucifixus benedictus in ſæcula. Amen.

Digitized by Google

STIMULI AMORIS PARS SECUNDA.

CAPITA HUJUS SECUNDÆ PARTIS.

Qualiter homo poſſit amplius proficere, & magis Deo placere. Cap. I.
Qualiter homo ad amorem Dei ſe debet excitare, & quantum poteſt cor ſuum unire, vel ignire. Cap. II.
Qualiter homo debet Deo libenter dare cor ſuum. Cap. III.
Qualiter homo ordinet cogitationes ſuas, ita quod Deum habeat ſemper in corde. Cap. IV.
Qualiter homo ad operandum plus in Deo ferveat. Cap. V.
Qualiter homo ſe perfecte odiat ut Deum perfecte diligat. Cap. VI.
Qualiter homo debet in omni actione frui contemplatione. Cap. VII.
Quoddam delectabile, & allectivum Cap. VIII.
Quod ſit homo bene ordinatus in cogitatione, locutione, & operatione. Cap. IX.
De ordine ad proximum. Cap. X.
Qualiter zelator animarum ſe ordinare, & habere debet. Cap. XI
Quod anima debet affici tantum amore Chriſti terrenorum vilitate contempta. Cap. XII.
Deſcriptio beatitudinis. Cap. XIII.
Oratio valde devota. Cap. XIV.
Quædam notabilia. Cap. XV.
Quædam alia notabilia. Cap. XVI.
Qualiter ſe debeat habere Sacerdos cum ad corpus Chriſti venit. Cap. XVII.
Petitio ad excitandum in amorem dulciſſimi JESU Cap. XVIII.

CAPUT I.

Qualiter homo poſſit amplius proficere, & magis Deo placere.

UT homo poſſit amplius proficere, & magis Deo placere, iſta decem quæ ſequuntur in ſe ſtudeat habere.

Primo ſtudeat, qualiter poſſit vel quantum poteſt ſe viliſſimum reputare, & indignum omni beneficio Dei. Sibi diſpliceat, ſoli Deo placere cupiat. Ab aliis velit vilis, non humilis reputari. Et ex hoc ſummam Dei clementiam recognoſcat, quod cum ſtercus ſit viliſſimum, in omnibus infideliſſimum ad immenſæ majeſtatis injuriam tam promptiſſimum, dignatur in ſervum ſibi aſſumere, & quod a majus eſt adoptare in filium. Non enim reputes magnum, quod Deo ſervis, ſed reputa maximum, quod ipſe dignatur habere ſic inſufficientem & miſerum ſervum.

Secundo, ut de nihilo, niſi de peccato, vel ad peccatum inducente, & a bono retrahente doleat, immo de quacumque tribulatione, injuria, & afflictione gaudeat. Inferentes intime diligat, ſpecialem orationem pro eis faciat Deo: inde copioſas laudes referat, & ad regratiandum ei de tanto beneficio inſufficientem ſe recognoſcat: quia quem diligit Deus corripit; & caſtigat, & ipſæ tribulationes ad Deum nos ire compellunt. Prov. 3

Tertio, ut paupertatem & omnem penuriam propter Chriſtum diligat, de temporalibus niſi ſtricte ad neceſſita-

ſitatem ſuam non requirat, aut quocumque modo appetat: ſed Chriſto capiti in paupertate, & in omnis conſolationis corporalis dejectione ſe ſtudeat conformare. Et hoc debet maximum reputare, quod Rex regum, & Dominus dominantium Chriſtus ſic ſervum viliſſimum ſuis dignatur induere ornamentis vel veſtimentis, & ſibi lutum fœtidiſſimum ſimilare. Ideoque quanto videt ſe ditiorem, & in pluribus corporis conſolationibus abundare, tanto debet intimius, & profundius contriſtari cernens ſe eo magis a Chriſto ſimilitudine elongatum.

Quarto, ut in bonis, & in indifferentibus alterius potius quam ſuam ſtudeat adimplere voluntatem, immo ſemper ſuam in exterioribus actibus ſtudeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere. Et ſi hoc circa omnes facere debeat, ſuorum tamen ſuperiorum debet præcipue obedire beneplacitis, & totis viribus, & viſceribus amplexari, quæcumque dixerint honeſta eſſe, aut velle fieri. Si ergo aliqua intimaverint, debet pro poſſe ſuo cum magno *deſiderio effectui* mancipare.

Quinto, ut nullum quantumcumcumque miſerum deſpiciat: ſed potius erga omnes materno moveatur affectu, & ſic omnibus intime compatiatur, ſicut mater unico filio ſuo prædilecto: omnes eorum miſerias reputet eſſe ſuas: & ſicut ſibimetipſi debet omnibus, ſi tamen poteſt, ſubvenire. Et quamvis erga omnes in compatiendo, & miniſtrando debeat maternaliter ſe habere, debet tamen omnes tamquam patres, & dominos revereri.

Sexto, ut nullum judicet de peccato, cum ignoret quid divina gratia in anima operetur. Sed ſi aliquem per ſigna aliqua manifeſta compererit peccatorem, plus de peccato doleat, quam ſi vulnus proprio corpori millies inferretur. Recogitet etiam quod pretioſior eſt anima, quæ ſic lethaliter vulneratur, quam omnia corpora univerſi, ſcilicet tam hominum, quam cœlorum inquantum corpora. Et ideo ſicut corpus meum amare vel cuſtodire vellem: ſic immo multo magis deberem proximum cum omni diligentia cuſtodire, & a peccato retrahere oratione, exhortatione, & exemplo.

Septimo, ut bonum proximi ſicut ſuum diligat, & ſicut mater in bonis filii jucundatur, ſic in bonis omnium viventium debent jucundari & maxime de his quæ ſpiritualia ſunt & ad ſpiritualia inductiva, & ſic ac ſi ſua eſſent, debet aliorum bona procurare, & procurata ſolicite promovere, & ſemper debet plura, & majora, de proximo credere, quam valeat intueri, debet nihilominus de bonis temporalibus proximi non modicum congaudere.

Octavo, ut nihil præter Deum diligat, ſed pure propter Deum, ut in omnibus ſolus Deus ſinceriter diligatur ſine ſocio: nec alliciat quantacumque ſanctitas alicujus, aut beneficiorum immenſitas: nec aliquem diligat amore ſingulari, ſed amore communi, ut ſcilicet charitate omnes in Deum referens magis diligat meliorem. Poteſt tamen beneficia pro beneficiis rependere, & pro benefactoribus, & propinquis, & præcipue parentibus orationem Deo ad ſalutem animarum effundere ſpecialem.

Nono, ut quidquid faciat, & quibuſcumque negotiis implicetur, Deum tamen ſemper actu in corde habeat, & nihil aliud quam honorem ſuum in omnibus actualiter, ſeu habitualiter intendat: ac ad hoc præcipue nitatur, ut ſic ſemper præſentem Deum intelligat, ac ſi ipſum qui ubique eſt præſens in ſua videret ſubſtantia, & eſſentia, ſicque eum timeat, & revereatur, & immenſo amore in ipſum feratur, eoque prout poteſt, in via fruatur, & in ipſo, & non in alio requieſcat.

Decimo, ut ſi prædicta aſſequi poteſt, eſſe magna Dei beneficia recognoſcat. Debet tamen, & ceterorum bene-

Digitized by Google

beneficiorum innumerabilium ſecundum quod poteſt reminiſci, & præcipue quod ſua eum voluit imagine inſigniri, ejuſque naturam aſſumere, & ſe pro ipſo morti tradere, in via ſibi in cibum, in gloria, in præmium tribuere ſemetipſum. Et quia nondum aſſecutus eſt eum in præmium, tandem in via aſpiciat eum in patibulo ſicque ſibi compatiatur, ac ſi omnia ejus vulnera in ſuo corde ſuſtineret. Et de hoc præcipue dolere debet, quod toto videt fruſtrari beneficio tam immenſo. Cernat eum denique in altari exhibitum ſibi in cibum, & potum omnis ſaporis ſuavitatem habentem, & in ipſo toto affectu delectatus clamet, & dicat.

Oratio. Domine Jeſu Chriſte, qui es panis vitæ, ita me de te ſatiare dignare, ut nihil præter te eſuriam, ita me de te inebriare digneris, ut nihil præter te ſitiam. Tene Domine mentem meam, ne interveniente umbra terræ, a te vero ſole juſtitiæ ſeparetur.

Matri autem Chriſti omnem quam poterit reverentiam exhibeat, & dicat.

Oratio. Dilectiſſime Domine Jeſu dignare me infirmum peccatorem Matri tuæ reverentiam debitam exhibere. Et tu clementiſſima Domina impetra mihi ut ſuæ, & tuæ ſemper deditus ſim ſervituti, & tibi omni tempore obſequar pura mente, & corde, & corpore devotis continue tuæ benignitati aſſiſtam. Amen.

Caput II.

Qualiter homo ad amorem Dei ſe debet excitare, & quantum poteſt cor ſuum unire, vel ignire.

QUia cor contemplantis non ceſſat, ſive ceſſare non debet inveſtigare, quomodo ſui creatoris amore amplius inardeſcat, propoſui balbutiens ad hoc inducere aliquod inductivum.

Primum ergo agnoſce, o homo quod A nihil eſt, quod ad ejus amorem tantum te inflammet, ſicut beneficiorum ejus immenſa donatio. Hoc enim ipſo, quod ipſum ad largiendum tibi ineffabilia liberum vel liberalem recogitas, ipſum te diligere nimium recogitare convinceris. Quid eſt hodie, quod magis incitet, vel excitet ad amorem, quam diligi, & amari? Hoc enim faciunt, quantumcumque crudeles homines, quia diligentes ſe diligunt, quamvis hoc erga ſuum Creatorem inſtigante antiquo ſerpente negligant adimplere. Cogita quidquid velis, & inde creatorem tuum habebis non modicam materiam diligendi. Accede ergo ad ipſum per hunc B modum. Debes non ficte, ſed veraciter recogitare te aſſiſtere coram Domino tuo. Ita enim eſt, ubi es, ſicut eſt in cœlo empyreo: & te eſſe ſuum, & non tuum cogita, & non dubites, quod ab eo quidquid ad ſalutem pertinet non ad tuum damnum petieris, impetrabis. Hæc certe omnia ſunt incentiva amoris. Quomodo diligis eum, cujus es, & qui paratus eſt omnia tibi dare? Nonne multum diligis eum qui aliquid tibi tribuit? Nonne ergo magis eum diligis, qui omnia, immo etiam tibi tribuit ſemetipſum? Si ergo te diligis, quomodo ipſum, qui te fecit, non diligis? Tu te deſtruxiſti, & adhuc deC ſtruis, & te amas: & ipſum, qui te conſtruit & reſtruxit, & conſervat non amas? Dic ergo Domino, Domine creatura tua ſum, & mihi teipſum negare non potes. Sed antequam procedas, hæc quæ dixiſti, meditare, & inflammare amore. Quis enim amplius ſe continere poteſt, quin ſtatim omnibus oblitis in Deum ſe totum proiiciat non per partes, dum cogitat Dominum ſuum ſummum bonum, delicias Angelorum, præmium beatorum, homini infirmo, & corruptibili, cujus miſeriam nemo poſſet exprimere, ſemetipſum negare non poſſe, & quantumcumque ſit infirmus, ſeu miſerrimus & peccator, ſi ad ipſum ſe converterit, & ab ipſo petierit, obtinebit, & hæc nos deſiderat petere

Prov. 8

Digitized by Google

re & largiri, cum dicit: Petite, A & accipietis? Neſcio quid amplius laboramus, cur quotidie nos affligimus circa nihil, cum poſſidere Creatorem omnium valeamus. Quid ergò amplius laboramus, & quærimus? Si enim omne bonum ſic leviter habere valeo, cur nitar plena miſeriis poſſidere? O Domine Deus meus, quid tibi niſi injuriam facimus, quod te nobis tribuis ſic libenter? Si te habeamus, nihil tibi confert, & tamen ſic nos diligis, quod te nobiſcum eſſe delicias tuas dicis. Quare nos tantum diligis, ut libentius teipſum nobis tribuas, quam aliquid aliud quod petamus? Et certe nec ego volo, de cetero aliud poſſidere, ex quo debita petitione valeo poſſidere Deum meum. Ornabo me monilibus, & ipſum introducam in thalamum cordis mei, & ibi ſecum de cetero requieſcam. Bene ſcio, quod nihil aliud petit, & quærit ipſe: animam meam viſitare & intrare deſiderat, & diu eſt, quod pulſavit, doleo tamen quod tantum, & tamdiu carui tanto bono. Dic ergo ei: Scio, quod pluſquam ego me diligis, de me igitur amplius non curabo, ſed ſolum tuis deliciis inhærebo, & tu mei curam habebo. Non poſſum intendere mihi & tibi. Et ideo permutatim tu intende mihi, & meæ infirmitati, ut ipſam ſubleves: & ego intendam tuæ bonitati, C ut in ipſa delecter. Et quamvis ego tecum lucrer nimis, & tu mecum nihil, ſcio tamen quod libentius mecum es, & me conſervas & promoves, quam ego tecum, ut tua perfruar bonitate. Unde hoc? Certe niſi quod ego me odi, & tu me diligis. Si autem Domine vellem diſcurrere per omnia tuæ dilectionis ſigna, deficerem: quia nec bona naturæ, nec bona fortunæ, nec bona gratiæ, nec bona gloriæ, ſi hominum, & Angelorum linguis loquerer exprimere poſſem: Et ideo his tacitis in tuum Filium Pater æterne reſpirabo. O quanta fuit erga hominem Deus meus tua dilectio, qui eum tantum dilexiſti, ut velles hominem eſſe Deum, & Deum hominem appellari. Quid dicam de ſexu fragili? Ipſum tuum Filium de ipſo naſci voluiſti, & qui erat tuus unigenitus & proprius, voluiſti Filium Virginis nominari & eſſe. Multum quidem Domine ſecundum utrumque ſexum exaltaſti genus humanum, qui tibi æqualem Filium voluiſti hominem eſſe, & filium mulieris. Non hoc dilectionis ſignum voluiſti circa Angelos demonſtrare. Non enim Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. *Hebr. 2* Mirum eſt certe quomodo pro tuo amore corda fidelium vel filiorum hominum non ſcinduntur. Quid habuit Deus aliud facere, quam cum peccavimus in infernum profundum B nos deiicere, & aliam nobiliorem creaturam, ſi voluiſſet, in inſtanti creare? Quanta fuit iſta Dei dilectio, quod poſt lapſum dignatus eſt, nos quærere tam benigne & poſt ejus offenſam nos amplius, quam prius exaltare. Quid fuit iſtud? Numquid exaltationem meruit culpa noſtra? Certe non, ſed ne a te fugeremus amplius humanam naturam tibi inſeparabiliter unire voluiſti. Mira videtur tua dilectio Deus meus, qui te odientes diligis, & exaltas. Si ergo nos, qui nihil ſumus, tantum diligis, qui es ſummus, quomodo nos miſeri te non diligimus, qui es omne bonum? O cor meditantis quomodo in tam excellenti dilectionis affectu non deficis præ amore! Quid in hoc Deus voluit, niſi ut ſuo nos inebriaret amore? Quanta eſt hæc Creatoris noſtri dignatio, quod nos tantum deſiderat ſibi per dilectionis vinculum colligari. Quomodo poteſt cor hominis aliud cogitare? Ut ſic ergo nos exaltares Deus noſter, voluiſti parvulus naſci: ut nos beſtiales per peccatum cœleſtes faceres, voluiſti inter beſtias in præſepio collocari. O mira bonitatis divinæ diffuſio! o deteſtabilis noſtrorum excæcatio oculorum! o glacies, non cor, cur non liqueſcis ad hunc calorem? Heu mihi, neſcio per quam viam Deus amplius non requirat, ex quo

Digitized by Google

per hanc nos non habet. Sed quid dicam? Chriſtus, qui eſt receptaculum expulſorum voluit fugere in Ægyptum. Numquid Domine Jeſu, qui ubique eras, fugere indigebas? Non certe, quia omnes inimicos tuos in tua poteſtate tenebas. Sed hoc facere voluiſti, ut pro me patiens tuum mihi manifeſtares amorem, & ad te fugerem perſecutus. O Deus meus bene video, quia totus es meus, & me vis totaliter poſſidere. Sed quid plura? Taceo vitæ tuæ proceſſum, qui totus es dilectione plenus, & venio ad alapas, & conſputa.

Certe hoc dilectionis ſignum cor hominis non ſufficit cogitare, Si enim nihil amplius mihi umquam feciſſes, nec etiam facturus eſſes, niſi quod Deus æternus in mea natura ſuſtinere voluiſti hæc opprobria, deberem totaliter tuo igniri amore. Quid enim gratius Deo, & quid vilius peccatore? Et tamen tu Deus pro peccatoribus voluiſti a peccatoribus conſpui, & illudi. O Deus meus, quid fuit iſtud, quoniam a creatura tua, quam in momento delere poteras, ſic vilia toleraſti, & dicentibus te eſſe demoniacum benigne reſpondebas! O ſumma tuæ manifeſtatio charitatis, qui talia pro nobis a dæmoniacis audiebas! Quid tibi tantum curæ erat de nobis, quod te omni opprobrio ſupponebas? Sed tua nimia dilectione hoc ſuſtinere voluiſti placide: O cor pluſquam lapideum, o cor non cor, cur non accenderis ex amore? Lapis calore ſolutus in æs vertitur, (Job 28.) & tu ad tantum calorem immutabilis perſeveras. Utinam ergo lapideum eſſes, non carneum. Et quid vero mirabilius, quam caro cordis lapide durior, & inſenſibilior invenitur? Sed nonne dicit Dominus, quod auferet a nobis cor lapideum, & dabit nobis cor carneum? (Ezech. 11.) Immo ex quo lapis citius immutatur, quam cor carneum, det lapideum cor, carneum auferendo. (1 Cor. 6.) Ad verecundiam noſtram dico: O cor nequiſſimum! o cor immaniſſimum, o cor infideliſſimum, cur te ſic odis? cur te ſic laceras, &

A conſumis? cur te ſic fortiter diligentem non diligis? O cor crudeliſſimum, cor mortem pluſquam vitam diligis? cur te quærentem non recipis? O lapides, & creaturæ inſenſibiles, flectite veſaniam cordis mei. Certe Domine Jeſu etiamſi me odires ex quo Deus meus es, & refugium meum, ſolus protector & gubernator meus te diligere deberem, quanto magis cum me tantum diligas, & me ſequaris tuis beneficiis fugientem. Nam tantum me diligis, ut te pro me odire videaris. Nonne tu judex omnium voluiſti pro me judicari, & mortem turpiſſimam & graviſſimam ſuſtinere? O Deus meus quid mihi

B amplius facere debuiſti? Certe ſi hoc mihi feciſſet minimus ruſticus, ipſum deberem diligere in æternum, & ego non te diligam Deum meum? Non dico, quod ſanguinis effuſio, quæ tota fuit plena charitate, ſed plane ſolus tuus aſpectus me inebriare deberet, quanto magis ergo paſſio tua graviſſima, & ignominia plena? Certe me totum voluiſti, qui mihi te totum tribuiſti. Et quis requirebat hoc de manu tua Domine mi? Cur tibi curæ fuit de tam viliſſima creatura? Certe nihil aliud niſi tua maxima bonitas, & immenſa dilectio hoc exigit. Nam ſi nos redimere volebas, aliter facere potuiſti: ſed ſic facere dignatus es, ut nos tuo amplius inflamma-

C res amore. O amor & deſiderium cordis, o dulcedo, & ſuavitas mentis, o ardor, & inflammatio pectoris, o lux, & claritas oculorum, o aurium pulchra ſymphonia, o hoſtia Deo patri odorifera, o melliflua guſtatio fluxus ſanguinis, o amantiſſima palpatio lateris, o anima mea, o vita mea, o viſcera cordis mei, o medulla oſſium, vegetatio carnium, ſenſificatio organorum, intellectus, inſpiratio, & exultatio mea. Cur ergo non ſum converſus totus in tuum amorem? Quare aliquid eſt in me niſi amor? Quomodo poſſum aliquid aliud cogitare vel meditari? Et quid amore tuo dulcius? Quid amplius cupio? Cur ergo non ſolum illo illaqueatus, &

captus?

Digitized by Google

captus? Undique circumdat me amor tuus, & neſcio quid ſit amor. Sed heu mihi cur ſic inſenſibilis maneo ſine cauſa? Cur vanitas pluſquam tu, qui es veritas, me allexit, & allicit? Cur iniquitas pluſquam Salvatoris mei benignitas me attraxit? Cur ſtercorum odium pluſquam mei Creatoris, & Redemptoris amorem nimium adamavi? O quantum dilexiſti hominem Deus meus! Non ſolum in Cruce pro *ipſo pati voluiſti*, ſed etiam apud inferos ipſum viſitaſti, & tecum ad ſupernos reduxiſti. Nonne potuiſti Domine Jeſu pro ipſo mittere aliquem Angelorum, niſi ipſum extraheres per teipſum? Cur vis hominem ubique ſociare? Cur in omni loco vis cum homine habitare? Quid habet niſi vilia & mala ipſe homo? Cur ipſum diligis ſic immenſe? Poſtquam etiam ſurrexiſti, voluiſti adhuc quadraginta diebus homini apparere, ſed & cum glorificatus eſſes, veſci voluiſti, pacem donaſti, & te ei palpabilem tribuiſti. Sed Domine Jeſu nonne ſufficiebat homini, quod pro ipſo fueras Crucifixus, niſi ipſum de inferni profundo, & infimo lacu extraheres? Videtur quod tantum hominem dilexeris, ut ab ipſo nolueris abſtinere. An ignorabas, quod de tam excellenti paſſionis beneficio fueramus ingrati? Etiam quos ſpeciales habueras increduli extiterunt. Quomodo ergo nos potuiſti amplius intueri? O quam mirabilis eſt tua dilectio dulciſſime Domine Jeſu, cum non poſſis ab hominibus ſeparari. Nonne qui aſcenſurus eras ad dexteram Patris tui, poteſtatem homini dimiſiſti, ut te, cum velit habeat in altari, hanc poteſtatem & antequam mori inciperes dimiſiſti, ne amittere te timeret. Sed cur hoc facere voluiſti cum miſſurus eſſes Spiritum Sanctum? Cur ſemper cum homine vis morari? Sed tuo corpori incorporare nos totaliter voluiſti, & tuo nos potare ſanguine, ut ſic tuo inebriati amore tecum unum cor, & unam animam haberemus. Quid enim aliud eſt, tuum ſanguinem bibere, qui ſedes eſt animæ,
A quam noſtram animam tuæ animæ inſeparabiliter colligari. Hoc eſt certe, quod vis, hoc certe eſt, quod deſideras Deus meus, hoc eſt Redemptor, & Domine mi, quod tanto tempore procuraſti. Pro hoc enim ab infantia tua laboraſti. Hoc nobis concedas, qui in æternum vivis, &c.

CAPUT III.

Qualiter homo debet libenter Deo dare cor ſuum.

O Domine mi Jeſu, & tu te mihi dediſti, & a me cor meum petis, ſed quantum eſt hoc Domine mi, qui ita excellens es? Si enim
B haberem cor unum, quod ſolum majus eſſet, quam ſi ſimul eſſent omnia corda filiorum hominum, & omnes Angelorum effectus, & ut moraliter loquar, majus eſſet, & quod plura ſpiritualia, & corporalia ſimul actu contineret, vel continere poſſet, quam cœlum empyreum, ipſum totum & totaliter tibi tribuere deberem, & adhuc tanto Domino munuſculum parvum, immo quaſi nihil eſſet: quanto magis ego illam parvam ſcintillam cordis, quam habeo, tibi dabo & totaliter in te ponam. Hoc enim per maximum eſt mihi, quod cor meum habere digneris. Nonne ergo ſtultus eſſem, ſi illud applicarem de cetero
C alicui creaturæ, cum Deus meus illud velit habere? Et jam in meipſo nolo, quod remaneat amodo, ſed volo ut totaliter requieſcat in te, qui creaſti illud ad laudandum te. Melius eſt, quod cor meum maneat in æterna jucunditate, in divina majeſtate, & immenſa bonitate, quam in mea fragilitate: in tua ſcilicet Deitate, quam in mea iniquitate. Si hoc habere contemplative cupis multum corde deſideres, & multum ore poſtules: & deſiderium animæ tuæ tribuet tibi Deus, & voluntate tua non fraudaberis, ſed mentem tuam elevans in benedictionibus dulcedinis te præveniet, tamquam corona lapidis pretioſi ſemetipſo mentem tuam circumdabit. Nullus enim poteſt perfecte

Digitized by Google

invenire Deum, qui ſe perfecte non odit.

Caput IV.

Qualiter homo ordinet cogitationes ſuas ad Deum, ita quod Deum ſemper habeat in corde.

O Homo vis cognoſcere, quomodo ad Deum tuum dirigas cogitatum? Semper cogitare debes te eſſe in præſentia Dei tui, & ipſum ſemper habeas in tuo cogitatu. Super Chriſtum autem pro te graviſſime vulneratum, quaſi ſemper dirigas cogitatum, & quod ipſe ſit Deus tuus, pro te talia paſſus eſt, cogitabis. Sæpe etiam ad Matrem Chriſti reverenter, quæ eſt multorum ſolatium, feſtinabis, & quotieſcumque ad ipſam tuum diriges cogitatum, ipſam cogita Matrem Dei, ut ſic quocumque dirigas cogitatum, Deum tuum ſemper habeas in corde, & ſemper coram ipſo exiſtens, ſuamque admirans magnitudinem, & tuam miſericordiam recognoſcens, quantum poteris, reſilies in teipſum admirans non modicum, quod dignatur rem tam fœtidam coram ſuis oculis præſentare, & te ad momentum petitur in ſua præſentia commorari. Hæc ſic faciens de hoc dono, & de omnibus aliis referas Deo gratias. Et quod etiam ei regratiari poſſis, recogita magnum donum. Et hoc donum ſcilicet quod in præſentia ſua valeas commorari ſemper, & alia, quæ tibi conceſſerit Dominus debes cum omni vigilantia cuſtodire ſemper, cum magna aviditate inhians ad majora. Et ſi propter tuam miſeriam aut aliquam occupationem exteriorem, cogitatum tuum a ſua præſentia abſentari perpenderis, vel reſpicis impeditum cum magna anxietate reverti ſtudeas, ubi eras, ſcilicet ad præſentiam Dei. Et hoc faciens qualiter proceſſum habere debeas, cito te docebit. Hoc tamen pro certo in te habeas, quod quidquid ſit de aliis, ſemper debes te ad nihilum redigere, quantum potes & omnium pec- A catorum te infimum reputare, & tam pro te, quam pro aliis a Deo tuo tibi præſente cum omni humilitate veniam poſtulare, & tuam conſiderationem ſuper hoc diligere poteris per hunc modum. Numquam conſiderare vel cogitare debes, quod alii peccatores taliter a Deo ſint elongati: quin ipſi ſæpe, & ſi non ſemper, ad Dominum ſe convertant in corde, & quin Dominum ſuum tunc intimius recogitent, quantum & clarius recognoſcant, & quin reverentia majori coram ipſo aſſiſtant, & majorem ſuorum habeant confuſionem pecatorum & humilius ſe ei præſentent; quin etiam majori, & ardentiori moveatur B affectu in præſentia tanti boni. Et ſi hoc pleno corde non poteris cogitare, hoc ipſo deberes te ſuperbiſſimum reputare. Nec de congruo deberes huic tuæ ſuperbiæ præponderare conſcientias aliorum. Nullum etiam quantumcumque publicum peccatorem judices, vel contemnas, quia neſcis finem ejus. Potens eſt enim Deus juſtificare impium, & malignum. Te ergo, & non alios judices in hoc mundo: quod ſi facere non potes, debes tunc firmiter præſumere, quod ſuperbia ſit illud vitium, in quo ceteros ſingulariter tu excedis, ex qua non potes tuam aſpicere pravitatem. Et certe ſi hoc eſt verum, ſatis potes te infimum omnium reputare. Sed forſan C tua ſuperba cogitatio dicet tibi. Quomodo hoc de infidelibus cogitare poſſum, ſcilicet quod ſim eis infimus, qui nec Deum etiam cognoſcunt? Sed audi cæca ſuperbia. An ignoras, quod ſi Deum recognoſcis, ipſumque te redemiſſe credis ſuo ſanguine pretioſo, & contra eum elevaris in ſuperbiam, quod gravius peccas, quam ſi hæc omnia ignoraſses? Nonne ubi cum peccato major eſt cognitio, major eſt contemptus? Et nonne ubi major eſt contemptus, majus eſt peccatum? Nullum ergo excipias, o inſania, ſed pleno corde te humilians tuam miſeriam recognoſce. Et ſi tibi tunc ſubrepat cogitatio. Ergo tu a Deo reprobatus: hanc quamcitius exclu-

Digitized by Google

excludere debes, nec permittere aliquo modo tecum commorari. Timere tamen debes non modicum, & altiſſimi Dei ſuperextollere pietatem, & confidere in Chriſti vulneribus, & in clementia Matris ejus. Immenſa eſt enim miſericordia Dei noſtri. Et ſi eſſent in te ſolo omnia peccata, quæ umquam facta ſunt, vel etiam poſſent de cetero perpetrari, in infinitum ſuperexcellit ejus miſericordia, et tibi hæc omnia, ſi ad ſe recurreres propter ſuam pietatem largiſſimam condonaret. Si etiam tunc tibi ſubrepat cogitatio, utrum ſis in charitate an non, timere procul dubio debes: ſed cave ne determinate in partem aliquam inclineris, fideliter tamen age, & de divina miſericordia ſemper ſpera. Si enim hoc egeris, & tui conſideratione reputaveris teipſum peccatorem nocte undique obrutum, ac de tanta tenebroſitate intenſe dolens ad fontem pietatis humiliter converteris mentem tuam, orietur in tenebris illis lux tua, & elevaberis Dei noſtri dulciſſima pietate ad cœleſtia contemplanda, & ibi deliciis abundabis, & dices cum Propheta: Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quod nobis præſtare dignetur, &c.

Pſal. 138

Caput V.

Qualiter homo opere mundo vel ad operandum plus in Deo ferveat.

SI attenderes o homo, qualiter Deus ad imaginem ſuam te creare, & formare voluit, & pro te tot, & tam nobiles creaturas condidit, & tuam aſſumens naturam tam chare te redemit, & non ſolum ut ipſum habeas in cibum in præſenti, ſed etiam ſeipſum in futurum tibi in præmium repromiſit, nunc naturam conſervat, gratiamque infundit, & hæc omnia ad ſuum facit honorem. Si etiam in ipſum tenderes, ut deberes, & ejus honorem appeteres, ut quaſi tui oblitus pro nihilo te ſupponeres, quidquid honoris conſolationis, aut tribulationis ſive

A injuriæ tibi contingeret, ac ſi nihil accideret, reputares, totum in laudem & gloriam referens Creatoris. Et quantumcumque, & quandocumque aliquid faceres ad Dei honorem, animæque ſalutem, utrum difficile eſſet, non judicare deberes, ſed cum impetu mentis immo amore ferventi deberes ſtudere effectui mancipare. Si enim bene Creatoris tui eſſes ſuccenſus amore, o homo, nihil pro ipſo injurioſum, nihil difficile reputares, omnia tibi levia, amabilia, omnia dulcia, & ſuavia apparerent, & tam libenter hæc omnia adimpleres & cum omnia perfeciſſes, te tamen quaſi nihil pro ipſo feciſſe crederes,

B immo potius defeciſſe: teque ex hoc tantum exoſum haberes, ut teipſum vix poſſes aliquatenus tolerare, & cogitares ſolicite quomodo poſſes majora facere, aut ſaltem perfectius eadem adimplere, proponereſque in corde tuo de factis & defectibus tuis graviter flagellari. Nam erubeſceres non modicum & doleres tam altiſſimo Domino tuo ſic miſerrime miniſtrare. Quid plura dicam? Quanto plus proficeres, tanto plus te deficere cogitares, & amplius erubeſceres, & doleres, & majori ſuccenſus ardore ſemper majora reincipere conareris. Numquam enim de his, quæ ad honorem Dei cerneres, tuus poſſet

C refici appetitus. Semper enim famelicus appareres. O mirabilis calor amoris, qui ſic cito digeri omne moleſtum facis, ac tandem convertis in præmium ſine fine. Non dubito, quin tunc nimio fervore ebulliret cor tuum ſummum, quod haberes exoſum, & quidquid ad momentum te ſubtraheret a ſervitio Dei tui. Semper tamen videreris tibi ad ſerviendum Deo tuo piger, aliique ſervi Dei reſpectu tui viderentur tibi promptiſſimi, & ferventiſſimi apparerent, & eorum pronitas, ſeu promptitas tibi eſſent in magnum gaudium, ſed tua pigritia in mœrorem verteretur. Accede ergo ad cor altum, & in tuis actibus exaltabitur Deus tuus. Si enim habueris cor infirmum & terrenum, minima

ma ſervitia maxima reputabis, & quæ quaſi nihil erunt, tibi difficilia apparebunt, & illa, quæ pro te, aut pro uno amico tuo viliſſimo libenter faceres, pro Deo tuo altiſſimo facere gravaberis, ultra modum dulcia & amabilia reputabis, amara & amariſſima dulcia judicabis. Oculus infirmus irradiationes veri ſolis juſtitiæ abhorrebit, & ambulare in tenebris affectabit. De ſpiritualibus viris triumphabis, & te triumphari a dæmonibus ignorabis. Sed heu, & væ tibi, quia jam beſtiis non potes comparari. Utinam jumentis ſimilis factus eſſes, quæ ſubeunt onera dominorum. Non poteris de culpa alios arguere, & te tuis intimis nequitiis adimplere. Si ergo ſic ad ſerviendum Deo tuo habes manus ligatas, & pedes, non reſtat tibi, niſi ut in exteriores tenebras proiiciaris. A quo nos ipſe cuſtodiat, cujus miſericordia totus eſt plenus orbis. Amen.

CAPUT VI.

Qualiter homo ſe perfecte odiat, ut Deum perfecte diligat.

QUoniam ad dilectionem Dei habendam impedit dilectio ſui, & quanto una intenditur, altera remittitur: ideo ut perfecte poſſimus Deum diligere, debemus nos perfecte odire. Tunc autem perfecte te odis, cum appetis ab hominibus pleno corde conculcari, viliſſimum reputari, flagellari, deiici, & quaſi ad nihilum redigi, & hæc omnia reputas eſſe pauca, in tuis injuriis delectari, & in tuis tribulationibus conſolari: & non ſolum vis tibi hæc ab omnibus inferri, ſed etiam cupis eos credere, te iſtis injuriis & tribulationibus eſſe dignum. Hoc dico ideo quia multi appetunt ſuſtinere adverſa, ut in eorum tolerantia ab hominibus commendentur. Tales autem non ſe odiunt, ſed diligunt, & mercedem ſuam, proh dolor! jam recipiunt in hoc mundo. Tunc etiam perfecte te odis, quando non ſolum vis ab hominibus conculcari, ſed etiam teipſum tantum abhorres, ut vix teipſum valeas tolerare, & es tibi abominabilis nimis, & velles etiam a creaturis irrationabilibus, & inſenſibilibus impugnari: & cum aliquid propter tuam neceſſitatem, licet non contra Deum, delectabile tamen aut afflictivum recipis, contra temetipſum turbaris, ſolum Deum quæris, & omnia renuis extra ipſum. Ad hoc donum permaximum pervenire valebis, ſi confidenter & ex hoc corde ſæpe petieris hoc a Deo. Ex parte tamen tua poſſunt eſſe aliqua inductiva & diſpoſitiva ad donum iſtud.

A

Primo conſiderare debes quod natus es in peccato, & ex quo ab illo lavacro regeneratus es, & purgatus, & lotus, poſtquam uſum liberi arbitrii habuiſti, uſque ad hanc horam, quaſi continue immemor ablutionis patriæ quæ derivavit a latere Chriſti Jeſu, & divinam non timens nec reverens majeſtatem, in cujus præſentia exiſtebas, temetipſum offenderis pluſquam aliquis crudeliſſimus inimicus. Quomodo ſi hæc cogitaveris, te non odibis? Et quid odimus niſi mala contraria & nociva? Et quid pejus, quam ſe opponere ſummo bono? Quid contrarius, quam ſanguinis Chriſti evomere medicinam? Quid eſt nocivius, quam ſuæ animæ occiſio? Et tu tibi talis fuiſti etiam pluſquam valeas cogitare. Debes etiam cogitare, quod quanto ab extrinſecis amplius moleſtaris, tanto magis tibi præcluditur via, ne vageris per devia, & affectum amplifices creaturæ, ſed ut in ſolo Deo altiſſimo requieſcas. Quis ergo non odibit illius apertionem clauſuræ, unde poteſt exire a Deo? Certe tunc aperitur, cum propria tribulatio non amatur, ſed ab animo effugatur potius volendo requieſcere in ſtercore, quam in Deo. Cogita ergo, quod ſoli Deo debetur reverentia & honor, & ipſe in ſe, & in ſuis creaturis ſolus eſt diligendus. Et ideo, ſi vere Deum diligis, debes, te honorari, & diligi ab omnibus, abhorrere. Quomodo non abhorrebo mihi attribui, quod eſt Dei? Immo oppoſitum potius affecta.

B

C

Digitized by Google

feſtabo , ne ſi medium tenere vellem , incurrerem extremum. O quam utiles ſunt iſtæ afflictiones extrinſecæ! Certe per ipſas ad cognitionem miſeriæ noſtræ devenimus, & per hanc cognitionem noſtri pervenimus ad cognitionem Dei. Nam quanto quis magis eſt ſuæ vilitatis cognitor, tanto magis eſt divinæ majeſtatis inſpector. Quid ergo utilius, quam per hoc humiliari, & ad cœleſtia exaltari? *Quis ergo renuet*, ſe odire, & ab omnibus conculcari? Certe neſcio, niſi ſtultus. Si ergo times o homo, quæ ab hominibus inferuntur, quanto magis timere deberes, quæ a Deo infliguntur? Sed ſi illa times, certe iſta diliges, & amabis. Nam iſtæ afflictiones ſunt viæ ad patriam, & materia magni boni. Conſolationes vero ſunt viæ ad pœnas, & materia magni caſus. Iſtæ ſcilicet conſolationes animam interficiunt, & deturpant. Hæ autem animam lavant a maculis, & purgant a *ſcoria peccatorum*; ut ſic dealbata, & mundata videat Deum ſuum. O Deus, quis non appetit hoc habere, niſi qui non appetit te videre, aut qui non appetit ad tuam gloriam evolare? Et quomodo probabitur aliquis eſſe verus tuus amicus, niſi qui pro te adverſa voluerit ſuſtinere? Numquid vera amicitia probatur in conſolationibus, & honoribus hujus mundi? Certe ſi ſic pauci inveniuntur mali, quia pauci ſunt, & vix aliqui, qui non appetant conſolari. Sed certe illi filii tui concernuntur, quos corrigere non deſinis. Nam ſemper cum talibus commoraris. Non ergo hoc renuat, ſed diligat, niſi qui non vult tamquam ſpecialis amicus immo tamquam chariſſimus filius cum Domino habitare. Et hæc nos ſemper ſtimulant, & faciunt currere ad majora, faciuntque conſcendere ad montana, & ad cœleſtia contemplanda. Hæc ſunt certe, quæ ceteris patientibus membris compati inſtruunt. Quomodo enim proximo, iniurias, paſſiones, & damna patienti compatiar, qui ea numquam probavi? Propterea dicit Apoſtolus (Hebr. 4) ad Hebræos: Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. Et hoc eſt, quia in ſuo corpore fuit eas expertus ſicut ibidem innuit. Nam languores noſtros (Iſa. 13) ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et nunc ſi aliis non compatimur, quomodo cum iſto conregnabimus? aut ſi membra mortua & inſenſibilia ſumus, quid reſtat niſi ut de corpore excidamur? aut dicito mihi, quomodo tuo capiti, Chriſto pro te mortuo ſcies compati, qui non pateris? aut ſi Chriſto non compateris, quomodo poteris ſibi conformari? Sed certe ſi nihil aliud te moveret hoc ſolum deberet te facere avidum paſſionum. Quid pejus, aut magis mortiferum, aut peſtiferum, quam paſſionibus Chriſti non compati, aut tanti beneficii ingratus exiſtere? aut quid fructuoſius, aut ſuavius, quam illius paſſionis ex corde compaſſionem plenam gerere? Quod bene nullus poteſt facere, niſi qui injurias paſſus, vel exprertus eſt. Aut dic mihi, quid nobilius eſt, quam aſſimilari Filio Dei? Quomodo ſi nunc ei diſſimiles fuerimus per conſolationes & honores, erimus ſibi confratres in regno Dei? Minime: Quid enim abominabilius, quam videre pro me viliſſimo ſtercore, Dei Filium in aſſumpta humanitate injurias, & opprobria ſuſtinere, mortem turpiſſimam & graviſſimam tolerare, & ego velim ab hominibus honorari, & deliciis affluere? O homo, ſtercus, & pluſquam ſtercus pro injuria quam ſibi feceras, ipſe ſemetipſum ad talia judicavit, ipſe ſcilicet actor, & judex ſuper ſe reflexit judicium amariſſimum, & tu adhuc coram eo, qui ſibi injuriaris, vis pertranſire immunis? Saltem coram oculis ſic pro te afflicti prætende mœrorem, & corde te offer ad conſimilia patienda, & certe non dubites, quod ex quo eſt ſufficienter punitus, ſi hoc iterum ſuſtinere volueris, & toto appetieris corde, non ſuſtinebis hoc: quia non vult, ut pro eadem injuria bis paſſio inferatur. Sed quod cre-

credis injurias eſſe, in honorem convertet, & quod credis tribulationem eſſe, in conſolationibus mutari videbis, & ubi credis eſſe damnum, reperies fructum multum. Et quanto injuria major, tanto honorabilior eris: & quanto tribulatio & afflictio intenſior, tanto magis conſolaberis: & ſi omnia propter ipſum amiſeris, certe ipſum, qui eſt omnia, poſſidebis. Si autem honorem appetieris, deprimeris: ſi conſolationes, tribulaberis: ſi temporalia, pauper eris. Qui enim aliud præter Deum appetierit, ſe affliget: immo etiam ſi ſe indebite dilexerit, ſe occidet. Si autem ſe odiens, Deum dilexerit, ipſum plenarie poſſidebit. Unde qui Deum diligit, ipſum tunc habet Deum, ita quod ſi ſolum Deum dilexit, ipſum plenarie poſſidebit. Unde quanto perfectius Deum diligit, quanto perfectius ipſum habet. O ſtultiſſimi homines, quomodo hic oculos veſtros non ponitis, ſi vultis vos, & omnia abhorrere? Certe cum videritis vos poſſidere Creatorem omnium, & mens veſtra in ipſo quieta fuerit, omnia mundanam vanitatem reputabitis, & corpora veſtra dum adhuc ſunt mortalia, tamquam ſtercora erunt vobis abominabilia, & ſicut qui auferret ſtercus vel aliquid abominabile ab oculis veſtris, ſic qui vos uſque ad mortem affligeret: & ſicut qui deteſtaretur quod abominaremini, gauderetis, ſic qui vos deteſtando injurias & opprobria vobis dixerint, & fecerint, exultabitis. Nam nihil poterit vobis evenire adverſi: quia conſolationes & honores non poterunt vos decipere, eo quod de ipſis non curatis, ſed eorum contrarium appetitis. Adverſitates etiam non poterunt vos decipere, quia ipſas affectatis, immo quanto major erit tribulatio, tanto major erit conſolatio: quia magis in hoc caſu adimplebitur deſiderium veſtrum. Non certe ſic deberet eſſe. Quis enim non deberet gaudere, ſi ſepararetur a vanitate, & conjungeretur veritati? Nonne hæc omnia ſunt vanitas? Et quid eſt veri- A tas? Nihil, niſi Deus. Et ideo omnia præter Deum, aut quæ in ipſum non tendunt, abhorrenda ſunt. Si enim ſic eſſes o homo, quod in ſolo Deo velles affici, & ſuum ſitires honorem, & te ut dictum eſt, non diligeres, ſed odires, & ab aliis appeteres conculcari, viam diabolo obſtrueres, vel obſtruxiſſes, ut ad te penitus intrare non poſſet. In hoc enim concordant Doctores, quod omnis malitiæ cauſa eſt timor vel amor; immo etiam cauſa ipſius timoris eſt amor ſui. Quomodo ergo ex timore peccare poteris, qui te deſiderabis affligi, & contemni, & ab hominibus conculcari? Et quomodo amore B tui peccare poteris, qui te perfecte odis, & creatorem tuum diligis? Hæc certe ſi habueris, a fœditate ſeparaberis, & ad perfectam innocentiam, & ſanctitatis conſummationem pertinges, & qui aliquando fuiſti ſervus diaboli, eris permaximus in regno Dei. Quid ergo aſſequi iſta tardas? Quare negligimus hanc mentis perfectionem habere? Numquid hoc donum excellentiſſimum negabit nobis Deus, ſi ab ipſo illud poſtulare voluerimus? Certe non de hoc te certifico, ſicut poſſum, immo libentiſſime hoc tibi dabit. Non dico quod tibi dabit pati, quia non omnibus concedit hoc, ſed tribuet tibi velle C pati. Et forte ſi dignus fueris, etiam iſtud dabit tibi. Et ſi dicis: non poſſum tantum laborare, ut ad tantam ſanctitatem venirem, ut non ſolum Deum diligerem, & me ſuper omnia abhorrerem, & ab aliis vilipendi appeterem: & ego dico tibi, quod ad hoc non requiritur iſte labor extrinſecus, aut corporis valetudo, ſed potius ſolicitudo cordis, & corporis quies, labor cordis & quies mentis. Non requiritur dico multus labor extrinſecus, quia per illum deſtrueretur vel diſtraheretur homo interior. Labor tamen pietatis, & humilitatis ad hoc, & ad omnia utilis eſt, dum tamen quietem mentis homo cuſtodiat: nec requiritur valetudo corporis, quia repugnat vale-

tudi-

Digitized by Google

tudini ſpiritus. Requiritur autem labor cordis in ſurgendo, & totaliter ſe evellendo ab iſtis infimis, & ad cœleſtia aſcendendo. Et dum aſcenderis, requiritur quies mentis. Multum enim abhorret Deus, cum quis eum deguſtat, & ibi non quieſcit, ſed potius tamquam ſi Deus non eſſet ei ſufficiens, redit ad amplexanda ſtercora, & ſic inquinatus iterum vult Dominum amplexari; ſed hoc uni ruſtico facere non auderes: ergo ipſum Deum plus omni ruſtico vilipendimus. Et nihilominus volumus, quod in omnibus ſatisfaciat voluntati noſtræ, ſed non eſt ita. Sed ſi impetrare volueris ſine repulſa tam hoc præcellens donum, quam alia, ad ipſum reverenter conſcendas, ibique quieſcas, & ſolicite roga eum, ut amplius non te permittat redire ad vomitum. Et ſi ſic feceris, non dubito quod ab illo ſplendore æterno illuminatus tuas miſerias recognoſces, & ſuper omnia te odibis, divinam experieris bonitatem, & omnia tamquam ſtercora reputabis, & conjungeris amoris vinculo ſoli Deo. Quod ipſe nobis concedat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput VII.

Qualiter homo debet in omni actione frui contemplatione.

Si homo bene inebriatus amore ſui Creatoris eſſet, nihil in omnibus requireret, niſi quomodo ſuo Creatori poſſet diligentius & perfectius deſervire, & propriam penitus, quantum poſſet, voluntatem abſcindens ſolum quæ magis crederet Deo placere, cum impetu animi aſſequi conaretur, ſic in omnibus, & per omnia, non quæ ſua ſunt, quæreret, ſed quæ Jeſu Chriſti: oblivisceretur quodammodo ſui, Philip. 2 ſolius memor Dei. Hic talis & tantus præ fervore, & amoris magnitudine vel immenſitate non multum, ut credo, diſtingueret inter gradum & gradum, vitam & vitam, ſtatum & ſtatum, perſonam & perſonam, tempus & tempus; locum & locum: ſed quocumque modo, & quacumque hora diſcernere poſſet, quid amplius ſuo Creatori placeret, ſtatim perficere conaretur, toto animi affectu tendens in Deum. Quanto enim creaturæ ad Deum magis reducuntur, tanto ſibi vel inter ſeſe mutuo amplius uniuntur. Omnino ergo communicans, id eſt, ad unum commune omnia reducens, (quod facit quis cum nihil requirit in omnibus, niſi honorificentiam Dei, ad quam facta ſunt omnia & ad hoc univerſa ordinata,) & in uno Creatore conjungens, (quod verum eſt cum univerſa in Deo collocat, & ſolum Deum in omnibus intuetur) & nihil in omnibus niſi Deum videre ſemper ſuſpirans, ſemper anhelans, & ad ſerviendum Deo ſuo in omnibus totus accenſus, totus ignitus non conſideraret, quid ſibi ſuavius, quid dulcius eſſet: ſed in omnibus quid Deo ſuo amabilius. O felix talis, qui cum activa contemplativam haberet: quia ſic Domino miniſtrare, ut Martha: ut tamen a pedibus Domini non Luc. 10 diſcederet cum Maria: ſic ſe Angelicis ſpiritibus niteretur conformare, qui nobis miniſtrando a divina contemplatione non vacant. Quid enim eſt hoc, ſcilicet Domino miniſtrare, aliud, niſi cum miniſtrat ſano, cum viſitat infirmum, vel ſervit infirmo, ſemper in eis Dominum intueri & frui Deo in proximo? Aſſiſtendo ſervit, manum porrigit proximo, & cor ad Deum. Proximo ſervit, non ut homini, ſed ut in homine Deo. Totum ſemper refert ad Jeſum, qui dicit: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Et ideo cum in Matth. 25 lecto videt proximum infirmum, ſibi videtur, quod videat Chriſtum ſuum, & per hoc nihil ſibi difficile, nihil ſibi abominabile, nihil ignominioſum æſtimat facere pro infirmis, ac pro aliis deſolatis: ſed omnia dulcia, omnia ſuavia, omnia amabilia judicabit, cum ſic in proximo miniſtrat Chriſto. Credo ſine præjudicio, quod qui ſic, ut dictum eſt, ferventer & diligenter Chriſto in proximo miniſtraret, pure

re propter Chriſtum tendens in Chriſtum, quod plus mereretur & virtuoſius moreretur, & a Deo amplius approbaretur, quam ſi proprio corpori Chriſti miniſtraret. Et hoc ſic patere poteſt. Unus enim peſſimus homo ſi videret Chriſtum eſſe in uno lecto, & bene cognoſceret eum, non eſt dubium quod ſibi ferventer, & diligenter miniſtraret: ſed ſibi, id eſt, Chriſto in proximo cum tanto fervore & diligentia miniſtrare non poſſet, niſi perfectus, ut credo, immo, ut ita loquar & pluſquam perfectus. Et ideo cum toto animi conamine hanc gratiam habere conemur. Quis de cetero abhorrebit leproſum, declinabit infirmum, negliget deſolatum cum B in eis intuemur Chriſtum, & plus ibi poſſumus mereri, & Deo placere, ut probatum eſt, quam ſi etiam miniſtraremus ipſi Chriſto? Indicabo tibi Sponſa, quem diligit anima mea. *Cant. 1* Certe in infirmaria jacet, ibi anguſtiatur, ibi dolore gravatur, vel torqueretur. Curre, & ſibi miniſtra, ſibique compatere infirmanti. Cur inſtans Sponſa quotidie, ut Sponſi oſculo oſculeris? Accede ad leproſum, & oſculare eum, quia ibi jacet. Cur Sponſa miſera præ Sponſi amore languere te dicis, & ipſum quotidie nudum, diſcalceatum, & afflictum C ante te vides tranſire, & negligis, & etiam non compateris ei? Et ſi non poſſumus, fratres, omnibus præſtare obſequia, quia multi ſunt indigentes, ſaltem omnibus compaſſionem donemus, & in omnibus conſideremus Chriſtum. Credo firmiter, quod ſi Chriſtum neglexerimus in cœlo vel in terra, quod ipſum non habebimus in cœlo. Audi quid ipſe dicit. *Matth. 25* Infirmus eram, & non viſitaſtis me, &c. Ite maledicti, &c. Et bene noſtis, quod non ſunt hæc verba mea, ſed ineffabilis veritatis. Timeamus ergo fratres hanc ſententiam, qui totiens neglegimus eum. Non interrogemus eum de cetero, nec dicamus ei: Ubi *Cant. 1* jaces? ubi cubas in meridie, quia jam novimus locum. Scimus enim eum in infirmaria jacere. Non A autem reſtat, niſi preſtare obſequium.

Audite, obſecro conſilium meum, & non aſpiciatis ad factum meum. Qui enim vult, ut dixi, cum activa contemplativam vitam habere, ut ſuum Dominum in omnibus contempletur, videtur mihi quod hæc via ſit brevis & bona, videlicet, ut ſe totum recolligens intret ad cor ſuum, & intima cordis ingrediens, ſe reſolvat in Deum: ut nihil nec videat, nec ſentiat niſi Deum, & tunc aliquo modo ſic Deificatus & transformatus in Deum ad quodcumque ſe vertet, nihil niſi Deum conſiderabit, & quidquid operis faciat non homini, ſed ſoli Deo facere exiſtimabit. Et dum hanc formam habebit, vel tenebit in omnibus Deum videbit, & in labore activo contemplativa fruetur. Et ſi contingat, immo quia continget, ab hac nobili forma diſcedere ad ipſam ſtatim nitatur homo redire, & hæc toties faciat, quod quaſi in habitum ducat, & hoc magis honore, & divina largitate, quam aliqua induſtria impetrare credat. Et ſi hæc omnia nimis difficilia tibi videntur, ſaltem ad hoc conare, ut ſemper & in omnibus quæras facere, quod ſit magis honorificum Deo, conforme Chriſto, utile tibi, & proximo, afflictivum & ignominioſum corpori proprio. Quod ipſe nobis concedat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

Quoddam delectabile & allectivum.

ANima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt, &c. *Cant. 5* O mira, & ineſtimabilis virtus amoris! Deum inclinat ad terram, mentem elevat ad patriam, & Deum, & animam vel hominem ſimul conglutinat ad gloriam, Deum facit hominem, & hominem facit Deum, temporalem facit æternum, immortalem occidit, mortalem immortalem facit, & imum excelſum conſtituit, inimicum facit amicum, ſervum facit filium, & abominabile facit glorioſum, frigida

gida facit ignea, obſcura facit clara, dura facit liquida. Nam anima mea liquefacta eſt, &c. O verbum admirabile! o verbum nimium delectabile! Ego viliſſimus, & nequiſſimus ſervus tuus Domine Deus meus, qui etiam non ſum dignus aliqua tua creatura vocari, nec eſſe quomodo ſum, tibi tantæ charitatis vinculo colligatus, ut ad verbum tuum præ amore fuerim liquefactus. O ardor amoris, qui intima mentis in Deum infundis! Nam adamantiam erat anima mea, & ejus intima nimium ſolidata, nunc amore liqueſcit, nunc extra ſe exit, & in Deum tota ſe diffundit, proprium locum relinquit, & in Deum currit, abſorbetur a Deo & obliviſcitur ſui.

O amor, quid tibi tribuam, qui me feciſti divinum? *Gal. 2* Vivo ego, jam non ego: vivit autem in me Chriſtus. Inenarrabilis eſt virtus tua o amor, qui lutum in Deum transfiguras. Quid ergo te potentius, quid dulcius, quid jucundius, quid & nobilius obſecro? Bone amor, qui terrena ponis in cœlum, deficio tui memor, & facio me uniri dilecto. O felix amor, qui nos facis languidos, Sponſi noſtri amplexibus ſuſtentari. O *deſiderabilis* amor, qui *ſummis* deliciis reples egentes! Sed ſi liquefacta es ad verbum ejus, o anima mea, quomodo ſuſtines amplexus ejus, quomodo non es conſumpta ad oſcula ejus? Si liquefacta es ad affatum ejus, quomodo non es abſorpta cum intras per vulnera, & per venas ad cor ejus? Sed o mira dulcedo, & mira jucunditas, ut quod non meremur nominare, poſſimus maſticare! Non mereor eſſe ancilla, & facta ſum in deliciis chariſſima. Quis ſufficit tanti amoris etiam ſcintillam modicam intueri? Quid eſt hoc? Neſcio, capere nequeo, inquit, ſed obſtupeſco admiratione, jucundor delectatione, inebrior exultatione. Sed quid merui, quid feci, ut tanta mihi beneficia exhiberes? Te perſecutus ſum, & in te collocatus ſum: tuam faciem conſpui: & tu oſcula mihi tribuiſti: te vulneravi gladio, A & tu me a morte liberaſti. Te replevi dolore, & tu me gaudio & conſolatione. Occidi te Deum meum, & mihi te felicem vitam tribuiſti. O mira mutatio dextræ tuæ! Non ergo mirum ſi ad verbum tuum liqueſcit cor meum, immo de cetero totus accendar, & totaliter liquefiam, ut in te totaliter ſim effuſus, nihil præter te videam, nec in aliud cogitata, dicta, vel facta tranſeant ullo modo, immo mirum videtur quomodo non ſumus ſic intenti ad te, quod ignoramus omnia præter te. Si enim habemus te, quid amplius volumus? In te ergo dulciſſime Domine Jeſu quieſcat mens noſtra, & a te, nec ad modi- B cum ſeparetur. Stultiſſimum quidem eſt etiam nobiliſſimo, & jucundiſſimo loco exire. Quomodo audemus niſi dulciſſimum Sponſum inſpicere ne ſubſubtrahatur a nobis? Quid quæſo nos movet aliud intueri? Nonne terrena ſunt ſtercora, & hoc eſt ſummum bonum. Quomodo omnia non deſipiant, & deſpiciuntur? quomodo omnia non fœtent ad præſentiam tanti boni? O, o, o, ſtultitia hominum impiorum! *Iſa. 46* Redite prævaricatores ad cor. In vobis eſt regnum Dei, & vos pro ſanie fœtidiſſima inſanitis, & diabolicam ſervitutem ſubitis. In vobis eſt certe Deus noſter, convertimini ſuper eum, & fruimini ipſo: & eo quem C prius contempſiſtis, nunc, & de cetero contenti ſitis, & hæc ſit portio veſtra. Quod nobis concedat, qui vivit, & regnat. Amen.

CAPUT IX.

Quomodo ſit homo bene ordinatus in cogitatione, locutione, & operatione.

Servus Dei numquam deberet nec aliud, nec aliter cogitare, loqui & operari, quam ſi Deum facie ad faciem videret. Nec enim dubium eſt, quod ſic eſt nobis præſens Deus, & ſic nos videt: ſicut ſi eſſemus in cœlo empyreo in ſede B. Virginis: quamvis non ſic influat hic, ſicut ibi.

Et ideo quamvis eum non videamus, ex quo ſcimus eum eſſe juxta nos, & etiam in intimis cordis noſtri, non propter hoc debemus plus, vel minus, vel aliter loqui aut facere, quam ſi ſemper videremus eum. Tantum enim timeret ſervus Imperatoris, ſi ſciret, quod Imperator eſſet juxta eum, & videret eum, & ipſe Imperatorem videre nequiret, quantum timeret ſi Imperatorem videret, immo forſitan magis. Nullus enim ſervus eſt, qui non timeat proprie quod videatur a Domino ſuo. Unde ſi ſciret ſervus pro certo, quod Dominus ſuus non poſſet eum videre, nec etiam ſcire poſſe, quid ſervus faceret, non timeret tunc Dominum, ut credo. Sed ſi ſciret ſe videri a Domino, & Dominum tamen videre non poſſet, tunc multum timeret. Quanto ergo magis Dominum noſtrum timebimus: quia nobiſcum, & in nobis eſt, & omnia intuetur? Debemus ſemper moveri timore, reverentia, devotione, amore, & erubeſcentia peccatorum. Mirum eſt certe, quomodo tam modica ſcintilla ſicut eſt cor meum, non abſorbetur totaliter ab immenſa bonitate divina, & quomodo ſervus Dei amore Domini ſui non ſemper inebriatus incedit. Hoc credo fieri, ſi illi bonitati immenſæ vellet applicare cor ſuum. Unde de hoc non dubitet aliquis, quod quantò magis illi bonitati divinæ vellet applicare cor ſuum, tanto melior & perfectior eſſet. Et qui in ſummo bono cor applicare poſſet, ut penitus oblitus omnium, præter ipſum, toto animi conamine in ipſum tenderet, tibique quieſceret, non ſtatim a tanto bono reſiliens, tunc credo, quod abſorptus dulcedine conſummaretur in ſtatu. Tunc enim inter conſolationes & tribulationes, vituperia & honores, blandimenta & opprobria, inſeparabilis pertranſiret, nihil ſitiens niſi Deum ſuum, & ſolum ejus affectans honorem. Tunc comprehenſor dici poſſet, potius quam viator, beatus non miſer, Angelus non homo, non peccator, ſed ſanctus. Etſi ad hoc A pertingere cupis o homo, hanc brevem regulam tene. Quicumque vult eſſe conſummatus in ſtatu debet de ſua virtute totaliter deſperare, & plenarie ſe convertens, & committens in manibus pietatis immenſæ toto corde confidat de ipſa, nihilque quantum in ſe eſt, omittens de contingentibus, fideliter agat quidquid poteſt cernere ad ſui pertinere honorem. Sed & hoc in præfata regula ſcriptum eſt donum Dei permaximum. Et quiſquis hoc habuerit non a ſe, ſed a Deo fideliter habuiſſe recognoſcat ſciens pro certo, quod ad hoc per ſe eſt impoſſibilis, ſed pronus potius ad digna tormenta mortis æternæ. A B qua morte nos cuſtodiat ille, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT X.

De ordinatione ad proximum.

DE proximo accipe hanc doctrinam: Unumquemque hominem de mundo, reputa teipſum. Et ſi hoc bene feceris, & in corde tuo bene impreſſeris: non eſt dubium, qui bonum ſuum, ſicut tuum diliges, & quod ad ſalutem ſuam ſpectare videris, ſicut pro te ſolicite procurabis, oratione, exhortatione, & auxilio, & quocumque modo poteris: & cum ipſum vi- C deris bona dicere vel facere, replebe; ris gaudio, ſicut ſi tu diceres, vel faceres. Si autem ſciveris ipſum eſſe in peccato, aut in aliquo ſpeciali vel ſpirituali delicto, vel defectu nimirum condolebis, & ipſum prout poteris a malo revocabis, & induces ad bonum. De miſeriis autem corporis ſic compatieris ſibi, ac ſi illas in proprio corpore haberes, & ſic libenter ac diligenter ſervies ei, ſicut facerer tibi, & etiam quia te debes odire, illum autem diligere. Et ideo ſi te offenderit dicto, vel facto, non plus curabis, quam ſi tu ipſe hoc feciſſes, vel dixiſſes, & eo amplius tibi placebit: quia ibi eſt major merendi materia. Et ſi quid feceris boni vel dixe-

Digitized by Google

dixeris, non plus elevaberis, quam ſi alius feciſſet vel dixiſſet. Et ſi aliquem defectum non culpabilem feceris coram eis, non plus curabis, quam ſi in privato, ubi nullus vidiſſet, feciſſes. Inde etiam ſequitur, quod ſi unumquemque reputaveris teipſum, quod nullum ſpecialem habebis: & quia omnes tibi ſingulares erunt, nullum plus altero diliges, niſi quantum noveris ipſum meliorem eſſe, non quia tibi plus familiaris vel notus. Nec etiam circa quantumcumque bonum debemus affici, ſed ſolummodo circa Deum ſive in ſe abſolute, ſive etiam in quantum illi vel iſti tanta dona largitur: Poſſumus tamen plus orare pro illis, quibus ſumus magis obligati. Nec tamen ſic orandum eſt pro illis, ut alios dimittamus. Hoc autem ſolum appropriabis tibi, ſcilicet tuam culpam & defectus tuos, & quod te viliorem omnibus reputes, & non ſolum tua ſed etiam aliena peccata reputes eſſe tua, & pro ipſis veniam poſtulabis ſicut & pro tuis. Et ſi dicas, quomodo poſſum omnes homines æſtimare plus quam meipſum? Hoc te docet facere perfecta charitas, quæ te eis conjungens unum cum eis facit. Hoc tamen clarius intuetur, & ad hoc faciendum facilius movetur, qui cor ſuum in honorem Dei totaliter radicavit, nihil aliud nec in ſe, nec in aliis quærens. Unde hæc eſt via optima, quod qui vult Deum proximum diligere, ſolum Dei honorem ſitiat, & cum magna aviditate quærat, nihil aliud intendens in omnibus. Quod nos concedat Deus æternus. Amen.

CAPUT XI.

Qualiter zelator animarum ſe ordinare, & habere debeat.

SIc debet eſſe modus & forma præparandi & diſponendi ſe, ut poſſit quis fructificare in proximo ſine ſui detrimento: quia contingit, & contingere aliquando poteſt, quod in procuranda aliorum ſalute propria neA gligitur, immo propria ſuffocatur. Cum ergo vis pro proximo orare, ei prædicare, lectionem legere, vel ejus confeſſionem audire, aut aliqua talia facere, primo faciem mentis ad æternum lumen converte, & ad ejus ſplendorem: confortare ſpiritu, ut non prævaleat caro: abſtine ab exteriori homine, quantum potes, ut ſolum ſis interior ad interiora converſus. Tunc eumdem interiorem hominem in proximo conſidera, de ejus exteriori niſi inquantum ad interiorem ordinatur non curans. Tunc interior tuus homo ad interiorem proximi convertatur, & utriuſque exterior in ſupradictis actibus tamquam vanitas negligatur, ne B pro exteriori interior ad vana trahatur. Ipſum ergo exteriorem proximi hominem tamquam ſacculum ſtercorum relinquens, conſidera interiorem ad imaginem Dei factum, ſanguine Chriſti redemptum, locum Spiritus ſancti, habitaculum Chriſti, Dei virtutis & ſapientiæ ſedem, & ad æternam beatitudinem poſſibilem. Tunc honoris Domini tui ſitibundus ingemiſce, & plora, quia ejus imaginem vides denigrari, pretioſiſſimum ſanguinem conculcari, Spiritus ſancti habitaculum pollui, Sponſam Chriſti proſtitui, ejus ſedem deiici, & totam ſuam beatitudinem pro viliſſimis ſtercoribus contemni. Mi- C rum certe videtur, quomodo juſti oculi poſſunt a ploratu ceſſare videntes tantam veſaniam in proximo, immo etiam fuiſſe aliquando in ſeipſo, & tantam injuriam Deo ſuo fieri. Quis mihi quæſo dabit, ut cum Mardochæo indutus ſacco pro tanta populi nece non imminente, ut illa Judæorum, ſed jam facta, quotidie plorem, immo continue uſque ad fores palatii ululando incedens? Si enim ille pro corporali morte Judæorum tantum dolorem & triſtitiam propter nimiam plenitudinem charitatis publice prætendebat, quomodo ego miſer lacrymis impono quietem, qui infinitam ſtragem video animarum, & Deum meum, pro nihilo reputari. Animetur iis anima viri juſti, Eſth. 4

& Dei ſui contemptum non ſuſtinens., animarum mortem abhorrens conetur modis omnibus, quibus poteſt animas a peccatis liberare. Quomodo poteſt dicere ſe Deum diligere, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem ,videt jacere in ſterquilinio, & non curat. Aut quomodo ſi cogitat quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus eſt quomodo & ipſe pro animabus mori non cupit? Et maxime cum videt, Chriſti ſanguinem pedibus conculcari, quomodo quæſo poteſt hanc ſui Domini injuriam ſuſtinere? quomodo ſe totum non fundit in oratione quotidie, clamat in prædicatione, aut proximos inſtruit lectione, vel eos audit in confeſſione, ut hunc ſui Domini ſanguinem recolligere poſſit, animas recolligendo & convertendo? Quid plura dicam? Crediſne te eſſe habitaculum Spiritus ſancti, qui vides ejus templum latrinam fieri, & non clamas, ſed diſſimulas, qui ſolum tuam quietem requiris. Abſit. Quomodo ergo credis te Sponſi amicitiam habere, qui ejus Sponſam ab adulterio non cuſtodis, aut adulterantem non reprehendis, cum facultas non deſit, aut eam feſtinanter ad Sponſum non reducis? Aut quomodo poteris æternaliter ſummo bono frui, quod vides adeo contemni, ut pro viliſſima ſanie commutetur, aut negligatur, immo potius blaſphemetur, & tamen ab hoc contemptu negligis animas removere & ad ejus amorem convertere? His auditis ſcindantur obſecro corda noſtra, & nullo modo tantam Dei injuriam patiamur. Fateo, ut nos ad animarum zelum alliciam in corde meo jacere, quod ſi certiſſimus eſſem quod numquam deberem perfrui Deo meo, nihilominus ad honorem ſuum vellem libentiſſime pro qualibet anima peccatrice ſemel mori, ita quod tot mortes in præſenti ſuſtinerem, quot ſunt in mundo animæ peccatrices, ut ipſæ conſequerentur gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, quantomagis ſi ſecum deberem poſtmodum

A gloriari? Iſta chariſſimi ſcilicet divinus contemptus, & animarum interitus ſunt, quæ deberent nos inflammare ad prædicationes, confeſſiones, orationes, & ad bonorum exemplorum exhibitiones, non vana gloria, non cordis jactantia, non complacentia humana, non aliqua utilitas mundana. Solum ab animabus Jeſum Chriſtum crucifixum quæramus. Em- *1 Cor. 6* ptæ ſunt enim pretio magno, ut aut pretium reddant, aut in emptione permaneant. Inebriemus eas ſanguine, non curioſitate, ut ſic Dominum noſtrum crucifixum concupiſcant. Di- *1 Cor. 2* cat quilibet noſtrum eis. Nihil judicavi me ſcire inter vos, niſi Do-

B minum Jeſum, & hunc Crucifixum, non certe Ariſtotelis, vel Platonis Philoſophiam. Illum enim reputo hoc ſolum verbum dicere poſſe, qui nihil e proximo niſi paſſionem Chriſti requirit, & in quolibet proximo ſibi videtur, quod videat Jeſum Chriſtum paſſum. Unde ſignanter dicit inter vos nihil me judicavi ſcire, &c. Quid dicam? Non ſolum veſtra non volo aut vobis placere cupio, ſed nec etiam voſipſos, aut aliquid aliud cognoſcere me judico, ſed in omnibus ſolum Dominum Jeſum, & hunc Crucifixum. Et bene dicit non judicavi, quia & ſi alia habitualiter ſciam, ſic tamen ad hoc, ſcilicet ad

C Chriſti paſſionem ſum totaliter intentus, ut meum judicium ad aliud non flectatur. Poſſet autem illud verbum aliter ad animarum conſolationem exponi, id eſt, tantum ſum in hac paſſione in Deo inebriatus, ut quidquid aliud offeratur mihi, aut viſui, vel guſtui, ſeu auditui, ſive alii ſenſui, & quidquid ſit præter iſtud, totum reputo eſſe nihil: quia iam non delector, iam non glorior, jam non morior, niſi in ſanguine Chriſti. Ad hunc totaliter ſum converſus. Non ſunt oculi mei pleni adulterio, ſed Chriſti tormento. Non os meum plenum eſt detractione, ſed Chriſti paſſione. Et ſic de aliis proſequere ſenſibus, quicumque es, qui hoc dicere potes, quia longe eſt

Digitized by Google

a me verbum iſtud, & ſi in verbis A iſtis non fuit hæc intentio Pauli, ſit tamen intentio noſtra, quia non intendo hic intentionem Pauli exponere, ſed noſtram devotionem excitare. Quod nobis concedat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput XII.

Quod anima debet affici tantum amore Chriſti terrenorum vilitate contempta.

ANima rationalis ad imaginem divinam procreata inter Deum, & irrationales creaturas media conſtituta non ad infima per amorem ſe deberet inclinare: ſed ſolum ſe erigere ad Deum ejus inebriata amore, inferiorum vilitate contempta. Et ſi ad aliquam contingeret ſe vertere creaturam etiam æqualem, utpote alium hominum aut Angelorum, ſtatim deberet omnia ad amorem dilecti referre, ſolum ad ſuum Sponſum unicum medullitus, & impetualiter tendens, nihil inveniens columbina Sponſa, in quo niſi in *Sponſo requieſcat pes* ejus, nec etiam appodietur aut adhæreat ullo modo. Neſcit caſtiſſima Sponſa vivere niſi cum Sponſo, ſicut nec piſcis niſi in aqua, vel infra aquam ibi vacat, vel natat anima delicata, ibi delectatur, ibi reficitur inenarrabili & ſuaviſſimo nutrimento. Si quomodo exit, ſtatim incipit palpitare, ſtatimque ad igneum flumen, ſeu fluvium rapidumque redit, extra ipſum omnia ſuſpicans mortem eſſe, tota liqueſcit, & reſolvitur in dilectum. O amor quid facis? quid hoc amore nobilius? quid utilius? quid ſuavius? Et tamen omnes aut quaſi omnes negligunt hunc amorem. Nunc hic dici poteſt: Qui manet in Deo, manet & Deus in eo. Quod nobis concedat, &c.

1 *Joan.* 4.

Caput XIII

Deſcriptio beatitudinis.

ACcipe frater ſana verba, quæ de beatitudine dicam indignus. Nam ſic puto eam poſſe deſcribi, tu tamen corrige. Beatitudo eſt plena & intima in Deum reſolutio. Beatitudo eſt ſumma exultatio de honorificentia Dei. Beatitudo eſt caſtiſſimis & æternis amplexibus Sponſi cum Sponſa, vel Sponſæ cum Sponſo matrimonii conſummatio. Beatitudo eſt divinæ dulcedinis inebriatio ſine fine. Beatitudo eſt ſol juſtitiæ æter- B nus. Beatitudo eſt cum immenſo deſiderio plena refectio. Ad quam nos perducat, qui vivit, & regnat per æterna ſæcula Jeſus Chriſtus. Amen.

Caput XIV.

Oratio devotiſſima.

O Deus meus, o amor meus, o lux delectabilis, o ſuaviſſima irradiatio, o jucundiſſima contemplatio, o nutrimentum Deificum, pabulum ſuaviſſimum, ſapidiſſima deguſtatio, indicibilis refectio, o mellifluum oſculum, & amplexus feliciſſimus, o indiſſolubilis conjunctio, cordialis diffuſio, medullaris transformatio, o C accenſio amantiſſima, inflammatio incentiva, ebriatio ſobriiſſima, & liquatio ſolidiſſima. O Sponſa mea, o Deus meus, o amor meus, o cordis jubilus, o mentis ardor, o amoris incendium, o dulciſſimum ſolatium, o veriſſimum gaudium. Irradia fulgoribus animam meam dulciſſimæ caſtitatis tuæ transfixam jaculo & amoris facibus inflammatam, ſapidiſſimis affectionibus tuis, & amore languentibus deſideriis refice dulcoratam. Amen.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quædam notabilia.

SI enim aliquis princeps invitaſſet aliquem pauperem & viliſſimum hominem ad convivium abundans, & delicatum, in quo omnis ſufficientia & ſuavitas reperiri poſſet, quæ reperiri poſſet in aliqua creatura: & ille viliſſimus homo nauſearet ſuper illo nobiliſſimo convivio, & ad ſtercora potius inhiaret, deberet ſtultiſſimus reputari: ſic immo ſine comparatione magis ſtultus reputari debet quilibet homo, & præcipue ſacerdos, qui cœleſtibus alimentis veſcitur, ſi cor ſuum iſtis corruptibilibus applicatur. Et ſicut ſapiens & delitioſus homo fœtidiſſimam ſaniem non ſolum non appeteret, ſed nec etiam videret, vel nominare, vel audire nominare abhorreret: ſic omnis vir perfectus, & ſacerdos præcipue abhorrere deberet quidquid illas internas delitias modo aliquo impediret, aut quidquid aliud Chriſti habitaculum modo aliquo macularet. Unde omni cuſtodia deberet cuſtodire
Prov. 4. cor ſuum. O mira cæcitas omnium impiorum, qui magis eligunt pretio animæ ſuæ a diabolo emere unam fœtidiſſimam conſolationem, & viliſſimam, quam ſummam, & excellentiſſimam conſolationem a Deo gratis habere. Quis enim non putaret ſtultum illum, qui potius vellet ab uno tabernario vinum corruptum, & fœtidiſſimum emere pretio omnium bonorum ſuorum, & ſe totaliter omni bono pro tam viliſſimo potu expoliare, quam ab uno alio dulciſſima vina gratis habere, & ex hoc omnibus bonis repleri? Hanc ſtultitiam, & multo majorem adimplet peccator. Sicut enim ſtultus reputari debet, & numquam ad opulentiam perveniret ille mercator, qui in caterva mercantium loca, tempora, & modum mercandi notaret, & hæc etiam referret aliis & in ſeipſo ſæpius hæc repeteret, & numquam tamen A mercationem bonam, vel utilem faceret: ſic qui tota die de regno cœlorum ſcripta multiplicat, & ipſis vacat, & aliis etiam prædicatione denuntiat, & tamen numquam aggreditur aliquam operationem bonam. Quid prodeſt o ſtultiſſimi mercatores ſtudere, & prædicare, & opere non implere? Sicut ſponſa delicata & nobilis, quæ haberet nobiliſſimum ſponſum, & pulcherrimum, & ſapientiſſimum & optimum, non inclinaretur ad afficiendum circa aliquem fœtidiſſimum leproſum: ſic ergo multo magis affectus viri perfecti nullo modo non ſolum ſeparari, ſed nec etiam retardari deberet ab amo-
B re Dei ſui propter amorem alicujus creati: nec ullo modo prout poteſt, deberet affici circa aliquam creaturam, ſed potius deberet abhorrere, & abominari, ſicut ſupradicta ſponſa prædictum leproſum. Quod nobis concedat, &c.

CAPUT XVI.

Quædam alia notabilia.

SIc pie, iuſte, & caſte debet vivere unuſquiſque, ac ſi ſcire proprie, & pro certo ſe eadem die vel ſtatim migraturum vel moriturum. Unde non eſt perfectionis, ut cre-
C do, quod communiter dicunt multi: Si ſcirem me moriturum infra breve tempus, ita bene me præpararem, & tam ſancte viverem. Debet enim perfectus dicere non ſic, ſed ſic: Si mille millia annorum viverem, & hoc ſcirem pro certo, ita ſtudioſe tam juſte & ſancte, ac ſolicite volo Deo meo ſervire, ac ſi hodie deberem de hoc mundo tranſire. Et in hoc filius, non mercenarius vel ſervus, apparet. Sicut enim diligo Deum, & ipſi ſervio propter ſe, cum æque bonus ſit ſi multum vixero, ſicut ſi parum; ita debeo ei ſervire, & eum diligere ſi multum vixero, ſicut ſi parum.

CA-

Digitized by Google

Caput XVII.

Qualiter ſe debet habere ſacerdos cum ad corpus Chriſti venit.

AD Miſſam celebrandam ſex conſidero attendenda. Primum eſt rationis diſcretio, &c.

Quæ tractantur in hoc, & ſequenti cap. eadem ſunt cum iis, quæ habentur tomo ſexto parte prima facie 60 in Opuſculo de inſtructione ſacerdotis ad ſe præparandum ad celebrandum Miſſam: A *nec re., nec verbis quidquam differunt. Quare lector eo recurre, ne hic eiſdem repetitis abſque neceſſitate creſcat volumen.*

Caput XVIII.

Petitio ad excitandum cor in amorem dulciſſimi JESU.

O Domine Deus meus, quomodo auſus ſum te alloqui viliſſima creatura? &c.

Require ut ſupra, facie 62. & 63.

STIMULI AMORIS
PARS TERTIA.
CAPITA HUJUS TERTIÆ PARTIS.

Quæ ſunt quę inducunt hominem ad contemplationis quietem. Cap. I.
Quam glorioſum ſit ſe mutare in Deum. Cap. II.
Quod mirabile eſt guſtantem ſemel Deum poſſe ab eo amplius ſeparari. Cap. III.
Quod homo in brevi poteſt eſſe perfectus. Cap. IV.
Quomodo anima inebriatur in contemplatione a Creatore ſuo. Cap. V.
Quod homo ante raptum diverſimode inebriatur. Cap. VI.
Quod contemplativus debet gaudere de bonis proximi, quod ſi non fecerit, tria mala committet. Cap. VII.
Quod contemplativus non judicet alios propter defectus in ipſis apparentes. Cap. VIII.
Quod contemplativus non reputet alios impares ſibi. Cap. IX.
Contra ſuperbos, & de ſe præſumentes. Cap. X.
De paucitate bene obedientium. Cap. XI.
Quod utiles ſint tentationes ſervis Dei. Cap. XII.
Quod tentationes de prædeſtinatione reprimi debent. Cap. XIII.
Quæſtio carnis ad Deum Patrem de Chriſto. Cap. XIV.
Et Patris reſponſio. Cap. XV.
Meditatio ſuper Ave Maria. Cap. XIV.
Meditatio humilis ac expoſitio ſuper orationem Dominicam. Cap. XVII.
Sequuntur aliæ duæ breves expoſitiones ſuper orationem Dominicam. Cap. XVIII.
Meditatio ſuper Salve Regina. Cap. XIX.
De ſtatu beatorum in cœleſti Hieruſalem. Cap. XX.

CAPUT I.

Quæ ſunt quæ inducunt hominem ad contemplationis quietem.

SI ad contemplationis quietem volueris pervenire, in te tria ſtudeas radicare.

Primum eſt, ut quantum tuum Conditorem offenderis, & a te, & ab aliis quotidie offendatur, recognoſcas, & de tuis ſceleribus intime dolens, aliiſque tamquam tibi compatiens, abundanter, ſi potes, quotidie lacrymeris, & hæc cogitans magis triſtari deſideres, quam gaudere, cernens, quod non ſumus in ſtatu lætitiæ, ſed mœroris. Magnum eſt enim ſi Deum noſtrum ſic graviter offenſum in noſtris delictis, poſſumus a toto tempore vitæ noſtræ plorando placare. Et hanc conſolationem debemus eligere in præſenti pro poſſe ſemper noſtras & proximorum miſerias, & nequitias deplorare, & ipſe benigniſſimus Dominus animæ ſic fideliter in amaritudine exiſtenti, poſt lacrymarum fletum, exultationem infundet. Et ſicut aqua in vite putrefacta cum ſolis calore decocta in vinum convertitur: ſic lacrymæ in perfecte contrito, fervore charitatis decoctæ in vinum lætitiæ convertuntur. Nec enim decet Dominum tam nobilem in aliqua domo habitare, niſi mundiſſimam invenerit, & cum omni diligentia lacrymis expiatam.

Secundum eſt, ut nitaris quantum potes Chriſti compati paſſioni, & ubique eum tecum circumferre in corde. Ni-

Digitized by Google

Niſi enim compatiendo noverimus pati ſecum, ſecum non poterimus jucundari. Si enim bene paſſionem fueris meditatus, & multum intraveris latus ejus, cito venies ad cor ejus. O felix cor, quod ſic cordi Chriſti dulciter colligatur, cujus læva ſub capite ejus, & dextera illud amplexatur! quia tunc recte cum Sponſa Sponſus collocatur & colligatur in cubiculo. Sed optimum cor mihi narra, *obſecro*, dulcedinem, quam tu ſentis, quibus affluis deliciis, non occultes. Sed ut bene video, non audis, quia cor tuum abſorptum eſt præ dulcore. Jam tu interpretis tui exiſtentis in carcere oblitus eſt. Certo enim ſic te amœnitate nimia eſſe captum, ut jam non ſint amplius neque vox, neque ſenſus. Quicumque enim ad contemplationis quietem, & dulcedinem niſi per iſtud oſtium voluerit intrare, furem ſe reputet & *latronem*.

Tertium eſt, ut poſſidere non cupias, niſi Deum, & quidquid niſi Deum habueris, aut oblatum fuerit, vel videris aut nominare audieris, debes tamquam de tot foliis non curare; ſed in Deo ſolo ſtabilias mentem tuam & *ſolus ſoli* ſibi jungaris. Tunc in auribus tuis melos ſuæ eloquentiæ reſonabit, theſauros ſuæ ſapientiæ revelabit, mellíflua oſcula exhibebit, neque præ deliciis non poteris ſuſtinere, & ſuis te ſuſtentans amplexibus, nimia dulcedine abſorbeberis. O felix anima, quo abiiſti, quod nos in tanta amaritudine reliquiſti? Nuntia nobis, obſecro, ſi tibi ſufficit iſtud bonum, aut ſi vis, quod de noſtris obſequiis tibi tranſmittamus. Sed, utputo, vel credo, non reputas nos xeniis, ſed ſtercoribus abundare. Quid tibi offendimus, o anima mea, jucunditate repleta, quod etiam maxima noſtra aſpicere non dignaris? Quare quæ ſic diligimus, tu contemnis? Sed ut video nobis non loqueris, quia rapta es a dilecto. O amor ineffabilis, qui ſic cor conglutinat ſuo fini! O mira benignitas Salvatoris, qui ſe ſingulariter diligentes tam dono viſitat excellenti.

Caput II.

Quam glorioſum ſit, & qualiter poſſit homo mutari in Deum.

O Mirabilis mutatio dexteræ excelſi! Sicut enim apud homines temporalia diligentes, mirabile eſſet, ſi quis unum fœtidiſſimum ſtercus commutaret in omnes delicias & honores mundi huius, ſcilicet ut pro uno fœtidiſſimo ſtercore haberet huius mundi plenam dominationem, & quantum ad temporalia ad modum Imperatoris, & quantum ad ſpiritualia ad modum Papæ, & nullam reſiſtentiam habere poſſet: & inſuper maligni ſpiritus obtemperarent ei, & non ſolum terra, ſed etiam cœli, & ſidera ad ſuum regerentur nutum: mortificare etiam poſſet, & mortuos ſuſcitare, & infirmos curare: & etiam poſſet curſum naturæ in omnibus mutare & habere omnes divitias: & delicias, quas citra Deum poſſet excogitare, immo quas Deus poſſet facere, dum tamen in Deum non ducerent: ſic immo ſine comparatione multo magis eſt admirabilis, laudabilis, & amabilis illa commutatio, quando quis commutat ſe in Deum. Nam maior eſt ſine comparatione diſtantia inter hominem, & Deum, quam inter quamcumque viliſsimam creaturam, & omnia quæ citra ſe Deus facere poſſet. Tunc autem homo ſeipſum commutat in Deum, quando eligit & diligit ſe odiri, & ſolum Deum diligere, & circa nihil aliud vult affici niſi ſolum circa Deum, & ille ſolus in ſuo iacet affectu, & de nihilo curat, niſi de ipſo Deo, & totaliter ſitit quomodo per ſe, vel per alios honorificetur Dominus Deus ſuus. O commutatio deſiderabilis! Nam certe iſte vulnera peccatorum in Chriſti vulnera commutavit, & mentis fœtiditatem in Dei bonitatem, ſuam utilitatem in Dei maieſtatem, ſuam nequitiam in Dei clementiam

ama-

Digitized by Google

amaritudinem cordis in dulcedinem Creatoris. Nam totus eſt in Deum vel Dei, & nihil niſi Deum requirit. Cor ſuum plenum eſt ipſo Deo, ſe exuit, & Deum induit, zelo Dei ſibimet guerram facit tamquam crudeliſſimo hoſti. Si ergo talis eſt commutatio iſta, cur ſerve nequam, infidele mancipium, inutilis creatura hoc adimplere retardas? Cave etiam, ne hoc adimplere ſtudeas cum torpore, vel tempore operis, gravamine cordis, anxietate pectoris, inſenſibilitate mentis, ſed potius cum animi aviditate, ferveris intentione, amoris immenſitate, maxime cum nihil ſit utilius homini, nihil delectabilius, nihil nobilius. Si ergo te ipſum exueris, & per hunc modum in Deum intraveris cave ne extra ipſum poſſis aliquo modo inveniri. Et ſi aliqua mentis infirmitate vel negligentia te exire contigerit, illuc ſtatim recurre cum fletu, & deprecare ſuppliciter, ut tibi indulgeat, & dignetur te fugitivum ſervum recipere. Et nunc proponas firmiter in corde tuo, quod amplius inde non exeas. Non tamen dico, ut tale propoſitum facias, quod ad novam culpam te obliget: quia fragiles ſumus, & inconſtantes. Et ſi milleſies ab eo exieris, totiens ad ipſum recurras.

Regula iſtius capituli bona eſt, quod nullus cum Deo poteſt bene perfecte uniri, vel eſſe, qui alicui creaturæ affectum ſuum ligatum, ſive inclinatum habet.

Caput III.

Quod mirabile eſt guſtantem ſemel Deum, poſſe ab eo amplius ſeparari.

MUltum mirari debemus, immo nos non miramur, quomodo homo ſemel Deum deguſtans, & ejus dulcedinem, poteſt ab eo amplius aliquatenus ſeparari, & quomodo non obliviſcitur omnia ex ebrietate nimia, & comedere, & bibere ac dor- A mire, & ſi quid aliud ante ipſum ponatur, quomodo poteſt ibi aliud, quam ſuum Dominum benigniſſimum intueri, & in eo ſumma dulcedine delectari: cum ipſum in omnibus ſciat eſſe, & in omnibus illum invenire poſſit, ac in omnibus requieſcat. O quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde! *Pſal. 72* O quam dulcis, & ſuavis eſt ſpiritus ejus in eis! O quanta amaritudine, quanta triſtitia, quanta anxietate repleri deberet aliquis, qui etiam ad momentum ab illa ſequeſtraretur dulcedine!

Caput IV.

B *Quod homo in brevi poteſt eſſe perfectus.*

QUicumque per contemplationem ad ſummitatem montis Dei vult pervenire, oportet quod numquam quieſcat dum vigilat, ſed ſemper per mentis elevationem aſcendat. Nam in iſto aſcenſu non quieſcere eſt quieſcere: & qui quieſcere vult, fatigatur, nec poſtea ſic poteſt bene aſcendere, immo contingit aliquando, quod cum quieſcere vult, intantum fatigatur, ut amplius nullo modo aſcendere poſſit. In aſcenſu enim montis materialis, quia caro infirma eſt, quietem interpoſitam requirit. In aſcenſu autem montis C ſpiritualis, quia ſpiritualis promptus eſt, contrarium requiritur, ut ſcilicet non quieſcat ſpiritus, ſed dum fatigatur tunc aſcendere debet velocius, currere fortius, & recentior fiet, & avidior erit ad majora, & ſibi levius apparebit, & delectabilius, & ſuavius, & dulcius gradietur, non quieſcere eligens pro quiete. Et ideo ſtulti ſunt, & quid ſit contemplatio inexperti, qui cauſa reſumendi vires requieſcunt. Tunc habeant pro certo, quia in illa quiete vires minime reſumunt, ſed potius diſperdunt. Unde ſi fortiter currit animus contemplantis, tunc ſuave eſt, & ſi plane incedat incipit fatigari, ſi quieſcit, vires diſperdit. Et ideo non eſt aliud niſi

Digitized by Google

niſi cum Virgine aſcendere in montana cum feſtinatione. [Luc. 1] Si quis hoc capere non poteſt, ſed vult quieſcere, & tamen aſcenſum in deſiderio habet, hoc reſtat remedium, quamvis non valeat his, quæ dicta ſunt, adæquari, ſcilicet ut ſaltem modum aſcendentium materialiter non deſerat. Nam qui materialiter in montem aſcendunt, & in medio fatigati quieſcere volunt, non deſcendunt ad quieſcendum in valle: quia ſic ad ſummitatem numquam venire poſſent, & ſtultiſſimi reputarentur ab omnibus hominibus. Sic ſunt ſtulti reputandi, & numquam ad cacumen contemplationis pervenient, qui hodie per contemplationem modicum vel multum aſcendunt, & affecti tædio ad locum unde veniunt, ſive ad ſtatum, unde receſſerant, redeunt ad quieſcendum, & in peccatorum ſive vanitatum vallibus, ſeu imperfectionis planitie credunt ad aſcenſum effici fortiores, ignorantes quod vix poterunt ad locum ſive ſtatum, ad quem pervenerant, pervenire. Et iſta eſt ratio, ſicut credo, quare ſic pauca homines contemplativi attingunt ſupercilium montis. Unde ſi homo aſcenderet, quantum poſſet, & ibi quieſceret, non inde recedens aliquo modo, & cras elevaretur altius, & ibi etiam figeret pedem cordis, & poſtmodum ſic aſcenderet ſic faciendo ſemper, dico vobis, quod iſte plus proficeret in uno menſe, quam alius in quadraginta annis, qui retrocederet ad quieſcendum, & ſemper ad idem rediret. Et credo, quod iſte in brevi conſummaretur in ſtatu, & eſſet glorioſus coram Deo, & a tota cæleſti curia prædilectus. Si autem in monte timueris aliquid, curras ad cavernas lateris Chriſti. Si vero non potes abſtinere a valle, quia ibi nutritus es, nec vis adimplere, quæ dixi: hoc ſaltem fac, ut ad vallem tuæ miſeriæ, & totius humani generis condeſcendas per humilitatem tui, & compaſſionem proximi, tam de tuis, quam de alienis dolendo peccatis, & pro eis veniam poſtulan- A do a Deo. Quam ipſe concedat, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

Unde hæc brevis regula hæc omnia in brevi comprehendit. Qui voluerit per contemplationem ad ſummitatem montis Domini pervenire, non quieſcat, nec retrocedat, donec aſſecutus fuerit, quod intendit: niſi forte deſcendere velit ad ſuorum, & aliorum triſtitiam peccatorum.

CAPUT V.

Quomodo anima inebriatur in contemplatione a Creatore ſuo.

O Altitudo divitiarum ſapientiæ [Rom. 11] B & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis aſcendet [Psal. 23] in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Sed ſi quis aſcendere voluerit, per quam viam cum inveſtigabiles ſint viæ ejus? Audi dilectum tuum anima dilecta, & gaude, cum cuncta, quæ dicta ſunt, cum omni diligentia ſtudueris adimplere, & ſic Deo appropinquaveris, ut nihil præter ipſum valeas cogitare, & cetera præter ipſum tibi ſint in nimia amaritudine, & quaſi libentius velles animam a corpore ſeparari, quam animam tuam ſeparare a continua cogitatione Dei tui, C vel quaſi continua. Et quaſi videretur tibi, quod teipſum non ames niſi te propter ipſum amaveris: quid tibi de dilecto tuo contingat auſculta, amore repleta, immo in amore converſa. Iſte dilectus tuus o dilecta, a qua non potes aliquatenus ſeparari, ſeipſum a cogitatu tuo continuo pauliſper ſubtrahet, ita ut cor tuum circa aliquid aliud incipiet evagari, & tu videns eum, quem fortiter diligis, abſceſſiſſe, nimia aviditate repleta quæres undique, quomodo poſſis, quem ſic fortiter diligis, invenire, omnibuſque creaturis breviter nuntiabis, ut dicant vel indicent tibi, ubi eſt dilectus tuus: quia languida efficieris præ amore. [Cant. 2] Quanto tunc fletu, quanta lamentatione perſun-

ſunderis, quanta anxietate poſt dile- A ctum tuum diſcurres, tibi neſcio enarrare. Sed o mirabilis inebriatio amoris! Hoc ipſo quod in ipſum tendis, cum ipſo es, & ignoras. Sed quid faciet dilectus tuus, omni amore repleta? Numquid poterit ſe amplius occultare? Sed dilectiſſimus Sponſus tuus, quantocyus ſe tibi præſentabit, & tu illum videns, quem cum tanta aviditate quæſieras, nimio amore amplexaberis eum, ſemper tamen cum omni reverentia & timore. Sed quanta ad hæc adſit tibi conſolatio, tunc ſi ſapiens fueris, poteris experiri. Sed audi o amantiſſima Domini, cum te ſecuram reddideris iterum ſe abſentabit. Et tunc B majorem ardorem, quam prius ipſum requirendo habebis. Quid tibi dicam: Iterum ſe abſentabit, & iterum atque iterum, & breviter totiens, a te ſe abſentabit, donec ſis ſolicita cuſtodire eum, ut te ſecuram non audeas reddere, & omnia habeas jam ſuſpecta. Sed o felix anima audi, quid faciet tibi dilectus tuus? Cum ſecum incipies delectari vel quietati, vino dulciſſimo incipiet te potare. Et tu ejus illecta dulcedine amplius eum incipies affectare, & ipſe largiſſimus amplius tibi dabit: & quanto plus dabit, amplius poſtulabis, & ipſe benigniſſimus amplius tibi miniſtrabit. Quid dicam? C Satiari non poteris, donec inebriata fueris, & vino jam undique perfuſa. Utrum autem poſt frequentem & nimiam inebriationem, ſoporem aut raptum conſequaris, ſicut Dominus tibi conceſſerit, poteris experiri. Largiſſimus eſt enim, & plus ſine comparatione, quam credi valeat, elargitur. Hoc tamen debes ſemper habere in corde tuo, quod tu ſis viliſſimus, & quod nullo modo ad hoc aptus ſis: immo permaximum tibi debet videri, ſi ipſe delet peccata tua, etiam cum quantumcumque pœnarum afflictione in hoc mundo: Qui eſt laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Amen.

CAPUT VI.

Quod homo ante raptum diverſimode inebriatur.

QUoniam in pluribus locis ſupra dictorum capitulorum diximus, hominem divina influentia inebriari poſſe, ut mens tua amplius elevetur, volo, ut ebrietatem illarum influentiarum divinarum non ignores. Debes enim intelligere, quod vir contemplativus, quamvis multas conſolationes habeat ſpirituales, antequam ad ſoporem & raptum perveniat, ad quod pauci attingunt, valet duplicem experiri ebrietatem.

Prima eſt quædam abundantia jucunditatis in corde, & vehemens jubilatio mentis, quæ poſt multum fluxum aut conſiderationem paſſionis Chriſti, aut per magnum fervorem amoris ſingularis in Deum venit ex quadam nova influentia, & divina irradiatione in mentem. Et illa lætitia tantum abundat in corde, ut etiam in membra corporis redundet, & illa faciet divinæ clementiæ arridere, & præ exultatione nimia ad modum ebrii præcipitanter graditur, quietem non ſuſtinens, & creaturas, quas invenit, ſui Creatoris, amoris magnitudine amplexatur. Et bene potes credere, quod cor ſuum non multum applicat ad terrena, ſed ſi aliquid occurrit, omnia reputat eſſe vana. Ebrietas mentis duplex.

Eſt alia dulcendo ſive ebrietas, quæ nimia dulcedine replet cor ex divino conſortio, hæc venit per contemplationis quietem, & intantum abundat hæc dulcedo in corde, ut redundet ad omnia membra abunde, adeo ut totus ſibi tam interius, quam exterius mellifluus videatur. Et ſicut prima ebrietas præ hilaritate quietem non ſuſtinebat, ſic & iſta præ nimia dulcedine quieſcere facit. Et hæc niſi intantum incendat, ut ſoporem generet, non auferet totaliter particularium ſenſuum actus, ſed ad modum ebrii eſſe liberos non permittit,

Digitized by Google

mittit, & tunc quaſi quidquid viderit, reputabit quadam divina dulcedine abundare. Et quamvis prima ſit intenſione lætitiæ, & iſta intenſione dulcedinis: tamen non oportet dubitare, quia illa ſentiat dulcedinem, & iſta lætitia non privetur. Et quamvis non ſit neceſſe timere de prima, ſed potius ſit gaudendum: tamen de ſecunda, quæ conſiſtit in quadam admirabili dulcedine cordis ſemper ſecurum eſt dubitare, quia diabolus transfigurat ſe in Angelum lucis, & conſuevit aliquando ſimilia procurare. Vellet enim, quod homo ſuperbiret, & ſe aliquid reputaret, ut talibus deliciis frueretur, & ibidem quieſceret, ut ſic averteretur a Deo. Et hoc bene permitteret Dominus evenire, quia aliqui contemplativi aliquando de ſe nimis præſumunt, alioſque contemnunt, & credunt ſe Deo eſſe proximos cum tamen ſint per ſuperbiam ab eo nimis elongati. Et ideo diabolus pater ſuperbiæ hanc poteſtatem in eos accipit, ut talibus deliciis illos decipere poſſit. Et ideo cum ſumma diligentia attendendum eſt, ut quandocumque acciderit talis delectatio, aciem mentis in Deum dirigas, nec ab ipſo cor tuum diſcedat. Et ſi delectari oporteat ſolum delecteris in Deum. Tunc ſi a Deo eſſet illa dulcedo deberet intendi, ſi a diabolo deberet privari, aut ſaltem remitti. Quod ſi Deus in hoc te voluerit aliquando conſolari, ut qui pro tuis, aliorumque peccatis amaritudine repleris, aliquando deliciis perfruaris, regratiari ſibi debes, ut potes, & adhuc tamen timere, ne præſumptionem incurras. Potes enim cogitare ad humiliandum cor tuum ſub hac dulcedine, quod Dominus pro parvo aliquo bono, quod facis in præſenti, quod tu reputas eſſe magnum, fortaſſe vult tibi pro præmio dare illud, quia te præmiis æternis reputat eſſe indignum. Potes enim timere, ne iſtud dulciſſimum vinum te adhuc ſpiritualiter febricitantem in periculum mortis inducat, id eſt, occaſionaliter te faciat ſubire. Ideo pleno corde dum ſumus in hac valle miſeriæ conſtituti, debemus magis appetere cum Chriſto crucifixo affligi; quam periculoſis deliciis afflui. Et ſicut quotidie peccamus, immo quaſi continue: ſic debemus pro eiſdem peccatis velle pœnam continuam ſuſtinere. Et ſicut ſumus viliſſimi ſervi Dei, ſic debet nobis placere, immo debemus appetere ab omnibus viliſſimos reputari. Et ſicut ad honorem Dei facti ſumus, ſic illud ſolum deberet in me, & in aliis placere mihi, quod ad ſuum tendit honorem, & illud ſolum diſplicere, quod in contrarium vergit. De indifferentibus autem nullo modo debemus curare, niſi quia omnia debemus ad laudem Dei referre. Quod nobis concedat, &c.

2 Cor. 11

Sermo VII.

Quod contemplativus debet gaudere de bonis proximi, quod ſi non fecerit tria mala committet

Hæc omnia etiam appetere debes o contemplative cuilibet homini, & debes pro quolibet homine ſolicite orare. Et quando vides aliquod bonum in proximo, mirabiliter gaudere debes, etiam ſi illud non videas in te. Quod ſi non feceris ſed potius dolueris, tria maxima mala in hoc committis. Primum eſt, quod honorem Dei, qui in bonis illius reſultat, odire videris. Secundum eſt, quod paſſionem Chriſti, qui ad hoc eſt paſſus, ut unuſquiſque abundet virtutibus, contemnis. Tertium eſt, quod charitatem, qua proximum ſicut teipſum diligere debes, & ejus bonum affectare ſicut tuum, laceras, & dividis. Multum ergo bonum proximi diligas & procures, & maxime ſpirituale, & etiam cum neceſſitas ſe obtulerit, temporale: & ſemper ſpiritualia tibi Dominus exhibebit, & tandem ad cœleſtia te vocabit. Ad quæ nos perducat, qui pro nobis vo-

voluit crucis opprobria ſuſtinere. Amen.

Caput VIII.

Quod contemplativus non judicet alios propter defectus in ipſis apparentes.

Diabolus in malitia antiquatus viros contemplationis cernens in cœleſtibus converſari, unde propter ſuperbiam eſt eiectus, nititur modo aliquo eos ad ſe attrahere. Et quia videt eos non poſſe vincere in aperto, conatur ſaltem decipere eos in occulto. Sed quamvis diverſa mala diverſis temporibus ſuggerat, tamen ad hoc nititur, ut contemplativus de ſe præſumat, & alios iudicet vitioſos Apoſtolicæ inhærens ſententiæ. Omnia iudicat ſpiritualis, & (1 Cor. 2) ipſe a nemine iudicatur. Sed o peſtis atque mors graviſſima & occulta! Hæc Deum fugat, præſumptionem peſſimam inducit & abhorrendam, hæc veſcentem in croceis facit ſtercora amplexari, hæc ſpirituali plenum lætitia ad acediam ducit, hæc omnia ad honorem Dei referenda facit dia- (Thren. 4) bolice fraudari. Sed o homo numquid in altum contemplationis aſcendiſti, ut ſic faciens alioſque iudicans debeas magis præcipitium ſuſtinere? Pone ergo te noviſſimo loco in conſideratione tuiipſius, & cadere non valebis, & Dei commendans opera omnia, commendaberis. Attende ergo o homo in contemplatione conſtitutus, & cognoſce qualiter Deus propter ſuum honorem faciens creaturam diverſis diverſa voluit munera elargiri ut non uno modo, ſed multiformiter honoretur, atque ſui theſauri manifeſtari ſic queant & commendandi ſuam magnificentiam materiam multipliciter habeamus. Debes ergo cogitare primo, quod Deus ſicut bonus paterfamilias ordinans domum ſuam, penſat filiorum ſapientiam, potentiam & bonitatem, & ſecundum quod viderit, diverſa committit officia & tribuit dignitates.

A Cogita ergo primo tu, qui contemplationi vacas, quod Deus pater tuus benigniſſimus ſciens te ad omnia imbecillem, noluit te in periculoſis & difficilibus ac implicatis operibus miniſtrare, ſed ſua clementia tamquam infirmum per contemplationis quietem te voluit conſolari. Alios autem cernens in charitate ferventes & fortiter radicatos, voluit ſuper periculoſa & difficilia ordinare, ſibi nihilominus quietem tribuens poſt laborem & conſolationem non modicam in labore. Si ergo videris te ſpiritualibus inhærere, ceteros autem circa alia laborare, non eos iudices, ſed ſapientiam, & bonitatem Dei in B eis inſpice. Te autem infirmum agnoſce, alioſque conſidera eſſe fortes. Quomodo enim fortem te reputare potes, qui propter nimiam tui infirmitatem lecti mollitiem, id eſt contemplationis dulcedinem ſuſtinere non vales, ſed ad modum arundinis omni vento moveris? Quid ergo faceres, ſi te oporteret una manu ædificare, & alia hoſtes gladio effugare? Nempe ſolo pavore deficeres. Lauda ergo Dominum Deum tuum, qui potentes in arduis poſuit, & adverſis prudentes cautos fecit ſtudiis, clementes bonorum temporalium fecit diſtributores. Te autem ne deficeres, voluit quieſcere per contempla- C tionis quietem: ne errares, noluit te ſubtilia & curioſa inveſtigare, ut ſimplicitatem haberes: ne malus diſpenſator eſſes, voluit te omnia abnegare, ut pauper eſſes. Non ergo te de iſtis exaltes, & alios iudices, ſed exaltes: nec ab eis excludas eos, quos videris otioſos. Debes enim cogitare, quod tamquam ſapientes & probi theſaurum acquiſitum abſcondunt laborantes in occulto, & in publico quieſcentes. Aut certe cogita, quod ille, qui dedit ventis pondus, permittit eos in iſtis minimis & manifeſtis deficere, ne de maximis, quæ ſibi concedit in ſuperbiam eleventur. Et quamvis ſic facere debeas de omnibus ſupradictis, tamen quia vides eos in periculo eſſe, debes

bes

Digitized by Google

bes tu, qui in quiete es, pro eis orare, ut ſic poſſis eos allicere ad quietem. Debes ſecundo omnia ad laudem Creatoris reducere. Quod facere poteris per hunc modum, & etiam melius ſi Dominus dignabitur tibi indicare. Cum etiam videris aliquos in prælatione temporali, vel ſpirituali, ſive in dignitate aliqua conſtitutos hoc eſſe factum ad commendandum magnificentiam & potentiam Dei cogitabis, & eum laudabis. Cum autem aliquos inſiſtentes ſcientiæ videris, & non ſolum Creatoris, ſed etiam creaturarum occultiſſima inquirentes, & quemlibet verſiculum curioſiſſime obſervantes, ſeu ordinantes, hoc eſſe ad manifeſtandam Dei ſapientiam non ignores, & in eis divinam ſapientiam commendabis. Cum autem videris aliquos temporalibus negotiis inſiſtentes, in ipſis laudabis Dei providentiam, per tales quieſcentibus providentem. Si videris aliquos inſiſtere operibus pietatis in ipſis laudabis divinam bonitatem ſe ad omnia diffundentem. Si videas aliquos ceteros judicare, Domini judicium time. Si videas pœnam inferentes, divinam recogita juſtitiam. Si rigidos, divinæ juſtitiæ expaveſce rigorem. Si reprehenſores, & cauſarum diſcuſſores, futuri judicii recordare. Si videris prælatos circa punitionem remiſſos, in eis divinam miſericordiam commendabis. Si calorem habueris, recogita Dei Patris erga nos nimiam charitatem, qui ſuum Filium voluit incarnari, & pro nobis omnibus crucifigi. Si frigus habueris, ab omni æſtu miſeriæ ad refrigerium anhelabis. Et ſic omnia potes reducere ad laudem Conditoris. Non enim debet eſſe creatura quantumcumque tibi viliſſima, ac infima videatur, in qua tuum non honorifices Creatorem. Hoc ipſo enim omnis creatura digna eſt omni laude, quod a Deo condita eſt, & ab eo conſervatur in eſſe, & hoc ipſo dicitur eſſe Dei, ſi ſuum mirabiliter commendat auctorem. Hæc pauca exempla poſui, ut habeas mentem

A & viam ad maiora. Et iſtud eſt divinum judicium ad quod, te voluit Apoſtolus invitare in auctoritate prædicta, quam tu peſſime aſſumebas. Non enim vult Apoſtolus innuere, quod ſpiritualis homo ceteros debeat contemnere, vel judicare, cum alibi ipſe dicat: Nolite ante tempus judicare. (1 Cor. 4) Et alibi: Tu qui es, qui alienum ſervum judicas? (Rom. 14) Sed tu dices, quod hæc ſecreta divinæ ſapientiæ non percipit homo carnalis, ſed ſpirituali mente præditus, ut dixi, quod melius in creatura qualibet judicabit, id eſt, diſcernet. Judica ergo & tu omnia, id eſt, divinam ſapientiam & bonitatem in B omni creatura diſcerne, ut verum omnium honorifices Conditorem. Si autem aliquem certitudinaliter & probabiliter noveris peccatorem, cave diligenter, ne propter hoc ipſum condemnes, nec etiam ipſum commendes, ſed vitium tibi diſpliceat & compatiaris inquantum poteris perſonæ. Laudabis etiam Dominum Deum tuum, qui non permiſit impium gravius cadere, nec te illud vitium perpetrare. Nullo enim modo dubites, quod ſi te non cuſtodiret a malo, graviſſima & turpiſſima deduceres ad effectum. Deum etiam ſuppliciter exorabis ut ipſum & quemlibet peccatorem relevet a peccato, & te C cuſtodiat ab omni malo. Niſi enim noveris compati peccatis proximorum, ad bonum indurabitur cor tuum, & forte in malum corrues ſine freno. Qui enim fideliter oratione vel exhortatione bonum proximi non procurat, cum facere poteſt, non dubito, quod ab ipſo Domino elongatur. Sed quanto magis credis ab his Dominum elongari, qui arridendo detractoribus ac ceteris peccatoribus applaudendo, eis in ſua malitia favent & audaciam tribuunt iterum ſimilia faciendi. Si ergo opportunitas ſe obtulerit, malum argue, aut ſi non expedierit, ſaltem triſtitiam prætende faciei, ut aliqualiter confundatur peccato. Ne attendas magnitudinem alicujus, quia illum reputa eſſe

Digitized by Google

magnum, quî approximat Deo, & tanto meliorem vel majorem, quanto amplius approximabit. Quæ enim perverſitas facit ſervum diaboli timere, & magnum reputare, & Filium Dei adoptivum contemnere, jam arrham patriæ poſſidentem? Veſania eſt nimis magna, a qua nos cuſtodiat Chriſtus, qui eſt benedictus Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput IX.

Quod contemplativus non reputet alios impares ſibi.

NOn ceſſans antiquus hoſtis, cum non poteſt virum contemplativum in hoc decipere, ut velit alios judicare, ſaltem nititur eos ad hoc deducere, ut quia vident ſe in multis operibus, quæ ipſi faciunt, proficere, alios imperfectos eſſe judicent: quia eiſdem non vacant laboribus, aut certe quia eadem, qua ipſi, ſolicitudine & quiete, ſive vigilia & abſtinentia non utuntur, ſed potius eos vident ſecundum ſuum judicium otioſos, vel cernunt eos circa temporalia implicatos, in quibus ipſi, qui ſic mundo proficiunt aliquando offendunt. Sed o error peſſime & occulte, qui ſecundum exteriorem converſationem vult de interiori homine iudicare! Non enim requirit tantum laborem corporis, quantum laborem cordis ædificium ſpirituale. Immo apud Deum primum ſine ſecundo non valet: ſecundum autem ſic ſine primo: & quod uni eſt nocivum, alii quandoque perutile erit. Et ſicut facies hominum ſunt diverſæ, ſic & modi vivendi, & in bono proficiendi. Et ideo quando te vides laudabilibus operibus fulgere, & alios vides circa alia intentos & negligentes, cogitare debes, quod licet iſta ſint in aperto, in occulto tamen vel ſaltem in cordis cubiculo laborant opera delicata. Et quia Deus illos per cordis ſanctitatem diligit ſpecialiter, forte non curat eos exterioribus laboribus aggravare, ut ne tam interius, quam exterius laborantes ſuſtinere non poſſent.

Debes ergo ad iſtam tentationem expellendam primo in corde tuo cogitare, quod non eſt conſuetudo quod filii regum quotidie ad lucrandum panem ſuum manualibus operibus ſe affligant, ſed ut delicate & ſine labore magno de regalibus deliciis nutriantur. Nam ſic eſt ad litteram, quod oportebit multoties unum fratrem ad habendam unam devotionem, aut aliquam interiorem ordinationem, multum laborare, & illud idem vel melius habebit alius in ſola mentis converſione ad Deum.

Secundo cogitare debes, quod illud, quod habere laboras, & modo de novo incipis deguſtare, ſit tam in aliis inveteratum, & firmiter radicatum. Et fortaſſis iſta eſt ratio una, quare affici ſicut tu exterius circa bona ſpiritualia non videtur, quia dulcedo ſpiritualis de novo veniens mutationem inducit, ſed non ſic ut credo illum, qui iam diu eſt mutatus immutat, ſed perficit & conſervat. Et quando vides te quodam modo liquefieri præ amore, alios vero minime, cogitare debes, quod ad calorem ſolis iuſtitiæ ad ſimilitudinem ſolis materialis aliqui liqueſiunt præ amoris fervore a Deo, ut ſua membra valeant ſuſtinere. Alii vero deſiccantur non ſolum ab aquoſitate peccati, ſed etiam ab humiditate reliquiarum peccati, & in bono ita conſolidantur contra malum, ut nihil a charitate Dei valeat eos ſeparare. Aliqui vero matureſcunt ita, quod ſibi tam interius, quam exterius dulciſſimi videantur, & abolita iam omni mentis acerbitate iam potius in patria, quam in via habitare cernantur. Aliqui vero creſcendo ad modum arborum, quamvis tales dulcedines non deguſtent, creſcentes tamen de die in diem fiunt apud Deum maiores. Alii autem putreſcunt, ut mali. Dum ergo aliquos iſtorum effectuum recipis, debes credere, quod ille idem effectus vel maior ſit in fratre tuo. Et quamvis

vis non ſic cito liqueſiat præ amore, ſicut tu, fortaſſis conſolidatur vel matureſcit, vel creſcit in bono, & hujuſmodi ſunt forſan meliores effectus. Et certe cum credis, te liqueſieri, tu marceſcis: & ideo alios non minus te propter talia perfectos judices, ſed potius time, ne ſibi tu valeas comparari. Nam ſi cera cum liqueſcit ad ſolem, ceteris creaturis diceret nullum beneficium ſolis, aut non ita maguum percipitis, ſicut ego, ſtultum eſſet: quia & ſi non liqueſiant ad ſolem ſicut ipſa, tamen arbores potiora fructus percipiunt beneficia. Potes, & a te adhuc totaliter prædictam tentationem effugare. Debes namque cogitare, quod ſicut quantum ab bona temporalia bonitatem Dei percipimus omnes, ita tamen quod ſecundum aliam rationem iſte, & ille, & quot homines, immo quot creaturæ ſunt, tot participandi Dei bonitatem differentes rationes recipiunt: ita ſimili modo credendum eſt, quantum ad ſpiritualia in rationalibus creaturis. Nam gratia naturam perficit. Et hanc diverſitatem in ſpiritualibus timuit Apoſtolus, cum dixiſſet: Volo autem omnes homines eſſe, ſicut meipſum, cum ſtatim ſubdit: Sed unuſquiſque proprium donum ex Deo habet, alius quidem ſic, alius vero ſic. Et ex aliis diverſis locis hanc veritatem habere potes. Si ergo ita eſt, quomodo non aliter ſpiritualiter vivet, & ſerviet iſte quam tu? Aliqui enim tendunt ad Deum per quietem, aliqui per laborem, alii ſic, alii vero ſic: & multoties eſt melior, qui vilior reputatur. Non ergo aliquem imperfectiorem te judices, ſi non facit omnia quæ tu facis.

1 Cor. 7

Cum etiam vides fratrem tuum cum aliquo, vel cum aliquibus commorari, & tu ſolitarius es, tunc cogitare debes, quod iſte perfectus eſt in charitate, & propter magnam Dei dilectionem ubique ſit cum eo ſive cum fratribus ſit, ſive ſolus. Et quia tu in dilectione Dei es imperfectus, vix te potes ad proximum conver-

A tere, quin offendas, vix autem aut numquam ad Deum potes bene te convertere, quin oporteat te a proximo ſequeſtrari, ſed hoc certe imperfectionis eſt. Nam Angeli, qui ſunt in charitate perfecti ita bene moventur in Deum, cum ſunt nobiſcum, aut cum nobis miniſtrant, ſicut cum ſunt in cœlo empyreo. Hoc tamen non dico, quia credam ſic totaliter poſſe in via fieri, ſive dum viatores ſumus, ſed aliqualiter poſſumus eos ſequi.

Adhuc etiam potes cogitare, quod ſunt ab iſtis exterioribus retracti, & ſoli Deo vacant, & ita ferventer moventur in ipſum, quod propter nimiam intentionem mentis corpus diſſolvi B videatur, & ad nimiam redigatur debilitatem. Et ideo, ut vires reſumant, ne penitus deficiant, & ne etiam ſua ſanctitas ab aliis advertatur, ſe offerunt, ut ſervos ſolatio proximorum, ſemper tamen omnia ad honorem Dei facientes. Et ideo ſtultum eſt, fratrem ſuum judicare pro qualibet truſa, vel imperfectum reputare. Sunt enim hodie multi honeſtiſſimi exterius, qui parum proficiunt interius. Et multi ſunt diſſoluti in geſtibus, qui ſunt in corde ſanctiſſimi, aut amiciſſimi Dei. Aut, quod pejus eſt, aliqui ſunt odoriferi hominibus, & coram Deo ſunt fœtidiſſimi, & ſuæ exterioris ſanctitaC tis jam ſuam receperunt mercedem. Et aliqui apparent hominibus peccatores, & eorum converſatio interior eſt in cœlis. Non dico tamen, quin multoties converſatio exterior correſpondeat interiori. Et quia hoc, vel etiam contrarium diſcernere non valemus, omnes eſſe Dei filios judicemus, & nos inferiores omnibus: niſi tamen manifeſte contrarium videamus. Nam de bonis, & de ſua eminentia ſanctitatis incerti ſumus, ſed de noſtra multiplici malitia ſumus certi. Magna eſt enim præſumptio velle circa proximum meum limitare influentiam divinæ bonitatis, quia mihi omnes mores ſui non placent. Et quid inſanius, quam divi-

Matth. 6

nam influentiam, vel complacentiam velle, ſecundum meam complacentiam regulare. Hoc autem tunc facio, cum illud, quod non mihi placet, ſuſpicor non placere Deo. Cum etiam vides aliquos circa exteriora implicari, tunc cogitare debes, quod illa ad laudem ſui Creatoris referant, & magis in illis circa Deum afficiantur, quam tu cum te recte convertis ad Deum. Fortaſſe enim, quia ſic Deum diligunt vehementer ſtudent ipſum quærere in omnibus creaturis, quia ipſum in omnibus nimis laudabilem, & deſiderabilem eſſe credunt, & cognoſcunt. Et hoc eſt magnum gaudium, & lætitia eorum, cum vident etiam in rebus viliſſimis ſummam Dei potentiam, bonitatem, & ſapientiam mirabiliter commendandam. Et ideo illa vilia forte ſic libenter pertractant, ne aſſimilentur nobis, quibus omnia ſunt nociva. Sed forte quando credis eos otioſos eſſe, inenarrabili tunc lætitia ſpirituali perfunduntur interius, quamvis hoc diſſimulent, ut ſapientes. Aut forte, quia ſe reputant ita viles, non præſumunt ſe divinæ faciei continue præſentare, ſed ſe vilibus adiungentes, nituntur reverti ipſi in corde, ita tamen quod ipſum in veritate aliquando contemplantur. Et hæc poteſt eſſe ratio, quare ſic ſemper cum aliis jucundantur, quia oritur eis lætitia, quod ſic viles homines ſicut ſe eſſe exiſtimant, poſſit cum eis, quos filios Dei reputant conſolari. Et ſi dicis propter aliquos, ergo deberent cum melioribus converſari. Dico, quod forte illos meliores reputant, qui minorem ſimulant ſanctitatem. Aut forte eſſe cum illis non reputant ſe dignos, quia nimis converſationi illorum eſt diſſimilis vita ſua. Et ideo ſufficere eis videtur, ſi valent eſſe cum illis Dei filiis, quos poſſunt aliqualiter imitari. Sciunt enim, quod in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Aut forte nolunt eſſe cum magnis vel nimis perfectis, ne ſua bona intentio cognoſcatur. Potes etiam cogitare, quod

A forte hoc conceſſit eis Dominus, ut circa iſta extrinſeca implicentur: & cum fratribus converſantur, quia ſic eſt Deum difficilius poſſidere, quam ſi ſolitarii permanerent, & quanto cum majori pugna & labore Deum obtinent tanto eſt eis laudabilius. Quis dubitat, quod ſi homo implicitus vitæ activæ negotiis adeo perfecte poſſideret Deum, ſicut ille, qui moratur ſolitarie, quin, & laudabilius eſſet? Et certe ubi eſt maior reſiſtentia, ibi aliquando intenditur vis amoris, & per multiplicem intenſionem actus, ſive fervoris augetur ſubſtantia charitatis, & inde majus præmium aſſequuntur. Cum ergo eos credis perdere, B ipſi lucrantur: & cum eos exiſtimabis infirmos invenire in via, in patria ſuper te invenies exaltatos, ſi tamen ibi fueris. Multum enim timendum, ne ſicut humilitas ipſos exaltat, ita noſtra ſuperbia, qua omnes alios volumus judicare, nos dejiciat in infernum. Aut cogita de eis, quod ipſi approbant, poſſe ſe Deo ſervire perfecte in his, ad quæ ſe inveniunt paratos, magis quam accedere ad ardua, & deficere ſicut facis. Multum enim reputant vel reputare debent incongruum aliquid tanto Domino agere imperfecte. Aut forte tam magna in occulto, quam parva in publico, tam terrena, quam cœleſtia attentant facere, C ut in omnibus his inimicus humani generis impugnetur, & ipſi in omnibus mereantur. Et quanvis ſic imperfecti tibi videantur, forte plus in uno interiori motu moventur, quam tu in multis. Immo forte pluſquam tu in omnibus, & hoc ignorans minores te non iudices alios, ſed lauda Dominum, qui dignus eſt te eis ſociare, quorum forte meritis ſpiritualiter vivis, & ſi non vivis per eos forſitan vives. Hæc autem dixi ad reprimendum diabolicam tentationem. Et quamvis ſit ſic aliquando, aut ſic eſſe poſſit, & ſic de proximo ſit credendum: tamen ſimpliciter mihi magis placet, & credo, quod magis placeat Deo vita contemplativa quam activa & vita ſolitaria, quam domeſtica,

Digitized by Google

ſtica, & mihi magis placet honeſtas, quam diſſolutio: & hanc credo magis eſſe eligendam, quam illa, quia, & ſi illa poſſet ordinari in Deum, & in ſapientibus ordinetur: tamen ſemper quod eſt propinquius fini, magis eſt eligendum, & magis ipſe finis, quam quod eſt ad finem. Et ideo licet ita ſe habeant iſta, tamen non eſt dubium, quod perſonæ iſta habentes ſe habent ut excedentia, & exceſſa. Nam aliqui activi majoris ſunt charitatis, & meriti, quam aliqui contemplativi, & e converſo: & aliqui domeſtici, quam aliqui ſolitarii, & e converſo. Quidquid tamen habeamus, dummodo Deo placeamus, magnum erit: quia in tanta multitudine hominum pauci ſunt Deo grati. Cujus rei cauſa, & pro nobis, & pro ipſis debemus quotidie lacrymari non modicum, & deprecari, ut dignetur nos facere ſibi gratos, aut ſi ſumus uſque in finem in gratia nos conſervet. Quod ipſe nobis concedat, qui propter hoc voluit incarnari, & lethaliter vulnerari. Amen.

CAPUT X.

Contra ſuperbos, & de ſe præſumentes.

O Superbe o Luciferi imitator immunde, numquid te cogitas Deum eſſe, an omnia eſſe a Deo ignoras? Si ergo a te aliquid eſſe proteſtaris certe Deum te eſſe fateris. Sed amplius vide, ut tua inſania reprimatur. Nonne de alienis ſtultum eſt gloriari? Cum ergo cuncta ſint a Deo ſi de aliquo gloriaris te comprobas eſſe ſtultum. Si autem hæc ignoras, te comprobas eſſe cæcum. Audi ergo inſane. Si gloriari vis, & ſtultus apparere non vis, exclude quæ non ſunt tua, & de reliquis glorieris. Sed certe ſi omnia non tua excluſeris, in nihilum redigeris. Ergo de nihilo gloriare, ſi non vis incurrere vanitatem.

Sed ſpecialius ad dona gratum facientia deſcendamus. De illis gloriari non potes, quia hæc te habere ignoras, immo ſi gloriaris, non habes. Sed etiam, quod habeas ſuppo-

A namus, qualiter ea poſſideas videamus. Tibi proditori, & infideli ſervo Domini tui juſtitiam, quam habes noſter benigniſſimus Dominus, tamquam pannum albiſſimum dedit, & tu eam ſtillare non ceſſas ſanguine menſtruato. Sed o veſania plene, utinam ſaltem frontem mulieris meretricis haberes. Quæſo quæ ſit meretrix ſic corrupta, quæ de menſtruo glorietur? immo quaſi nullam invenies meretricem, quæ de hoc non intime confundatur, nec etiam audet hoc ſponſa amantiſſimo ſponſo revelare. Quid ergo o ſtulte in malitia gloriaris? Si tantum in menſe ſemel ad modum mulieris deficeres, habe-
B res forte cauſam gloriandi. Sed erubeſce, & dole, quia quotidianus, & quaſi continuus eſt fluxus tuus. Si ergo a te ſolum eſt malum, & a Deo tantum eſt bonum, non in te, ſed in Domino glorieris, & de tua turpitudine coram oculis divinæ Majeſtatis continue erubeſcas, ſicut deficere non deſiſtis.

Sed dicis. In me nolo de cetero gloriari, ſed tamen cupio ab omnibus commendari. Sed o impie latro audi. Nonne ſtultum eſt largiſſimo Domino, qui omnia tribuit abundanter, furari, quod ſibi chariſſimum eſt: maxime, ut videat, & ſibi diſpliceat, & ſuſtinere non valeat? Sic
C eſt ſtultus, qui ab hominibus laudem quærit. Ideoque cum univerſa propter ſemetipſum operatus ſit Deus, omnes laudes, omniaque laude digna ad honorem referas Dei tui, & in teipſo cogita diligenter quod ad hoc creatus es, & redemptus, ut non tu, ſed Deus in tuis operibus commendetur. Tu ergo Domini voluntatem fideliter exequaris, ut laudari abhorreas, Deum autem gaudeas ab omnibus exaltari. Et quanto magis ab aliquo commendatur, tanto in majus gaudium eleveris, & ſtudeas quantum potes, mente, lingua, & opere Deum tuum omni tempore adorare, ſemperque actu ſolam ſuam laudem intendas. Si enim bene diligeres Dominum Deum tuum, ejuſque hono-

Digitized by Google

rem appeteres, ut deberes, malles amariſſimis quibuſcumque ſemper paſci, & ab omnibus ſtultus reputari, immo tamquam ſtercus abhorreri, quam quibuſcumque deliciis abundare, & quantumcumque ab omnibus elevari, aut quantacumque corporali perfrui ſoſpitate, ſi Deus tuus in te amplius non laudaretur. Et etiam poſito, quod par eſſet præmium, utrobique, hoc deberet gratiſſimum eſſe nobis, quod altiſſimus Deus noſter a nobis, & de nobis aliquod laudis munuſculum recipere dignaretur. Sed propter noſtras miſerias in contrarium nitimur tota die. O mira, ineffabilis, amabiliſque clementia Salvatoris, qui tam benigniſſime noſtris condeſcendit miſeriis! Quis illam poterit nuntiare? O homo totaliter te involve in miſericordia, & mirare, & tam dulci Domino gratias agere non deſiſtas! O mi Domine, quid tibi contuli, quod tam dulciter me ſuperbum atque arrogantem pertractas, & foves? Quæ eſt iſta gratia, quam inveni, quod ante te me ſuſtines ad momentum? Certe hoc non merui, ſed potius, cum feris habitare, immo bone Jeſu nec etiam creatura tua mereor nominari. Quid tibi pro his faciam o immenſitas bonitatis? quid pro his tantis beneficiis potero tibi exhibere? Ego neſcio tibi ſatisfacere pro delictis, nec etiam pro beneficiis laborare, nec tibi valeo aliquid dare niſi tuum. Scio quid faciam. Me tibi totaliter exhibebo, & me ipſum in te totum proiiciam, & ſemper timore, & verecundia plenus tibi quantum potero reverentiam exhibebo. Et ſi dignaberis, tibi fideliter continue miniſtrabo: & ſi hoc parum ſit, quia quod potui, feci, non dubito, comprobabis. Sed hoc maximum mihi eſt, ſi dignaberis me tecum in area commorari. O quam dulcis tunc mihi eſſet tua præſentia ſumme bona! Accedam cum ſilentio, & diſcooperiam pedes tuos, ut me digneris advenam in matrimonio copulare. Non quieſcam certe donec tuis amplexibus gaudeam, & inenarrabili dulcedine conſopitus in tuis *Iſa. 60* brachiis conquieſcam. Tunc deliciis A affluam, & mirabitur, & dilatabitur cor meum, & mira ſuavitate potius nihil niſi te potero cogitare. Attamen obſecro amabilis Domine, ut meo regimini nullo tempore me dimittas, quia ſum animæ meæ lacerator, & lapidator impius. Omnia, quæ mihi volueris elargiri, ſicut illa tribuis, tu conſerva, & tibi ſoli ſit honor, & gloria, &c.

Caput XI.

De paucitate bene obedientium.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis imbrem lacrymarum, *Hier. 6* B ut plorare valeam perfectorum ſtatum, quaſi ad nihilum jam redactum? Nam terra culta divinis conſiliis, & Chriſti exemplis, ſpinas, & tribulos germinat pro frumento. Certe quanto *Gen. 3* res perdita eſt nobilior, tanto debet eſſe intenſior dolor. Sed ut de multis aliqua videamus, de obedientia tamquam de religionis fundamento pertractemus.

Heu curre, & diſcurre, utrum poſſis in ſua perfectione in aliquibus eam invenire, & credo, quod vix aut numquam in aliquo invenies eam latitantem. Sed mirari potes, quod cum religiones, *Iſa. 9* & religioſi multiplicentur, quomodo obedientiæ perfectio ſit in paucis, immo quaſi in nullis valeat C reperiri? Certe ſi multiplicata eſt gens, non eſt tamen magnificata lætitia ſpiritualis intenſive. Quæſo, ut mihi dicas, quis eſt ille, qui velit habere prælatum ad præcipiendum, nonne potius ad ſerviendum? Jam volumus Prælatorum voluntatibus aſſentire? Certe non; ſed volumus ut voluntates noſtras debeant in omnibus adimplere. Et ſi aliquid deeſt, jam plus de ipſis, quam de ſcutiferis ſuis murmuramus, ipſis gladio linguæ non parcimus, & quod pejus eſt, quod nobis ab alio eſſet gratum hoc ipſo quod ſit a Prælatis, eſt nobis odioſum. Jam non cogitamus, quomodo poſſumus eorum voluntatem plenius adimplere, ac noſtram voluntatem perfe-

Digitized by Google

ctius abnegare, ſed quomodo poſſimus eis in omnibus reſiſtere, & ad faciendum quod cupimus eos coarctare, aut renuendum quod nobis injungunt, excuſare, & aliqua palliare: aut diligenter inveſtigamus, quomodo non teneamur ſibi in hoc, vel in alio aliquatenus obedire. *Philip. 2* Sed heu Luciferi imitator, qui præeſſe voluit potius quam ſubeſſe. Timeo ne ſecum habitaculum habeamus, & ad confuſionem *noſtram* appareat Chriſtus paſſus, qui pro nobis Patri uſque ad mortem voluit obedire nihil ſibi retinens de iis, quæ propria voluntas in omnibus appetere conſuevit. Se enim exinanivit ad plenum. Hunc imitati ſunt patres noſtri, qui cum Prælati eſſent, ſe ſubditos faciebant. Hoc ſibi dulce, hoc delectabile, hoc ſibi erat peramabile. In his, quæ magis ſuæ voluntati contraria exiſtebant, in his, quæ ad exterioris hominis *confuſionem, afflictionem, exinanitionem ſpectabant*, ſibi infimis obedire. Non enim curioſe librabant an hoc melius illo, hoc ſecurius, hoc laudabilius eſſet, ſicut quidam faciunt cauſa fugæ: ſed cuncta, quæ non eſſent contra Deum quantumcumque ardua, & vilia, dum cernerent eſſe ſecundum beneplacitum Prælatorum, adimplebant aviditate maxima. Tanta enim in eis erat obedientiæ dilectio, ut ad implenda juſſa non timerent diſcurrere ſuper aquas, nec ire ad capiendas leænas cum injungeretur eis, & multa alia, quæ non ſufficio enarrare, faciebant. Nec enim judicavit eſſe infructuoſum, qui Abbati obediens quaſi importabiliter voluit per annum lignum aridum adaquare. *Exemplum obedientiæ* Ibi apparuit obedientiæ celſitudo, quia quod mortuum, & aridum fuerat, per obedientiæ meritum fructum fecit. Quid ergo de obedientia gloriamur, cur non potius de noſtra ſuperbia confundimur? Numquid viri contemplativi poſſumus nominari? Timeo, quod nec etiam Chriſtiani, ſed potius imitatores Luciferi poſſumus, & dæmoniaci appellari. Quomodo enim Chri-

A ſtianus dici poteſt, qui Chriſto contraria nititur adimplere? Numquid Chriſtus conſideravit, quod ipſe erat Deus, & ſecundum humanitatem omni gratia, & ſcientia plenus, immo quantum ad animam jam beatus, qui beatæ Virgini, & Joſeph erat ſubditus? *Luc. 2* In ſolvendo etiam didragma ſervis dæmonum voluit obedire. *Matt. 17* Nos vero ſumus ſepulcra dealbata hypocriſi, plena oſſibus mortuorum hominibus exterius mortui apparentes, & interius tumore ſuperbiæ vegetamur. Jam obedire renuentes dicimus quod non ſumus vocati in ſervitutem, ſed potius in libertatem. *Gal. 5* Ignoramus enim quod obedire, vel

B ſervire Deo in hac obedientiæ ſervitute regnare eſt. Quanto enim magis noſmetipſos ſubjicimus tanto majori honore efficimur digniores. Non ſolum enim ipſa obedientia reges conſtituet in futuro, ſed, & nunc ſi in ſua perfectione exiſtat, facit creaturis omnibus dominari. Ad ſtatum reducit priſtinum, & nihil contrarium, niſi ad profectum animæ fuerit, moleſtare permittit. Adverſa facit proſpera, & hominem adhuc in mortali corpore facit Angelice ſe habere. Necnon, & ſui Domini honorem appetere cum fervore, & omnibus poſtpoſitis laudem Dei facit quærere cum magna aviditate in qua-

C libet creatura, nec momentum permittit pertranſire a ſervitio Dei. O virtus mirabilis, quæ ſui facit hominem obliviſci, & in ſuum ſemper tendere Redemptorem, & in terris ambulantem facit in cœleſtibus habitare! Quid ergo murmuras de obedientia o ſuperbe? Cum enim dicit Apoſtolus, quod in ſervitutem non ſumus vocati, innuit quod non debemus nec Deo, nec Prælatis obedire timore ſervili ad modum ſervorum, ſed timore filiali, & liberali ad modum filiorum, ac ſi voluerit dicere, quod de cetero voluntatem noſtram propriam non faciamus. Cum enim Dominus Jeſus Chriſtus dicit. *Matt. 16* Qui vult venire poſt me, non adjunxit, beneplacitum ſuum ſequatur, ſed abneget, inquit,

quit, ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, & tota ſacra Scriptura tam vetus, quam nova obedientiam laudat. Si enim bonam ſuperbiam haberes, non renueres Deo tam in ſe, quam in alio quocumque Prælato viliſſimo obedire, ſed potius dedignareris animam tuam tam nobilem ſubiicere alicui alii creaturæ viliſſimæ. Mirum eſt autem, quod dedignatur homo Deo ſervire in Prælato, & non dedignatur ſervire uni homini libero, aut alicui alii creaturæ viliſſimæ, ſed totum tempus ſuum nititur expendere circa nihil. Ideoque pauper ſolitarius, ſi cerneret quod plus quam alius offenderit, & contra Dominum ſuperbe egerit, ſuam voluntatem, in vindictam Dei, & ſui niteretur in omnibus abnegare, & ſeipſum abhorrens vellet ab omnibus conculcari, ſemper tamen ad honorem Dei ſui omnia referens. Quod facere ipſe concedat nobis, qui volens Patri obedire, crucifixus eſt pro nobis redimendis.

CAPUT XII.

Quod tentationes ſunt utiles ſervis Dei.

O Miræ benignitatis Altiſſime, qui nos tentari permittis, non ut capiamur, ſed ut timentes ad te portum tutiſſimum fugiamus. More bonæ matris facis o Domine, quæ filium ſuum a ſe elongatum videre deſiderans, & amplexari per terribile aliquod timorem inducit, & extendens brachia filium recipit fugientem, cum gaudio ſibi arridet, & oſcula dulcia elargitur, & ne alias a ſe recedat, hortatur, ut non accidat ſibi malum, conſolatur ad ſe ſtringens, & demum ubera ſubminiſtrat. O felix tentatio, quæ ad divinos amplexus fugere nos compellit! O dulcis Domine, qui nos permittis undique effugari, & te ſemper tribuis refugium ſalutare, ut tecum omni tempore commoremur. Non ergo te tentationes habere mireris o homo, ſed ad Deum fugias expaveſcens, ibique

A ſi tentari nolueris, reſidebis: ſin autem, capi poteris, & damnari. Si autem a Deo tuo nimium te elongatum repereris, nec potes ad eum recurrere, pleno corde, ad Chriſtum tibi proximum accelerabis, & in ſui lateris puteo panno ſuperpoſito abſconderis, & ne timeas quod te inveniat inimicus.

Hoc ſemper pro regula generali habeas, quod quandocumque Deum volueris ad te profunde inclinare, in corde tuo vulnera Chriſti porta, & ejus conſperſus ſanguine te Patri quaſi unigenitum præſentabit, & ipſe tamquam pater dulciſſimus tibi plenarie providebit. Accede ergo ad

B Chriſtum, & eum ſuppliciter depreceris, ut ex quo non decet ipſum denuo vulnerari, dignetur in tuo corpore ſua vulnera renovare, teque totaliter rubricare. Et ſic indutus purpura poteris Regis Palatium introire. O tentate, vulnera hæc meditare, & hæc ſemper tibi erunt refrigerium, & ſolamen. Ne dubites, quod ſi ea in corde tuo impreſſeris, nulli aditus tentationi patebit. Quis videns Dominum gloriæ, noſtris ſceleribus ſic graviter vulneratum, auderet iterum ſcelera perpetrare? Et ſic pro ipſorum vulnerum reverentia, atque compaſſione non deſiſteret a peccato, ſaltem quia videret quod ſine comparatione gravior pœna deberetur pec-

C catori in omnibus, quam innocens in peccato deberet timere, & etiam abſtinere. Si autem contra te etiam propter tuas nequitias ipſum videris indignatum, ad ſpem peccatorum confugias, Matrem ſuam, & ipſi tamquam Matri Dei reverentiam exhibebis, ac fuſis lacrymis ejus auxilium poſtulabis. Et ſi perſeveraveris non quieſcens, non dubites, quod ab ea quod volueris, impetrabis. Secum enim crevit miſeratio, ſibi pro miſeris ſatisfacere ex officio eſt commiſſum. Et cum magna diligentia hoc exerceas, quia quod communiter exercet erga omnes, tibi non potebit denegare. Quod, & ſi nullo modo te videris conſola-

ri,

ri, noſcas Deum te diligere, & hoc facit, ut peccatorum tuorum profunditates agnoſcas, & tuam miſeriam non ignores, & hoc maximum Dei donum eſt. Non enim ſibi placet præſumptio aliquorum, qui ſe juſtos reputant, & ad ipſum Altiſſimum tamquam ad familiarem amicum accedunt. Vult enim ut quantumcumque quis ſit magnus ſe miſerum, & quaſi nihil reputans, ad ipſum veniat cum peccatorum ſuorum confuſione, & magna reverentia, & timore. Et magnum immo maximum reputet quantumcumque magnus, ſi ipſum immenſus Deus noſter dignatur ſaltem a longe intueri. *Matth. 8* Ideoque pleno corde Dei magnitudinem, & ſuam parvitatem confiteatur, & dicat: Domine non ſolum non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed nec ut tibi appropinquare valeam ullo modo. Sufficit enim mihi, ut tuæ pietatis oculis digneris me reſpicere a remotis. Dico quod ſi in hoc perſeveraveris non quieſcens non ſolum te videbit, ſed ad ſua ſecretiſſima te introducet. Quod ipſe facere dignetur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput XIII.

Quod tentatio de prædeſtinatione reprimi debet.

Si de prædeſtinatione, aut præſcientia Dei aliqua cogitatio tibi ſurrepat, ſic reſponde diabolo talia propinanti: Quidquid ſit de me, te certum eſt eſſe damnatum: ſed ſi ego præſcitus ſum, & Deum non debeam habere poſt hanc vitam: totis tamen viribus laborabo, ut ipſum ſaltem habeam in præſenti, & ipſum poſſideam, quantum poſſum: ne in utroque ſtatu caream tanto bono. Momentum ergo temporis de cetero non dimittam, quin ſecundum meum poſſe fruar ipſo, & ſemper in ipſo ſumma jucunditate delecter, ex quo æternam miſeriam aſſequi debeo in

A futuro. Nonne mihi ſumma veſania eſſet, ſi certum eſt, me æternalibus ignibus cruciandum, me inimico meo tradere in præſenti, & ex nunc incipere cum diabolo converſari? Non ſufficit illa miſeria, niſi me nunc miſerum faciam ante tempus? Immo certe plus prædeſtinanti me Deo meo, prout potero, totaliter exhibebo, ut nihil ſit in me, nec cor, nec lingua nec cetera membra, quin continue ſint in ſervitio Dei mei, ut ſaltem dum poſſum, & quantum poſſum habeam ſummum bonum. Sicut enim ſæculares, qui in Quadrageſima non debent comedere carnes, volunt in carniſprivio carnibus abundare: ſic

B certe de Deo deberet facere, qui de ſua præſcientia eſſet certus. Et hoc præcipue faceret, qui quam ſuavis eſt Dominus deguſtaret, cetera vero delicata abſynthium reputaret. Sed quantumcumque me Deus præſciverit ſcientia, conſtat mihi, & ſcio, quod ſeipſum negare non poteſt: Eum ergo totis viſceribus amplexabor, *Gen. 32* & ipſum ſtringens fortiter, etiamſi aurora apparuerit, & non mihi benedixerit, non ipſum dimittam, quod ſi benedixerit mihi, nec etiam tunc dimittam, & ſine me recedere non valebit. Licitum eſt enim *Matth. 11* mihi inferre ſibi violentiam in hac parte, cum ipſe commendet illos,

C qui regnum cœlorum rapiunt violenter. Aut certe ſcio quid faciam. In cavernis vulnerum ſuorum me abſcondam, ibique quietus latitabo, nec extra ſe me invenire poterit, & etiam expellere non decebit, qui dicit: Eum qui venit ad me non eii- *Joan. 6* ciam foras. Et ſic me damnare non poterit, niſi ſeipſum judicare voluerit. Aut ad Matris ſuæ pedes provolutus ſtabo, & quod propter peccatores Mater Dei facta ſit, allegabo: & ut mihi veniam impetret, implorabo. Nec repulſam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus prædicatur. Ipſa enim non miſereri ignorat, & miſeris non ſatisfacere numquam ſcivit. Non credo, quod propter me novam velit addiſcere lectionem.

Ideo-

Digitized by Google

Ideoque ex compaſſione maxima ante Filium ſuum mecum, ſi dici poteſt, miſera apparebit, & mihi ad indulgentiam ſuum unicum Filium inclinabit. Et ſic triplex refugium habeo, quod quaſi triplex funiculus difficile confringetur. Quod ſi prædeſtinatus ſum, & æternam patriam debeam cum Angelis poſſidere: certe debeo ex nunc vitam Angelicam ducere, non humanam. Totum me illi debeo, qui ſe mihi in præmium præparavit, & hac proportione contentus nihil aliud amodo debeo affectare. Juſtus eſt enim, & ſi aliud quam ipſum quærerem, contra me poſſet rationabiliter indignari, & quem viſurus ſum benevolum, viderem ſtatim iratum contra me ſententiam inferentem. Igitur in fine diabolo ſic concludе: Quidquid de me futurum ſit, a ſervitio Dei non deſiſtam, & væ tibi, qui non potes tanto Domino miniſtrare, & ejus dulci præſentia jucundari, &c.

Eccl. 4

Caput XIV.

Quæſtio carnis ad Deum Patrem de Chriſto.

CArnem contra ſpiritum per contemplationem elevatum, immo contra Chriſtum, animam elevantem auſculta. Inquit caro: Tibi Deo Patri juſto, ac miſericordiæ infinitæ de tuo Filio conqueror, ut tua juſtitia conſideret violentiam mihi factam, & miſericordia tua meæ miſeriæ condeſcendat. Ille tuus Filius plenus ſcientia, & virtute me ſua ſapientia circumvenit, & ſua virtute violentiam mihi fecit. Ille tuus Filius ſua ſapientia ſe ſub carne mihi ſimili occultavit, & ad me, humilitate nimia & benignitate inenarrabili callide ſubintravit. Omnibus fuit humilior, omnibus deſpectior, omnium neceſſitates aſſumpſit, omnium infirmitates portavit, pro omnibus crudeliſſime voluit crucifigi, tam compaſſione, quam graviſſima paſſione voluit affligi, cordis amorem per apertionem lateris ſui voluit demonſtrare, indeque voluit in remedium emanare ſacramenta. Quid plura? Suam carnem conſtituit in cibum, ſuum ſanguinem in potum, & ſeipſum promiſit in præmium, tua præcepta facientes matrem, fratreſque vocabat. Deum non ſolum in via, ſed etiam in patria promittebat, quod ſe ſuccingeret, & eis ad menſam tuam comedentibus tranſiens miniſtraret. His omnibus, & aliis, quæ nec ſcio, nec valeo enarrare, animam mihi deputatam non modo allexit nimis, ſed etiam intus intrans ſua attraxit virtute in tantum, & ſic ſibi ipſam ſuis blanditiis conjunxit, ut jam de me non curet, ſed potius affligat, deiiciat, & conculcet, & ad nihilum redigat, & quod gravius videtur, hoc mihi inferentes diligat, & pro eo, vel eis orationem ſpecialem faciat, & ſi non inferantur inferri appetat. Sicque mortificor, & non curat: in limo jaceo, & exultat. Sed quid dolorem dolori addit, & ut intenſe doleam cupit? Hæc ſua gloria videtur eſſe mihi inferre injuriam, contumeliam, & quidquid viliſſimum credi poteſt. Sicque me deſolatam, afflictamque relinquit, & ipſa ſemper vult tuo Filio commorari, ſemper ſua carne cibari, ſuo ſanguine inebriari, & ubicumque fuerit, vult ſemper ſecum commorari. Nunc autem ſecum apparet in præſepio parva, nunc ſecum brachiis Virginis amplexatur, Virginis brachiis deportatur, lacte Virginis fovetur. Nunc ſecum fameſcit, nunc ſecum ſitit, nunc ſecum conſpuitur, nunc ſecum vulneratur, nunc ſecum in cruce triſtatur, nunc ſecum in cœlis apud te lætatur, conſolatur quocumque perrexerit, ſecum vadit, ſine ipſo eſſe non requirit, ad nihil poteſt ſe vertere ſine ipſo. Quid tibi dicam Pater de tuo Filio, qui animam mihi deditam ſic ſuo inebriavit amore, ſic autem alienavit a me? Si rapinam commiſit, jubeas reſtitui. Nec enim mihi parum videtur ſic rapere unam mentem. Cur enim mihi anima deputata ſolum

Matth. 26
Luc. 12

Fi-

Filium tuum diligit, cur me ſic odit, cur cetera derelinquit? Tui Filii amore abſorpta graditur ſine ſenſu: jam nihil aliud audit, nihil aliud cogitat vel guſtat, nihil aliud odorat, & ſemper vult inter ſua brachia commorari. Ibi jucundatur, ibi lætatur, ibi deliciis abundat, ibi nimio amore inebriata cubat. Nec mirum ſi hæc anima mea tantum Filio tuo adhæſit. Quia niſi eſſet lapide durior, & ferro inſenſibilior, ex quo ſibi tanta Filius tuus fecit aliter facere non deberet. Et ubi iſte eſt durus lapis, qui tanti amoris ardore non ſcinderetur, immo liquefieret ſicut cera, ſi ſibi fierent omnia ſupradicta. Et ideo non conqueror de ea tibi benigniſſime Pater, quia fecit quod debuit: ſed de tuo Filio, qui eam nimis allexit beneficiis, ac me in tanta miſeria dereliquit.

Caput XV.

Reſponſio Patris ad carnem.

Attende, & audi, quid reſpondeat Pater clementiſſimus carni. Quia creatura mea es, tibi juſtitiam cum miſericordia exhibebo. Nam cum ancilla animæ eſſes, ſemper tamen dominari voluiſti, ac ſemper inordinate egiſti, tibi non mihi eam ſervire feciſti, ipſam ad omnia mala pronam reddidiſti, & quod pejus eſt, eam ad imaginem meam factam diabolicæ ſervituti ſubdidiſti. Eam beſtiis peiorem feciſti, eam fœtidam, & abominabilem exhibuiſti, eam ſuper omnem caliginem denigraſti, & in tantum eam alteraſti, ut creaturam tam nobilem cognoſcere non valerem. Oportuit ergo, qui eam, quæ in carne erat, nimis diligebam, meum Filium incarnari, ut eam alliceret ad ſuum, meumque amorem, & quia tibi carni anima adhærendo mortua erat, ut vivificaretur, meum volui Filium incarnatum pro ea occidi. Nec fuit filii mei hic aliqua circumventio vel deceptio, ſed mea, ſuaque ineffabilis dignatio. Et quia tu caro a tuæ infuſionis principio ſemper male egiſti, meus vero Filius erga eam nimio exarſit amore, & ſe totum ſibi exhibuit, non juſtitia mea multa exigit, ut eam totam, & totaliter ſibi dimittam, & ipſa te pluſquam ſtercus abhorreat, & ab omnibus abhorreri cupiat? Sed quia non ſolum juſtitiam, ſed & miſericordiam imploraſti: volo ut aliquando etiam in præſenti dulcedine, quam in meo ſentit Filio, perfundaris, & inſuper in futuro nobiliſſime ac perfectiſſime te dotabo, & ſi bene animæ obedieris ex nunc non ſolum a pœna æterna, ſed & a purgatorio te abſolvo. Qui vivo in æternum.

Caput XVI.

Meditatio ſuper Ave Maria.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Tibi Domine Deus gratias ago, quas poſſum ex intimis præcordiis meis, qui pro nobis indignis dignatus es noſtram aſſumere naturam, & virginali utero bajulari, & ex ea Virgine naſcens, lacte nutriri, ejus foveri gremio, & ejus ſubiici imperio, qui omnia conſervas, & regis, & me fœtidiſſimam ſaniem, & turpitudinem deteſtabilem, & abominatione plenum, & omni vita, immo eſſentia indignum, dignatus es tantum illuſtrare, ut ſciam te Matrem habere, & hoc mihi indigniſſimo conceſſiſti, ut ipſam poſſim, & audeam ſalutare. Non enim feciſti taliter omni nationi: & hoc ſummum beneficium non manifeſtaſti eis. *Pſal. 147* Ubi eſt Domine peculiaris ille populus, quem in manu potenti, & brachio extenſo, de terra Ægypti per deſertum in terram promiſſionis eduxiſti, tot ſignis, & prodigiis manificentiæ tuæ? Nonne Domine iſte eſt populus, cui hoc beneficium promiſiſti? Cur igitur non ſibi tuis cultoribus, ſed nobis idololatris, & infidelibus hoc tuum ſummum, & maximum beneficium reſervaſti? Quare nobis paucis, cum multi, & quaſi infiniti populi hoc ignorent? Nonne Domine univerſorum es Creator, & omnes ad ima-

Digitized by Google

imaginem tuam feciſti? Nonne Domine ſecreta conſueverunt pandi amicis? Cur nunc Domine inimicis, & maxime mihi, quia vertice capitis uſque ad plantam pedis infectus ſum, & totus tendo ad ea, quæ tuæ ſunt contraria voluntati? Cur Domine tam nobile donum, tam excellentem theſaurum tuo infideliſſimo, & nequiſſimo ſervo dediſti? Nonne domine tibi videtur, quod non honorem, ſed derideam Matrem tuam, quando ſuperbus humilem, immo humillimam ſuperbiſſimus, caſtiſſimam immundiſſimus, cœleſtiſſimam immo diviniſſimam vaniſſimus, & terreniſſimus, ſanctiſſimam impiiſſimus, Matrem Dei filius diaboli ſalutare præſumo? Ubi eſt bone Domine nunc reverentia Matris tuæ? Cur tales eam ſalutare permittis? Sed o piiſſime Jeſu propter tuam erga nos nimiam charitatem non ſuffecit, te omni deriſui, & contemptui propter nos ſubiacere: ſed Matrem tuam jam ad dexteram tuam ſedentem permittis pollutis labiis tractari, ut poſſis corda noſtra tuo, & ejus amore inflammare. Nec dubium eſt, quod indigniſſimi ſumus, & credo firmiter, quod nullus ſit cœleſtis Angelus, qui eam, ut digna eſt, valeat ſalutare, quanto magis ego immundiſſima creatura? Mirum videtur, quomodo miſer homo non tremit, & expaveſcit tantam Dominam ſalutare. Sed illud deteſtabile nimium eſt, ipſam nominare ore, & corde, vana, & inutilia immo nefanda tractare, ipſamque alloqui tergo verſo. Cum omni enim reverentia, honore & devotione eſt Virgo beatiſſima ſalutanda: & ipſa tales quærit qui ad eam devote, & reverenter accedant. Hos enim diligit, hos nutrit, hos in filios ſuos ſuſcipit. O beatus qui de tam nobili Matre lætatur, ipſam corde amplectitur, opere imitatur! O felix, qui Matri Dei ſecundum poſſe ſuum nititur conformari! Hic eſt certe, qui omni creatura contempta ſoli Deo ſingulari amore inhæret, & crucifixus cum Chriſto ſalutem animarum ſit. O mirum vere quomodo

A non capitur exultatione cor talem Virginem ſalutantis! Matrem Dei alloquitur, Deum ex ipſa factum hominem contemplatur; hic videt imma ſummis, & ſumma imis pro ſe unitate conjungi. Quomodo, quæſo, non liqueſcit in hac ſalutatione mens noſtra, ubi Deum nos tantum dilexiſſe videmus, ut ex Virginali utero dignatus ſit fieri frater noſter? Os enim noſtrum, & caro noſtra eſt. O mira, & ineffabilis diffuſio bonitatis divinæ! Quanta, quæſo, erga talem Virginem deberet cor noſtrum devotione diffundi, per quam talem ad nos meruimus diffuſionem divinam, per quam certe meruimus Deo eſſe

B fratres, & coheredes in regno? Mira deberet dulcedine os noſtrum abundare, cum tam dulcem Dominam, & benignam ſalutamus, & ejus benedicimus fructum. Suaviſſimus enim, & dulciſſimus eſt fructus ejus, & in ore, & in corde ſapientis dulceſcit! o quam mira eſt hujus Virginis fœcunditas, quæ dum ſalutatur devote, ad cor ſalutantis ſuaviſſimum fructum emanat. Quanto autem in ejus fructu quis amplius jucundatur, tanto ab ea amplius impetrat: & niſi dicat, ſufficit, numquam ceſſabit. O mira Domina mirum videtur, quomodo non tantum delectamur in te ſalutando, quod vel propter te, &

C fructum tuum cetera ignoremus! Quomodo, quæſo, non eſt ad te tantum intentus homo, propter tuam ſuavitatem nimiam, ut & ſemetipſum a ſe abſtractus ignoret? o raptrix cordium! o abſorptrix mentium! Cur nos Domina ingravidas tuo affectu? Cur nos Deo noſtro imprægnas? Cur luto imples cœlos, & vaniſſimos, facis divinos? Cur nos obſecro filii tui inebrias amore, cum nec ſibi aliquid impendere valeamus? Quid tibi prodeſt animarum amatrix, quod te, & Filium tuum nimio diligamus amore? Nonne tibi cœleſtia ſufficiunt? Cur terrena corda requiris, cum tamen ſint fœtidiſſima, & terrena? Accipe animarum venatrix, & refove in ſinu gratiæ tuæ. Quis enim poteſt ani-

Digitized by Google

animarum venatrix, effugere claritatis tuę fulgorem,& tuę radios pietatis? Nec enim eſt qui a calore abſcondere ſe poſſit: quia beneficiis tuis pleni ſunt cœli, & terra. Quocumque enim pergamus, occurrit nobis diffuſio uteri Virginalis. Ecce ergo undique nos tuis beneficiis irretiſti, & ſemper, & ubique tuæ benignitatis laqueos extendiſti, ut a te Matre dulciſſima fugere rationabiliter nequeamus, ſed ſemper in tuæ dulcedinis gremio quieſcamus. Currite ergo chariſſimi undique, & tam nobilem, & ſuavem Virginem ſalutemus. Ave

Patientiam habe Domina, quod Angelicam ſalutationem promo, & Angelice non vivo, ſed potius diabolice. Horrendus ſum, & te ſalutare præſumo. Confido certe dulciſſima de nimia bonitate tua, & tuo inflammatus amore, te quamvis indignus nimium non vereor ſalutare: Ave. Quid mihi Domina dulcius tuo Ave? O mirum Ave, quod quadam cœleſti dulcedine inebriat cor devotum. Certe jam dicere poteſt devote ſalutans: Liquefacta eſt anima mea, ut ſalutavi Dominam meam. Deficit cor meum, & caro mea, dum alloquor Dominam meam: Quis in te non deficiet Virgo ſacra, dum cernit hac ſalutatione prævia te Filio Dei impprægnatam? Quis homo non deficit, dum cernit Dei Filium tuo utero bajulari, tuo lacte nutriri? Quid ergo libentius audis o Domina, quam ſalutationem, qua recognoſceris Mater Dei? Sic in te vis homines jucundari, ut ſemper in eum, cujus Mater es, refundatur affectus. Non enim puto, ut velis aliter, niſi ut Mater Dei ſalutari, nec etiam cognoſci. Porta es criſtallina, & per te vis tuo Filio nos conjungi. Sed ave, & vere ave. Nam cor noſtrum aperuit tuum, ave. O mirabile, & ſuperadmirabile ave, ad quod dæmones affugantur, peccatores liberantur, filii delectantur: Angelus gratulatur, Verbum incarnatur, Virgo gravidatur. Certe ave, cujus fructu creaturæ renovantur, homines redimuntur, Angeli reparantur. Ergo

A tibi ave, univerſa creatura ſine fine promat. O dulciſſimum, & ſuaviſſimum ave, quo terreſtria lætantur, cœleſtia jucundantur! O ave, quod intellectum irradiat, affectum ſatiat, mentem ad cœleſtia levat: quo animus illuſtratur, pectus dulcoratur, caro maceratur. Igitur ave. O catenale Ave, quod cor conſtringis cum Virgine, & ſeparas a terrenis, cum miſericordiſſima miſerum, cum Domina ſervum, cum Matre filium firmiſſime ligas! O amabile Ave! Accedat, ut ſalutet, qui vult catenari amore: & cum ſalutaverit ex corde, amplius, fortiuſque conſtringetur: & quanto conſtringetur fortius, libentius

B ſalutabit. Sicque amor, & ave, mutuo ſe augebunt, donec cor ſalutantis deficiat præ dulcore. O Virginis amor, divinum reddis amantem, virgineum facis jam multa ſorde pollutum. Ergo ave Domina mea mater mea, immo cor meum, & anima mea, Virgo Maria, & Maria mea, ave. O nomen ſuaviſſimum, nomen jucundiſſimum, nomen dulciſſimum, nomen Maria! Quid feci, quid præſumpſi, quomodo exceſſi, quod nominare te audeo? Quis umquam talia audivit, ut perditionis Filius, peccatorum ſacculus, dæmonum famulus, te nominare præſumat? O amor mei, nomen Matris Dei revereri neſcit amor, mi-

C hi parce Domina, quod me amare dicam te. Etenim ſi non ſum dignus, non es indigna amari. Quis o Domina te amare deſiſtet, cujus beneficiis gratiam, & gloriam impetramus? Per te Domina franguntur vincula, ſolvuntur debita, vincuntur vitia, ſolidantur confracta, reparantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima, incœpta promoventur, imperfecta perficiuntur, perfecta conſummantur, cor purgatur, refulget mens, animus inflammatur, liqueſcit pectus, dulceſcit guſtus, decoratur aſpectus, deſponſatur peregrina, traducitur ſponſa, & reſolvitur anima. Omnia hæc per te Virgo Maria, ergo Ave Maria. Vere Maria ſtella ma-

maris, amarum mare & Domina. Stella maris mundo totaliter in amaritudine poſito, lucis æternæ radium emittendo. Amarum mare cor tuum in paſſione Filii tui in cruce pro nobis pendentis totaliter transformando, Domina ſuper omnes Angelorum choros, ad Filii dexteram aſcendendo. Et ſtella maris es nos dirigendo, amarum mare compatiendo, & Domina protegendo. Stella maris es honeſtate, amarum mare pietate, ſed Domina poteſtate. O Domine Deus, quid tibi retribuemus pro omnibus, quæ dediſti nobis? Quid tibi faciemus, aut facere poſſumus, quod nobis in amaricatione amaritudinis poſitis, tenebris undique circumſeptis a portu ſalutis nimium elongatis, turbinibus, & procellis ad naufragium agitatis, immo tempeſtate nimia pene ſubmerſis, tam nobile ſolatium, tam dulce conſortium, tam efficax auxilium, tam pium ſubſidium Virginem Mariam irradiantem ſtellam dediſti? O certe beata nox, & felix tenebra, & glorioſa caligo, quæ tali ſtella meruit irradiari! Certe hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. (*Pſal. 138*) O glorioſa Virgo, ſi es ſtella maris, ſemper volo in hac vita eſſe in mari, ut ſis ſemper mea ſtella, ſemper in mari ſim perfectæ amaritudinis de peccatis meis gemendo, Chriſto crucifixo intime compatiendo, proximorum miſeriis, & vitiis condolendo. Semper volo in hoc triplici pelago navigare, ut habeam hujus ſtellæ ducatum. Væ illis, qui ſunt in deliciis, & nolunt in hoc mare intrare: quia hac dulciſſima ſtella carebunt. Currant undique tribulationes, & ſepiant amaritudinibus inauditis, non timebo, quoniam tu mecum es: (*Pſalm. 22*) immo tunc vere mihi refulges, cum vallatus anguſtiis, cum omni humano auxilio deſtitutus, cum intraverit aqua uſque ad animam meam, (*Pſal. 68*) cum abjectus fuero, & reprobatus ab omnibus creaturis. Me peccatorem nequiſſimum, & omni malo digniſſimum impugnet, & ſtimulet, obſecro, tota mundi machina, ut mecum ſit hæc ſtella maris Maria! o felix cum fue- A ro ab omnibus exprobratus, & conculcatus, & ab hac ſtella ſuſceptus! Stella eſt maris, & in amaritudine poſitis ipſa relucet. O quam dulce, & delectabile oculis, videre hanc lucem! o quam bona, & amabilis commutatio omnem mundi conſolationem abhorrere, & longe a ſe irrecuperabiliter eiicere pro fulgenti ſtella maris! Plus enim valet una ſola iluſtratio illius ſtellæ, quam omnium mundanorum. Quis ergo omnis amaritudinis, & compaſſionis, & paſſionis mare non gaudenter intret, ubi refulget hæc ſtella? Non paveat cor perfectum, quia impoſſibile eſt naufragium fieri hac ſtella radiante, nec poteſt nubes B aliqua interponi niſi volenti! O Domina mea, tu in hoc mari es nobis navis ſuſtentans, & portans, anchora ſtabiliens, & firmans, gubernaculum dirigens, & rectificans, velum deducens, & obumbrans, ſtella refulgens, & ſalutis portum demonſtrans, immo impetrans, & conſervans. Quis ergo non libenter hoc mare compunctionis, compaſſionis & paſſionis intrabit, ubi tu in omnibus ſubvenis, & miniſtras? Immo, ut plus audeam dicere, tu es Maria amarum mare facta propter Filii tui paſſionem, & iniquitatum noſtrarum compaſſionem. Non quod modo aliquid triſtabile patiaris, ſed conſidero mentem tuam, C ſecundum quod in hac vita juxta crucem vivebas. Hoc ergo duplex intremus mare, ſcilicet tuo Filio crucifixo & tuo cordi ſibi infixo compatiendo & de noſtris iniquitatibus, quæ tantæ fuerunt necis occaſio, intime contriſtando, ſi volumus cor tuum intrare, quod factum eſt mare magnum, & ſpatioſum nimis. (*Pſal. 103*) Quis ergo non libenter intrabit hoc mare, ut poſſit cor Virginis introire? Certe hi bene intrant cor tuum, & ſunt continue in corde tuo, qui Filii tui, ruminant continue paſſionem. Impoſſibile eſt enim Mater piiſſima, Filii tui intrare vulnera, & non intrare cor tuum: quia illa vulnera ſunt in corde tuo perpetuo collocata. Sicut enim illa ſtigmata ſemper erunt

in

in Filii tui corpore, ſic ſemper in Matris mente. Quis ergo amplius tardabit, & pigritabit hoc navigium introire? Dulce eſt de te audire, ſed dulcis de te cogitare, & dulciſſimum, & ſuaviſſimum per Chriſti vulnera cor tuum intrare. Non ergo recedat homo a Chriſti paſſione, contumelia & vulnere, ſi non vult a corde tuo exire. Ibi fit homo totus virgineus, totus ſanctiſſimus, totus divinus. Ibi obliviſcitur homo ſui, regitans, quæ ſunt Matris, & Filii. Quod nobis concedat ille, qui benedictus vivit in ſæcula ſæculorum. Amen.

Caput XVII.

Meditatio humilis ac expoſitio ſuper Orationem Dominicam.

Pater noſter qui es in cœlis, &c. o immenſa clementia! o ineffabilis benignitas! o mira dignatio! o longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum charitatis divinæ. Viliſſimum lutum deteſtabilis ſanies, nequiſſima creatura ſe Dei Filium nuncupat, & Dominus dominorum, Rex regum & Dominus dominantium ſe meum Patrem dicit. Cum oratis, inquit, dicite: Pater noſter, qui es, &c. Et quod hoc dicit veritas veriſſimum
Matth.6 eſt. Et ſcio quod plus ſine comparatione me diligit, quam pater carnalis vel mater, immo quam me ego ipſe. De tanto ergo Patre elevabitur cor meum, ut aquila, & jam heres cœli omnia inferiora contemnam. Quid mihi ultra de terrenis honoribus, qui ſum Filius Dei? Majus dedecus eſſet mihi, appetere quantumcumque honorem terrenum, quam filio Imperatoris latrinæ officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis, qui regni æterni ſum heres? Ignominioſius eſſet mihi, de quantumcumque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenitum Imperatoris de fimo equorum. Quid ultra de deliciis carnalibus, & ceteris quantumcumque magnis? Deteſtabilius mihi eſſet filio

A Imperatoris ſummi, affici in quantumcumque allectiva creatura, quam filium regis in ſanie fœtidiſſima. Quid bonum, quid pulchrum, quid utile, quid deſiderabile me allicere poteſt, qui heres ſum omnis boni? Fons omnis pulchri, & boni. Omnia enim reſpectu illius non ſunt, niſi quædam ſimilitudo, & umbra. Accedam ergo ad Patrem meum, quia nihil aliud vult, niſi ut habeam ipſum. Numquid ergo negligens ero? Numquid ergo pauſabo? Numquid aliis intentus ero? Certe cum impetu omnibus poſtpoſitis curram ad eum. Sufficit mihi, ſi habeam Patrem meum. Et ideo toto corde tendam ad eum.
B Non aliud aſpiciam, nec aliud videbo, niſi Dominum Deum meum: quia oculis mentis totus tendo ad eum, quia nimis allexit animum meum. *Pater noſter, &c.* Mel, & favum in ore meo cum te Deum meum Patrem invoco meum. O dulcedo indicibilis! o jucunditas inæſtimabilis! o jubilatio ineffabilis, cum audeam te Patrem meum vocare! o exultatio! o admiratio! o medullaris modulatio, quia Pater meus es tu. Quid ultra procedam, quid ultra dicam, quid ultra petam? Pater meus es tu. Sed ubi es tu Pater mi, ubi es? Si ubique es, immo quia ubique es, quomodo ſedes eſt tibi cœlum?
C Sed ideo benigniſſime vis, ut dicamus, Pater noſter, qui es in cœlis ut nos a terrenis ad cœleſtia eleves. ubi maxime tua potentia, tua ſapientia, & bonitas eluceſcit, ut ibi, mi Pater ſit ſemper tecum converſatio noſtra, ut a te cœleſtia non terreſtria, vel terrena quæramus, & non petamus: aut certe ut nos ſpirituales cœli facti in nobis ſit habitatio tua. Quid ergo nos retardabit, quid nos retrahet, quid impedimenta præſtabit quin cœleſtem vitam non terrenam ducamus, ut in nobis ſit habitatio tua? o digna admiſſio, mira dignatio, & dignativa Chriſti habitatio in nobis! Ego fœtidiſſimus fimus, & abominabilis peccatorum latrina valeo eſſe ex immenſa clementia Dei

mei tabernaculum ejus, & qui ſum plenus ſanie, & fœtore ero ſanctum Dei templum, ſapientiæ ſedes, & habitaculum Spiritus ſancti. O felix dies, o beata hora, cum talem hoſpitem poſſidebo! Tenebo eum, nec dimittam, donec introducam eum, immo ipſe introducat me in domum illius, quæ ſurſum eſt Hieruſalem matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ, ſcilicet in intima contemplationis quiete, ubi cubant, ubi quieſcunt animæ delicatæ. Cant. 3 Gal. 4

Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. O quam bene ſequitur, quam bene continuatur, præelenganiſſime ordinatur petitio ad prædicta, ſcilicet, ſanctificetur nomen tuum ad Pater noſter, qui es in cœlis, quaſi filialis devotio, cœleſtis contemplatio totum animum reverentis filii convertit in Patrem cœleſtem, ut clamet, & dicat: *Sanctificetur nomen tuum*, quaſi dicat: Non terrenas divitias, delitias, & honores peto: ſed ut ſim in te totus converſus, & totus divinus. Sanctificetur ergo nomen tuum, ut ſcilicet mea vis rationalis tua ſapientia illuſtrata, & omni errore, ambiguitate, & tenebroſitate propulſata purgatam habeam conſcientiam, id eſt, puriſſimam notitiam tui.

Adveniat regnum tuum, ut mea vis iraſcibilis tua potentia roborata ad arduitatem regni tui conſcendat.

Fiat voluntas tua, ut mea vis concupiſcibilis, tua bonitate dulcorata, immo tua charitate perfecta pleniſſime tuo beneplacito acquieſcat, ut ex vera dilectionis amicitia ſit idem velle idem nolle. Vel Sanctificetur nomen tuum: quantum ad puram notitiam intellectus. Adveniat regnum tuum: quantum ad fervens deſiderium affectus. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: quantum ad perfectum obſequium effectus.

Sanctificetur ergo nomen tuum in nobis Domine, quod ab æterno ſanctiſſimum eſt in ſe, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus, & ſentimus, totum ad

A ſanctiſſimi nominis tui notitiam ordinemus, ut ſit in nobis nomen tuum ſanctum, id eſt, ſine terra, & purum ut excisi ab omni curioſitate, & vanitate, & omni inutili phantaſia, te ſolum in omnibus cognoſcamus. Semper piiſſime, & ſanctiſſime Pater mentis noſtræ oculus ad te lumen æternum inceſſabiliter dirigatur, ſemper te qui in omnibus es, & a quo omnia ſunt, in omnibus te intuear, in omnibus te cognoſcam! O quam dulce lumen, & delectabile oculis a te ſole juſtitiæ numquam mentis intuitum amovere! o quam dulcis, & amabilis, quam admirabilis oculis noſtris tuorum claritas radiorum! Sanctificetur ergo nomen tuum.

B *Adveniat regnum tuum.* Nunc regnum hujus mundi occupavit totam animam meam, immo totam diſſipavit animam meam, totam laceravit, totam fœdavit, totam denigravit ſponſam tuam dilectam, animam meam. Totum cor meum, totum animum meum vanitas, immo fœditas hujus mundi allexit. Ideo nunc quæ mundi ſunt, ſentio, quæ carnis ſunt appeto, quæ terrena ſunt, cogito, & affecto, factus ſum civis hujus mundi, & ſub huius mundi principe ſollicite ſtudeo militare. Sed o Domine, nonne creatura tua ſum? Ergo adveniat regnum tuum, princeps hujus

C mundi eiiciatur foras. Tu ſolus in Joan. 12
me regnes, tu ſolus inhabites mentem meam, totum me occupet regnum tuum, totum ſibi vendicet deſiderium meum, ſolus reficias affectum meum. Quid quæro, quid deſidero, quid volo, quo vagor, quo diſcurro, quo diſtrahor? Sufficit mihi Domine regnum tuum, ſit tibi habitatio mea: ſit tibi refectio mea, ſit ibi tota converſatio mea. Tu ſolus bonus, tu ſolus pulcher, tu ſolus amabilis, tu ſolus deſiderabilis animarum amator. Tu ſolus me regas, tu ſolus me dirigas, tu ſolus me allicias, tu ſolus cor meum tecum habeas animarum zelator. In te ſolum quieſcat cor meum, & pectus meum. In te ſolum nunc dulcoretur cor meum, tu ſolus repleas

pleas animum meum. Cum impetu aſcendam ad te centrum meum, & regnum meum animarum redemptor. Ergo adveniat regnum tuum.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Hoc volo, hoc deſidero, hoc totis animi viſceribus concupiſco, ut in me, & de me, ac per me, non mea, ſed tua fiat voluntas. Totus ſim, totus in tuum ſolum plaudam honorem, ad hoc factus ſum, ad hoc natus ſum, ut tuum ſolum honorem requiram. Jam non flectar ad meum appetitum, jam non requiram proprium commodum, jam non deſiderem amicorum affectum, ſed ſolum nitar tuum ſolum in omnibus beneplacitum adimplere. Non cogitem B quid amarum, quid dulce, quid oneroſum, vel leve, quid aſperum vel ſuave, ſed cum impetu, & deſiderio ferventi, & cum anxietate curem perficere, quæ tuæ ſunt beneplacita voluntati. Hoc ſolum mihi jucundum, hoc mihi ſit ſuave, hoc ſolum mihi ſit leve, hoc delectabile, & amabile in quantumcumque aſperis, vilibus, difficilibus, effuſis, & amaris, tuam requirere, perficereque voluntatem. O gaudium, & jucunditas, & exultatio medullaris! Utinam totum & totaliter, ſemper, & ubique exponerem me ad omnem tui honorem, quem poſſem modo aliquo effectui mancipare! O vitam ſolus poſſem omnia tua C myſteria mi Domine adimplere. Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus, & viſceribus concupiſco, me totum exponere, & impendere tuo honori, me de me tuæ ſatisfacere voluntati pro te, quam etiam quantumcumque cœleſtibus, & divinis deliciis jucundari. Si enim propter te mi Domine lacceraret, & paſſiones, & mortes quaſcumque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, & de his magis gauderem, quam de quacumque delectatione, quam etiam in patria poſſem habere, niſi forte illa delectatio tantum aut plus cederet ad tui honorem, & hoc etiam non ratione delectationis, ſed ratio- A ne tui honoris optarem. Non enim factus ſum ad meam vanitatem conſolandam, ſed ad tuam magnificentiam honorandam. Quid mihi majus, quid mihi dulcius, quid mihi amabilius, quam me totum in tuum honorem reſolvi? O gaudium Domini! o tripudium! o mihi omne jubilare ſolatium, quod poſſim aliquid quacumque difficultate facere ad tuum honorem? Hoc Angelorum eſt gaudium, cœleſte deſiderium, poſſe tibi totaliter obſequi, totaliter te frui, tuæ voluntati plenarie conformari, & tuum honorem, & magnificentiam admirari. Non dubito, immo certus ſum, quod plus gaudent Angeli, & animæ B ſanctæ de magnificentia honoris tui, quam de magnificentia gloriæ ſuæ. Et ideo fiat voluntas tua, in cœlo, id eſt, in cœleſtibus ſpiritibus: & in terra, id eſt, in nobis hominibus. Et tuæ voluntati adeo libenter, & ferventer ac voluntarie obſequamur, ut ipſi ſecundum poſſibilitatem noſtræ virtutis totaliter conformemur.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. O quam bene ordinat, quam eleganter conjungit hæc verba præmiſſis! & quamvis de pane materiali, & etiam ſpirituali poſſit exponi, de ſacramentali tamen pane maxime exponamus ad præſens. Et ut dixi, in C verbis Domini eſt egregius ordo. Quis enim adeo dignus, quis adeo eſt habilis ad ſuſceptionem hujus Sacramenti ad offerendum Filium Deo Patri, ut ille, qui ut ſupra dictum eſt, ſe totaliter in Deum ordinavit, & quantum ad intellectum, affectum, & effectum, qui ſe totum Deo obtulit, totum ſe ſacrificio conſecravit, qui in ſe annullatus eſt, & Deum totus illatus eſt, qui non quæ ſua ſunt, quærit, ſed quæ Jeſu Chriſti? *Philip. 2* Ille enim in hoc ſacrificio poteſt Jeſum Chriſtum recipere, Jeſum Chriſtum Deo Patri pro ſe & aliis offerre: & ideo petitioni iſti magiſter verus præpoſuit: *Sanctificetur nomen tuum*. Et optime conjungit ad illud verbum: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Qui enim ex

Ægypto peccatorum exivit, in ſanctificetur nomen tuum: & mare rubrum tentationum inundantium ſubmerſis Ægyptiis ſicco pede tranſivit, in adveniat regnum tuum: & in deſerto contemplationis ſoli Deo intendit, & ſe totum Deo dedicavit, in fiat voluntas tua: jam in hoc deſerto eſuriens manna, id eſt, panem cœleſtem, a cœleſti Patre requirit, in panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Qui enim in Ægypto aliquando ſuper ollas carnium ſedit, nunc illis ſpretis ſolum panem vivum, qui de cœlo deſcendit, exquirit, poſtulat, & acquirit. O admiranda Chriſti dignatio, mira jubilatio mentis Deus meus, ſponſus meus, amor meus, factus eſt cibus meus. Sanctorum præmium, gaudium Angelorum, Dei Patris verbum eſt nutrimentum meum. Lux mundi, ſol cœli, ſapientia Dei eſt refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, cælique gloria facta eſt cibatio mea. Quid ultra affecto, quid ultra me poteſt allicer? Abſit a me Domine, ut ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, quod circa aliquid, quod eſt in toto mundo afficiatur. Quomodo, obſecro, poſt tam nobiliſſimum cibum, ſufficientiſſimum, ſuaviſſimum, & dulciſſimum poteſt cor meum circa vana, turpia, & immunda delectari? Et ſi ſemper non poſſit ipſum ſacramentaliter ſumere, ſaltem cor meum ipſum ſpiritualiter non deſinat ruminare. In veritate mirum, & pluſquam mirum videtur, quomodo præ dulcore, & nimio amoris fervore cor non deficit in hoc cibo. Tu ſolus bone Jeſu ſis cibus meus, & refectio mea, te ſolum eſuriam, te ſolum avidio, & inſatiabili appetitu comedam, & ſemper ſim famelicus tui. Quid te dulcius, quid ſuavius, quid amabilius bone Jeſu? Te ſolum volo comedere, te ſolum cupio maſticare. Tu mihi ſemper dulceſcis in corde. Si ſolus odor tuus deberet ſufficere toti mundo, quanto magis cibatio tua? Si in verbo, quod de ore tuo procedit reficimur, & vivimus, quid eſt

A te verbum æternum ore recipere, & cordis dentibus maſticare? Quomodo in te cordis penetralia non liqueſcunt? Quomodo non ſic cor meum delectatur in te, ut obliviſcatur omnia præter te? Si aliquid terrenum, immo aliqua ſimilitudo terreni tantum cor meum occupat aliquando, ut obliviſcatur tui, quomodo tua veriſſima præſentia non me tantum reficit, & inebriat, ut omnis mundi obliviſcar, & etiam mei? Hunc ergo Pater cœleſtis panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Da nobis hunc panem, ut ſemper in præſenti, & ſemper præſentialiter eum habeamus. Sit ſemper præſens ſpiritualiter hic cibus

B & numquam ſciat præteritum vel futurum. Sed hodie doces bone Jeſu, ut dicamus: Cur quæſo tantum feſtinas eſſe nobiſcum? Quare non differs uſque ad cras? Quid enim in nobis vides? quid in nobis ſentis, quid in nobis agnoſcis, quod in tantum noſtro es inebriatus amore? Quid nobiſcum lucraris, quid in nobis reperis, quem fructum de nobis habebis, quod neſcis tardare? Sed ſic amor noſtri te urget, ut differre nequeas, quin ſtatim velis eſſe nobiſcum, cum quibus nullum habes lucrum? Nos autem, qui ſumus fœtidiſſima ſanies, & indigni etiam tua creatura, quantumcumque viliſſima,

C nominari, quomodo differimus ex quo tantum deſideras nos eſſe tecum, quin te ſummum bonum ſpeculum ſine macula impetremus? Tu ergo bone Domine defferre non vis, ut oſtendis, nec nos differre volumus amplius, hodie ergo te repetimus, ut habeamus. Non enim tarda eſt inſtitutio, quod eſſet, ſi peteremus, & non impetraremus. Quia ergo te ſtatim petimus, & deſideramus, & hoc ipſum tu cupis, accede ad cor noſtrum, quia ad te aſcendit cor noſtrum. En inebriatus es noſtri, & nos tui amore. Te ergo ad nos, & nos ad te cum impetu jungit pondus amoris. Et jam omni mora ſublata mutuus fit amplexus, & inter brachia tua deficit anima mea abſorpta amoris

Digitized by Google

ris fervore. Cum enim ſenſi amplexum tuum, excitaſti animum meum, poſt cibaſti, deinde inebriaſti, tandem tuis amplexibus, & oſculis ſeparaſti animam meam, & in tuis brachiis quieſcit, non eam quamvis indignam abiicis, non eam refugis, ſed ad te ſtringens clamas, & dicis: Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ne evigiletis neque ſuſcitare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Sed adjuro clementiam tuam bone Jeſu, quare dixiſti quotidianum? Nonne continue vis eſſe cibus noſter? Nonne ſufficit ſi per unam diem in nobis habitas, & moraris nobiſcum? Quid fecimus tibi? Quid ergo dicam de benevolentia tua? Neſcio: quia in illis theſauris clementiæ tuæ deficit animus meus, ita ut non poſſit parvam conſiderare ſcintillam, tanta eſt abyſſus ejus. Et ideo aliud neſcio dicere, niſi ex quo vis ſemper eſſe nobiſcum, nos omni tempore ſimus tecum, & numquam a te ſponſo benigniſſimo, & ſpecioſo, cibo, ſuaviſſimo recedamus. Ita enim Domine tuo amore & devotione nos conglutines tecum, ut non poſſimus a te recedere, nec velimus.

Cant. 2 & 3

Sic ergo: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hoc ſic ordina & conjunge prædictis. O bone Jeſu nobiliſſimum cœlum nobis indignis ſervulis tuis benigniſſime, & inſtantiſſime obſtuliſti. Sed quid? Timeo ad convivium Eſther, ut Aman invitari. Et ſi illa bone Jeſu non ſit intentio tua, tamen timeo de injuſtitia mea, quia agnoſco peccata mea. Quid ergo? Convivium opulentiſſimum paratum eſt, nuncii, id eſt, Angeli ſancti miniſtrant, eſuries me excitat, & compellit: tamen accedere non præſumo, quia peccavi. Quid ergo faciam? Anguſtiæ ſunt mihi undique. Sed certe quid eligam ſcio. Ibo enim ad Patrem mecum cœleſtem, de quo ſupra dictum eſt. *Pater noſter, &c.* & dicam ei. Pater peccavi in cœlum, & coram te. Jam non ſum A dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis, id eſt, dimitte nobis debita noſtra. Sed o felix recognitio culpæ, quæ promeretur Patris amplexus. Forte amoris fervore inter amplexus ejus reſolvar, & mutabor in virum alterum, & aliquantulum audebo comedere de vitulo ſaginato. Dimitte ergo nobis debita noſtra. O mira Dei noſtri dignatio! ergo nos ipſum contempſimus, & pro viliſſima ſanie commutavimus, & tamen nobis ſuadet ut veniam petamus. Quomodo vult nobis veniam dimittere cum offenſis, hoc autem non vult Angelis elargiri? Quomodo, quæſo bone Domine potes nos amplius aſpicere, B qui ita turpiter a nobis abiicimus te? Ergo ex quo tu ipſe ſuades, *Dimitte nobis debita noſtra*, dimitte nobis: quia jam pro nobis ipſe debitum ſolviſti, jam te ipſum pro nobis in ſacrificio obtuliſti. Tu es, qui nos doces, ut dicamus, Dimitte nobis, &c. Hoc facere potes. Nonne pax jam facta eſt? Nonne jam pacis convivium celebratum eſt, aut quotidie celebratur. *Dimitte ergo nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris.* O beatum proximi debitum! o felix offenſa, quam allegare coram Deo poſſumus in remiſſionem debiti noſtri! Non ergo chariſſimi fratres contriſtemur, ſi nos offendunt homines, ſi nobis injuriantur, C ſi nos affligunt, rapiunt, & accipiunt noſtra: ſed in his quantum eſt pro nobis exultemus, & gaudeamus, immo affectemus, & cupiamus: quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus dimiſſionem debiti noſtri. Non eſt dubium, quod magnæ virtutis, magnæque efficaciæ eſt allegatio iſta, quam ſummus advocatus, & judex noſter nos docet. Ergo dimittite, & dimittetur vobis.

Eſth. 7

Dan. 13

Luc. 15

Dimitte ergo nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Quid enim Domine prodeſt baptizari, vel lavari a mortuo, ſi iterum tango mortuum? Non ſufficit mihi Domine ut peccata commiſſa dimittas, niſi etiam mi Domine a culpis, & a pec-

Luc. 6

Eccli. 34

peccatis imminentibus cuſtodias. Nam A promptiſſimus ſum ad peccatum, & niſi me cuſtodias, ſine freno irruam in peccatum. Quid Domine profuit Aman, quod a Rege Aſſuero ſuper omnes principes fuit elatus, cum poſtea inflatus ſuperbia fuit ſuſpenſus in ligno? Quid enim mihi prodeſt, quidquid in præmiſſis petitur verbis, niſi me contra tentationes conſerves in bono? Ergo, *Et ne nos inducas in tentationem*. Vis bone Jeſu, ut ſic petamus, quia multoties permittis nos tentationibus ſtimulari, ut ad te recurramus. Omnem modum, & viam, qua poſſis nos ad te trahere exerces, quia tecum nos cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos, fugiam, ut recipiat me fugientem, & timidum, & dicam ei: *Et ne nos inducas in tentationem*. Hoc vult, hoc deſiderat, hoc expectamus Pater, ut ad refugium curram, & auxilium, & ſinum ejus, ut totaliter de me diffidens ſolum de ipſo confidam. Ergo, & ne nos inducas in tentationem. *Sed libera nos a malo. Amen*. Verum eſt Domine, quia ſumus digni omni malo, quia contempſimus omne bonum, ſed vide clementiſſime Pater infinitam miſericordiam tuam, & omnino deteſtabilem nequitiam noſtram, & releva a nobis parvulis, nobis infimis importabile onus: a malo opprimente, deſtruente, & retardante a bono, libera famulos tuos, ut libere poſſimus dominatui tuo ſervire, & vacare, & maxime ab illo terribili, & horribili malo æterno nos libera, ne tua deſiderabili viſione privemur, quod horrent omnia oſſa noſtra. Quid enim mihi prodeſſet, tuam creaturam fuiſſe, niſi te habeam, & totus in te ferar, & totaliter in vita æterna? Quam nobis concedat ille, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eſth. 3

Caput XVIII.

Aliæ duæ breves expoſitiones ſuper orationem Dominicam.

Poſſunt autem ſupradicta aliter explicari ſic, ut Pater noſter præmittatur, ut confidenter ad Chriſtum accedamus. Quis es in cœlis, ut quæ Coloſſ. 3 ſurſum ſunt, quæramus, non quæ ſuper terram. Sanctificetur nomen tuum, quantum ad fidei illuſtrationem. Adveniat regnum tuum, quantum ad ſpei firmitatem. Fiat voluntas tua, quantum ad charitatis conformitatem, & perfectionem. Panem noſtrum quoti- B dianum, quantum ad nutrimentum, & fulcimentum temperantiæ, quod maxime exhibetur in pane Euchariſtiæ. Et dimitte nobis debita noſtra, &c. Quantum ad correſpondentiam, & meritum juſtitiæ per hoc quod ſubditur: Sicut, & nos dimittimus, &c. Et ne nos inducas in tentationem, quantum ad actum prudentiæ, quæ eſt in præcavendis inſidiis. Sed libera nos a malo, quantum ad actum fortitudinis, quæ eſt in tolerandis adverſis. Amen.

Poſſumus autem ſupradictas petitiones exponere pro his, quæ habituri ſumus in patria, ut ſanctificetur nomen tuum, referatur ad apertam viſionem, quaſi diceretur quod nunc per C ſpeculum, & in enigmate videmus, tunc pure, & ſine terra, & ſine aliquo medio videamus. Adveniat regnum tuum, quantum ad firmam tentionem, ut in æternum regnemus. Fiat voluntas tua, quantum ad conſummatam dilectionem, quæ plene amantem in amatum transformat. Et tunc exponendum eſt. Sicut in cœlo, & in terra, id eſt, ſicut in Angelis, & in hominibus fiat. Panem noſtrum quotidianum, &c. quantum ad ſuaviſſimam fruitionem. Et exponendum eſt quotidianum, id eſt, continuum, quia ſemper ibi eſt dies. Et exponendum eſt hodie, pro præſentia, quæ non habet præteritum, & futurum, ſed eſt tota ſimul, quod me-

Alia expoſitio.

Digitized by Google

melius per præſens notatur. Et dimitte nobis, &c. In quo petitur adventus anni jubilei, in quo omnia debita dimittuntur veris Judæis, id eſt, pœnitentibus, & confeſſis, & homo homini, & Deus hominibus talibus univerſa delicta dimittet. Et ne nos inducas, &c. In qua petitur illa pacis pulchritudo, de qua dicitur: Iſai. 32 Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, ubi non eſt amplius ſatan, nec malus occurſus. Sed libera nos a malo, quaſi diceret: Duc nos ad illum ſtatum, qui eſt omnium bonorum aggregatione perfectus, & in privatione omnium malorum jucundus, ubi vere liberati erimus a malo. Hæc autem expoſitio ultima multam admirationem, & miram, vel nimiam devotionem, medullarem exultationem, plenam laudis perſolutionem requirit & in ea ſatis ſunt miri, & inenarrabiles contemplationis theſauri, ſed non ſufficio, nec ſum dignus eos diſpenſare, nec ponere in os meum immundum, maxime cum Eſth. 4 Regis Aſſueri aulam ingredi non valeam non vocatus, & ideo ſimplicitati noſtræ ſufficiant, quæ ſupra diximus foris in atrio exiſtentes. Eſth. 5 Ipſe autem Chriſtus ad nos in clementiæ ſignum virgam auream extendat, ut poſſimus ſecure ad ipſum introire, ſecum in æternum regnare, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPUT XIX.

Meditatio ſuper Salve Regina.

AD ſalutandam beatam Virginem Mariam, primo debes ejus magnitudinem conſiderare. Nec enim circa Filium ejus potuit amplius elevari, quam ut Mater Dei vocaretur. Exultans ergo, & admirans magnitudinem Matris noſtræ devote, & reverenter ad ipſam accedens dicito, *Salve*. Hoc dicto, ſtatim in tuam reſilias parvitatem, & magnificentiam Matris Dei, & dic: Patientiam habe in me Domina, quod ego viliſſimus hominum audeo aſſiſtere tantæ A Dominæ, & ſalutare præſumo reginam cœlorum, Dominam Angelorum, & Matrem Dei mei. Sed de tua benignitate humili, & humilitate benigna confido, quod me indigniſſimum ſuſtinebis. Et quamvis ſis arca veteris Teſtamenti, & ego multo ignobilior, tamen cum te tetigero corde, & ſalutavero ore, non credo percuti, ſed tuo amore potius inflammari, & tua pietate largiſſima in omnibus exaudiri. Ergo *Salve Regina*. Sub tuo regimine Domina volo de cetero militare, & me totaliter tuæ dominationi committo, ut me plenarie regas, & gubernes. Non mihi me relinquas: quia ſum mihi ipſi B contrarius nimis. Quidquid ergo mihi dimiſeris, noveris miſerrime deſerviendum. Sed cum plenus ſim miſeria, & a planta pedis uſque ad verticem putrefactus gerens horrorem fœtoris, quomodo me regere dignaberis tam nobiliſſima creatura? Certe, quia tu es regina miſericordiæ. Et qui miſericordiæ ſubditi ſunt, niſi miſeri? Sed regina miſericordiæ es, & ego miſerrimus peccatorum. Quomodo ergo Domina non exercebis in memetipſum tuæ miſerationis effectum. Vere Domina regina es miſericordiæ, quia non eſt in hac vita ſic deſperatus, ſic miſer, cui non impetres miſericordiam ſalutarem, ſi C ad tuum declinaverit regimen. Certe Domina cum te aſpicio, nihil niſi miſericordiam cerno. Nam pro miſeriis Mater Dei facta es, miſericordiam inſuper genuiſti, & demum tibi miſerendi eſt officium commiſſum. Undique ſolicita de miſeris, undique miſericordia vallaris, ſolum miſereri tu videris appetere. Multum ſolicita es, miſeros hos in tuos filios adoptare, hos regere Domina voluiſti, & ideo regina miſericordiæ tu vocaris. Quid ergo de cetero formidamus, quid timemus, & quis a te, quod petierit non habebit? Certe nullus, niſi qui ſe miſerum non recognoſcit: quia non ſubeſt tuo regimini niſi miſer. Aut etiam ſi ſe cognoſcit miſerum, de tua miſericordia non confidit? Illi

Digitized by Google

ergo paveant ſoli, qui ſe exiſtimant eſſe juſtos, & ſuperbi præſumptuoſi, qui tuo regimini non ſubſiſtunt, & illi miſeri, qui tuam miſericordiam non requirunt. Nos ergo miſeri tecum de cetero conſolemur, tecum amodo Domina habitemus, demum totis viſceribus amplectamur: quia tu es vita. Vita vere, quæ mortem ſuperbiæ viciſti: quæ nobis vitam gratiæ impetraſti, vitam gloriæ genuiſti. Et non eſt dubium, quod vitam naturæ multis reddidiſti. O vita mirabilis, quæ mortuos vivificare conaris! Per te o Domina a privatione eſt homo regreſſus ad habitum, o vita mortem non timens, mortem expellens, mortales immortales conſtituens! o certe vita amabilis, vita deſiderabilis, vita delectabilis! o vita non ſeneſcens, ſed potius ſenes ad juventutem reducens! o vita carnales vitas ad nihilum redigens, & abhorrens! o vita, quæ nutris cœleſtibus alimentis! o vita certe contraria vitæ mundi! Qui enim vult te habere ſe affligat, delicias reſpuat, delicata quæque contemnat, & qui amplius mortificatus fuerit, amplius te poſſidebit: o vita divina fortificans poteſtate ſcilicet impetratione divina, divina ſapientia regulans, & divina vegetans bonitate. Si vita mea es, cur non ſemper in me es, cur non ſemper vegetas animam meam? Quis mihi tribuat, ut ſemper gaudeam beneficio hujus vitæ? *Dulcedo*. Vera dulcedo, quæ amaritudinem peccati, veniam impetrando, expellis, quæ nobis dulcedinem gratiæ, & vitæ acquiris, quæ ad ſuaves cœleſtis patriæ contemplationes introducis. O dulcis Domina, cujus ſola memoria affectum dulcorat, cujus meditatio magnificentiæ mentem elevat, cujus pulchritudo oculum exhilarat, cujus amœnitatis immenſitas cor meditantis inebriat! O Domina, quæ rapis corda dulcedine! Nonne cor meum Domina rapuiſti, & ubi quæſo poſuiſti illud, ut ipſum valeam invenire? Numquid in ſinu tuo, ne inveniam, collocaſti? Numquid inter ubera tua poſuiſti illud? Fortaſſe ibi poſuiſti illud cor meum, ut quod fri-

A guerat tibi, calefiat. O raptrix cordium, quando mihi reſtitues cor meum? quare ſic corda ſimplicium rapis? quare violentiam facis tuis amicis? Numquid ſemper vis ipſum tenere? Cum id a te poſtulo, mihi arrides, & ſtatim tua dulcedine conſopitus quieſco, & in me reverſus cum iterum poſtulo, me amplexaris dulciſſima, & ſtatim inebrior tui amore, & tunc cor meum non diſcerno, nec aliquid ſcio petere niſi tuum; Sed ex quo ſic eſt cor meum tuo dulcore inebriatum, guberna illud cum tuo, & in ſanguine agni conſerva, & in latere Filii colloca. Tunc eſſequar, quod intendo, tunc poſſide-

B bo, quod ſpero, quia tu es ſpes noſtra. Nonne Domina tu es regina; nonne tu es noſtri Mater præmii, ſcilicet Chriſti, qui eſt præmium bonorum, & beatorum? Nonne tu es, quæ tantum nos exaltare deſideras? Nonne plus ſine comparatione nos diligis, ac bonum noſtrum procuras amplius, quam mater carnalis? Si ergo nos vis facere glorioſos, immo quia vis, quis poterit te prohibere? Sperent in te, qui noverunt nomen *Pſal. 9* tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domina. Certe qui ſperant in te, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ut aquilæ, volabunt, & non deficient: current, & non

C laborabunt. Quis enim non ſperabit in te, quæ etiam adiuvas deſperantes? Et quis non ſperabit in te, per quam exauditæ ſunt patrum preces, & eorum adimpleta ſunt promiſſa? Quid potuerunt Patriarchæ, & Prophetæ deſiderare, quod per te Domina non fuerint aſſecuti? Si antiqui hæc omnia habuerunt per te, quomodo nos, qui ſumus unici Filii tui ſanguine redempti non habebimus, quod voluerimus poſtulare? Non dubito, quod ſi ad te venerimus, habebimus quod voluerimus. In te ergo ſperet, qui deſperat, qui deficit ad te recurrat confidenter, ad te perveniat, qui vult aliquid impetrare, dicendo: *Salve*. Quid ergo de cetero a tui ſalutatione poterit nos pro-

Digitized by Google

prohibere, ex quo es vita, dulcedo, & ſpes noſtra? Quid ergo a tua reverentia, ex quo es regina, nos poterit impedire? Et quid eſt, ſalutationem replicare, niſi tibi ſine fine reverentiam exhibere. Quid eſt ſalutare, & iterum ſalutare, niſi ſalutem, & ſalutis profectum a te Domina poſtulare? Quid ſalutamus, & iterum ſalutamus, niſi ut tam interius, quam exterius per te Domina ſalubriter cuſtodiamur? Quid ſaluto, niſi quia utrumque hominem tuæ reverentiæ expono? Quare te ſalutavi, niſi ut te haberem? Quare iterum te ſalutavi, niſi ut per te Filium tuum poſſiderem? Quare te ſalutavi, niſi ut redderem te attentam ad vota mea? Et iterum quare te ſaluto, niſi ut bene ſuſcipias, & perficias ipſa vota mea? Aut certe primo te volumus ſalutare, ut te commendemus, ſecundo ut poſt hanc miſeriam, Filii tui gloria gaudeamus. Primo eſt Domina ſalutata, ut per te gratia impetretur. Secundo, ut per te ad gloriam perveniatur. *Ad te*, ad te vere, quia tu ſola Dominum genuiſti, tu ſola interemiſti univerſam hæreticam pravitatem. Tu ſola es Domina regni, tu ſola es gubernatio præmii. Ad te matrem miſericordiæ, matrem certe, quæ lavas nos a fæcibus peccatorum, quæ nos conſolaris in cunabulis vagientes, parvulos eſurientes lactas, cujus brachiis ſuſtentamur deficientes. Tu vere conſolidas vulneratos, ad ſalutem perducis ægrotos. Et non ſolum mater, ſed etiam medicina facta es miſerorum, quæ es Domina Angelorum. Ad te certe, quæ non derelinquis delinquentes, quæ non reſpuis fugientes, quæ blandimentis nos allicis, deliciis nos foves, & nutris. *Ad te clamamus*. Quomodo non clamaremus, qui vulnera ſuſtinemus, plagas ſentimus: quia inimicis undique circumdamur? Clamamus anguſtiati, miſeriis infinitis oppreſſi, clamamus cordis anxietate, ſtomachi vacuitate, doloris acerbitate. Aut forte erga te amoris immenſitate clamamus, ne ſomnolentia tibi erga nos inducatur.

A Quare enim obdormis Domina? Surge, & adjuva nos. Clamamus etiam, ut noſtram tibi manifeſtemus miſeriam: quia clamare neceſſitas nos compellit. Et etiam ad te clamamus, ut te ad compaſſionem amplius moveamus. Propter hunc clamorem raucæ factæ ſunt fauces meæ. Quid ergo amplius moraris? Quid affligi nos permittis? Si ergo multum tardaveris, & vocem clamando amiſero, ad te amplius clamare nequibo. Et heu mihi, quid tunc faciam, cum nec exaudire me poteris, nec audire? Quid faciam Domina, cum a te fuero penitus deſtitutus, cum tua ubera non poteris miniſtrare? Cito Domina ſubvenias clamanti, ne in manibus ſubjiciar inimici. Curre, feſtina Domina, & tuum nequiſſimum ſervum ac infideliſſimum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manibus inimici, & periculis tui hoſtis. Si aliud o Domina te allicere non deberet, niſi quia tuus hoſtis audet tuos ſervos fraudulenter invadere, deberes ad nos quantocyus feſtinare. Curre, & libera nos Domina propter ſuam ſuperbiam comprimendam. Curre, ne inimici tui dominentur in nobis clientulis. Curre ne dicant, ubi eſt Deus eorum, de cujus clementia confidebant. Nec miréris Domina, ſi clamamus; quia ſumus a te nimium elongati in regionem longinquam: diſſipavimus partem noſtram, quaſi diceretur: Si prope eſſemus, planius poſſemus loqui: & ideo, quia longe ſumus, clamamus exules: exules a patria, exules a viſione divina: & utinam non exules a gratia, exules a conſolatione materna. O anima, cur non es potius ſeparata a corpore quam a tua Domina? Exaltata es a Chriſto capite, & quomodo potes miſera ſine capite ambulare? Nonne ambulare ſine capite monſtruoſum eſt? Heu mihi, cur in tam longum exilium relegatus ſum? Quomodo vel quando videbo Deum Salvatorem meum, aut quando potero ſaltem Dominam meam intueri? Non dubito

Pſal. 43 — *Pſalm.* 68 — B — *Pſalm.* 78 — *Luc.* 15 — C — *Job* 19

Domina, quod ſi ad te tamquam exules clamaverimus corde, te & tuum Filium plene poſſidebimus. Cur ergo volumus hic quieſcere? Cur ad patriam non anhelamus? cur non affectamus matrem dulciſſimam amplexari? Quare non deſideramus ſecum cum Filio ſuo commorari? O Domina, dum hic ſumus, exules conſtituas nos, ne etiam tamquam in patria confidentes querere te & filium tuum deſiſtamus. Sic tamen conſtituas exules in corpore, ut hic tecum ſimus cives in mente *Filii Evæ*. Vere filii Evæ, quia ſuperbi, & præſumptuoſi: vere filii Evæ, quia ambitioſi, & avari, ſaltem ſcientia, & utinam non re aliena, guloſi, carnales, & inobedientes, & breviter in omnibus ipſam Evam ſequentes, & promptiſſimi ad malum, difficileſque ad bonum. Et ſi contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quadam cordis triſtitia, & dolore parturimus, ſed malum cum gaudio perpetramus. Nec nobis ſufficiunt mala ſed noſtra ſicut Eva Adam, ita nos alios maculamus ad malum. Et etiam ſicut ipſe excuſabat ſe, ita, & nos in defectibus noſtris excuſamus, aut ſaltem ſi poſſumus, in alios retorquemus. Tædet nos veſci ligno vitæ, & in Cruce Dominum contemplari, & manus ad lignum prohibitum applicamus. Non curamus per contemplationem paradiſi deliciis conſolari, ſed potuis volumus in peccatorum fæcibus habitare. Plus enim placet nobis in multo labore, & ſudore vilia agere, & acquirere, quam Dominum gloriæ deguſtare. Niſi enim Domina nos adjuviſſes, fortaſſe jam ad inferni profundiſſima veniſſemus. Nec enim eſt, quod nos poſſit excuſare, quia non te, ſed Evam in omnibus imitamur, ac propter hoc Domina, *Ad te ſuſpiramus*. Suſpiramus autem de tam bonæ matris abſentia, venire ad te Domina cupientes, ſuſpiramus ad te, tuum Filium affectantes. Suſpiramus ad te tamquam parvuli ad tua ubera anhelantes, ſuſpiramus ad te deſiderio tui, ſuſpiramus &

A amore noſtro. Nullus enim niſi tuus amor, quo erga te ſumus Domina inebriati intrinſecus, cogit nos ad te Domina ſuſpirare. Quis enim non te diligit reparatricem omnium, amoris caminum, pulchriorem ſole, dulciorem melle bonitatis theſaurum, honeſtatis ſpeculum, omnis ſanctitatis exemplum? Omnibus es amabilis omnibus es affabilis, omnibus delectabilis. Sedes es ſapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis, nec eſt qui ſe abſcondat a calore tuo. Quis *Pſalm. 18* ergo ad te non ſuſpirabit? Amore etiam ſuſpiramus, & dolore: undique namque nos anguſtiæ premunt. Quomodo ergo nunc non ſuſpiramus ad B te, quæ ſolatium es miſerorum, refugium expulſorum, liberatio captivorum, medicina infirmorum, mater parvulorum, ſponſa adultorum, regina bellatorum, Domina univerſorum, & etiam inimicorum, nec eſt qui tuæ voluntati valeat obviare? Sic afflicti, ſic miſeri ad te talem Dominam ſuſpiramus, gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Tu Domina nonne vides quomodo, & qualiter ſumus amaritudine pleni? Intus ſumus gementes, & exterius flentes in loco lacrymoſo jacentes. Onerati peccatis gemimus, aggravati moleſtiis flemus, abundantes miſeriis in valle lacrymarum ſumus. Gemimus C ſauciati, flemus ſpoliati, in valle lacrymarum ſumus deſtituti. Gemimus Solem juſtitiæ non videntes, flemus inimicis noſtris ſervientes, in valle lacrymarum ſumus tuum auxilium implorantes. Hæc eſt certe vallis lacrymarum, ad quam omnia lacrymabilia fluunt, gemebunda decurrunt, flebilia ruunt. Ad hanc vallem fluxerunt dæmones infernorum, peccatum protoplaſtorum, miſeriæ antiquorum. Quid autem amplius dicam? Non ſufficio, nec ſcio hujus vallis deteſtabilia enarrare. *Eja ergo advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*. O laudabilis clementia Creatoris, quæ ſic afflictis tam nobile, & laudabile ſubſidium dignatur elargiri! O certe

te

te Dei noſtri mira benignitas, qui A ſuis reis te Dominam tribuit advocatam, ut a Filio tuo inter nos, & ipſum judicem conſtituta, quod volueris, pro nobis valeas impetrare! Nec enim dubium eſt, quod noſtra culpa juſte damnabat, quos conſervat tuæ advocatio pietatis. O mirabilis erga nos miſericordia Dei noſtri, qui ne alias fugeremus pro ſententia, non ſolum dignatus eſt communicare ſe nobis in judicem, ut eſſet Deus, & homo Jeſus Chriſtus, a quo debet ſententia promulgari: ſed voluit ipſe ſua viſcera miſericordiæ matrem ſuam Dominam gratiæ, noſtram inſtituere advocatam. Et ideo non timendum eſt, quin miſerearis miſeris B & ad illam partem inclines ſententiam, quam defendis, & nobis exhibeas gloriam, quam cauſaris. Scio bene, quod poſt ſententiam non eſt appellatio ad majorem: quia, & ſi judex ſit homo tuus Filius, eſt tamen & Deus Filius Dei Patris. Non enim video Domina, quomodo aliquid tibi valeat denegare, qui vult, ut per te cœleſtem patriam habeamus. Hoc eſt enim quod cupit Deus noſter, hoc eſt quod deſiderat, hoc eſt pro quo te matrem conſtituit advocatam. Non ergo reſtat Domina, niſi ut illos tuos miſericordes oculos ad nos convertas. *Eja ergo advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* C Non enim dubito, quod ſi noſtras aſpexeris miſerias, non poterit tua miſeratio ſuum retardare officium. Mirabiles, necnon, & amabiles tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem, & ad plenam Domina ſalutem venenatos oculos eruis baſiliſci. O Evæ oculi venenati, cur non offertis vos oculis Virginis, ſi vultis perfectam recipere medicinam! Nam ſuorum claritas oculorum umbras expellit, effugat catervas dæmonum, purgat vitia mentium, corda congelata ſuſcendit, demum ad cœleſtia trahit. O Domina quam beati ſunt, quos viderint oculi tui! Hos ergo oculos ad nos converte. *Et Jeſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* O venter mirabilis, qui potuit capere Creatorem! O venter laudabilis, qui meruit recipere Redemptorem! o venter deſiderabilis, qui emanavit deſiderium mentium, gratiarum fluvium, gloriæ præmium! o venter, non venter ſed cœlum empyreum. In hoc ventre fuit pretium perditorum, felicitas beatorum, Deus Angelorum! o beatus venter! o beata viſcera! o beata ubera! o Domina noſtra! o fons pietatis, locus ſanctitatis, flumen bonitatis, venter tuus Domina! o felix venter, qui ſolem genuiſti, mundum reparaſti, patriam recuperaſti! o quam pretioſus venter, qui portavit medicinam infirmis, vitam mortuis, & paradiſum juſtis! O venter eburneus, & ſedes ſapientiæ! o venter tornatilis, & celſitudo gloriæ! o venter amabilis, & dulcedo animæ! o elevatio mentium, inebriatio cordium, ſuavitas peccatorum, fructus tuus Domina! hic eſt vere fructus beatus a principio ſui ortus: hic eſt Jeſus Filius Dei vivi, hic eſt Salvator noſter Dominus Deus noſter. Hunc Jeſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende benignum: ut ipſum videndo, ipſum habeamus: ipſum habendo, ipſo perfruamur, o clemens indigentibus! o pia exorantibus! o dulcis diligentibus! o clemens pœnitentibus! o pia proficientibus! o dulcis contemplantibus! o clemens laborando! o pia largiendo! o dulcis te donando! o clemens conſolando! o pia blandiendo! o dulcis oſculando! O clemens in effectu! o pia in affectu! o dulcis in affatu! O clemens in conceptu! pia in aſpectu, dulcis in amplexu, dulcis in amore rectis, clemens in ſubjectis, pia in correctis, & dulcis in dilectis. O clemens, o pia, o dulcis Maria. Amen.

CA-

Digitized by Google

Caput XX.

De ſtatu beatorum in cœleſti Hieruſalem.

AD contemplandum quietem omnium, de cœleſti Hieruſalem aliquid balbutiendo prorumpam. Nam locus eſt altiſſimus, ſplendidiſſimus, latiſſimus, & firmiſſimus. Societas eſt nobiliſſima, ſpecioſiſſima, benigniſſima, puriſſima, inceſſabiliſſima, id eſt, numquam ceſſabit, nec remittetur. Ibi habebimus Dominum potentiſſimum, excellentiſſimum, juſtiſſimum, & liberaliſſimum, patrem nobiliſſimum, ditiſſimum, providentiſſimum, & piiſſimum, fratrem ſimillimum curialiſſimum, ſapientiſſimum, & optimum, ſponſum pulcherimum, ſingulariter ſummum, ſuaviſſimum, & amore ferventiſſimum. Quantum ad nos, erit ibi aperta viſio, firma tentio, conſummata dilectio, continua laudatio, reverentia profundiſſima, admiratio altiſſima, exultatio ſanctiſſima, & devotio intima: & in corpore erit agilitas, claritas, ſubtilitas, & impaſſibilitas. Ex prædictis omnibus conſurget fruitio perfectiſſima, ſatietas ſufficientiſſima, ſobrietas ſobriiſſima, voluptas pudiciſſima, cordialis diffuſio, jucundiſſima amplexio, ſeu complexio, medullaris transformatio, centralis quietatio, omnis amœnitas, omnis ſuavitas, omnis ſecuritas, & omnis libertas: quia liberi erimus ab omni injuria, violentia,
Apoc. 7 21 culpa, & miſeria. Et ſic abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum ſuorum, & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra: quia prima tranſierunt ut veritas in Apocalypſi teſtatur. Felices lacrymæ, quas manus Conditoris ab-
Iſa. 66 ſterget. Et ideo veritas per Iſaiam dicit: Ad verba portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi mater blandiatur Filio, ego

A conſolabor vos, & in Hieruſalem conſolabimini. Et quoniam tantum gaudebimus de bono alterius, quantum diligimus eum: & ibi vere diligemus omnes alios, ſicut, & nos, & Deum perfectiſſime pluſquam noſmetipſos: ideo multiplicabitur gaudium noſtrum ſecundum inæſtimabilem numerum Angelorum, & ſanctorum, de quorum gaudio gaudebimus ſicut de noſtro. Et plus ſine comparatione gaudebimus de immenſitate divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis: quam de felicitate noſtra. Et quia iſtud eſt exceſſivum, ſic abſorbebimur gaudio de felicitate divina, & intrabimus in gaudium Domini intus, &
B foris undique abſorpti, & circumdati gaudio exceſſivo. Nec mirum, quia plus ſine comparatione nos diligit Deus, quam noſipſi nos & ideo ſine comparatione plus dabit nobis gaudii & lætitiæ, quam ſciremus aut poſſemus petere vel appetere. Sic ergo Iſa. 64 &
abundabimus, & ſuperabundabimus 1 Cor. 2
gaudio: quia diligentes, & quia dilecti, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparaſti diligentibus te. Immo non ſolum cor hominis viatoris, ſed nec etiam comprehenſoris, aut alicujus Angeli poteſt aut poterit illud bonum infinitum, & gaudium nobis paratum, & oblatum com-
C prehendere. Sic ergo intrabimus in gaudium Domini noſtri. Gaudens ergo gaudebo in Domino ſemper & ei de tantis beneficiis gratias exhibebo. Gaudebunt labia mea, cum Pſalm. 70
cantavero ſibi, & anima mea quam ſic nobiliter ſeipſo redemit. Lauda Pſal. 147
ergo Hieruſalem Dominum, lauda Pſalm. 68
Deum tuum Sion, immo laudent eum cœli, & terra, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Jam ſuper om- Tob. 13
nes vicos Hieruſalem alleluja dicamus. Lauda ergo anima mea Domi- Pſalm. 145
num, laudabo Deum meum in vita mea, illum mecum laudet omnis creatura. Amen.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

DE SEX ALIS CHERUBIM TRACTATUS.

QUI TAMEN AB ALIQUIBUS ALANO ADSCRIPTUS FUIT.

Hoc modo prænotatur Opuſculum iſtud in omnibus impreſſis. Alanum autem de Inſulis Joannes Trithemius in ſuo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis catalogo, ejus auctorem agnoſcit, & Opuſculum, De ſex alis Cherubim inſcribit. Cujuſcumque vero auctoris ſit, continet brevem & ſanam doctrinam de compunctione, confeſſione, ſatisfactione, carnis munditia, mentis puritate, Dei & proximi dilectione.

PRima ala eſt confeſſio. Confeſſio duplex eſt. Eſt enim confeſſio laudis, juxta illud: Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in æternum miſericordia ejus. Et eſt confeſſio criminis. Unde dicitur: Confitemini alterutrum peccata veſtra.

Pſalm. 117

Jac. 5

Hæc confeſſio peccati accuſatoria manifeſtatio eſt. Hæc propriæ infirmitatis, & ignorantiæ, & malitiæ, compugente conſcientia lugubris enarratio eſt.

Hujus alæ penna prima eſt veritas; quæ omnem excludit ſimulationem. Vera namque non ficta; non ſimulata debet eſſe confeſſio.

Secunda penna integritas eſt; quæ decurtationem excludit & diviſionem. Integra enim debet eſſe confeſſio, non decurtata, non diviſa. Decurtatio aliquid occultat, reſervat enim ſibi, quod pœnitet peccaſſe, ſed non omnino. Aliquid enim retinet, in quo homines delectentur. Sed infidelis impietas eſt, ab illo, qui juſtus, & juſtitia eſt diminutam ſperare veniam, ſed & vulnus unum ſufficit ad mortem. Diviſio autem omnia, ſed non uni revelat. Quidam enim ſunt ut ait beatus Auguſtinus, quos omnino pœnitet peccaſſe, ſed verecundia ducti, dividunt apud ſe confeſſionem; ut diverſa diverſis Sacerdotibus velint confiteri, & quæ uni celant, alii manifeſtanda conſervant, quod eſt quodammodo laudare ſe, & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, quam per fruſta putant invenire. Omnia igitur, & uni præſertim criminalia confeſſione revelanda ſunt: nec ſolum actiones pravæ, ſed & circumſtantiæ earum, id eſt locus, tempus, modus, numerus, perſona, & ſi quæ ſunt ſimilia non negligenter reticenda, ſed diligenter per confeſſionem explicanda ſunt. Multa namque inter locum & locum, tempus & tempus, modum & modum, numerum & numerum, perſonam & perſonam diſtantia eſt. Conſuetudinis quoque perſeverantia quæ ad tempus reſpicit, numerique multiplicatio Dei patientiam exacerbat, divinamque in ſe provocat ultionem. In perſona autem ſexus, ætas, ſcientia, conditio, neceſſitudo, & ordo ſtudioſe penſanda, & ex-

Aug. lib. de vera, & falſa pœnit. c. 15. tom. 4.

expreſſe manifeſtanda ſunt. Qui conſitetur, in ſingulis immoretur.

A

Tertia penna eſt firmitas, quia fortis & firma debet eſſe confeſſio. Hæc firmitas decem, quæ confeſſionem impediunt, expellit. Quæ ſunt illa: Pudor, timor, contemptus presbyteri, deſperatio, præſumptio, perverſitas, ignorantia, oblivio, negligentia, & neceſſitas, quæ ſola excuſabilis eſt. Pudori autem fortitudinis virtus, periculi quod immineret, niſi revelentur peccata, neceſſitatem penſans, viriliter reſiſtat. Timorem vero, quem pœna injungenda incurrit, patientiæ fructus expellat. Contemptum quoque presbyteri reverentia, veneratio & dilectio Chriſti vicario debita, penitus evacuet. Deſperationem etiam divinæ miſericordiæ benignitas excludat. Præſumptionem autem divinæ juſtitiæ diſtricta ſeveritas extirpet. Perverſitatem vero fidei ratio exterminet. Sed & ignorantiam providentia devitet, obliviones tenebras viarum & operum ſtudioſa perſcrutatio, & in memoriam revocatio illuſtret. Torporem autem & negligentiæ teporem fervor ſpiritus evellat, & deſtruat. Neceſſitatem vero nulla omnino præveniat negligentia.

B

Prov. 1. Quarta penna eſt humilitas, quæ typhum ſuperbiæ excludit. Mens humilis, lingua humilis, vultus humilis debet eſſe confitentis. Superbis enim Dominus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Jac. 4.*

C

Quinta penna eſt ſimplicitas. Hæc propriam infirmitatem, propriam ignorantiam, propriam accuſat malitiam, nihil defendens, nihil excuſans, nihil attenuans. Vera igitur, integra, firma, humilis & ſimplex debet eſſe confeſſio. Vera ſine ſimulatione, integra ſine diminutione, firma ſine titubatione, hæſitatione, & deſperatione, humilis ſine jactantia, ſine præſumptione, & ſine alterius comparatione, ſimplex ſine defenſione, & ſine excuſatione. Hæc eſt prima ala cum pennis ſuis.

De compunctione cordis.

CONfeſſionem ſequitur ſatisfactio, has duas alas format & creat compunctio. In omni actione pœnitentiæ hæc tria probantur eſſe neceſſaria, nempe compunctio, confeſſio, & ſatisfactio. Compunctio autem turbat, confeſſio accuſat, ſatisfactio confortat. Compunctio morbi occaſionem inveſtigat, confeſſio manifeſtat, & ſatisfactio curat. Compunctio mala enumerat, confeſſio condemnat, & ſatisfactio emendat. Compunctio apoſtema pungit, confeſſio ſaniem exprimit, & ſatisfactio cataplaſma apponit. Compunctio vulnus invenit, confeſſio aperit, ſatisfactio vero ſanitati reſtituit. Compunctio autem eſt cordis contritio, ſed quæ alligat contrita animæ amaritudo, & quæ miræ dulcedinis ſuavitatem generat. Scriptum eſt. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & alibi: In cubilibus veſtris compungimini. Compunctionem duplex cauſa creat, timor ſcilicet & ſpes. Timor cauſa inchoativa eſt, ſpes vero conſummativa. Timor, quam mire homo a creatore ſuo ſit conditus, quam gratuito nutritus, quam in ſubſtantia rectus, & in conditione ditatus, ceteraque bona, quæ conditor ei contulerit, & quæ ipſe bonis ipſius mala rependerit, ſubtiliter enumerat. Si contra diſtrictum eſt judicium, animam turbat. Timor igitur culparum, modum & numerum examinans, juſtitiæ quoque divinæ rigorem, diſtrictionemque judicii futuri attendens animum pungit, & pungendo peccatum expellit. Unde hæc timori, virtus expulſiva; hanc præſtat, & corroborat ſpes confortativa. Vanus enim timor eſt: quem non fiducia firmat. Timentibus Deum nihil deeſt. Si ſpes defuerit, nihil boni adeſt. Scriptum eſt: Quam magna multitudo dulcedinis, &c. Perfeciſti eis, qui ſperant in te. Nulla tamen erit, niſi a ſpe fuerit propinata. Eſt igitur contritio cor-

Joel. 2. *Pſal. 4.* *Pſalm. 30.*

Digitized by Google

cordis ex timore, fructus autem laboris eſt ſpes. Sed unde ſpei via confortativa? ex promiſſione divina.
Pſal. 36 Audi ſcripturam: Spera in Domino, & paſceris in divitiis ejus. Item, Sperabo in Domino, & ipſe faciet.
Judith. 2 Item. Non deſerit Dominus ſperantes in ſe.
Pſal. 2 Item. Beati omnes qui confidunt in eo. Si ergo times ut puniaris, ſpera in Domino ut ei reconcilieris. Si times Deum, quia poteſt perdere in gehennam; ſpera in eo, quoniam non vult mortem
Ezec. 28 peccatoris. Si times, quia ſapiens novit abſcondita, ſpera, quia illu-
1 Cor. 4 minabit abſcondita tenebrarum. Si times, quia nihil impunitum relin-
Pſal. 129 quit; ſpera, quia redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus. Quemadmodum igitur timor compunctionis prævenit & comitatur virtutem, ita ſpes provehitur & ad fructum reconciliationis perducit. Per timorem ergo, compunctio ſuſcitatur. Per ſpem, optatæ reconciliationis gratia me-
Ezech. 33 retur. Ait enim: Quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit. Gemitum tamen timor importat, ſalutem promeretur ſpes. Quid ergo, & unde, & ad quid ſit cordis compunctio, breviter declaratum eſt.

De ſecunda ala.

SAtisfactio eſt injunctæ pœnitentiæ expletiva executio, vel peccatorum condigna correctio, ſecundum namque qualitatem delicti menſura
Matth. 3 correctionis penſanda eſt. Agite, in-
Luc. 3 quit, fructus dignos pœnitentiæ. Aliud eſt enim ipſa pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ. Sicut aliud eſt arbor, & aliud fructus ejus, ſic aliud eſt pœnitentia, aliud fructus ejus. Pœnitentia eſt dolor præteriti, quando doles te feciſſe quod malum eſt. Quando ergo improbas & damnas mala tua, pœnitentiam habes. Si diſplicet tibi quod feciſti, pœnitentiam agis. Pœnitentia eſt facti improbatio, fructus pœnitentiæ eſt delicti correctio. Sed quia pro menſura delicti, correctionis menſura pen-

A ſanda eſt, ideo fructus pœnitentiæ dignos facere oportet. Sed ſi in correctione minor eſt afflictio: quam in culpa delectatio fuerit, non eſt dignus fructus pœnitentiæ tuæ. Sed dicis mihi, quomodo ſcire poſſim, quando condigna ſit pœnitentia mea? quia hoc ſcire non potes, ideo neceſſe habes ſemper pœnitere. Satisfacere potes, nimis facere non potes, melius eſt ut plus facias, quam minus. Idcirco ſollicitus eſto, ſatage, da operam, ſtudium impende, ut culpa ſit cum fine, devotio ſine fine, tamen ut aliquando peccatrix conſcientia conſoletur, poſitus eſt modus & menſura pœnitentiæ exte-
B rioris, ut illa expleta vel perfecta, fiduciam habere incipias, & facta quadam præſumptione in ſpe miſericordiæ, de indulgentia & remiſſione peccatorum confidas, & tanto verius, quanto utique ſincerius injunctam, pœnitentiam expleveris.

Hujus alæ penna prima eſt peccati abrenuntiatio, quæ claudit januam *Pſalm. 36*
diabolo. Peccatis abrenuntiare, eſt a malo declinare. Declina, inquit, *Pſalm. 25*
a malo vanitatis, a malo iniquitatis, a malo malignitatis, & a malo impietatis, juxta illud Pſalmi: Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua, &c. Odivi Eccleſiam malignantium, &c. Hæc quatuor vitia
C quatuor generat affectiones, ſcilicet amorem ſui, amorem mundi, fraternum odium, & remiſſum amorem Dei. Prima affectio vanitatem, ſecunda iniquitatem, tertia malignitatem, quarta vero generat impietatem. Vanitas in ſe reciprocatur. Iniquitas reflectitur in proximum. Malignitas in fratrem extorquetur. Impietas in Deum extenditur. Vanus & vecors eſt, qui quærit quæ ſua ſunt; iniquus; ut in multitudine divitiarum ſuarum glorietur, & avaritiæ ſaccum impleat, quæ proximorum ſunt, vi & dolo ſibi adſciverit vel acquiſiverit. Malignus, qui etiam cum non poſſit nocere, cupit. Impius, qui Deum vel non credit, vel ſi credit, contemnit.

Se-

Digitized by Google

Secunda penna eſt lacrymarum effuſio: hæc peccatorum vulnera lavat & mundificat.

Tertia penna eſt carnis maceratio: hæc vulnerum loca tergit & ſiccat.

Quarta penna eſt eleemoſynarum largitio: hæc alligat contrita, fracta conſolidat, & omnia ſanat.

Quinta penna eſt orationis devotio: hæc ſanat & conſervat.

De tertia ala.

Tertia ala eſt carnis munditia; Caro munda eſt, quam non coinquinat luxuria. Luxuria omnium virtutum eradicat germina.

Hujus alæ penna prima eſt viſus pudicitia, hæc petulantiam excludit, hæc circumdat oculum, ne concupiſcat alienum, ne videat ad concupiſcendum mulierem. Cujus ergo erga fœminarum formas laſcivus & curioſus oberrat aſpectus, iſte & mente eſt impudicus.

Penna ſecunda eſt auditus caſtimonia. Caſtæ ſunt aures, quæ voces non recipiunt obtrectantis, maledici, & blaſphemi verba non audiunt, falſis criminationibus, mendacio, irritationi, impudicis canticis, & dextralibus non patent, obturantur, & clauſæ ſunt, ne judicium ſanguinis audiant. Nihil obſcœnum recipiunt, ſed ab omni cœno corruptionis averſæ ſunt.

Tertia penna eſt olfactus modeſtia. Si qui odorem capit bonum; & operibus miſericordiæ ſuavitatis odorem requirit, hujus modeſta eſt odoratio. Qui vero primis unguentis delibutus incedit, hujus odoratus non virtutis ſed fœtoris ſpirat odorem. Hujus enim ſuavitatis odor immaniſſimi vitii fœtor eſt.

Quarta penna eſt guſtus temperantia, hæc gulæ & ebrietatis ſubruit immoderantiam. Væ illis, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt, &c. Unde Gregorius: Dum venter a ſatietate non reſtringitur per concupiſcentiam carnis, ſimul omnes *Phil. 3*

A virtutes obruuntur. Unde legitur, quia princeps cocorum deſtruxit muros Hieruſalem. Muros Hieruſalem princeps cocorum deſtruxit, quia animæ virtutes dum ventri indulgetur, periclitantur. De crapula & ebrietate Dominus ait: Videte, ne forte graventur corda veſtra in crapula & obrietate, & ſuperveniat in vos dies repentina. Ebrietas eſt parens litium, furoris mater, & petulantiæ deformis eſt magiſtra. Hanc qui habet ſe non habet, hanc qui habet, homo non eſt, hanc qui habet peccatum non facit, ſed ipſe eſt peccatum. Ebrietas eſt dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, B illecebroſa honeſtatis injuria, hanc nullus noverit Chriſtianus. *4 Reg. 25 ſecundum Græcam editionem.* *Luc. 21*

Quinta penna eſt tactus ſanctimoniam, peccati ſordes ne contrectet manus Chriſtiani, nihil immundum tangat caro ejus ſi tetigerit. Si ſingula quæque membra in officiis mandatorum Dei deſerviant, munda dicenda ſunt. Si vero ultra præſcriptas, ſive divinitus datas luxuriant leges, immunda dicenda ſunt vel reputanda, & hæc pudenda ſunt. Et hoc puto eſſe, quod Apoſtolus dicit: Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Sit C ergo oculus pudicus, auris caſta, odor modeſtus, guſtus ſobrius, & tactus ſanctus, &c. *Rom. 6*

De quarta ala.

Ala quarta eſt puritas mentis. Hujus alæ pennæ prima eſt affectu ſinceri rectitudo. Affectus deſiderii tui ſit rectus, & ſit ſincerus. Rectus erit, ſi id appetas, quod appetere debes: ſincerus vero, ſi eo modo quo honeſtatis virtus ſuadet. Amnon ſororem ſuam dilexit. Affectus amoris rectus fuit; ſed quia non eo modo quo debuit ſororem dilexit, ideo affectus iſte ſincerus non fuit. *2 Reg. 13*

Penna ſecunda eſt mentis in Domino delectatio. Scriptum eſt: Dele- *Pſalm. 36*

Digitized by Google

lectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, hanc pennam creat & format virtus contemplationis. De *Luc. 10* hac Dominus dicit: Maria optimam partem elegit, &c.

Tertia penna, eſt munda & ordinata cogitatio nihil immundum mens concipiat, ſed & mundam conceptionem loco & tempori accommodet diſcretio.

Quarta penna, eſt voluntatis ſanctitudo. Angeli pacem de cœlo detulerunt hominibus bonæ voluntatis. *Iſai. 48* Non eſt pax impiis, dicit Dominus. *Pſalm. 118* Pax multa diligentibus legem tuam, *Luc. 2* & non eſt, &c. O quam deſiderabile eſt nomen pacis, quam firmat religionis Chriſtianæ ſtabile fundamentum. Bene autem cum diceretur, Gloria in excelſis Deo, adjunctum eſt: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; quia cum illis Angeli ſocietatem habere feſtinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis ineſſe conſiderant. Illos ſecum poſt abſolutionem carnis, ad contemplationem veræ pacis ſubvehere lætantur, quos in carne commorantes, omnia quæ agunt aut loquuntur de radice bonæ voluntatis proferre conſpiciunt. Tales namque & ſi infirmitas forte aliquando vel ignorantia, a perficienda bona operatione quam cupiunt, retardant; tamen ante ſummi arbitri oculos, integritas quam vel corde vel mente tenet bona voluntas, eos excuſat.

Quinta penna eſt ſimplex & pura *Matth. 6* intentio. De hac Dominus dicit: Si oculus tuus non fuerit ſimplex, totum corpus tuum tenebroſum erit. Per oculum intentionem, per corpus ſignat actionem. Locus enim iſte Evangelii ſic intelligendus eſt, ut noverimus, omnia opera noſtra non eſſe munda & placere in conſpectu *Rom. 13* Dei, niſi fiant ſimplici corde id eſt intentione ſuperna, ſive oculo charitatis, quia plenitudo legis charitas. Oculum igitur debemus hic accipere ipſam intentionem, qua facimus quidquid facimus, quæ ſi ſimplex & pura fuerit, & illud aſpiciens quod aſpiciendum eſt, omnia opera noſtra, quæ ſecundum eam operamur, neceſſe eſt ut bona ſint. Quæ opera omnia totum corpus appellavit, quia Apoſtolus dicit membra, quædam opera quæ improbat, & mortificanda præcipit. Mortificate ergo membra veſtra, *Coloſſ. 3* quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam, &c. talia mala. Non ergo quid quiſque faciat, ſed quo animo faciat, conſiderandum eſt. Fructus enim operis totus conſiſtit in ſimplicitate intentionis. Quidquid igitur gerendum eſſe cogitatio noſtra ſuggeſſerit, omni ſcrupulo retractantes, atque in noſtri pectoris trutina collocantes, æque liberatione juſtiſſima perpendamus, an plenum ſit honeſtate communi, an Dei timore ſit grave, an integrum ſenſu, an humana oſtentatione, an aliqua voluntatis præſumptione ſit leve, an meriti ejus pondus inanis, cenodoxia non imminuerit, vel arriſerit gloria, & ſic ad examen publicum trutinantes, id eſt, ad prophetarum & apoſtolorum actus, & teſtimonia conferentes, vel tamquam integra atque perfecta, & illis compenſanda teneamus, vel tamquam imperfecta atque damnoſa, nec illorum ponderi conſonantia omni cautione atque diligentia refutemus.

De quinta ala.

QUinta ala dilectio proximi eſt. Hujus penna prima eſt, nulli nocere verbo, vel opere. De qua ſcriptum eſt: quod non vis tibi fieri, ne facias alteri. Hanc pennam format virtus innocentiæ. Innocens eſt, qui etiam cum poſſit, nulli vult nocere. Quis aſcendit, inquit, in montem Domini? *Pſalm. 23* Innocens manibus. Quis innocens manibus? Qui non fecit proximo ſuo malum. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus. Quis eſt iſte malignus, niſi diabolus? Qui nulli vult nocere, tempore excluſo motum primum ſentit amoris.

Penna ſecunda eſt omnibus prodeſſe verbo vel opere. Frater fratrem

Digitized by Google

adjuvans, civitas munita, & fortis. A
Prov. 18 Hanc pennam ſuſcitat, & provehit in culmen perfectionis, quæ nulli neſcit condeſcendere virtus miſericordiæ. Beati; inquit, miſericordes:
Matth. 5 Qui omnibus ſtudet prodeſſe, vivum calorem veri ſpirat amoris.

Tertia penna eſt, rerum propter amicum conſumptarum detrimenta non tantum non deflere, ſed libertatis fortitudine non ſentire; de beneficiorum in uſus fratrum collatorum magnitudine ſemper gaudere in corde. Qui ſentit, computator eſt, non largitor. Qui non gaudet, dolet. De
Prov. 12 hac penna ſcriptum eſt: Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt, iter autem avari decipiet eum. B

Quarta penna eſt, animam pro fratre ponere. Quid eſt animam ponere pro fratre? pro temporali etiam proximi ſalute propriam voluntatem deſerere, & in articulo neceſſitatis pro æterna ſalute fratris mortis diſcrimina lubenter ſubire. De hac ſcriptum
Joan. 15 eſt; Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Major non ebulliret fervor amoris.

Quinta penna eſt in his perſeverare, hanc perficit virtus perſeverantiæ: finis non pugna coronat. Qui perſeverat, ceſſare neſcit.

De ſexta ala.

Sexta ala eſt dilectio Dei. Hæc, ut aliæ, quinque pennas habet.

Primam harum habet qui aliud quam Deum non concupiſcit. Hæc eſt mobile hujus amoris.

Secundam pennam habet, qui propter Deum ſua diſtribuit, qui partem retinet, partem vero tribuit. Hæc eſt calidum hujus amoris.

Tertiam pennam habet, qui propter Domini amorem nihil ſibi reſervat, ſed omnia relinquit. Hæc eſt acutum hujus amoris.

Quartam pennam habet, qui propter Deum ſeipſum abnegat. Seipſum abnegat, qui ſuam deſerit, ut Domini ſolam faciat voluntatem. Hæc eſt fervidum hujus amoris.

Quintam habet pennam, qui in his perſeverat. Qui perſeveravit, in- *Matt. 10*
quit, uſque in finem, hic ſalvus erit. Hæc eſt inceſſabile hujus amoris. Hæc ſunt alæ de quibus Pſalmiſta ait: Sub *Pſal. 16*
umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt. Item: In umbra alarum tuarum ſpe- *Pſal. 56*
rabo, donec tranſeat iniquitas. Hæ ſunt pennæ de quibus idem Pſalmiſta ait. Quis dabit mihi pennas ſicut *Pſalm. 4*
columbæ, & requieſcam. Volabo, inquit, terrena deſerens, cœleſtia appetens; & requieſcam, vera libertate, æternaque fruens beatitudine. Amen.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

Opuſculum, quod inſcribitur.

DE SEPTEM ITINERIBUS ÆTERNITATIS.

In prologo ſummatim explicat Auctor, quis ſit ejus ſcopus, & argumentum circa quod verſatur iſte tractatus, doctrina, & eruditione plenus: qui devotas mentes dirigit per itinera ſeptem ad ingrediendum intrinſecum ſecretum & æternum, quod eſt animæ patria. Hoc autem opuſculum ſuo priſtino ſplendori reſtitutum eſt ex Codice manuſcripto, cujus liberaliſſime copiam fecit Reverendiſſimus D. F. Auguſtinus Fivizianus ordinis Eremitarum S. Auguſtini S. D. N. CLEMENTIS VIII. Sacriſta & Archihoſpitalis S. Spiritus in Saxia, ejuſque Ordinis Generalis Commendatarius. Nam multa quæ deerant, quæque depravata legebantur, hujus M. S. Codicis beneficio expleta ſunt, & reſtituta, ita ut opuſculum hoc auctius nunc & integrius, quam antea in lucem prodeat.

PROLOGUS.

Joan. 7 EUM, qui venit ad me, non
Aug. de cogni. ve. vi. c. 1 t. 9 ejiciam foras, inquit Salvator. S. Auguſtinus de cognitione veræ vitæ dicit in principio: Cum Chriſtus veritas, & vita dicat:
Joan. 17 Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum ſolum; conſtat profecto, naturam rationalem ad hoc ſolum eſſe factam, ut factorem ſuum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, diligendo in eo qui eſt æterna vita æternaliter permaneat, & beate vivat. Ex quo concludit dicens: Divinitatis ergo eſſentiam rationabiliter inveſtigare, ut eſt poſſibile, eſt ad vitam æternam feſtinare. Hanc ergo negligendo ignorare, eſt utique ad mortem indeficientem damnabiliter properare. In his verbis oſtendit B. Auguſtinus, generaliter æternitatis eſſe duo maneria. Unum quod eſt vita æterna. Alterum quod eſt mors ama- A riſſima. Innuit etiam Auguſtinus hic in his verbis, iſtorum æternorum maneriorum duo itinera: quia ad primum pervenitur per rationabilem inveſtigationem cum amore; ad ſecundum per damnabilem omiſſionem cum dolore. Dominus autem Jeſus Chriſtus, qui eſt via, in qua imus, veritas ad quam pervenimus, & vita in qua permanebimus, in verbis propoſitis oſtendit ſpecialiter & principaliter utrumque manerium, & eorum itinera. Unum intrinſecum, & Aug. de ſp. & an. c. 60 apud Aug. tom. 3
quaſi ſecretum, & æternum in ſe: quia ipſe eſt animæ patria, & ha- B bitatio, ut dicitur in libro de ſpiritu, & anima. Aliud oſtendit manerium extrinſecum & extra ſe, quod eſt æternum animæ exilium, in quo, ſecundum Matthæum, eſt fletus & Matth. 8 & 13.
ſtridor dentium. Itinera autem ad primum manerium & intrinſecum, dicit Dominus, eſſe ſecundum multiplicem acceſſum ad ſe. Itinera vero ad ſecundum manerium, & extrin-

Digitized by Google

trinſecum, dicit ſecundum multiplicem receſſum a ſe. Unde Auguſtinus in libro Soliloquiorum primo dicit: Deus eſt, a quo averti eſt cadere, in quem converti eſt ſurgere, in quo manere eſt conſiſtere. De iſto ergo intrinſeco ſecreto & æternali manerio, primo videndum eſt, poſtea de itineribus, quibus acceditur ad illud.

Aug. lib. 1 Soliloq. c. 1 ante med. tom. 1

DE INTRINSECO SECRETO, & æternali manerio in Chriſto.

Circa primum igitur ſcilicet circa intrinſecum ſecretum, & æternale manerium ſunt ſeptem per ordinem notanda, quæ ſunt neceſſaria ad dicendorum cognitionem.

Notandum eſt igitur primo, quid illud intrinſecum ſecretum in Chriſto dicatur.

Secundo qualiter in illo intrinſeco ſecreto variæ manſiones diſtinguantur.

Tertio ſecundum quid homo ad illud intrinſecum ſecretum admittatur.

Quarto quibus pedibus ſpiritus noſter illud intrinſecum ſecretum ingrediatur.

Quinto qualiter ſpiritus noſter in illo intrinſeco multipliciter eſſe dicatur.

Sexto qualiter ſpiritus noſter in illo intrinſeco ſtabilitur & perpetuatur.

Septimo quæ & quot ſunt itinera, per quæ ad illud intrinſecum pervenitur & intratur.

DISTINCTIO I.

Quid intrinſecum ſecretum in Chriſto dicatur.

Primo notandum eſt, quid ſit illud intrinſecum ſecretum, & æternale manerium in Chriſto. De quo ſciendum, quod cum in Chriſto ſit duplex natura, humana & divina: divina autem ſit omni creaturæ maxime intrinſeca, ut ait Auguſtinus, & Hugo. Ideo intrinſecum illud in A Chriſto eſt divina perſona in humanitate ejus abſcondita, ita quod Chriſti humanitas eſt via ad divinitatem. Unde Auguſtinus exponens illud Joannis: Ego ſum via, dicit: Verbum aſſumens humanitatem, factum eſt via. Ambula per hominem ſi vis venire ad humanitatem, & pervenies ad Deum, ſcilicet perſonam verbi, in quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Procul dubio ſi non eſſet aliquod intrinſecum in Chriſto ſecretum, ad quod intrandum invitaret nos, non dixiſſet ipſe: Ego ſum oſtium, &c. uſque inveniet. Ego ſum oſtium ſenſui, per corporale objectum. B Videte inquit, manus meas & pedes meos: quia ego ipſe ſum. Ego ſum oſtium intellectui, per fidem reſeratum. Unde in Iſaia dicitur: Niſi credideritis, non intelligetis. Ego ſum oſtium voluntati, per charitatem apertum. Charitas non vult ſcire medium inter ſe, & dilectum, immo, ut dicit Hugo: Amor ſive charitas ſuo acumine omnia penetrat, donec ad dilectum veniat. Per me ergo oſtium ſi quis introierit per fidem & charitatem, ad meam intrinſecam & abſconditam divinitatem, ſalvabitur. Quia ſive ingrediatur ad meam divinitatem contemplandam, ſive egrediatur ad meam C humanitatem imitandam, paſcua utrobique inveniet æternæ viriditatis & ſalutis. Et de paſcuis humanitatis, intratur ad paſcua divinitatis. Quod oſtendit Hugo bene in prologo ſuo ſuper Angelicam hierarchiam, ubi dicit ſic: Propterea Jeſus carnem aſſumptam in edulium nobis propoſuit, ut per cibum carnis, invitaret nos ad guſtum divinitatis. In his paſcuis ſponſa conſtituta dixit: Comedi favum cum melle meo. Favus, ſicut dicit Origenes, eſt cera virginea, loculis vel cellulis diſtincta, quæ ſunt melle repletæ. Quid ergo aliud eſt. Comedi favum meum cum melle meo, niſi guſtavi dulciſſimam divinitatem in cera virgineæ humanitatis abſconditam cum ipſo abſconſo? De iſto intrin-

Hugo ſup. 7 Angel. hie. lib. 6 poſt med.

Auguſt. de verb. Dom. ſer. 55 circ. fin. tom. 10

Joan. 10

Luc. 24

Iſa. 7 ſec. LXX.

Hugo ubi ſup. prox. ante med.

Hugo lib. 2 in 1c. Ang. Hier. verſ. fin.

Cant. 5

Digitized by Google

intrinſeco Auguſtinus loquens ſuper Joannem, quaſi admirando exclamat dicens: O magnum penetrale, & ſecretum dulce! O ſecretum ſine tædio, ſine amaritudine malarum cogitationum, ſine interpolatione tentationum & dolorum. Hoc eſt gaudium, de quo dicit Salvator: Intra in gaudium Domini tui. Hæc Auguſtinus. Et ſic patet intrinſecum Domini Jeſu Chriſti.

Aug. tr. 25 in Joan. poſt med. tom. 9

Matt. 25

DISTINCTIO II.

Qualiter in intrinſeco Chriſti ſecreto variæ manſiones diſtinguantur.

SEcundo videndum eſt, qualiter in illo intrinſeco Chriſti variæ manſiones, vel maneria diſtinguantur. De quo notandum eſt, quod per oſtium intrantes ad interiora domus, non omnes æqualiter locantur, ſed ſecundum majora merita vel minora perſonarum. Unde Bernardus in Cantica dicit. Unaquæque anima devota inveniet ſibi ſecretum cum ſponſo, ut dicat illud Iſaiæ: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi: quia non omnibus uno loco datur frui gratia, & ſecreta ſponſi præſentia, ſed ut cuique paratum eſt a Patre. Non enim nos ipſum elegimus, ſed ipſe nos elegit, & poſuit nos, & ubi a Deo unuſquiſque poſitus eſt, ibi eſt. Hæc Bernardus. Unde notandum, quod quidam ex ingredientibus intrinſecum ſecretum Domini Jeſu, recipiuntur in domum ſanctæ compunctionis, ut Maria Magdalena in domo Simonis. In palatium continuæ meditationis, ut David qui dicit: Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. In menſam dulcis refectionis, ut Petrus, qui dicit: Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus. In cubiculum ſolitariæ contemplationis, ut Joannes quieſcens in pectore Domini. In amplexus amoroſæ unionis, ut de ſponſo dicitur: Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, ſpiritus tamen ſponſæ jam omnes iſtas manſiones viſitaverat. Sed Bernardus aliter diſtinguit iſtas manſiones, dicens: Denique una mulier compuncta ſecus pedes Domini Jeſu ſortita eſt locum hujus ſecreti; ſed altera ſuæ devotionis fructum ſive ſecretum ad caput invenit; ſi tamen altera. Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in ſinu patris, Paulus in tertio cœlo ſecreti hujus gratiam ſunt aſſecuti. *Et ſequitur*: Prior mulier ſtravit ſibi in tuto humilitatis, poſterior in ſolido ſpei, Thomas in ſolido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo ſepientiæ, Petrus in veritatis luce: & ſic apud ſponſum manſiones multæ ſunt. Hæc ſunt verba S. Bernardi. Sed Gregorius in Evangelio, *Erant appropinquantes ad Jeſum*, & Hugo de ſancto Victore lib. 4. de clauſtro animæ c. 26. videtur has manſiones diſtinguere, quaſi ad modum diſtinctionis Angelicarum manſionum. Unde ſuper primum Angelicæ hierarchiæ dicit Hugo: Secundum illam namque proportionem, qua nunc dona gratiarum differenter percipimus; merito poſtea vel hic per mentis contemplationem, vel illic per retributionem, in numerum, id eſt, in manſiones, tranſimus Angelorum, & etiam ſecundum differentiam progreſſionum, & incrementa illuminationum, & ſecundum gradus ſpiritualium profectuum in nobis differenter tranſimus in numerum Angelorum. Et tam Gregorius, quam Hugo hæc explicant, dicentes. Oportet & in hac vita manentes, conformare ſe cœleſtibus manſionibus per aliquam imitationem, qui volunt aſcendere ad illas. Unde dicit uterque: Sunt nonnulli, qui parva capiunt, ſed tamen illa pie fratribus nunciare non deſiſtunt. Illi itaque in numerum, id eſt, manſiones Angelorum currunt. Et ſunt nonnulli, qui divina largitate refecti, ſecretorum cœleſtium ſumma capere valent, & nunciare, quo ergo iſti niſi inter Archangelorum manſiones deputantur? Et ſunt alii,

Bern. ſ. 23 ſup. Cant. poſt med.

Iſa. 24

Luc. 7

Pſal. 18

1 Pet. 2

Joan. 13

Cant. 2

Bern. in b. ſup. prox.

Hugo lib. 1 in 1 cap. Angel. hie. poſt med.

Greg. hom. 34 in Ev. poſt med.

Hugo lib. 4 de clauſtro anim. c. 26

alii, qui mira faciunt, ſigna valenter operantur. Quo ergo iſti niſi ad ſupernarum Virtutum ſortem & manſionem congruunt? Et ſunt nonnulli, qui etiam de obſeſſis corporibus dæmones fugant, & virtute orationis eiiciunt. Itaque iſti manſionem ſuam inter Poteſtates ſortiuntur. Et ſunt nonnulli, qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita tranſcendunt, ideo electis fratribus principantur, ubi ergo iſti niſi in manſionibus Principatuum ſortem accipiunt? Et ſunt nonnulli, qui ſic in ſeipſis, cunctis vitiis, & deſideriis dominantur, ut ex vitæ munditia dii inter homines vocentur. Quo iſti niſi inter Dominationes currunt? Et ſunt nonnulli, qui dum ſibimetipſis vigilanter dominantur, & ſe diſcutiunt, ſemper inhærentes, hoc in munere accipiunt, ut recte alios judicent, in his veluti throno Deus reſidens cuncta mirabiliter examinat & diſpenſat. Quid ergo iſti niſi Throni Conditoris ſui ſunt, & ad ſupernorum ſedilium manſiones adſcribuntur? Et ſunt nonnulli, qui plenitudinem ſcientiæ accipiunt, ut Cherubim jure nominentur, qui dilectione Dei, & proximi pleni ſunt. Hi ſortem manſionis ſuæ inter Cherubim percipiunt. Et ſunt nonnulli, qui ſupernæ contemplationis facibus accenſi in ſolo Conditoris ſui deſiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo ſapiunt, ſed ſolo æternitatis amore paſcuntur, terrena quæque abiiciunt, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant & ardent, atque in ſuo ardore requieſcunt, amando ardent, loquendo alios accendunt, & quos loquendo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt: quid ergo iſtos niſi Seraphim dixerim, & quo niſi inter Seraphim manſionis ſuæ ſortem accipiunt? *Sequitur*. Ad hos ergo vicos, ut in eis ſine fine permaneant, venient, qui modum quem prædiximus in hoc ſæculo pro poſſe ſuo tenent. Hæc ille. Et his concordat Hieronymus, qui dicit: Paratæ ſunt in cœlo diverſæ manſiones diverſis virtutibus,

Apud Hug. ibid. in fi. cap.

Hieron. in Matt. c. 3 tom. 6

A quia non perſonæ acceptantur, ſed opera, &c.

DISTINCTIO III.

Secundum quid homo ad illud intrinſecum ſecretum admittatur.

TErtio videndum eſt, ſecundum quid homo in illud intrinſecum & ſecretum Domini admittatur & introducatur, vel intromittatur. Circa quod notandum, quod cum in homine ſit corpus, & anima, & ſpiritus, ut dicit Origenes ſuper Cantica: oportet videre, ſecundum quod iſtorum trium, homo ad illud intrinſecum admittatur, & introducatur.
B De quo ſciendum, quod cum Chriſtus dicat, Spiritus eſt Deus, & qui adorat eum in ſpiritu, & veritate, id eſt, in devotione & cognitione, oportet adorare; hæc autem conveniunt ſpiritui humano, ergo ſecundum ſpiritum oportet adorare, & intrare. Item cum Deo maxime aſſimilemur ſecundum ſpiritum, ſecundum quem etiam ſumus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, & ſecundum hoc ſumus capaces Dei, ut dicit Auguſtinus lib. 14. de Trinitate; ergo ſecundum ſpiritum ingredimur, qui eſt ſupremum, & optimum in homine. Item ſecundum corpus
C non poſſumus ingredi illud intrinſecum, cum corpus non poſſit locari niſi in loco corporali. Item cum anima, ut corpus animet, neceſſario inſit ei ut forma, nec ſic poſſit ſe extendere extra corpus ad æterna, cum Apoſtolus dicat: Noſtra converſatio in cœlis eſt, non ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem, nec ſecundum animam ut animat corpus, ut patet ex Gloſſa, ideo neceſſe eſt, ut per ſpiritum noſtrum tamquam optimum in nobis, accedamus ad illud ſpeciale intrinſecum ſecretum Domini Jeſu: quia ipſe miſit ſpiritum ſuum, ut ſpiritum noſtrum levaret poſt ipſum, ut ait Richardus. Et quia ipſe Richardus alibi dicit, oportet introire liceat in illud intimum

Joan. 4

Philip. 3

Rich. in prologo lib. de Trin. circa med.

Idem in ll. de exterm. mali, tr. 3. cap. ult.

mum ſecretum quietis, & ſupremæ tranquillitatis arcanum, ut fiat iſta valde mirabilis diviſio, non corporis, & animæ diſſolutio, ſed alia ac multo mirabilior, multoque glorioſior diviſio, videlicet animæ, & ſpiritus, quam in nobis operari ſolet, ſicut, teſtatur Apoſtolus, dicens: Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & omni gladio ancipiti penetrabilior, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus. Hæc ille. Ex quo oportet videre, qualiter iſte ſpiritus ab anima dividitur, ut ab omnibus exoneratus, aſcendat ad illud intrinſecum & ſecretum quietis. De quo notat Richardus, & Auctor libri de ſpiritu & anima, ubi uterque exponens prædictum verbum Apoſtoli dicentis, quod ſermo Dei pertingit uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ, concordant per omnia, dicentes ſic: Nihil in creaturis hac diviſione mirabilius cernitur, ubi illud, quod eſſentialiter unum eſt atque individuum in ſe ipſo, quamdam diviſionem patiatur; neque enim in homine uno alia eſt eſſentia ejus ſpiritus, atque ejus animæ, ſed una eademque ſubſtantia ſimplicis naturæ. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina ſubſtantia intelligitur: ſed cum ad diſtinctionem ponitur gemina nominatio ejuſdem eſſentiæ, una ſuperior per ſpiritum, alia inferior deſignatur & hæc per animam. *Sequitur.* In hac itaque diviſione, anima & quod animale eſt in imo remanit. Spiritus autem, & quod ſpirituale eſt ad ſuprema evolat, & ab infimis dividitur, ut ad ſuprema elevetur; ab anima ſcinditur, ut Domino jungatur. Quoniam qui adhæret Domino unus ſpiritus eſt cum illo. O quam felix diviſio, & mirabilis ſeparatio, ubi, quod corpulentum eſt, & fæculentum, deorſum remanet, quod ſpirituale, & ſubtile eſt, uſque ad ſpeculationem divinæ gloriæ ſublimatur, & in eamdem imaginem transformatur, pars inferior componitur ad ſummam pacem & tranquillitatem, dum pars ſuperior ſublimatur

Hebr. 4

Rich. ubi ſup. p oxi. & Auct. de ſpir. & an. cap. 34 circ. med. apud Aug. tom. 3

1 Cor. 6

A ad gloriam & jucunditatem. Hoc uterque ponit. Ex quo apparere poteſt, quod quanto ſpiritus noſter ab omnibus temporalibus, & etiam ab ipſa anima, vel etiam a ſeipſo dividitur, quod tanto facilius & perfectius illud ſpirituale intrinſecum, & æternale manerium perfectius accedit, & ingreditur. Et ideo notandum eſt, quod ſpiritus noſter aliquando in tantum a corpore, & anima dividitur: ut ſpiritus in ſpiritu eſſe aſſeratur, & quandoque ut ſpiritus ſupra ſpiritum eſſe dicatur, & quandoque ſpiritus ſine ſpiritu credatur. Primo dico, quod ſpiritus humanus quandoque a corpore in tantum alienatur, B & ab omnia diſtrahitur, vel dividitur, ut ſpiritus merito in ſpiritu eſſe dicatur. Quod oſtendit Richardus loquens de Joanne Evangeliſta, ubi dicit: Nonne ſpiritus in ſpiritu eſſe tunc recte aſſeritur, quando exteriorum omnium obliviſcitur, pariter & ignarus eſt omnium eorum, quæ in corpore corporaliter aguntur, & illa ſolum intelligit per memoriam vel intellectum, quæ in ſpiritum & circa ſpiritum actitantur? Quare Joannes in Apocalypſi bene dicit: Fui in ſpiritu in Dominico die. Vel ſicut ibidem Richardus dicit: An hoc eſt ſpiritum in ſpiritu eſſe, ſemetipſum intrare, & intra ſemetipſum totum colligere, & ea quæ circa carnem ſeu C etiam in carne geruntur interim penitus ignorare? Sed Haymo ſuper Apocalypſim, ſic exponit, dicens: Joannes ſic fuit in ſpiritu, quod tamen ipſam carnem funditus non deſeruit, ſed ſpiritui æternitatis adhæſit mens ejus, & a ſpiritu docente aſſumptus fuit ſpiritus docendus ideo, tam mirabilia & profunda vidit. Secundo dico quod ſpiritus humanus quandoque in tantum amoris fervore ſupra ſe rapitur, ut merito ſpiritus ſupra ſpiritum eſſe dicatur. Unde Hugo dicit: Acumen amoris eſt, cum omnia tranſcendendo deſpicit. Superfervidum autem amoris eſt, cum etiam ſemetipſum contemnendo relinquit, & in comparatione dilecti ſe deſpicit, & modo miro

Nota de diviſione humani ſpiritus a corpore, & anima.

Rich lib. 1 de contem. c. 12 circ. fi.

Apoc. 1

Hug. ſuper 7 Ang. hie. l. 6 cir. med.

ſit, ut per dilectionis ignem in illum ſuſtollatur, qui eſt ſupra ſe, & per vim amoris expellatur & exeat etiam a ſe, nec ſe cogitet, dum Deum ſolum amat. Hæc ille. Hoc modo Petrus fertur raptus fuiſſe ſupra ſe, quare in Actibus dicitur, & Petrus ad ſe reverſus dixit, &c. Quod Richardus exponens, dixit: Hoc ſane non imprudenter dicitur, quod Petrus longe ſuper hominem fuit, quia longe a ſemet. ipſo, & ſupra ſemetipſum receſſit, alioquin non erat a quo ad ſe reverteretur. Tertio dico, quod ſpiritus humanus in tantum a ſeipſo quaſi dividitur, ut ſpiritus ſine ſpiritu eſſe dicatur. Unde in libro Regum legitur, quod videns regina Saba ſapientiam Salomonis, & domum, & habitacula, &c. non habebat ultra ſpiritum. Quod exponens Richardus dicit: Nonne recte dicitur, ſpiritum ſemetipſum non habere, quando incipit a ſemetipſo omnino deficere, & a ſuo eſſe in ſupermundanum quemdam, & vere pluſquam mundanum, vel humanum ſtatum tranſire, & mirabili transfiguratione ſpiritus ille ab humano videtur in divinum deficere, ita ut ipſe jam non ipſe, eo dumtaxat tempore, quo incipit Domino altius inhærere? Qui autem adhæret Deo unus ſpiritus eſt, & ſic totus illud divinitatis arcanum intrat, clamans cum Pſalmiſta: Defecit in ſalutare tuum anima mea. Hæc ille.

Act. 12
Rich. lib. 5 de contr. c. 13 circ. fin.
3 Reg. 10
Rich. ubi ſup. cap. 12 ur fin.
Pſal. 118

DISTINCTIO IV.

Quibus pedibus ſpiritus noſter illud intrinſecum ſecretum ingrediatur.

Peles noſtri ſpirit. ſunt intellectus, & affectus.

QUarto videndum eſt quibus pedibus & greſſibus ſpiritus noſter in illud intrinſecum ſecretum, & ſpirituale manerium ingrediatur. De quo notandum, quod ſicut dicit Vercellenſis ſuper Cantica: Pedes noſtri ſpiritus, ſunt intellectus & affectus, quibus frequenter anima devota carpit itinera æternitatis. Ratio autem hujus eſt, quod ſpiritus noſter per

A intellectum & affectum ſe ad æterna extendit, & eo attingit aliqualiter. Unde Hugo libro 1. de arca Noe dicit: Hoc eſt ad Deum tendere, & ad ipſum pertingere, ſemper eum per deſiderium quærere, per cogitationem invenire, & per guſtum tangere, & Commentator Hugo ſuper ſeptimum Angelicæ hierarchiæ dicit: Mentes cœleſtes ſive ſpiritus rationales ad interiora mentis cognitione & dilectione accedunt, & proximi fiunt ſecundum excellentiſſimam collocationem, quam habent juxta Deum, ubi eſt intrinſecum ſpiritus noſtri, ut ſupra dictum eſt. Sed notandum, quod pedes ſpiritus noſtri oportet eſſe mundos, & puros, quia nihil inquinatum

Lib. 1 c. 4 circ. med.
Idem ſup. 7 Ang. hie. lib. 7 poſt med.

B intrabit intra ſecretum Domni Jeſu. Et cum pedes ſpiritus humani quandoque tangant terram mediante ſenſualitate, & etiam ne pulvis terrenus eis adhæreat: ideo indigent frequenti lotione, & mundatione, ut oſtendit Dominus quando dixit: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, id eſt qui ſine peccato mortali eſt, non indiget capitis lotione. Cujus ratio eſt, quia caput noſtri ſpiritus eſt intelligentia, quæ in viris ſanctis immediate conjungitur Deo, ut dicit B. Auguſtinus in ſuo libro de ſpiritu & anima: ideo lotione non indiget. Nec tales indigent lotio-

Joan. 13
Auguſt. de Spir. & an. c. 11 tom. 3

C ne manuum, quia opera eorum munda ſunt, propter munditiam capitis, ea in Deum ordinantis, ſed indigent lotione pedum. Cujus ratio eſt ſecundum Auguſtinum, & Origenem, quia impoſſibile eſt, hominem aliquando non peccare venialiter, & non habere aliquam inordinationem in ſua ſenſualitate, propter continuam converſationem in terris, ex qua contrahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ex hoc ruga obſcuritatis in intellectu. Unde Origenes dicit: Ego impoſſibili puto, non contaminari extrema animæ & infima ejus, quamquam quis perfectus quoad homines reputetur. Ideo chariſſimi diſcipuli Domini ſunt, qui ſolum pedum indigent lotione. Hos pedes bene

Angel. tr. 56 & ſeq. in Jo. c. 9

lotos

lotos timuit coinquinari ſponſa, quando dixit: Lavi pedes meos, (Cant. 5) Gloſſa, id eſt cogitationes meas, quibus aliquando terram tangere ſolebam, quos ſecretis fletibus compunctionis ablui, ut intrare merear cœleſtem patriam. Quomodo ergo iterum coinquinabo illos? Vercellenſis dicit: Quomodo coinquinabo illos iterum umbris & imaginibus temporalium, cum etiam intellectuales operationes, & formæ in hoc loco, in ſuperintellectuali exercitio reputentur maculæ & offendicula? Hæc ille.

Secundo notandum eſt, quod quia multa offendicula & diverſa in iſtis itineribus æternitatis ſunt, quibus ſpiritus noſter impeditur, & retardatur ab ingreſſu illius intrinſeci ſecreti, ideo oportet ut ſpiritus noſter non ſolum habeat pedes ab immunditiis lotos, ſed etiam ad ambulandum exercitatos, & agilitate veloces. Unde Dionyſius (Dionyſ. de Ang. hier. c. 15 ante med.) dicit, quod pedes in ſcriptura ſignificant virtutem motivam, acute penetrantem, & velocem, id eſt ſemper tendentem in divina. *Et ſequitur*: Propter quod alatos Theologia figuravit pedes ſanctorum intellectuum, quod ſignificat reductivam velocitatem, & ſupernis invectivam ab omni terreſtri deprimentem. Hæc Dionyſius. Horum pedum velocem agilitatem habuit propheta David, cum dixit: (Pſalm. 17) Qui perfecit pedes meos quaſi cervorum. Quod Gregorius (Greg. lib. 26 Moral. c. 1) exponens dicit: Cervus cum juga montium aſcendit, quæque aſpera & objecta tranſgreditur, donec ad ſuperiora elevetur, non ſolum currit, ſed etiam ſaltat; ita etiam electorum mentes quæcumque ſibi obvia reſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, donec ſe ad ſuperna evehunt.

Tertio notandum, quod oportet, quod pedes ſpiritus noſtri non ſolum ad ambulandum ſint expediti, ſed etiam per amorem ad penetrandum acuti, ut ſpiritus potenter omnia tranſire poſſit, dicens cum Pſalmiſta: (Pſalm. 17) In Deo meo tranſgrediar murum. Quod Gregorius (Greg. ibid.) exponens, ubi

A ſupra, dicit: Murus eſt omne quod itineri noſtro objicitur, cum ad dilectum tranſitur: quem tranſgredimur, cum præ amore ſupernæ patriæ, omnia hujus mundi objecta calcamus. Hæc ille. Et ſicut dicit Auguſtinus: (Auguſt. ad Mac. don. ep. 52 poſt med. tom. 2) Ire ad Deum tanto nobis melius eſt, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius eſt. Imus autem non ambulando, ſed amando. Quem tanto habebimus præſentiorem, quanto amorem, quo in eum tendimus, habebimus puriorem. Hæc Auguſtinus. Greſſus ergo mentales, & pedes ſpiritus non ſunt corporales, ſed ſpirituales. Et ideo Gregorius dicit: (Greg. lib. 22 Moral. c. 4 ante med.) Ad ſe quippe venire præcipit B Deus, non greſſibus corporis, ſed profectibus amoris & ſpiritus, veritate dicente: Venite ad me omnes, (Matth. 11) qui laboratis. Et Auguſtinus: (Aug. in Pſ. 75 tom. 8) Iter tuum voluntas tua eſt. Amando aſcendis, negligendo deſcendis: ſtans in terra in cœlo es, ſi diligis Deum. Et ſic patet de paſſibus ſpiritualibus.

DISTINCTIO V.

Qualiter ſpiritus noſter in illo intrinſeco multipliciter eſſe dicatur.

Quinto videndum eſt, qualiter (Coloſſ. 2) ſpiritus noſter in illo intrinſeco manerio multipliciter eſſe C dicatur. Circa quod notandum eſt, quod cum Apoſtolus dicat, quod in Domino Jeſu ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, quis poteſt inveſtigare & enarrare magnitudinem & multitudinem divitiarum & deliciarum iſtius intrinſeci ſecreti cubiculi, niſi quantum quilibet per fidem illuminatus, & per charitatem inflammatus, in illo habitare conſueverit & per aliqualem experientiam didicerit? Unde dicit Bernardus: (Bernar. in Cant. ſerm. 23 cir. fin.) In hoc arcanum, in hoc ſanctuarium Dei, ſi quem forte veſtrum aliqua hora ſic rapi, & ſic abſcondi contigerit, ut nemo eum avocet, aut perturbet, vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amo-

amoventur, irruentia imaginum corporalium phantaſmata, poterit quidem hic cum ad nos reducitur gloriari, dicens: Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Et ibidem quaſi admirando exclamat dicens: O vere quietus locus eſt, quem non immerito nomine cubiculi cenſuerim, in quo Deus non turbatus ira, nec velut diſtractus cura proſpicitur, ſed probatur voluntas ejus bona, & beneplacens, & perfecta. Viſio iſta non terret, ſed mulcet: inquietam curioſitatem non excitat, ſed ſedat, nec fatigat ſenſus, ſed tranquillat. Hic vere quietus Dominus quieſcit, Deus tranquillus qui tranquillat omnia, & quietum aſpicere quieſcere eſt. Hæc Bernardus. Hi qui ſecreta iſtius cubiculi ingrediuntur, ſive gazophylacii ſecretum inhabitant, per veram fidem & charitatem, magni ſunt: quia magna audiunt, & percipiunt magna, introducti in plenitudinem æternorum & divinorum theſaurorum in illo abſconditorum. Et ideo Bernardus dicit, quod hi, qui magni ſunt fide & charitate, digni inveniuntur, ut inducantur in omnem plenitudinem Dei, nec eſt omnino in omnibus apothecis ſapientiæ aliquid, a quo Deus ſcientiarum Dominus, arcendos cenſeat cupidos veritatis, non conſcios vanitatis. Et infra ſic dicit: Iſtiuſmodi ſapientibus ſpiritibus magnus occurrit ſponſus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem ſuam, & veritatem ſuam, eoſque adducens, & deducens in montem ſanctum ſuum, in tabernacula ſua. Regem in decore ſuo videbunt, præeuntem ſe ad ſpecioſa deſerti & ad flores roſarum, ad lilia convallium, ad amœna hortorum, ad irrigua fontium, ad delicias cellariorum, ad odoramenta aromatum, poſtremo ad ipſa ſecreta cubiculi. Iſti ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, abſconditi penes ſponſum. Hæc ſunt paſcua vitæ, præparata in refectionem animarum ſanctarum. Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis. Hæc Bernardus. Sed procul dubio ſi ſpiritus humanus quaſi ab anima diviſus, & corpore, quandoque illud intrinſecum lucis manerium ingrediatur ſolus, & intus recipiatur, rediens de regione lucis illius intrinſeci ad animam & corpus, ipſe enarret quales divitias acceperit, qualia verba audiverit, & quales delicias guſtaverit, ſi tamen enarrare poteſt, quia Gregorius dicit: Sæpe amantis animus tantæ contemplationis munere impletur, ut videre valeat, quod omnino loqui non valeat. Si autem enarrare non poterit, ſaltem ut alter Moyſes deſcendens a conſortio Domini in anima & corpore aliqua ſigna, & teſtimonia ſecum ferat, teſtificantia quod in regione lucis fuerat. Dicit enim Hugo: Ecce dum de illo divino internæ contemplationis ſecreto revertimur, quid nobiſcum afferre poterimus niſi lucem? Lucem de regione lucis venientes portamus. Hoc enim decens & neceſſarium eſt, ut cum a lucis regione venimus ad fugandas noſtras tenebras, nobiſcum lucem apportemus. Et quis ſcire poterit, quod ibi fuerimus, ſi illuminati non redimus? Sed ſi vidimus Patris potentiam, apportemus lucem divini timoris. Si vidimus Filii ſapientiam, apportemus lucem veritatis. Si vidimus Spiritus ſancti clementiam, apportemus lucem dilectionis. Potentia torpentes excitet ad timorem. Sapientia ignorantiæ tenebris excæcatos illuminet. Clementia calore charitatis frigidos inflammet. Hæc ille.

Ibid. paulo ante. — *Ibid. ſerm. 31 poſt medium.* — *Pſal. 115* — *Pſal. 42* — *Pſalm. 116* — *Greg. lib. 15 Mor. cap. 17* — *Hug. in lib. de tribus diebus circa fin.*

DISTINCTIO VI.

Qualiter ſpiritus noſter in illo intrinſeco ſtabilitur, & perpetuatur.

SExto videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter cum in illud intrinſecum manerium æternale fuerit introductus, in illo ſtabiliatur & perpetuetur, ita tamen quod ad imperium regis egrediatur, & ingrediatur ad naturam humanam imitandam, & contemplandam divinam.

De

De quo ſciendum eſt, quod ſpiritus A noſter in illo arcano ſecreto per veram fidem collocatur & ſtabilitur, & per ſanctam charitatem in eodem perpetuatur. De fidei collocatione & ſtabilitione dicit Dionyſius: Quod circa veritatem vere exiſtentem & non errantem, verſatur fides divina, quæ eſt ſtabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, & firmans ſimplicem veritatem, in tranſmutabili identitate in ipſis credentibus, habentibus cognitionem veritatis, & ideo credentem in veritate, teſte Scriptura, nihil movebit a lætitia, quæ eſt ſecundum veram fidem, ſed habebit in ea permanentiam immobilis & intranſmutabilis identitatis. *Sequitur*. Qui enim veritati unitus eſt, ipſa unione bene novit quod bene ſentit. Quamvis multi corripiant ipſum, tamquam mentis exceſſum paſſum, ſive furioſum: ipſe tamen bene novit ſeipſum non furentem, ut errantes ei imponunt, ſed per ſimplicem veritatem ſemper eamdem, & eodem modo ſe habentem, liberatum ab inſtabili & variabili diviſione contra errorem. Hæc Dionyſius. Ex his apparere poteſt, quomodo fides ſpiritum noſtrum in illo intrinſeco manerio Jeſu collocat & ſtabilitat. Unde dicit Iſaias: Si non credideritis, non permanebitis, ſcilicet in Deo. Et Euſebius in gloſſa ſuper illud Lucæ: Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit, dicit ſic. Qui mentem applicaverat ad cœleſtia, ibi mentem habebit, ut videatur ſolo corpore cum hominibus converſari, animo vero jam ſit aggreſſus manſiones cœleſtes. Hæc ille. De charitatis autem perpetuatione, id eſt qualiter ſpiritus noſter in intrinſeco Domini Jeſu perpetuetur, notandum, quod cum Joannes dicat: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, ergo quamdiu ſpiritus manet in charitate, tamdiu manet in Deo ſive in intrinſeco Domini Jeſu, ſed ſpiritus noſter in æternum poteſt in charitate manere cum adjutorio Dei: ergo in æternum poteſt manere in Deo. Unde in libro de ſpiritu & anima dicitur, quod anima habet in ſe amorem, quo ſemper poteſt ſtare cum Deo. Quod autem ſpiritus noſter in æternum poſſit ſtare cum Deo, & manere in charitate, oſtendit Apoſtolus ad Romanos, ubi dicit: Quis poteſt nos ſeparare a charitate Chriſti: quaſi dicat: Nemo, immo nulla creatura, ſicut ipſe poſtea probat. Ergo nulla creatura poteſt nos eiicere ab illo intrinſeco, nec ipſe Deus vult eiicere, ut ipſe dicit in Joanne. Quamdiu enim ſumus charitate veſtiti, licet nosipſos per peccatum eiicere poſſimus, non tamen diſtan- B tia locali, cum Deus ſit ubique, ſed diſtantia diſſimilitudinis. Dicit enim Auguſtinus: Non locorum intervallis, ſed ſimilitudine acceditur ad Deum, & diſſimilitudine diſceditur ab eo. Quod autem nulla creatura poſſit nos ſeparare a charitate Dei, quæ nobis in Chriſto datur, oſtendit Apoſtolus ibidem, dicens: Certus ſum quod neque mors, ſcilicet quam minantur, ſeparabit nos a charitate Dei. Cujus rationem aſſignat Auguſtinus de moribus Eccleſiæ, dicens: Licet corpus noſtrum poſſit mori, tamen ipſum quo diligimus Deum, ſcilicet anima mori non poteſt, niſi dum non diligit Deum: cui mors eſt non C diligere Deum, quod nihil aliud eſt, quam ei in diligendo aliquid præponere. Alia eſt ratio ſecundum Ambroſium: Quia mors erat ſanctis occaſio eundi ad præmium promiſſum, & quaſi janua: ergo mors non poteſt nos ſeparare a charitate Chriſti, ergo non poteſt abiicere ab eo.

Secundo neque vita, inquit Apoſtolus, ſcilicet promiſſa, poteſt nos ſeparare a charitate. Cujus rationem aſſignat Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ, dicens: Quia Deus fons vitæ, ſicut ergo nemo ſeparat a fonte aquæ promittendo aquam: ita nemo ſeparat a fonte vitæ promittendo vitam. Unde Dominus dicit in Joanne: Qui credit in me, habebit vitam æternam.

Dion. de divinis nom. c. 7 cir. fin.

Rom. 8

Iſa. 7

Luc. 12

1 Joan. 4

Auſt. de ſp. & an. c. 36 apud Aug. tom. 3

Rom. 8

Joan. 6

lib. 1 c. 11 tom. 1

Amb. in ep. ad Rom. c. 8. tom. 3

Joan. 5

Ter-

Tertio, inquit Apoſtolus: Neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inferiores, neque medii, neque ſuperiores poterunt nos ſeparare a charitate Dei. cujus ratio eſt ſecundum Auguſtinum, quia Angeli, cum inhæremus Deo, non ſunt mente noſtra potentiores, immo toto mundo ſuperior eſt mens inhærens Deo, ut ait Auguſtinus de moribus Eccleſiæ. Quomodo ergo ſeparabunt nos a charitate Chriſti, ad quam nos etiam hortantur, ergo nec non eiicient.

Quarto, inquit Apoſtolus: Neque inſtantia, id eſt, inſtantes moleſtiæ nos a Deo ſeparabunt. Quia eo ipſo eas leviores ſentimus, quo ei a quo B nos ſeparare moliuntur, arctius inhæremus: charitas enim omnia ſuſtinet, & eſt vita morientium, ait Auguſtinus de laude charitatis, ergo non ſeparat, ſed unit.

Quinto, inquit Apoſtolus: Neque futura, id eſt, promiſſio futurorum nos a charitate ſeparabunt. Cujus ratio eſt ſecundum Auguſtinum de moribus Eccleſiæ, quia quidquid boni futurorum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius, qui perfecte inhærentibus ſibi jam præſens eſt, ergo nec talia ſeparant a charitate, ergo nec eiiciunt a Deo.

Aug. de laud. char. cir fin. t. 9

Sexto, inquit Apoſtolus: Neque C fortitudo, id eſt, violentia alicujus poterit nos ſeparare a charitate Dei, neque altitudo, id eſt, proſperitas, neque profundum, id eſt, adverſitas poterunt nos ſeparare a charitate Chriſti, neque alia creatura. Cujus rationem innuit Apoſtolus in eodem capite dicens: Quia bonis omnia cooperantur in bonum, ergo non ſeparant niſi nos velimus. Per charitatem ergo quæ, ut dicit Apoſtolus, omnia poteſt, omnia ſuſtinet, & numquam excidit, ſpiritus noſter in illo intrinſeco ubi eſt fons vitæ & charitas poteſt manere ſemper, maxime cum charitas voluntates noſtras ad Deum, quaſi ad centrum ſuum proprium inclinet, & nos ſibi incorporet, & voluntas perfecte condordet, quæ maxime amantium refectionem conſummant & perpetuant. Unde dicit Dominus: Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Quod Auguſtinus exponit, dicens: Veniamus ad Deum, intremus ad Deum, & incorporemur ei, ut nos non faciamus voluntatem noſtram, ſed voluntatem Dei, & non eiiciet nos foras, ſcilicet in exilium tenebrarum æternarum, ſed ſive ingrediamur, ſive egrediamur, paſcua inveniemus noſtram nutrientia charitatem, quæ nos perpetuat in Chriſto. Quia qui manet in charitate, in Deo manet, ſicut dicit Joannes.

1 Cor. 13 — *Joan. 6* — *1 Joan. 4*

DISTINCTIO VII.

Quæ & quot ſunt itinera, per quæ ad illud intrinſecum pervenitur & intratur.

Septimo poſtquam viſum eſt, quid ſit illud intrinſecum ſecretum, & æternale manerium in Chriſto, & qualiter in illo intrinſeco variæ manſiones diſtinguuntur, & ſecundum quid homo in illud intromittatur. Viſo etiam quid ſpiritus in homine dicatur, & quibus pedibus illud intrinſecum ingrediatur, & qualiter humanus ſpiritus in illo dicatur, ſtabilitur, & perpetuatur. Videndum eſt, quæ & quot ſunt itinera, per quæ ad illud intrinſecum ſecretum & æternale manerium, ſpiritus humanus accedat & ingrediatur. Circa quod ſciendum eſt, quod, ſicut dicitur in libro de ſpiritu & anima, duo ſunt loca, inter quæ ſpiritus humanus exiſtens, ad utrumque ſe movere poteſt, ſive itinerare. Deus enim eſt in ſummo, mundus vero in imo. Ille, ſcilicet Deus in eodem ſtatu æternitatis ſuæ immobilis exiſtit, ideo ipſe ſolus eſt æternitate menſurabilis. Cujus ratio eſt, quia ſicut Boetius in libro de conſolatione dicit: Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & per-

Auct. de ſp. an. c. 6 in fin. apud Aug. tom. 3 — *Boet. lib. 5 de conſola. phil. proſa 6*

Digitized by Google

perfecta poſſeſſio, quæ nulli creaturæ convenit, ſed ſoli Deo, ut patet conſideranti hujus diffinitionis partes.

Triplex menſura entium, ſcilicet tempus, ævum & aviternum.

Iſte autem mundus curſu mutabilitatis ſuæ ſemper inſtabilis fuit, & ideo tempore menſuratur, quia tempus eſt menſura motus mutabilium rerum, non permanentium, ſed ſuccedentium ut ſit, & ideo talia dicuntur temporalia. Rationalis autem ſpiritus quaſi in quodam medio eſt conſtitutus, ſed medium oportet participare naturam extremorum, propter connexionem univerſi: & ideo oportet, quod ſpiritus noſter in aliquo conveniat cum æternis, & in aliquo cum temporalibus. Cum æternis convenit in hoc, quod ſecundum ſubſtantiam omnino eſt ſtabilis perpetuo, in æternum manens, & ideo quoad hoc non menſuratur tempore tranſeunte, quia illo corruptibilia menſurantur, nec menſuratur æternitate, quia illa ſoli Deo convenit: ergo neceſſario menſuratur menſura media, ſcilicet ævo, quod eſt quædam participatio æternitatis. Unde Dionyſius de divinis nominibus dicit, quod ævum dicitur quieta & tota ſimul vita. E Damaſcenus dicit, quod ævum non eſt tempus nec pars temporis, ſed quod ſimul protenditur cum æternis, ſcilicet ſecundum perpetuationem. Idem dicit Auguſtinus libro 12. confeſſionum. Unde in libro de ſpiritu & anima dicitur: Spiritus humanus quadam conditionis ſuæ excellentia, huic mutabilitati quæ deorſum eſt, ſupereminet, quaſi creatus in orizonte æternitatis, & ideo ad illam, quæ eſt apud Deum immutabilitatem, nondum pervenit, quamvis pertingere poſſit cum Angelis. Spiritus enim noſter convenit cum temporalibus in hoc, quod ſecundum operationes aliquas eſt mutabilis, & in eis ſucceſſiones patitur. Unde in libro de ſpiritu & anima dicitur: Si ſpiritus noſter in his qui deorſum tranſeunt ſe per cupiditatem immerſerit, ſtatim per infinitas diſtractiones ſive itinera rapitur, & ſeipſo quodammodo divi-

Dion. de divinis nom. c. 5 & 10
Dam. lib. 2 fid. orthod. c. 1
Aug. lib. 12 conf. c. 11 to. 1 Auct. de ſp. & an. c. 47 in prin. apud Aug. to. 3 Ibid.

A ſus diſſipabitur, & ideo quoad iſtas operationes, temporalis efficitur, quia tempore menſuratur.

De hac inſtabilitate & mutabilitate dicit Hugo de arca Noe ſic: Dum cor noſtrum, ſive ſpiritus noſter per deſideria fluere cœperit, quaſi in tot diviſum eſt, quot ſunt ea quæ concupiſcit. Hinc naſcitur motus ſine ſtabilitate, labor ſine requie, curſus ſine perventione, ita ut ſemper ſit inquietus ſpiritus noſter, donec illic inhærere cœperit, ubi deſiderio ſuo nihil deeſſe gaudeat, & ea quæ diligit ſemper menſura confidat & credat. Hæc ille. Ex quo concluditur, quod neceſſe eſt, quod ſpiritus humanus habeat

Hug. lib. 1 de arca morali in prologo cir. fin.

B aliquas operationes, quæ maneant ſecundum ſuam ſubſtantiam, licet una alteri ſuccedat. Quod accidit, ubi ſunt operationes intrinſecæ intellectus & affectus, maxime quando in æternis figuntur, quas operationes exercere poſſet ſpiritus humanus, etiam ſi cœlum ſtaret, vel ſi nullum eſſet tempus, ut patet per Auguſtinum, nec mirum cum ſit ſpiritus humanus ſupra tempus, exiſtens, in carne temporali. Dicit enim Gregorius in Moralibus: Sublevata mens, id eſt, ſpiritus, extra terminos temporum ducitur, etiam cum a carne in tempore tenetur, & in libro de ſpiritu & anima: Si ſpiri-

Aug. 12 confeſſ. c. 11 tom. 1

C tus humanus ab hac infima diſtractione, quæ deorſum eſt, erexerit ſe, & hæc infima deſerens, atque paulatim ſe in unum colligens, ſecum eſſe didicerit, tanto amplius in unum colligetur, quanto magis deſiderio & cognitione ſurſum elevabitur, donec tamdem omnino immutabilis ſit, & ad illam veram & unicam, quæ apud Deum eſt, immutabilitatem perveniat, ut perpetuo ſine omni mutabilitatis viciſſitudine requieſcat; jam in intrinſeco Domini perfecte collocatur. Hæc ille. Ex his patet, quod ſicut ſpiritus humanus ex inordinato amore temporalium aggravatus, deſcendit ab æternis per aliqua itinera iniquitatis deorſum ad temporalia; ſic ſpiritus humanus ex ordinato amo-

Auct. de ſp. & ani. ubi ſup. proxi.

re

Digitized by Google

re æternorum alleviatus aſcendit ſurſum, per itinera rectæ æquitatis ad æterna. Et ſicut ille per ſeptem itinera obliqua deſcendit ad temporalia: ita iſte per ſeptem itinera recta aſcendit ad æterna, propter quod itinera æternitatis nuncupantur.

Septem itinera. Itinera ergo æternitatis ducentia ad intrinſecum ſecretum. & æternale manerium Domini ſunt hæc, ſcilicet æternorum recta intentio, æternorum ſtudioſa meditatio, æternorum limpida contemplatio, æternorum charitativa affectio, æternorum ſecreta revelatio, æternorum experimentalis prægustatio, æternorum Deiformis operatio.

Ad itinerandum autem in his ſeptem itineribus æternitatis, Dominus amoroſe invitat ſpiritum humanum, oſtendens & promittens ei ſeptem adminicula, cooperantia ad ambulandum in itineribus æternitatis. Iſtam autem invitationem mens humana diligenter advertat. Quia ſicut dicit Vercellenſis ſuper Cantica: Nihil eſt quod ad continuos ſponſæ profectus eam promoveat efficacius, quam Deum imitari, & ab eo invitari effective. Hoc quidem exercitio continuo uniformiter proficiunt cæleſtes ſubſtantiæ, quæ non ceſſant poſt ſponſum ingredi. Totus enim curſus amoris in aſſidua & continua hujuſmodi invitatione conſiſtit, ut in fine libri Canticorum patet, dicit ergo: Surge, propera amica mea, & columba mea, formoſa mea & veni. Amica, quia amans & amata. Ego enim diligo diligentes me. Columba mea, quia ſpiritu ſimplificata, ſicut ſcriptum eſt in Matthæo: Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Formoſa mea, quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta, ut dicitur in Geneſi. Surge igitur a temporalibus ad æterna tendendo, & propera, æterna inveſtigando, & veni, æternitatem meam ingrediendo. Hujus petitionis reddit cauſam, dicens: Surge, propera amica mea & veni, quia jam eſt itinerandi opportunitas temporanea, quia jam hiems tranſiit peccati infrigidantis, & itinera ambulantium obliquantis. Quia iam eſt itinerum optata facilitas, quia iam imber abiit & receſſit, curæ diſtrahentis & itinerantes impedientis. Quia iam eſt itinerantium amœna iucunditas, quia iam flores apparuerunt in terra noſtra. Quia iam tempus vernale venit, ex præſentia divini ſolis in terra noſtræ carnis. Quia iam eſt perambulantium alleviata agilitas, quia iam tempus putationis advenit, quo ſpiritus noſter exoneratur ab omnibus ſuperfluis & vanis. Quia iam eſt viarum revelata veritas, quia vox turturis audita eſt in terra noſtra Verbi incarnati, omnem veritatem docentis. Quia iam eſt viatici deſiderati ſatietas, quia ficus protulit groſſos ſuos, ſcilicet Pater fons dulcedinis, Filium panem omnis ſuavitatis, & Spiritum ſanctum potum ſobriæ ebrietatis. Quia iam eſt medii odorifera ſuavitas: quia vineæ florentes odorem ſuum dederunt, id eſt, potentiæ fœcundæ dederunt odorem bonæ famæ ex operibus odoriferis, quia bonus odor Chriſti ſunt. Igitur ſurge, propera amica mea & veni. Unde dicit Origenes: Quis iam non ſurget? quis non properet? aut quis non veniet ubi tot utilitatum inſignia concurrunt? Singula iſtorum adminiculorum applicabuntur ſingulis itineribus, ut patebit infra, & hæc itinera abſcondita ſunt a ſapientibus & prudentibus huius mundi, & revelata ſunt parvulis, id eſt, humilibus. Unde dicit Habacuc: Jucurvati ſunt colles mundi, id eſt, ſapientes, ab itineribus æternitatis eius, id eſt, obliquati ſunt a viis rectis æterni Dei: quia qui a recta via declinant, quanto plus vadunt, tanto plus a termino rectæ viæ recedunt, & quanto plus ſe ſapientes mundi ab æterna veritate avertunt, tanto plus ſtulti facti in temporalibus, evanuerunt; dicentes illud Sapientiæ: Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis, laſſati ſumus in via iniquitatis, viam Domini ignoravimus. Cum ergo Auguſtinus 14. & 15. de Trinitate dicit, quod

Marginalia: Cant. 2 · Prov. 8 · Matth. 10 · Gen. 1 · 2 Cor. 2 · Habac. 3 · Sap. 5

quod ſpiritus noſter ad imaginem & ſimilitudinem Dei æterni ſit, & ex hoc æternitatis capax ſit, & ex hoc ſortiatur quamdam jam participationem, dum etiam ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum aliquas operationes intrinſecas ſit ſupra tempus: quia in ævo quod eſt quædam æternitatis participatio, ut ſupra dictum eſt; ideo ſpiritus noſter humiliatus & contritus, & a Deo amoroſe invitatus ad veniendum per itinera æternitatis, ad ſuum intrinſecum ſecretum, & æternale manerium, ſecure & gaudens cum Pſalmiſta petat, dicens: Deduc me Domine in via æterna. *Pſal. 138*

DE ITINERIBUS, QUIBUS AD illud intrinſecum ſecretum, & æternale manerium in Chriſto acceditur.

De primo itinere æternitatis.

PRIMUM igitur iter æternitatis, quod eſt æternorum recta intentio, ſpiritus humanus deſiderio æternorum ab omnibus alleviatus, & ad perambulandum incitatus & expeditus, primo aggrediatur unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo, propter unum æternum quod eſt optimum & unum neceſſarium, & finis quietans, & conſummans multitudinem omnium deſideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, ut patet in Luca. *Luc. 10* Sed quia nemo caute itinerat, qui vias itineris ignorat, ideo ad cognitionem iſtius viæ ſive itineris, quod eſt æternorum recta intentio, oportet ſex conſiderare per ordinem.

Primum eſt, quæ ſit neceſſitas iſtius itineris, & quare aliis itineribus præmittatur.

Secundum eſt, quid ſit intentio, & a qua potentia animæ oriatur.

Tertium eſt, qualiter intentio noſtra rectificetur, & Deiformis, & æterna efficiatur.

Quartum eſt, per quæ ſigna intentio recta ſimplex, & perfecta cognoſcatur.

Quintum eſt, qualiter per intentionem rectam ſpiritus humanus ad intrinſecum & æternale manerium Domini Jeſu accedat & ingrediatur.

Sextum, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per illud, ad intrinſecum æternum Jeſu dulciter & amanter ab eo invitatur.

DISTINCTIO I.

Quæ ſit neceſſitas iſtius itineris, & quare aliis itineribus præmittatur.

PRimo igitur videndum eſt, quæ ſit neceſſitas iſtius itineris, quod eſt æternorum recta intentio, & quare alia itinera præcedat. Circa quod notandum eſt, quod cum intentio finem actionis, & itineris nobis præoſtendat, ut dicit Gregorius 28. Moral. ubi ſic dicit: Intentio priuſquam ſe in actione exerceat, hoc jam quod appetit, contemplatur. *Greg. 28 Moral c.6 poſt med.* Item cum intentio actionem dirigat noſtram in operatione, ut dicit Gregorius ibidem, *Ibidem.* unaquæque actio intentionem ſuam quaſi intuentem oculum ſequitur. Item cum intentio operi noſtro, quaſi fundamentum finale præſtituatur, ut dicit Gregorius 28. Moral. *Ibid. parte poſt.* ubi dicit: Sicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus fulciuntur, ita vita noſtra virtutibus, virtutes vero intima intentione ſubſiſtunt. Ideo rationabiliter iter intentionis alia itinera præcedere debet. Unde Gregorius ibidem dicit: Vigilanti cura per cuncta opera intentio noſtra nobis penſanda eſt, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat: ſed totum ſe in ſoliditatem æternitatis figat: ne ſi extra fundamentum noſtræ actionis fabrica ponatur, totum opus in nihilum ſolvatur: quia etiam ſumma opera inaniter fiunt, ſi intentiones cordium extra æternitatis rectitudinem deflectuntur. Hæc ille. Et ibidem dicit: Si recta intentio in operatione non tenetur, totum opus amit-

amittitur & deturpatur: Si autem recte intendimus, bonum opus efficitur, etiamſi minus bonum extra videatur. Plane ergo patere poteſt iſtius itineris neceſſitas in ordine reſpectu aliorum.

DISTINCTIO II.

Quid ſit intentio, & a qua potentia animæ oriatur.

SEcundo videndum eſt, quid ſit intentio, & a qua potentia animæ oriatur. De quo notandum eſt, quod ſicut dicit Anſelmus lib. de concordia præſcientiæ, & liberi arbitrii. Voluntas eſt inſtrumentum ſeipſum movens, & omnia alia inſtrumenta, quibus ſponte utimur & quæ ſunt in nobis, ut manum, linguam, viſum & cetera hujuſmodi, & quæ ſunt extra nos, ut ſtylum, ſecurim, & cetera hujuſmodi, & facit omnes voluntarios motus: ipſa vero ſe ſuis affectionibus movet in finem deſideratum, & ideo ſola voluntas elicit actum intentionis proprie dictæ & principaliter, ſed a ratione ſive intellectu dirigente ſive dictante. Et nota, quod hæc intentio non fit ſine amoris deſiderio: quia quanto major eſt amor finis, tanto vehementior eſt motus intentionis in finem, ita quod amor movet in finem deſideratum, ſed intentio omnia per quæ amor poteſt conſequi hunc finem deſideratum, ordinat, & diſponit ad illius finis conſecutionem. Unde Gloſſa ſuper illud Pſalmi: In laqueo iſto quem abſconderunt, dicit, quod pes animæ eſt amor, & eo movetur anima ad locum, quaſi ad terminum ad quem tendit, id eſt ad dilectionem bonam vel malam, quo ſe perveniſſe ad amorem lætatur: amor autem eſt actus voluntatis.

Pſalm. 9

Intentionis deſcriptio.

Ex quo patet, quod intentio proprie & principaliter, eſt actus voluntatis, ut elicientis, & libere ordinantis, & moventis in finem, & a ratione directus. Et nota, quod iſta intentio ut eſt a voluntate per gra- A tiam formata, non ſolum actualis, ſed & habitualis facit actum & opus meritorium. Cujus ratio eſt, quia præter naturalem bonitatem, quæ eſt in actu voluntatis, eo ipſo quo eſt ens, tota alia bonitas ipſius eſt ex ejus ſufficienti ordine intentionis ad debitum finem. Tunc autem debiti finis eſt ſufficiens ordo, quando ex parte agentis per intentionem bonam, fit ordinatio actus ſui in debitum finem, & quando ex parte actus eſt, quod ſit ordinabilis ad illum finem, ut per ipſum poſſit finis acquiri, id eſt quod actus ſit de genere bonorum, talis enim ordo includit bonitatem eſſe in actu, quæ B ſibi debetur ex obiecto debito, & ex forma debita, quæ eſt charitas, & ex circumſtantia, & ex debito fine. Deficiente autem altero iſtorum, actus vitioſus eſt. Ex quo patet, quod etiam actus indifferens per ordinationem debitam in debitum finem fit meritorius: quia intentio recta ſi ſit actualiter a voluntate elicita mediante gratia, addit aliquam bonitatem ſupra habitum, cui debetur præmium ſubſtantiale. Per actus enim voluntatis elicitos ex gratia meremur vitam æternam. Ex his etiam patet, quod intentio actualis eſt perfectior & magis meritoria habituali, quia addit aliquam bonitatem ſupra habi- C tualem. Unde Gregorius 28. Moral. dicit: Sicut lucerna corporis eſt oculus carnalis lucens toti corpori, ita per radium intentionis illuſtrantur itinera actionis. Nam dicit Dominus: intentio ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Intentio actualis majoris eſt meriti, quam habitualis.

Gregor. 28 Moral. c. 6 poſt med.

Luc. 11

DISTINCTIO III.

Qualiter intentio noſtra rectificetur, & ex hoc Deiformis, & æterna efficiatur.

TErtio videndum eſt, qualiter intentio rectificetur, & ex hoc Deiformis & quaſi æterna efficiatur. De quo notandum eſt, quod ſicut dicit Hugo libro 1. de arca Noe: Cor ho-

Hugo lib. 1 de arca Noe in prologo.

Digitized by Google

hominis quod prius amore divino A ſtabile & fixum in æternitate perſtitit, quia unum amando unum permanſit, poſtquam per deſideria terrena defluere cœpit, quaſi in tot diviſum eſt, quot ea ſunt quæ concupiſcit, ergo ſecundum diverſitatem concupiſcentiæ ſive amoris erit diverſitas intentionis. Unde Bernardus ſuper Cantica oſtendit, quod ſi amans turpia appetit, etiam intentio turpis erit, & fœdans faciem animæ vel ſpiritus, & ſi honeſta, etiam intentio honeſta erit. Unde Bernardus ibidem deſcribit diverſas intentiones, ſecundum diverſas affectiones.

Bern. in Cant. Ser. 40

Diverſificantur intentiones juxta diverſitatem affectionum.

Primo ergo ſecundum Bernardum, eſt quædam intentio perverſa & iniqua: ut illa quæ procedit ex voluntate affectata carnaliter, ſive ex amore carnali tendens ad finem, qui contrarius eſt ultimo fini & æterno, ut eſt intentio illorum, qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, qui intendunt gulæ, ut magis poſſint exercere actus luxuriæ. Talis intentio eſt obſtinatorum in temporalium amore. Unde Bernardus ibidem dicit: Tendere non in Deum, ſed in ſæculum ſæcularis animæ eſt, ut dictum eſt, & habet talis faciem fœtidiſſimam fœtore peccati.

Philip. 3

Secundo eſt intentio quædam ficta & falſa, ut quæ procedit ex voluntate affectata mendaciter tendens in Deum apparenter & falſe & non vere, quia propter favorem hominum, de qua dicit Bernardus ibidem: tendere quaſi in Deum, ſed non propter Deum, hypocritæ plane animæ eſt, omnem decorem animæ exterminantis, & totam illam fœdantis propter turpitudinem hypocriſis.

Tertio intentio quædam eſt obliqua & mercenaria, ut quæ procedit ex voluntate affectata puſillanimiter tendens in Deum non propter Deum, ſed propter præſentis vitæ neceſſaria, ex qua recurvatur ad ſe. Unde mercenaria eſt, quia veris filiis non convenit, ut patet per Ambroſium, qui dicit in Gloſſa Luc. 15. ſic: Filius, qui habet ſancti Spiritus pignus, in corde ſæcularis mercedis lucra non quærit, ſed ſervat jus heredis. De hac intentione dicit Bernardus ibidem: Si autem intentio ſolum vel maxime ob vitæ præſentis neceſſaria, ſe ad Deum convertit, non quidem fæce hypocriſis fœtidam, puſillanimitatis tamen vitio dicimus obſcuram & minus acceptam eo quod non quærit Deum propter ſe; ideo prædicta tria itinera ſunt obliqua & temporalia, non æterna.

Amb. lib. 7 in Luc. cap. 15 tom. 3

Bern. ibid. ubi ſupra prox.

Quarto quædam intentio eſt recta, quæ eſt & propter Deum principaliter, & propter ipſum directa quæ eſt actuum bonorum, & hæc procedit ex B voluntate affectata ſpiritualiter, id eſt æſtu divini amoris calefacta. Quæ voluntas ſic æſtuans, intentionem ad conſecutionem æterni finis deſiderati operando impellit, liquefaciendo in Deum dirigit, nec eam ſiſtere niſi in Deo æterno finit. Unde Origenes ſuper Cantica dicit: Qui ſancto deſiderio intus æſtuat, ad quodlibet opus bonum habilis invenitur, quia nihil duri in corde, id eſt in intentione portat, quod non fervore æſtuantis deſiderii in Deum liqueſcat. Hæc Origenes. Hæc tamen intentio perfectum decorem non habet per omnia, quia adhuc circa multa eſt occupata, licet propter Deum. Unde C Bernardus ubi ſupra dicit: Porro in aliud tendere quam in Deum, & tamen propter Deum, non otium Mariæ, ſed Marthæ negotium eſt. Abſit autem, ut quæ hujuſmodi eſt, quidquam dixerim illam habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim perveniſſe decoris; quippe, quia adhuc ſolicita eſt, & turbatur erga plurima, & non poteſt terrenorum actuum vel tenui pulvere non aſpergi; quem tamen facile citoque deterget in hora ſanctæ devotionis, vel dormitionis caſta intentio, & bonæ conſcientiæ interrogatio ad Deum. Hæc Bernardus ſuper Cantica.

Quinto intentio quædam eſt recta, ſimplex, & magis immediata, &

Digitized by Google

odore finis æterni dulciter allecta, quæ eſt contemplativorum, & illa procedit ex voluntate finis æterni affectiva experimentaliter. Experimentalis enim odor ultimi finis, omnia alia aliquo modo contemnere facit, ex quo intentionem in nullo alio fine quieſcere facit, ſed eam quantum poteſt ultimo fini immediate unit. Dicit enim Hugo, quod experientia eſt mater vel magiſtra intelligentiæ, & quod ille optime veritatem novit, qui eam non cupiendo ſolum, ſed etiam guſtando & faciendo didicit. In tali enim experientia intentio non ambulat, ſed quaſi currit. In odorem, inquit Sponſa, curremus unguentorum tuorum. Hæc intentio tendit in Dominum ſolum immediate quantum poteſt, & propter ipſum; ſed ut pluries non totaliter propter ipſum ſolum, ſed etiam quærit propter ſe delectari, & conſolari, retinens adhuc aliquid de proprio, ut dicit Bernardus: & ideo talis intentio diviſa eſt. Talis clamat cum Petro: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Et cum Pſalmiſta: Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. Quam tamen intentionem Dominus non reprehendit, quia non principaliter quærebat mercedem, ſed Domini voluntatem, cum multi tales ſint in æterna domo Patris.

Hugo ſup. 7 Ang. hie. lib. 7 poſt med. — *Cant. 1* — *Matt. 19* — *Pſalm. 118* — *Luc. 15*

Sexto intentio quædam eſt immediata, ſimplificata, & deificata, & amore finis æterni totaliter attracta. Et hæc eſt beatorum in patria, & inde intentio fit intentio æterna, & elicitur a voluntate affectata Deiformiter. Deificatio autem, ut dicit Bernardus, nihil relinquit in voluntate admixtum vel proprium, ſed totum per intentionem dirigit in Deum. Unde dicit ibidem ſic: O pura & defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior, & putior, quo in ea de proprio nihil jam admixtum relinquitur, eo ſuavior, & dulcior, quo totum divinum eſt quod ſentitur. Sic affici Deificari eſt, ſic

Lib. de diligendo Deo poſt medium.

A omnem tunc in ſanctis qui ſunt in patria, humanam affectionem, quodam ineffabili modo neceſſe eſt quieſcere, & a ſemetipſa liqueſcere, atque in Dei penitus transformari voluntatem, alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, ſi in homine aliquid de homine ſupererit? manebit quidem ſubſtantia, ſed in alia forma, in alia gloria, aliaque potentia. Et videtur ſentire Bernardus hoc impoſſibile fieri, niſi poteſt reſumtionem corporum, cum beati adhuc ante reſumptionem corporum, deſiderio naturali appetant unionem corporum ſuorum. Hæc Bernardus. Idem ſentit Auguſtinus de appetitu B corporum, ut patet lib. 12. Super Geneſim.

Aug. lib. 12 ſup. Gen. c. 35 tom. 3

DISTINCTIO IV.

Per quæ ſigna, recta & ſimplex intentio cognoſcatur.

Quarto videndum eſt per quæ ſigna recta & ſimplex intentio cognoſcatur. Circa quod notandum eſt, quod hujus intentionis aliqua ſigna ſunt quaſi exteriora, & quoad homines, & quædam interiora, & quoad conſcientiam. Signa ergo exteriora rectæ & ſimplicis intentionis, ſecundum Origenem exponentem illud: Quam C pulchri ſunt greſſus tui, &c. ſunt quinque. Loquens ergo de multa pulchritudine greſſuum intentionalium dicit: Sponſa calceata pulcherrime incedit, quaſi rectiſſima intentione. Poſt ſanctorum exempla incedit calceata, ſed hypocrita nudo pede incedit, quia Deum ſequitur corrupta intentione, caret enim exemplari pelle, uterque tamen ex fructibus ſuis cognoſcitur. Et ponit tibi quinque ſigna rectæ & ſimplicis intentionis, per quæ illi ab iſtis diſtinguuntur.

Cant. 7

Primum ſignum eſt humanæ laudis deteſtatio, & Dei glorificatio. Unde Salvator: Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt. De hoc dicit Chryſoſtomus: Tuba eſt omnis actus, per

Matth. 6 — *Hom. 13 in Matth.*

paulo ante med. per quem operis jactantia demonſtratur.

Secundum ſignum, eſt ſobria triſtitia, & exultatio mentis. Unde Chriſtus dicit: Cum jejunatis nolite fieri, &c. ubi Origenes dicit: Non inveni verius ſignum boni cordis, quam ſi erumpat foras dulcedine mentis, & frequentia ſobriæ exultationis & triſtitiæ. *Matt. 6*

Tertium ſignum eſt ordo correctionis, ut primo a teipſo incipias, & poſt, alios corripias. Unde in Matthæo dicitur: Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui. Et Origenes ibidem. Niſi fallar nihil aliud appetis, niſi apparere juſtus, dum me corripis & te negligis: aut ſi me & te corripis, quare a me incipis & non a te? *Matth. 7*

Quartum ſignum eſt benignitas compaſſionis. Unde Salvator dicit: Væ vobis ſcribæ hypocritæ, qui aliis claudiris regnum cœlorum, & imponitis eis gravia onera, &c. Gregorius: Qui bonus eſt corde, benignus eſt compaſſione. *Matth. 23*

Quintum ſignum eſt immobilitas mentis, tam in adverſis, quam in proſperis, quæ ut alter Job anima æqualiter acceptat, dicens: Si bona accepimus de manu Domini, cur non ſimiliter & mala? Unde Gregorius exponens illud Job 1. Erat ſimplex & rectus, dicit: Simplex & rectus eſt ille, qui in adverſis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur vel incurvatur, qui ad ſuperiora totus erigitur, qui Domini voluntati humiliter ſubiicitur. Hæc Gregorius: Hæc Origenes breviter enumerat dicens: Quam pulchri ſunt greſſus tui in calcaneo tuo filia principis. Si in operibus, quæ agis laudem humanam vitas, ſi ſobrie exultas, ſi primo te corripias, ſi aliis benignitatem exhibeas, ſi patientiam in adverſis oſtendas. Hæc ſunt ſigna exteriora. *Job 2*

Poſt hæc primo videndum eſt de ſignis interioribus rectæ & ſimplicis intentionis. De hoc nota, quod Bernardus libro de præcepto, & diſpenſatione, dicit ſic: Ut interior oculus intentionis veræ ſit ſimplex, duo arbitror illi neceſſaria eſſe, ſcilicet charitatem in intentione, & veritatem in electione. Primo neceſſaria eſt charitas in intentione. Cujus ratio eſt, quia charitas intentione ad omnia illa, quæ ad finem ſunt principaliter intenta, dirigit & extendit, & per hoc arctius unit, cum in omnibus unum intendit, & ad unum tendit, & omnia quantum poteſt cum illo unire quærit. Unde Gregorius in Paſtorali dicit: Charitas diviſa unire conſuevit, & cor juſti non dividi per multa compellit: quod tanto arctius in Deo colligit, quanto illud latius per ſancta deſideria ſpargit. *Cap. 17*

Secundo ad hoc quod oculus intentionis ſit rectus, & vere ſimplex, requiritur veritas in electione, quia illa non ſinit errare circa finem intentum. Unde Bernardus ibidem dicit: Quomodo denique ſimplex erit oculus intentionalis, cum ignorantia veritatis etiam qui bonum diligit, & malum neſcius agit? Sed illius non immerito oculum ſimplicem duxerim, cui neutrum bonum deſit, quia iſta duo, oculum intentionis faciunt ſimplicem, ſcilicet amor boni, & cognitio veri. Hæc Bernardus. Sic igitur nec charitas intentionem ſinit ante finem intentum ſtare, nec veritas ſinit eam circa finem errare. Veritas enim non amat angulos, nec ei diverſoria placent, ait Bernardus. Igitur opus per intentionem bonam agitur, quando illa charitate & veritate munitur. Spiritum igitur rectum innova in viſceribus meis. *Ibidem. Bern. ſer. 4 in Aſcen. Dom. poſt med. Pſalm. 50*

DISTINCTIO V.

Qualiter per intentionem rectam & ſimplificatam ſpiritus humanus ad intrinſecum, & æternale manerium Domini Jeſu accedat, & ingrediatur.

QUinto videndum eſt, qualiter per intentionem rectam & ſimplificatam, ſpiritus humanus ad intrinſecum & æternale manerium Domini Jeſu accedat, & ingrediatur. De hoc nota, quod cum recta & ſimplex intentio ſit quædam tendentia recta ſine obliquitate, & ſimplex ſine admixtione, in æternitatem a voluntate deſideratam, & a ratione dictatam, conſequens eſt, quod intentionis tendentia continua eſt æternitatis conſideratæ approximatio, & attingentia continua. Unde Hugo lib. 1. de arca Noe dicit ſic: Hoc eſt ad Deum tendere, ſemper eum per deſiderium quærere, per cognitionem invenire, & per guſtum tangere. Intentio charitate & veritate munita, omnia temporalia derelinquat, & ad æterna redeat, donec intentio tentio fiat, ut dicere poſſit. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec eum introducam in omnes mentis capacitates, tam communes quam ſingulares, ubi intentio omnibus inferioribus ſuperfertur, extra mundum conſtituitur, in æternis collocatur & quietatur. Unde Gregorius 25. Moral. dicit ſic: Si ſemel in appetitione cœleſtis patriæ forti ſtabilitate animus pro intentione figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur. A cunctis quippe exterioribus motibus eamdem intentionem ſuam, quaſi quemdam ſecretum ſeceſſum petit, ibique incommutabili inhærens & mutabilia cuncta tranſcendens, jam ipſa tranquillitate quietis ſuæ in domo, ſcilicet in mundo, extra mundum eſt. Excedit quippe omnia ima, intentione ſummorum, & cunctis rebus quas non appetit, libertate quadam ſupereſſe ſe ſentit, nec tempeſtatem rerum temporalium intus ſuſtinet, quam intuetur foris; quia terrena omnia quæ concupita opprimere mentem poterant, deſpecta ſubtus jacent. Unde per Prophetam dicitur: Statue tibi ſpeculam, quia dum quiſque ſpeculatur ſumma, ſupereminet infimis. Hæc Gregorius. Si igitur ſpiritus noſter in ſe bene ordinatus, cum omnibus actionibus in unum ſe colligat, ſurſum ad æterna tendat, & licet quoad aliqua inſtabilis permaneat, intentione tamen in æternitate ſtabilis perſiſtit, quæ non niſi in æternis ſtabilitur. Dicit Gregorius, & Hugo lib. 4. de arca Noe. Quamdiu homo ordinem ſuæ naturæ tenuit, quamvis per actionem variaretur, interius tamen per intentionem & amorem ſtabilis permanſit; quia unum intendebat, & propter unum omnia faciebat, unum diligebat, & omnium voluntatum atque actionum ſuarum finem ad unum referebat creatorem ſuum, qui ſolus ſufficiebat. Hæc ille. Et Baſilius exponens illlud Lucæ: Porro unum eſt neceſſarium dicit: Uniformis eſt vita Chriſtiana, ad unam tendens intentionem, ſcilicet gloriam Dei: multiformis vero & varia eſt vita eorum quæ deforis ſunt, pro libitu ſuo variata.

Hugo lib. 1 de ar. mor. cap. 4 circ. med. — *Cant. 3* — *Hier. 31* — *Mor. c. 3 ſtatim a princ.* — *Luc. 10*

A — B

DISTINCTIO VI.

C *Qualiter ſpiritus ad veniendum per iter rectæ & ſimplicis intentionis ad æternum intrinſecum Domini Jeſu dulciter ab eo invitatur.*

SExto videndum eſt, qualiter ſpiritus ad veniendum per iter rectæ & ſimplicis intentionis ad æternum intrinſecum Domini Jeſu, dulciter ab eo invitatur, dicente ſponſo in Canticis: O amica mea propter intentionis tuæ ſimplicitatem, tam in quiete interioris contemplationis, quam in exercitio exterioris actionis, & in conſolatione Angelicæ allocutionis me ſolum intendebas, cum me in lectulo quæſiſti, civitates circuiſti, vicos perambu-

Cant. 2

ambulaſti, cuſtodes Angelicos ſuſtinuiſti, quare pertranſitis his omnibus ſingularis me ſingulariter inveniſti & tenuiſti? Surge, ſi enim amica mea es, ſurgendum eſt tibi, per tuæ intentionis ſtabilitatem ad me inceſſanter tendendo, quia & ſi me ut amicum inveniſti, nondum tamen ad plenum cognoviſti. Quære ergo faciem meam ſemper cum Pſalmiſta: Quia qui ſine fine eſt amandus, ſine fine eſt quærendus, ait Auguſtinus in Gloſſa. O columba mea propter intentionis ſimplicitatem & unitatem. Una enim eſt columba mea, quæ ut dicit Vercellenſis ibidem unica ſimplicem habens intuitum; unde ſignat puram intelligentiam contemplans divinam ſimplicem eſſentiam, ex quo ſimplificata magis fuit, ſicut ſcriptum eſt: Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Propera propter intentionis tuæ agilitatem mihi continue approximando, quia per continuam deſiderati finis intentionem, conſequeris continuam approximationem ad me, qui ſum principium & finis. Principium te liberaliter creans, finis te finaliter quietans. O formoſa mea, propter intentionis tuæ Deiformitatem. Ipſa enim intentio, ait Dominus, quaſi lucerna fulgoris illuminabit te, ut jam nihil proprium in te relinquens, quod in me amoroſe non ordinaveris, propter quod tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni igitur ad meam divinitatem, quia intentionis tuæ tendentia non quieſcit niſi in mea æternitate, quæ eſt ſecretum meum intrinſecum & æternale manerium. Veni autem, quia jam eſt itinerandi temporanea opportunitas, quia jam hiems tranſiit. Quod Vercellenſis exponens ait: Hiems multiplici intemperie itinerantes præpedit. Unde Dominus ait; Orate, ne fuga veſtra fiat hieme vel ſabbato. Hiemis igitur nomine, inquit Vercellenſis, intelliguntur quælibet impedimenta, vel offendicula itinerum æternitatis. Horum autem itinerum offendicula, ſunt concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, cum omnibus familiis ſuis; ſed hæc omnia jam ſunt diminuta, quia jam hiems tranſiit. Hæc ille. Et æſtas ſolis æterni incarnati Verbi, jam in terra noſtra apparuit, & ideo jam temporanea itinerandi eſt opportunitas, ideo dicit Vercellenſis: Hæc itinera ſibi carpit Sponſa per totam ſeriem Canticorum Sponſo vocante, illuminante, adjuvante, ſupportante; & amplexante, cœleſtibus paranymphis obſequia ſua impendentibus. Hæc ille: Veni ergo o amica mea, quia jam hiems peccati intentionis tuæ aſcenſum retrahentis tranſiit. Veni columba mea, quia jam hiems peccati intentionis tuæ agilitatem retardantis, abiit. Veni formoſa mea, quia jam hiems peccati intentionem pulchritudinis tuæ deturpantis receſſit. Veni autem amica mea, per intentionis tuæ ſingularitatem, ut me æternaliter amplexeris. Veni columba mea, per intentionis tuæ Deiformitatem, ut me æternaliter fruaris. Ego enim perpetua dilectione dilexi te. Ad quam fruitionem æternam nos perducat, qui in æternum regnat æternus Deus, in æternum benedictus. Amen.

Pſal. 26 — *Cant. 6* — *Matth. 10* — *Apoc. 21* — *Luc. 11* — *Matt. 24* — *Hier. 24*

B — G

DE SECUNDO ITINERE *Æternitatis*.

Secundum iter æternitatis per quod ſpiritus humanus tendit ad intrinſecum ſecretum, & æternale manerium Domini Jeſu, id eſt, ad æternam ejus divinitatem, eſt æternorum ſtudioſa meditatio. De quo itinere ſunt ſeptem per ordinem notanda.

Primum eſt, qualiter iter ſtudioſæ meditationis immediate iter rectæ intentionis ſequatur.

Secundum eſt, quid ſit meditatio, & qualiter a cogitatione diſtinguatur.

Tertium eſt, qualiter in itinere meditationis Deus ſpiritum humanum illuminet, & confabuletur.

Digitized by Google

Quartum eſt, qualiter ſpiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

Quintum eſt qualiter allocutio divina intrinſeca a noſtra meditatione diſtinguatur.

Sextum eſt, qualiter ſpiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini Jeſu ingrediatur.

Septimum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter meditationis, ad æternitatem a Jeſu invitatur.

DISTINCTIO I.

Qualiter iter ſtudioſæ meditationis iter rectæ intentionis ſequatur, & de neceſſitate hujus itineris.

PRimo igitur notandum eſt qualiter iter ſtudioſæ meditationis, iter rectæ intentionis ſequatur, & quæ iſtius itineris ſit neceſſitas. De quo notandum eſt, quod cum radius rectæ & ſimplicis intentionis, ſpiritu humano æternum & beatificum finem omnis conſolationis vel conſummationis, quaſi ſpeculative præoſtendat, quod neceſſarium eſt, quia niſi ſpiritus humanus finem illum aliqualiter præcognoſceret, neſciret quo tenderet, vel ubi quieſceret, & niſi illum finem aliqualiter deſideraret & inveniret, numquam quærere curaret, ſed vagus & profugus ſuper terram, ut alter Cain a facie Domini projectus, numquam ſtabilis permaneret, ut dicit Hugo l. 1. de arca Noe, meditatio ſtudioſa per omnia diſcurrendo ad hunc finem intentum inveſtigando, quaſi practice quærat, & inveniat; & ſpiritum ad illum cum animi ratione, & exultatione non deſiſtat adducere; ideo rationabiliter immo neceſſario iter meditationis immediate ſequitur iter intentionis. Unde Richar. dicit: Meditationis ſtudium eſt ſemper quovis induſtriæ labore, qualibet animi difficultate, ardua quæque apprehendere obſcura irrumpere, occulta penetrare, donec veritatem diu quæſitam inveniat, & animum ſive ſpiritum ad veritatis contemplationem, cum admiratione & exultatione adducat. Hæc ille. Hæc etiam duo itinera mutuo ſe juvant. Intentioni duo ſunt neceſſaria, ſcilicet amor boni, & cognitio veri, ut ſupra dictum eſt: ſed meditatio hæc duo augmentat & confortat ſuo fervore, quia ſecundum Pſalmiſtam: In meditatione mea exardeſcet ignis, quia intentionem ad cognitionem veri illuminat, & quoad deſiderium boni finis inflammat, ex quo intentio meditationem in finem intentum & deſideratum rectius dirigit, & vehementer impellit. Item intentio finem itineris oſtendit, meditatio vero viam ad ſumma & æterna pandit, & quæ ſint neceſſaria itineri provide diſponit, ait Bernardus. Ex his patet, quare iter meditationis ſequatur iter intentionis & ejus neceſſitas.

Gen. 4

Mor. in prol.

De arca myſt. l. 1. c. 4

A

Pſalm. 38

B

In 1 ſer. de S. Andr.

DISTINCTIO II.

Quid ſit meditatio, & qualiter a cogitatione diſtinguatur.

SEcundo videndum eſt, quid ſit cogitatio, ne ſpiritus humanus per viam cogitationis, pro via meditationis iter arripiat. Oportet ſcire quid ſit cogitatio, & quid ſit meditatio, & qualiter inter ſe diſtinguantur. De quo nota quod Richardus dicit ſic: Sciendum, quod unam, eandemque materiam habentia, aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur. Multum enim a ſe invicem differunt hæc, quamvis quandoque in materia conveniant. Et ideo dicit Richardus ibidem: quod cogitatio eſt ipſius animi aſpectus, ad evagationem pronus. Ipſa enim ſingulis pene momentis conſuevit ſe ad inepta & frivola relaxare, & ſine ullo diſcretionis freno ad omnia ſe ingerere, vel præcipitem dare. Meditatio vero, ut dicit idem, eſt ſtudioſa mentis intentio, ad inveſtigandum diligenter intendens, & eſt providus animi intuitus, ad veritatis inquiſitionem vehementer

C

De arca myſt. lib. 1 cap. 3

ter

ter occupatus. Ex his patet multiplex illorum differentia, ut oſtendit Richardus ibidem dicens: Prius differunt, quia cogitatio per diverſa quæque lento pede graditur, ſine reſpectu perventionis, paſſim huc illucque vagatur. Meditatio vero ſæpe per ardua, & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria pervenire nititur. Secundo differunt, quia cogitatio ſerpit: meditatio incedit, & ut plurimum currit. Tertio differunt, quia cogitatio eſt ſine labore, & fructu: meditatio vero cum labore, & fructu. Quarto differunt, quia cogitatio ſemper vagis motibus de uno in aliud tranſit: meditatio autem ſemper circa unum aliquod inceſſanter incedit. Quinto differunt, quia cogitatio oritur ex imaginatione, & ideo quandoque eſt ſine ratione. Ad cujus intellectum nota, quod ſicut dicit Richardus, duplex eſt imaginatio. Una eſt beſtialis, alia rationalis: beſtialis ſine utilitate, & deliberatione huc illucque diſcurrit, quod & beſtia facere poteſt. Rationalis autem eſt illa qua imaginamur diverſa, componendo vel dividendo prout volumus, quod bruta non poſſunt ſic facere. Meditatio enim oritur ex ratione: unde quandoque tranſit in contemplationem per admirationem, & exultationem. Hæc ille. Et ſic apparet, quid ſit cogitatio, & quid meditatio, & qualiter inter ſe differunt & conveniunt: unum tamen pro altero frequenter ponitur, quia cogitatio in meditationem convertitur, ut dicit Richardus.

In lib. Benj. minor. c. 16

L. 1. Benia. major. de contempl. cap. 4

DISTINCTIO III.

Qualiter in itinere meditationis Deus ſpiritum humanum illuminet, & alloquatur.

TErtio quia allocutio divina illuminans mirabiliter a montibus æternis, mentem hominum ad ambulandum ad æterna inducit, & allevit viam: ideo notandum eſt, qualiter in itinere meditationis Deus ſpi-

A ritum humanum alloquatur, & de æternis quandoque quaſi confabuletur, ne ſicut dicit Bernardus, itinerantes laboribus fatigentur, ſermonibus delectati. Dicit namque Bernardus ſuper Cantica ſic: Deus quaſi viator quiſpiam itinerantibus ſeſe aſſocians, jucundis confabulationibus ſuis, a labore viæ omnem hominem relevat & commutat, ita ut eo diſcedente loquantur: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Hæc ille.

In Cant. ſerm. 31

Luc. 24

Primo ergo videndum eſt, qualiter Deus in meditationibus noſtris cum ſpiritu noſtro loquatur & confabuletur. De quo notandum eſt, quod B Dionyſius in principio Angelicæ Hierarchiæ dicit: Pater æternus lumen generat ſimpliciſſimum in eſſentia, & ipſum univerſale lumen ab ipſo Patre prodiens, ad communicandum ſui cognitionem & participationem, non ſolum admittit cœleſtes mentes, ſed & ad nos per deſtributionem bonitatis ſuæ venit, ut nos ab infimis ſeparatos, ſuſcitet ad ſui deſiderium & cognitionem, & remota mentis diſtractione, convertit nos ad congregantis Patris viſionem æternam. Hæc ille. Et hoc eſt lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum in ſe eſt: ſed divina illuminatio, eſt inſpirata Dei locutio. C Unde Gregorius 2. Moralium dicit: Quaſi enim audientibus dicitur, quod videntibus inſpiratur. Et Auguſtinus de triplici habitaculo dicit ſic: Dei locutio eſt occulta inſpiratio, qua mentibus ſuam voluntatem, & ſuam veritatem oſtendit viſibiliter. Sic & Gregorius 2. Moral. oſtendit, quod Deus nos alloquitur per inſpirationem mentis intrinſecam. Unde & 35. Moral. dicit ſic: Loquitur quippe Deus intrinſecus ſilenter, ſonans inviſibili lingua compunctionis, & quanto plenius intus auditur, tanto ab exteriorum deſideriorum ſtrepitu perfectius audiens avertitur, ut cum Propheta David dicat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, &c.

Joan. 1

Greg. lib. 2 mor. cap. 4 ante med.

Auguſt. de tripl. hab. c. 5 ante med. to. 9

Greg. ubi ſup. proxi. & lib. 35 mor. c. 3

Et lib. 27 mor. c. 11 poſt med. in ſenſu.

Pſalm. 84

Digitized by Google

In his qui convertuntur ad cor, id eſt, mentem, in qua Deus tamquam in imagine ſua habitare dignatur. Quomodo autem ibi habitaret æternus, & non loqueretur de æternis?

Secundo nota quis divinam allocutionem audiat. Ad hoc reſpondit Dominus dicens: Qui habet aures audiendi audiat. Et in Apocalypſi: Qui habet aures audiendi, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis. Quod exponens Richardus ibidem dicit: Aures audiendi habet ille, qui ſpiritum habet intelligendi, & affectum diligendi, & promerendis ea quæ dicuntur vel promittuntur. Unde Dominus loquens Judæis ſurdis quantum ad auditum interiorem, ſive ſenſum ſpiritualem, dixit, quare non cognoſcitis loquelam meam? quia non poteſtis audire ſermonem meum, quia ex Deo non eſtis, ſed ex patre diabolo eſtis, qui in veritate non ſtetit, & ideo mendax eſt: ſed qui ex Deo eſt verba Dei audit, & ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum ſed qui vivit habet ſenſus interiores ſpirituales vivaces, ſed tamen non omnes habent eos exercitatos, & apertos ad audiendum verbum Dei. Niſi enim ſenſus auditus interior, excitetur, & a Jeſu aperiatur, ſpiritus noſter ſurdus & mutus ad audiendum efficitur, ut de talibus dicatur illud Pſalmi: Aures habent, & non audient Deum intus loquentem, nec enim eſt ſpiritus in ore ipſorum ad Deum alloquendum. His concordat Gregorius 27. Moral. ubi dicit ſic: Vox Domini auditur, cum gratiæ ejus aſpiratio mente concipitur, cum ſenſualitas occultæ noſtræ ſurditatis rumpitur, tunc auditus reparatur. De hoc nota infra in 6 itinere diſtinct. 4.

Matth. 11 — *Apoc. 2* — *Pſalm. 113* — *Greg. 27 mor. c. 13 paulo poſt pr.*

Sed qualiter ſenſus interiores reparantur, & excitantur, docet Apoſtolus ad Romanos, ubi dicit: Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, ſcilicet ſecundum ſpiritum. Qui autem ſecundum ſpiritum vivunt, quæ ſpiritus ſunt, ſentiunt, id eſt, ſpiritualia ejus ſapiunt. Cujus ratio eſt, quia vivificato ſpiritu vivificatur & ſenſus ſpiritus, ut in ſpiritualibus exerceantur, & delectentur in eis, ſcilicet in ſpiritualibus; quod non ſolum verum eſt de ſenſu interiori auditus, ſed etiam de omnibus ſenſibus interioribus. Quod etiam probatur in libro de ſpiritu, & anima, ubi dicitur ſic: Cum exterior ſenſus carnis bono ſuo utitur, interior ſenſus quaſi obdormit. Non enim cognoſcit bona interioris ſenſus, qui jucunditate exteriorum bonorum capitur. Nam qui in carne vidit, in carne ſenſit, & dolores carnis fugit quantum poteſt, & conſolationes quærit carnis, ſed talis vulnera animæ prorſus ignorat: ideo B nec medicinam quærit eis. Cum autem mortuus fuerit ſenſus animæ, quo vivit in carne, nunc vivificari incipiet ſenſus interior, quo ſentit ſemetipſum, & tunc ſciet dolores ſuos ſpiritus, ſentire incipiet ſua vulnera, & etiam oblectamenta ſua, & tanto perfectius, quanto intimius. Hæc ille: Tales ergo cum jam habent interiorem auditum apertum, audiunt Deum in ſe loquentem, ut dicit illud Pſalmi: Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud: & de hoc infra in 6. itinere diſt. 3.

Rom. 8 — *Aug. de ſp. & an. c. 9 in fin. apud Aug. tom. 3* — *Pſalm. 118*

Tertio etiam nota quod ſicut patet per Gregorium 2. Moral. Deus non C omnes æqualiter alloquitur in meditationibus ſuis; nec unumquemque hominem omni tempore æqualiter alloquitur, ſed prout unicuique opus eſt. Quare & Dominus diſcipulis dixit. Multa habeo vobis dicere ſed non poteſtis portare modo.

Greg. 2 mor. 4 — *Joan. 16*

Item ſciendum eſt, quod Dominus multipliciter loquitur nobis primo aliquando acriter arguendo, dicens: quos amo, arguo, & caſtigo. Quod Richardus, & Haymo exponentes dicunt: Ut ad illud quod Dominus ſuadet, nos perducat, proponit arguere & caſtigare quos amat; ideo libenter toleranda ſunt ejus verba & verbera: Secundo terribiliter comminando, dicit: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & in

Apoc. 3 — *Joan. 15*

Digitized by Google

in ignem mittetur & ardet. Tertio, prudenter docendo, dicit: Vos dixi amicos. Quare? quia omnia, quæ a Patre meo audivi, nota feci vobis ſcilicet quæ neceſſaria ad ſalutem fuerunt, ait Chryſoſtomus. In Matthæo: Aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quarto, utiliter ſuadendo, dicens: Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias. Per aurum, ut dicit Richardus ibidem, ſignatur charitas, quæ ut aurum fulget, quæ dilectione fervet, quæ in tribulatione fornacem examinationis ſuſtinet. Hæc ille: Quinto, veraciter promittendo. Unde ait Dominus: Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hic tria promittit, ſcilicet, dilectionem, viſitationem, & manſionem. Quid majus his? Sexto, dulciter conſolando, dicens: Comedite amici mei, & inebriamini chariſſimi. Comedite corpus meum, bibite ſanguinem meum, & inebriamini divinitate mea. Verbum caro factum eſt, ut cibus Angelorum fieret cibus hominum, ait Gregorius: Septimo, familiariter ſuſurrando; unde in Job dicitur: Porro dictum eſt ad me verbum abſconditum, & quaſi furtive ſuſcepit auris mea venas ſuſurrii ejus. Quod Gregorius exponens 5. Moral. dicit: quod per verbum abſconditum allocutio intimæ aſpirationis intelligitur, quæ mentem ſive ſpiritum contingens ſublevat, & temporales cogitationes deprimens, hanc æternis deſideriis inflammat, ut nihil niſi ſuperna cogitare libeat, & cuncta inferiora contemnat. Abſconditum igitur verbum audire, eſt locutiones ſancti Spiritus in corde concipere, quem mundus audire non poteſt, quia Spiritum Sanctum accipere non poteſt, qui ad diligenda inviſibilia non aſſurgit. Hæc Gregorius: *Sequitur*. Et quaſi furtive ſuſcepit auris mea venas ſuſurrii ejus, ubi dicit Gregorius: Suſurrium occulti verbi eſt ipſa locutio aſpirationis internæ. Venæ autem ſuſurrii, dicuntur earum cogitationes, quibus hæc ipſa aſpiratio ad mentem ducitur. Venas igitur superni ſuſurrii auris cordis furtive ſuſcipit, quando ſubtilitatem locutionis intime afflata mens raptim, & occulte cognoſcit. Niſi enim ab exterioribus deſideriis ſe abſcondat, interna non penetrat; & occultatur ut audiat, & audit ut occultetur. Hæc ille: Verba hujus divini ſuſurrii quandoque ſic ſunt abſcondita & occulta, ut in intimis audita, extra dici non poſſint. Unde dicit Gregorius 25. Moral. Rivuli ſpiritualium donorum, in amantis mente, ita de cœleſtibus ſubtiliter currunt, ut per os carnis explicari non poſſint. Hæc ergo nemo ſcit, niſi qui accipit, ait Dominus in Apocalypſi, ubi dicit Haymo, qui ad hoc prædeſtinatus eſt, vel ut dicit Auguſtinus ibidem, qui acceperit per experientiam, vel per revelationem. Et hujus allocutionis habuit experientiam, qui dixit: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. Sic igitur apparet, qualiter Deus ſpiritum noſtrum in meditationibus alloquatur.

Marginal notes: Joan. 15; Chryſ. homil. 76 in Joann. ant. med. tom. 3; Matt. 5; Apoc. 3; Joan. 14; Cant. 5; Greg. lib. 5 Mor. c. 16 ſtatim a pri.; Ibid. c. 20; Greg. lib. 25 Mor. c. 11; Apoc. 2; Cant. 5

DISTINCTIO IV.

Qualiter ſpiritus humanus in itinere meditationis Deum alloquatur.

Quarto videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter, ſive mens noſtra, in meditationibus ſuis Deum ſe alloquentem alloquatur. Cum enim Deus, ut iam ſupra dictum eſt, ſpiritum ſive mentem noſtram in meditationibus quandoque tam amicabiliter & dulciter alloquatur, ut ſpiritus noſter quaſi admirando cum Propheta clamet: quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo: condecens & neceſſe eſt, ut ſpiritus noſter Deum alloquentem ſe, humiliter & dulciter cum reverentia, & cum gratiarum actione alloquatur, dicens cum Pſalmiſta: Si immaculatus ero: erunt, (Pſal. 118)

Digitized by Google

erunt, ut complaceant, eloquia oris mei quantum ad allocutionem exteriorem: Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper quantum ad allocutionem interiorem. De hac allocutione dicit Bernardus: [Bern. ſuper Cant. ſer. 45 in prin.] Sicut quondam Moyſes quaſi amicus ad amicum cum Domino loquebatur, & Dominus reſpondebat, ita & nunc inter verbum & animam, ac ſi inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur allocutio. Nec mirum, ex uno enim fonte amoris unicuique influit diligere invicem, & confoveri pariter. Dulciora ergo melle volant hinc inde, totius in ſe vera ſuavitatis & mutui feruntur aſpectus, ſancti indices amoris, cum dicat alter in Canticis: [Cant. 1] Ecce tu pulchra es amica mea & ſtatim altera dicat: Ecce tu pulcher es dilecte mi; ibidem Lectulus noſter floribus. Hæc ille.

Primo igitur de iſta allocutione notandum eſt, quod Deus ſumme affabilis, ut ſpiritum ſive animam ad hanc allocutionem animet & incitet, ipſe prior alloquitur eam, dulciter invitando ad ſe alloquendum, dicens: Sonet vox tua in auribus meis, id eſt, deſiderium tuum. Et reddit illius rationem, dicens: [Cant. 2] Vox enim tua dulcis; quia procedit a fonte dulcedinis inſpiratæ charitatis, & ex fonte candidæ & ſapidæ veritatis, ideo in ſpiritu & veritate ſonent in auribus meis. Et quia verba tua exteriora [Cant. 3] dulceſcunt ex dulcedine verborum interiorum, ideo favus diſtillans ſunt labia tua, quantum ad verba exteriora, quia, mel dulcis charitatis, & lac candentis veritatis ſub lingua tua abſcondita ſunt quantum ad verba interiora, ideo dicit: [Cant. 4] Eloquium tuum dulce.

Secundo de iſta allocutione nota, quid ſit os animæ vel ſpiritus, & quid lingua quibus Deum alloquimur, Gregorius 15. Moral. dicit, [Greg. lib. 15 Moral. c. 3 poſt med.] quod os cordis, id eſt, animæ, eſt meditatio ſive cogitatio, alias Propheta non diceret: [Pſalm. 11] Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Ex abundantia enim cordis loquitur, tam ſpirituale, quam corporale, ſive bonum, ſive malum. Lingua vero ſpiritus ſive animæ, quid ſit, oſtendit Bernardus dicens: [Bern. ſuper Can. ſer. 45 poſt med.] Verbum Dei eſt ſpiritus, & anima eſt ſpiritus, & habent linguas ſuas, quibus ſibi ſe alterutrum alloquantur, præſenteſque indicent. Et verbi divini lingua, eſt favor dignationis. Animæ vero lingua, eſt fervor devotionis. *Et ſequitur ibidem.* Elinguis eſt anima atque infans, quæ hanc non habet & nullatenus poteſt illi eſſe ſermocinatio cum verbo Dei. Ideo cum verbum hujuſmodi linguam movet, volens ad animam loqui, non poteſt anima non ſcire, vel ſentire ejus ſermonem. Vivus eſt enim ſermo Dei, [Heb. 3] & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ. Et rurſum cum ſua verba movet anima, verbum Dei multominus poteſt latere, non propter hoc quia ubique præſens; ſed magis propter hoc quod niſi ipſo ſtimulante, devotionis lingua minime ad loquendum moveretur. Hæc omnia Bernardus, & Gregorius.

Tertio neceſſarium puto, circa iſtam allocutionem ſpiritualem ſcire, quid ſint verba ſpiritus, & animæ & qualiter diverſimode Deum alloquitur anima. De hoc dicit Gregorius, 2. Moral. ſic: [Greg lib. 2 Moral. c. 4 ante med.] Animarum verba ſunt ipſa deſideria. Nam ſi deſiderium ſermo non eſſet, Propheta non diceret: [Pſal. 9] Deſiderium cordis eorum audivit auris tua. Magnum deſiderium eſt magnus clamor. Tanto ergo minus clamat quis, quanto minus deſiderat, & tanto majorem vocem in aure circumſcripti ſpiritus exprimit, quanto ſe in ejus deſiderio plenius fundit. Inde dicit Auguſtinus 10. lib. confeſſ. [Aug. 10 confeſſ. c. 2 in ſenſu, tom. 1] quod nihil corporale in ſpirituali allocutione imaginandum eſt. Unde Bernardus dicit: [Bernard. ubi ſup. prox.] Quoties legis vel audis verbum æternum & animam pariter colloqui, & ſe invicem intueri, noli imaginari corporeas voces, vel apparere corporeas imagines, quia hæc locutio verbi eſt infuſio doni, & reſponſio animæ eſt ad-

admiratio cum gratiarum actione. Hæc Bernardus. Sed Gregorius 2. Moralium dicit: Vox animæ per diſtincta verba ſe explicat, dum ſe per innumeros modos admirationes format.

Greg. 2 Moral. c. 4 ante med.

Ideo notandum eſt, quod anima ſive ſpiritus humanus ſecundum diverſa deſideria, & diverſos modos admirationis, diverſimode deum alloquitur in ſuis meditationibus.

Anima in oratione multipliciter loquitur cum Deo.

Qui licet ſint infiniti, tamen ad ſeptem reducuntur. Quandoque enim eum animus alloquitur, ut Deum fideliter adorando, ut quando in meditationibus ſuis deſideria ſua in vera fide & ſincera charitate ſoli Deo exhibet, quod ſoli Deo debetur, quia ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Veri adoratores ſunt, qui eum in ſpiritu & veritate adorant. Ita quod concordat cultus exterior interiori. Soli autem Deo ſervitur, cum totus homo in Deum per intentionem ordinatur.

Matth. 5
Joan. 4

Secundo, ut Creatorem vehementer admirando, ut quando cum ſtupore mentis divinorum operum & factorum magnitudinem rimamur, per gradus admirationis aſcendendo uſque ad mentis exceſſum, ait Richardus l. 2. c. 1. ut clamet cum Apoſtolo: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c. Et Pſalmiſta: Quam magnificata ſunt opera tua. Domine.

Rich. l. 2 de contemp. c. 1 in prin.
Rom. 11
Pſalm. 103

Tertio, ut Patrem confidenter deprecando, ut quando deſideria filialis neceſſitatis ad paternam clementiam humiliter clamant, dicendo: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. In quo omnes petitiones nobis neceſſariæ includuntur. Gregorius 22. Moral. dicit: Vera poſtulatio non eſt in vocibus oris, ſed in cogitationibus cordis. Valentiores voces apud ſecretiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria petitoria.

Greg. lib. 22 Mor. c. 13 ante med.

Quarto, ut Dominum humiliter honorando, ut quando ſe inutilem reputans ſervum, nihil boni ſibi aſcribit, ſed omnia a Domino largitore omnium, ſe gratis recipere cognoſcit. Unde Gregorius 16. Moral. dicit ſic recitans illud Pſalmi: Dixi Domino; Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges, & dicit. Talis vere nobis Dominus eſt, qui bono ſervi non indiget, ſed bona confert.

Greg. lib. 16 Mor. c. 1
A
Pſalm. 15

Quinto, ut judicem horribiliter timendo, ut quando trepidis deſideriis reatum & infirmitatem propriam cum confidentia infinitæ miſericordiæ inſinuat, dicens illud Job: Loquar in amaritudine animæ meæ, ubi dicit Gregorius: Amaritudo præſentis pœnitentiæ extinguit ſupplicia ſequentis iræ, quare confidenter dicit: Noli me condemnare. Si autem dicis, non condemnabo te, ergo indica mihi cur me ita judices. Reſpondet dicens per Apoſtolum: Cum a Domino judicamur, corripimur, ut non cum hoc ſæculo damnemur.

Job 10
Greg. lib. 9 Mor. c. 21 ſtatim a princ.
B
1 Cor. 11

Sexto, ut ſocium familiariter confabulando, ut quando anima divina allocutione refecta, e converſo ſeipſam cum gratiarum actione in fervore deſideriorum ſocialiter ſe exhibet, & familiariter ſe alloquentem alloquitur. Quod autem ſocietas poſſit eſſe inter Deum, & animam, dicit Apoſtolus: Fides eſt per quam vocati eſtis in ſocietatem filii ejus. Et Joannes: Si in luce ambulamus, ſicut & ipſe in luce eſt, ſocietatem habebimus adinvicem. Quod autem mutuo ſe & ſocialiter alloquantur, patet ſupra, ubi dicitur, quod Deus quaſi viator itinerantibus ſeſe aſſociat, & jucundiſſimis confabulationibus ſuis a labore viæ relevat omnem hominem, & commutat, &c.

1 Cor. 1
1 Joan. 1
Sup. diſt. 4 hujus itinerarii.
C

Septimo, ut ſponſum dulciter ſuſurrando, ut quando præ magnitudine amoris occulta, & intima deſideria nec ad plenum formare valet, nec plene exprimere. Cum enim Dominus Deus cum anima ſuſurret, ut ſupra dictum eſt, neceſſe eſt, ut anima cum Deo ſuſurret. Suſurrium autem divinum, ut ait Gregorius 5. Moral. eſt cum animam tam intima inſpiratione alloquitur, ut per os carnis exprimi non poſſit. Sic & ſuſurrium animæ eſt, ut cum ad intima

Supra diſt. prox. præcedenti.
Greg. lib. 5 Mor. c. 19 & 20

Digitized by Google

ma ſua reducta fuerit per divinum ſuſurrium, concipiat verba, quæ per os carnis exprimere non poteſt. Hoc autem ſuſurrium non fit, niſi in ſilentio & in ſolitudine. Ideo dicit Dominus per Prophetam Oſeam: Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Ducit autem in ſolitudinem, vocando eam ad ſua intima, ut ſola cum ſolo loquatur, in nullo impedita. Unde Canticorum ultimo dicit: Fac me audire vocem tuam, ac ſi dicat: Ego intimus menti ſum, tu autem exterius adhuc quaſi longe diſtas, ait Vercellenſis: & ideo vox tua quaſi exterior minus audibilis tamquam frigida, & adeo minus gratioſa: & ideo fac me audire vocem tuam in intimis ardentiſſimorum deſideriorum. Unde Vercellenſis exponens idem verbum dicit: Sponſus trahens ſe ad interiora ſupernarum allocutionum, ut animam ad interiora deſideriorum provocet, & eo ferventiora deſideria in ea ſuſcitet, dicit; Fac me audire vocem tuam in intimis tuis. Non enim eſt ſponſo vox audibilior, quam fervens deſiderium ſui. Hæc ille. Ex quo patet, ait Vercellenſis, quod Dominus oſtendit nihil nobis eſſe ſalubrius, nihil in nobis eſſe Deo iucundius, nihil in portione Mariæ eſſe perfectius, quam in fervore deſideriorum ecſtaticorum, in divinum radium extentorum inceſſanter exerceri ſemper in ſupernis, iucundando in intima Dei allocutione. Ibi audit verba arcana, quæ non licet homini loqui, ait Hugo ſuper Angel. hierarchiam.

Oſea 2

Hug. ſup. 7 Ang. hier. lib. 6 ante med.

DISTINCTIO V.

Qualiter allocutio divina a noſtra meditatione diſtinguatur.

QUinto, quia ſimillima ſunt cogitata noſtræ mentis ſermonibus veritatis, ideo neceſſe eſt, ut arbitror ſcire, qualiter allocutio divina a noſtra meditatione diſtinguatur. De quo notandum eſt, quod

A. cum ſecundum Auguſtinum de tripliici habitaculo: Allocutio Dei ſit divina inſpiratio, qua mentibus noſtris ſuam voluntatem & ſuam veritatem inviſibiliter oſtendit: Meditatio autem humana ſit ſtudioſa mentis intentio ad inveſtigandum veritatem, diligenter inſiſtens cum labore, ait Richardus, planum eſt, quod meditatio humana ab allocutione divina multipliciter diſtinguatur.

Aug. de triplici habit. c. 5 ſtatim a prin. tom. 9

Rich. de contempl. lib. 2 c. 3

Primo diſtinguuntur in hoc, quia allocutio divina præcedit, & inchoat meditationem humanam. Dicit enim Apoſtolus, quod non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, quanto minus ſumus

2 Cor. 3

B ſufficientes aliquid meditari ex nobis, tamquam ex nobis? cum meditatio perfectior ſit cogitatione, ſicut dicit Richardus libro 1. cap. 3. Sufficientia autem noſtra ex Deo eſt. Unde Sapiens: Cor hominis phantaſias patitur, niſi ab Omnipotente juvetur & illuſtretur. Cui concordat Bernardus ſer. 46. ſuper Cantica, ubi loquens de ſpirituali locutione, quæ fit in meditatione dicit: Lingua animæ eſt fervor devotionis. Et elinguis eſt anima, & infans, quæ hanc non habet, & non poteſt illi eſſe ſermocinatio cum verbo, & niſi ipſo verbo divino ſtimulante devotionis lingua numquam ad loquendum movetur. Niſi ergo allocutio divina, ſive

Rich. ibid.

Eccli. 34

Bern. ſer. 46 ſup Cant. poſt med.

C inſpiratio, mentem ad meditandum excitet, & inſpiret ſpiritui quid, qualiter, & quando de divinis ſit meditandum, humana meditatio vana & inutilis remanet, quia in ea non exardeſcit ignis devotionis, ſed ignis vanitatis, & cupiditatis.

Secundo diſtinguitur, quia allocutio divina meditationem humanam inſtruit, & verificat. Allocutio enim divina ex inſpiratione divina procedit a veritate inſfallibili docens loqui, & meditari cœleſtia, & ſupernaturalia oſtendit, ut ſupra dictum eſt. Meditatio autem oritur ex ratione humana, ut dicit Richardus libro 1. c. 3. Qualiter ergo ratio meditationem de cœleſtibus inſtruet vel verifica-

ficabit, cum ipſa ſine inſpiratione & A unctione, quæ de omnibus docet, ut dicit Joannes, non poſſit ſe extendere ad ſupernaturales veritates? & ideo circa talia cæca, & muta eſt. Qui enim de terra eſt, de terra loquitur. Super quibus verbis dicit Auguſtinus, quod homini ſecundum ſe conſiderato, non convenit loqui niſi terrena. Talis enim ex propriis loquitur, & animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. Talis iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, ait Pſalmiſta, id eſt, in corde ſuo, de quo exeunt furta, homicidia, &c. divina autem allocutione adveniente & audita, in interiori inſpiratione tota meditatio inſtruitur & verificatur. In inſpiratione enim idem eſt dicere & illuminare, audire, & videre. Quia ſicut dicit Gregorius 2. Moral. Quaſi audiri dicitur, quod videntibus inſpiratur. Loquendo veritas docetur, illuminando veritas videtur. Hæc ille. Experientia prædictorum patet, quia cum ex abundantia cordis os loquatur, tam cordis quam corporis: de corde ſic inſpirato non exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, & cetera talia, ſed meditationes odoriferæ, verba dulcia, ut talis anima dicere poſſit illud Canticorum: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Dilectus, inter ubera, id eſt, in mea memoria, ait Gloſſa, commoratur per continuam meditationem, ut faſciculus myrrhæ quæ corpora a putredine conſervat, & vermes mortificat, ait Vercellenſis: & ideo faſciculus myrrhæ ſignat ſuaviſſimam fragrantiam ſanctarum meditationum de de Deo, quæ mentem a putredine & corruptione mortalium præſervat, & vermes, id eſt, offendicula meditationum mortificat. Talis meditationis eloquium eſt dulce.

1 Joan. 2 · *Joann. 3* · *Aug. tract. 14 in Joan. ante med. tom. 9* · *Pſalm. 35* · *Matt. 15* · *Greg. lib. 2. Moral. c. 4 ante med.* · *Cant. 1. 6* · *Cant. 4*

Tertio patet diſtinctio inter allocutionem divinam & meditationem, quia allocutio divina meditationem humanam perficit & conſummat. Dicit namque Dionyſius, quod bona naturalia perficiuntur per bona ſupernaturalia. De bonis autem naturalibus animæ dicit Gloſſa ſuper principium Canticorum ſic: Omnes animæ motiones univerſitatis conditor creavit ad bonum, ſcilicet æternum, ad quod tantum per ſe pervenire non poterant, niſi ſupernaturalibus bonis ſupernaturaliter perficerentur. Unde dicitur ibidem: Diſce motus animæ tuæ & naturalis amoris incendium ad meliores transferre, ſcilicet ad ſupernaturales perfectiones. Motus enim animæ tam intellectuales quam affectuales, inter Deum, & animam, in meditationibus quaſi quidam nuncii diſcurrunt, qui inutiles, & indigni erunt in conſpectu Dei niſi lu- B mine veritatis, & fervore charitatis per divinum alloquium præveniantur, alioquin ſi homo ex propriis loquatur, mendax invenitur. Hæc enim dona ſupernaturalia faciunt motus mentis, tam intellectuales, quam affectuales, dignos, & acceptos in conſpectu Dei, tamquam filias Judæ, & Hieruſalem regem ſuum in decore ſuo videntes. De iſtis nunciis loquens Richardus dicit ſic: Quotidie, ni fallor, qui meditationi, & locutioni inſiſtitis, Dei nuncios ſuſcipitis. Quoties enim ex abditis ſcripturæ receſſibus, novos intellectus eruimus, quid aliud quam quoſdam dilecti noſtri nuncios recipimus? Huic C ſane negotio ſubſervit omnis ſacra lectio, ſagaxque meditatio. Alii namque legentibus, alii meditantibus, divinorum ſecretorum internuncii occurrunt, qui dilecti noſtri ad nos mandata perferunt, & de ſingulis inſtruunt. † Non enim decet amantes mutua ſtudia, mutuaque in alterutrum deſideria neſcire, neque ſufficit æſtuanti animæ ardentique deſideria ſemel audire dilectum. Obſecro ergo manda remanda. Nuncius medius inter nos diſcurrat, qui me de ſingulis inſtruat, doceat me non ſolum ſuper ſtatum meum, ſed & de ſtatu tuo, doceat quomodo apud te ſit, vel quid tibi de me placuerit. Hæc ille.

Dionyſ. de Ang. Hier. in 1 · *Rich. de contempl. lib. 4 c. 14 an. med.* · *† Idem ibid. c. 15 ante med.* · *Qualiter cognoſci poſſit an aliqua motio ſit a Deo, vel a dæmone.*

Sed qualis differentia inter nuncios ve-

veros, & falſos ſit, & quomodo co- A gnoſcamus, docet Richardus dicens *Rich. ubi ſup. lib. 5. c. 13 ante med.* ſic: Divinus nuncius proculdubio eſt, per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoſcimus, per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad ætrnorum deſiderium inflammamur. Hæc ille. Ex quo patet iſtorum nunciorum differentia. Nunciantes enim nobis quæ ſunt contra Dei voluntatem, vel de mundanis, vel de his quæ ſunt carnis, ſunt falſi nuncii, quæ carnis ſunt ſentientes, quia caro, & ſanguis revelavit eis. Alii vero ſapiunt quæ *Matth. 7* Dei ſunt, quia Pater revelavit eis, ergo ex fructibus eorum cognoſcetis *Prov. 25* eos. Aqua frigida animæ ſitienti, bonus nuncius de terra longinqua.

Bern. in Cant. ſer. 32 ante med. Sed Bernardus aliter diſtinguit inter allocutionem divinam, & meditationem humanam, dicens: Sunt quædam verba noſtri ſponſi ad nos, noſtræ meditationes de ipſo & de ejus gloria, elegantia, potentia, & majeſtate, & non ſolum hæc, ſed & cum verſamus avida mente teſtimonia ejus, & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte, ſciamus pro certo adeſſe ſponſum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, ſermonibus delectati. Tu ergo cum tibi talia volvi animo ſentis, non tuam putes cogitationem, ſed illum agnoſce loquentem, qui *Iſai. 42* apud Prophetam dicit: Ego qui loquor juſtitiam. *Sequitur*. Similia enim ſunt cogitata noſtræ mentis ſermonibus veritatis in nobis loquentis, nec facile quis diſcernit, quid intus cor ſuum portat, quidve intus audiat, niſi qui prudenter advertit Dominum *Matth. 15* in Evangelio loquentem: Quia de corde exeunt cogitationes malæ, & *Matth. 9* illud: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? &: Loquitur mendacium, *Joan. 8* qui de propriis loquitur. Apoſtolus *2 Cor. 3* autem: Non ſumus ſufficientes, inquit, cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, ſubaudi, bonum, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Sequitur*. Cum ergo mala in corde verſamus, noſtra cogitatio eſt: ſi bona, ſermo Dei eſt. Illa cor noſtrum dicit, hæc audit ſi bona ſunt. Audiam, ait Propheta, quid loquatur *Pſalm. 84* in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Itaque pacem, pietatem, juſtitiam Deus in nobis loquitur, nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Ceterum homicidia, adulteria, furta, blaſphemiæ, & his ſimilia de corde exeunt, nec illa audimus, ſed ea dicimus. *Sequitur*. Fiunt *Pſal. 77* tamen quandoque in cordibus im- *Joan. 13* miſſiones per angelos malos, ut in cor Judæ miſit diabolus, &c. nec talia de corde exeunt, ſed ei immittuntur. Quid autem in his tribuatur B cordi, vel quid hoſti, & quando, incertum eſt mihi, ſed hoc quidem ſine periculo eſt. *Sequitur*. Sed ſane aliud eſt ubi periculoſe, immo damnabiliter erratur, atque ubi certa regula præfigitur, ne quod Dei eſt in nobis, demus nobis, putantes verbi viſitationem, noſtram cogitationem. Quantum ergo diſtat bonum a malo, tantum diſtant iſta duo a ſe: quoniam nec de verbo malum, nec de corde exit bonum, niſi forte quod prius de verbo concepit. Sciant enim inimici gratiæ, abſque gratia nec ad cogitandum bonum, ſufficere cor humanum, ſed ſufficientia ejus ex Deo eſt. Et ſciant qui cogitant bonum, *2 Cor. 3* C vocem Dei eſſe, non cordis prolem exiſtere. Vide autem quoniam verbum Dei quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, ſed proſperatur, & facit omnia ad quæ miſit illud, ut dicere poſſis & tu: *1 Cor. 15* Gratia Dei in me vacua non fuit. *Sequitur*. Felix mens cui individuus comes ubique ſe affabilem præbet, cujus indeſinenter oblectata ſuavitate facundiæ, a carnis moleſtiis, & vitiis ſeſe vendicat, omni hora redimendo tempus a diebus malis, quoniam talis non conturbabitur, ſicut dicit Scriptura, quidquid acciderit *Prov. 12* ei. Hæc omnia Bernardus.

DISTINCTIO VI.

Qualiter ſpiritus humanus per iter meditationis æternitatem Domini ingrediatur.

SExto videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter in itinere ſtudioſæ meditationis intrinſecum ſecretum, æternum manerium Domini Jeſu ingredi conatur. Circa quod notandum eſt, quod cum verbum æternum ſe ſpiritui noſtro in meditatione ſua quaſi quemdam viatorem, jucundiſſimis confabulationibus aſſociet ipſum de temporalibus abſtrahendo, de æternis inſtruendo, ad æterna invitando, ut ex prædictis patere poteſt, ideo neceſſe eſt, ut ſpiritus noſter temporalia fugiat, quia ex hoc æternis appropinquat, & ad interiora deſerti cum Moyſe intrat, ut de æternis audiat, in ſolitudine meditationis aſſiduæ permaneat, in æterna introeat, & cum Apoſtolo Paulo converſationem in cœlis habeat, ut cum Pſalmiſta dicere poſſit: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Quod verbum exponens Bernardus ſuper Cantica dicit ſic: Non fuit contentus exire, niſi & longe ſe faceret, ut quieſcere poſſet. Et ſi tranſiliſti carnis oblactamenta, ut minime jam obedias concupiſcentiis ejus, nec tenearis illecebris, & curis, perfeciſti & ſeparaſti te, ſed nondum te elongaſti, niſi & irruentia undique phantaſmata corporearum ſimilitudinum, tranſvolare mentis puritate prævaleas. Hucuſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi circa te invenire æſtimas locum ſecretum quietis, & ſolitudinis, ſecretum luminis, & habitaculum pacis. Hæc Bernardus.

Ut anima ad perfectionē perveniat contemplationis temporalia fugere debet.

Exod. 3

Phil. 3

Pſal. 54

Bern. ſup. Cant. ſer. 52 cir. med.

Sed nota, quod hæc ſolitudo meditationis in mente eſt humana, ut dicit Gregorius 4. Moralium, dicit enim: In ſolitudine manere eſt a ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & in una intentione æternæ patriæ, amorem intimæ quietis anhelare. *Sequitur*. A tumultu rerrum temporalium magnum

Greg. lib. 4 Mor. c. 28 cir. med.

A quemdam ſeceſſum petierat, quietam mentem, in qua tanto verius Deum cerneret, quanto hunc cum ſe ſolo ſolum inveniret. Hæc ille. Unde Pſalmiſta manens in ſolitudine illa, ait: Expectabam eum, qui ſalvum me fecit, a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. In quibus verbis dicit Propheta ſe a duobus malis liberatum in ſolitudine, quæ conſueverunt impedire ambulantes in tenebris æternitatis, ſcilicet a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Primum eſt interius, ſecundum eſt exterius. Primum, ſcilicet puſillanimitas eſt ex defectu fidei, ex quo omnia interiora impedimenta oriuntur, quia ſpiritus B ſine fide infirmus eſt uſque ad mortem. Ab hac puſillanimitate in ſolitudine tantum ſalvatus fuit, ut dicat: Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Quod Gregorius exponens 26. Moralium dicit: Murus eſt omne quod itineri noſtro obiicitur ne ad Deum, quem diligimus, tranſeamus: ſed murum tranſgredimur, cum præ amore illius omnia mundi delectamenta calcamus.

Pſal. 54

Greg. lib. 26 Moral. c. 10

Pſalm. 17

Secundum, ſcilicet tempeſtas eſt ex defectu charitatis, ex quo oriuntur impedimenta itinerantium ab exteriori, quia omnis tempeſtas exterior frequenter generat interiorem, C niſi adſit charitas, quæ omnia ſuffert. Ab hac tempeſtate in ſolitudine Pſalmiſta tantum liberatus fuit, ut diceret, quoniam in ſolitudine expectabam, perfecit pedes meos tamquam cervorum. Quod Gregorius 26. Moral. exponens dicit: Electorum mentes cervi dicuntur, dum quæque, quæ in hoc mundo obviantia, obſiſtere ſibi conſpiciunt, contemplationis ſaltu tranſcendunt, & more cervorum deſpectis terrenarum rerum ſentibus, in ſuperna, id eſt, æterna ſe evehunt. Hæc ille. Igitur in hac meditatione ſolitaria, ſola cum ſolo ſecure manet, a temporalibus abſcondita, æternis veritatibus meditatione fidei, & charitatis fervore vivificata & ſtabilita. Quod etiam

Ibidem.

Greg. ibid.

Hu-

Hug. lib. 2 de ar. Noe cap. 1 ante med.

Hugo lib. 2. de arca Noe, oſtendit, dicens: Si per ſtudium meditationis aſſidue cor noſtrum inhabitare cœperimus, jam quodammodo temporales eſſe deſiſtimus, & quaſi mortui mundo facti, intus cum Deo vivimus, tunc quidquid fortuna extra molitur, facile contemnimus, quia ibi fixum eſt noſtrum deſiderium, ubi mutabilitati non ſubiacemus. Ecce jam ſtudioſa mentis meditatio in tantum ſe exercuit & perfecit, quod in contemplationem tranſivit. Et hoc eſt, quod dicit Richardus: Veritatem per meditationem diu quæſitam, tamdem inventam, mens ſolet cum aviditate ſuſcipere, mirarique cum exultatione, eiuſdem quoque admirationi diutius inhærere, & hoc eſt jam meditando meditationem excedere, & per meditationem in contemplationem tranſire, ſicut etiam cogitatio quandoque in meditationem tranſit. Hæc ille. Ex his apparere poteſt, quomodo ſpiritus humanus per meditationem æternorum a temporalibus recedit, & æternis inhæret, ut dicat cum Apoſtolo: Noſtra converſatio in cœlis eſt, & cum Pſalmiſta: Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.

Rich. ubi ſup. lib. 1 c. 4

Philip. 3

Pſal. 65

DISTINCTIO VII.

Qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter meditationis ad æternitatem a Jeſu invitatur.

Septimo videndum eſt qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter ſtudioſæ meditationis, ad intrinſecum & æternum Domini Jeſu ſecretum, ab ipſo dulciter invitatur, dicens Sponſæ in Canticis: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Cujus invitationis ſubjungit allectivum: dicens: Veni, quia jam eſt itinerandi optata facilitas. Jam enim imber curæ temporalis diſtrahentis & impedientis ambulantes in itinere meditationis abiit & receſſit, & quia pluvia æſtivalis deſcendit, & venit in vellus virgineum, colligendo diſperſiones meditationum, ad congregantis Patris unitatem, & ſimplificatam æternitatem. Dicit ergo animam invitando: O amica mea, propter meditationis tuæ amoroſam aſſiduitatem, quæ eſt incentiva amoris, quia in ea exardeſcit ignis, ait Pſalmiſta. Quod Hugo libro 4. de arca Noe exponens dicit: Sicut ligna ignem nutriunt, ſic cogitationes ſive meditationes deſideria paſcunt. Quare in canticis dixit Sponſa meditatrix æternorum: Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur, id eſt, in memoria mea, ait Gloſſa, ſive meditationum, ſurge per meditationis tuæ extenſionem a temporalibus in æternitatem, ut primo egrediaris cum Iſaac in agrum ad meditandum. Secundo extendas te in cœlum cum Apoſtolo ad converſandum. O columba mea propter meditationis tuæ columbinam ſimplicitatem: ait Iſaias: Meditabor ut columba. Vercellenſis dicit, quod columba habet ſimplicem intuitum, & ſignat puram & ſimplicem intelligentiam. Ex pura autem & ſimplici intelligentia oriuntur puræ, & ſimplices meditationes, quæ ſunt Deo gratiſſimæ. Propera per meditationis tuæ agilitatem, quam agilitatem deſiderabat, qui dixit: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Quam agilitatem obtinuit, cum dixit: Si aſcendero in cœlum, tu illuc es: ſi deſcendero ad infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, &c. O formoſa mea propter meditationis tuæ pulchrificatam puritatem. Meditationis enim ſedula exercitatio circa æterna mentem purificat a temporalibus abſtrahendo, & eam pulchrificat, & formoſam facit, ad æterna extendendo, ut cum Pſalmiſta dicat: Meditatus ſum in nocte, ſcilicet temporalium: exercitabat, me ad æterna extendendo: & ſcopebam ſpiritum meum, non ſolum a temporalibus fugiendo, ſed etiam umbram temporalium ſimilitudinem, & imaginum omnino abſtergendo. De hac ex-

Cant. 2 — *Pſalm. 38* — *Hugo lib. 4 de ar. Noe c. 4 poſt med.* — *Cant. 1* — *Gen. 24* — *Phil. 3* — *Iſa. 38* — *Pſalm. 54* — *Pſalm. 38* — *Pſalm. 76*

Digitized by Google

extenſione ad æternitatem, dicit [Aug. lib. 1 de Trinit. cap. 13] Auguſtinus. Mens quanto magis ſe extendit ad illud quod æternum eſt, tanto magis ſe extendit ad illud quod formatur ad imaginem Dei, & ideo quærenda eſt facies Dei, ſemper, ut imago magis reformetur, donec, ſecundum Apoſtolum, [1 Cor. 3] in eamdem imaginem transformetur, ut dicat illi Deus [Cant. 4] illud Canticorum: Quam pulchra es, &c. Veni igitur ad meum intrinſecum, & intra in gaudium Domini tui, veni jam ingreſſa, ut amplius ingrediaris, quia poſt me ingredi non ceſſabis. Et hujus amoroſæ invitationis ſubjungit amoroſum allectivum dicens: [Cant. 2] Surge velociter & veni, quia imber abiit, & receſſit. Quod Vercellenſis exponens dicit: [Imber quid ſpiritualiter ſignificat.] Imber eſt aqua hiemalis a cœlo fugiens, & in terram corruens, frigefaciens, & in multas guttas ſe dividens, lutum generans, & itinerantes impediens & ſignat affectum curæ temporalis, quia lubricum, & deorſum trahit, & quaſi juſta neceſſitate mentem retrahit a ſuſpendio ſpirituali in æterna ſpectacula: & ad ſollicite tractanda negotia terrena vehementer urget. Unde ſpiritualis mentis fervorem ſæpe tepefacit, vel etiam totaliter extinguit: licet quidam perfectiſſimi inter majores [Lev. 26] exemplo Angelico pæcedant, & incedant erecti, inferius agunt ſurſum erecti, ſcilicet per rectam, & devotam intentionem. Iſte imber eſt vitandus in uſu & intentione. Hæc ille. Sed quia iſte imber ſive aqua hiemalis abiit & receſſit, & imber æſtivalis ſive aqua ſapientiæ ſalutaris advenit, quæ iter meditationis noſtræ ab æternis non impedit, ſed promovet, dirigit, & perficit, ideo veni. Nam hæc aqua æſtivalis ſpiritum tuum in meditationibus ad veniendum ad meam æternitatem ſurſum erigit, ad meam æternitatem ſalire facit, ad meam æ- [Joan. 4] ternitatem introducit. Unde dicit Jeſus ſol æſtivus: Aqua quam ego do, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. In his verbis veritas innuit, quod aqua æſtivalis a fonte vitæ oritur, quia apud Deum eſt fons A vitæ, ut ait Pſalmiſta, & ideo meditationem noſtram ſurſum trahit per deſiderium æternorum, quare Pſalmiſta dicit: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. [Pſalm. 41] Secundo innuit, quod aqua æſtivalis ſpiritui noſtro ad velociter veniendum per meditationem multipliciter cooperatur, tum quia ſitim ſpiritus itinerantis ad æterna, quoad temporalia extinguit: quia aqua illa fiet in eo fons aquæ fluentis, per omnes valles animæ, qui autem intra ſe habet fontem, ſitire non poteſt, ait Chryſoſtomus: [Chryſ. ho. 31 in Jo. ante med. tom. 3] Item ſpiritui itineranti ad æterna vigorem tribuit, quia eſt aqua ſaltare faciens. Tertio aqua hæc æſtivalis ſpiritum itinerantem reformat, & perficit, quia ad B vitam æternam introducit, quia non ſaltat ad temporalia, ſed ſalit in vitam æternam, ut dicitur hic. Ad quam vitam nos perducat Pater & Filius, & Spiritus ſanctus, unus Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE TERTIO ITINERE

Æternitatis.

TErtium iter æternitatis per quod ſpiritus humanus venit ad intrinſecum & æternum manerium Jeſu eſt æternorum limpida contempla- C tio. Ad cujus itineris majorem notitiam ſeptem per ordinem ſunt notanda.

Primum quæ ſit iſtius itineris neceſſitas, & quare iter meditationis immediate ſequitur.

Secundum eſt quid ſit contemplatio, & qualiter deſcriptio ejus intelligatur.

Tertium eſt, qualiter contemplatio a cogitatione, meditatione, ſpeculatione, & intuitiva viſione diſtinguatur.

Quartum eſt qualiter contemplatio ſecundum diverſos gradus diverſimode a diverſis dividatur.

Quintum eſt, quantam jucunditatem ſpiritus humanus in itinere contemplationis experiatur.

Digitized by Google

Sextum eſt, qualiter per iter contemplationis ſpiritus æternum manerium Jeſu ingrediatur.

Septimum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis, ad ſecretum Jeſu invitatur.

DISTINCTIO I.

Quæ ſit neceſſitas itineris contemplationis, & quare immediate ſequatur iter meditationis.

Contemplatio, finis eſt meditationis.

PRimo igitur videndum eſt, quæ ſit neceſſitas iſtius itineris, ſcilicet contemplationis æternorum, & quare immediate iter meditationis ſequatur. De quo ſciendum, quod cum meditatio æternorum ſit quædam inveſtigatio, & inquiſitio cum magna animi induſtria veritatis æternorum, nec ab inquiſitione deſiſtat, donec quod quærit, inveniat quantum poteſt: planum eſt, quod ſpiritus humanus per ipſam meditationem in æternis non figitur nec quietatur, donec per contemplationem ei oſtendatur, quod per meditationem quærebatur. Sed quam cito quæſitum invenitur, & ſpiritus illi quaſi acquieſcendo cum admiratione inhærere cœperit, tam cito meditatio eſſe deſinit, & in contemplationem tranſit, ait Richardus. Per meditationem veritatem diu quæſitam, tamdem inventam, mens ſolet cum aviditate ſuſcipere, mirari cum exultatione, ejuſdem quoque admirationi diutius inhærere, & hoc eſt jam meditationem meditando excedere, & per meditationem in contemplationem tranſire. Proprium eſt enim contemplationi, jucunditatis ſuæ ſpectaculo cum admiratione inhærere. Meditationi vero proprium eſt, ſua promotione ſemper in ulteriora tendere. Hæc ille. Ex his igitur patere poteſt iſtius itineris neceſſitas, quia motus meditationis imperfectus & minus utilis permaneret ſine termino & quiete contemplationis, cum meditatio termine-

Rich. l. 1 de arca myſtica cap. 4

A tur & tranſeat in contemplationem, tamquam in illud quod perfectius eſt. Ex his etiam patet ordo iſtius itineris contemplationis ad iter meditationis, ex quo ſtudio meditationis, ſpiritus humanus ſurgit in iter contemplationis, ut ait Richardus: & per veritatis contemplationem homo convertitur ad juſtitiam, & confirmatur ad gloriam, & ſic patet primum.

DISTINCTIO II.

Quid ſit contemplatio, & qualiter deſcriptio ejus intelligatur.

B SEcundo videndum eſt, quid eſt contemplatio, & qualiter deſcriptio ejus intelligatur. De quo notandum, eſt quod contemplatio ſecundum potiſſimum ſtatum, eſt actus intellectus non impediti, gratia ſanati, in æterna ſpectacula directi, cum admiratione ſuſpenſi. Sic videtur Richardus contemplationem deſcribere, dicens ſic: Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia, in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa.

Contemplationis diffinitio.

Rich. ubi ſup.

In hac deſcriptione innuuntur quatuor, quæ contemplantibus ſunt neceſſaria. Primum eſt liber contemplationis motus, ab omnibus exoneratus, & in nullo impeditus, ut Richardus ibidem dicit: Contemplatio C libero quodam motu, & ſecundum ſpontaneum nutum huc, illucque circumfertur, & nullo difficultatis obſtaculo a diſcurſionis ſuæ impetu impeditur, quin contemplanda contempletur quantum poteſt. Ex hoc apparet, quod ſpiritus contemplativus debet eſſe ſine peccato, quia qui peccat ſervus eſt peccati, & vinculis ejus ligatur ne ſurſum feratur. Debet etiam eſſe liber a deſiderio & cura temporalium, quæ ſunt juga duræ ſervitutis. Liber autem ſpiritus dimittitur, quando calcatis terrenis deſideriis, ab apetitione temporalium in ſecuritate mentis exoneratur. Hæc Gregorius 3. Moral.

Contemplantibus quatuor ſunt neceſſaria.

Se-

Digitized by Google

A Secundum, quod neceſſarium eſt contemplantibus, quod hic ponitur in deſcriptione, eſt quod oculus contemplationis ſit perſpicax, id eſt, gratia ſanatus. Dicit enim Hugo commentator ſuper Angelicam Hierarchiam, quod triplex eſt oculus. Eſt enim oculus carnis, quo videt homo ea quæ ſunt extra ſe, & oculus rationis, quo videt homo ea, quæ ſunt intra ſe, & oculus contemplationis, quo videt homo ea, quæ ſunt ſupra ſe. Oculus carnis apertus eſt, oculus rationis lippus, & oculus contemplationis clauſus eſt. Hæc ille. Igitur neceſſe eſt, ut oculus contemplationis perſpicax ſit, & ſanetur. Oportet igitur ſcire quatuor. Primo quid oculus contemplationis dicatur, ſecundo qualiter oculus ſanatur, tertio quid ſit aſpectus ejus, quarto quid ſit viſio ejus. Hæc quatuor dicit Auctor de ſpiritu & anima, omni animæ neceſſaria eſſe, & oſtendit quodlibet eorum dicens: Spiritus dicitur mens rationalis, ubi eſt quædam ſcintilla tamquam oculus animæ, ad quam pertinet imago, & cognitio Dei. *Sequitur*. Oculus ergo animæ eſt mens, & hæc ab omni labe corporis debet eſſe pura, & tunc eſt ſana. Mentis autem aſpectus eſt ratio, intellectus vero viſio. Hæc omni animæ neceſſariæ ſunt, id eſt, ut oculos habeat, & ſanos, ut aſpiciat, & videat. *Sequitur*. Sanos oculos habet cum ab amore talium cupiditatum purgata eſt, atque remota, ſcilicet ab imaginibus. Aſpicit, cum in Dei lumine oculos figit, ſed videt, cum in iſta contemplatione conſpicit, quanta ſint gaudia, quanta lætitia, quanta ſerenitas, quanta jucunditas. Sanitas facit illam ſecuram, aſpectus rectam, viſio beatam, quæ eſt finis aſpectus. Hæc ille. Iſte eſt oculus contemplationis, de quo dicit Sponſus: Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, id eſt, tua intelligentia ſimplificata penetraſti omnia pertingendo ad cor meum, & propter te vulneratum fuit ex amore intimo quo dilexi te.

Hugo in 7 Ang. hier. lib. 3 poſt med.

Auctor de ſpir. & anim. c. 10 apud Aug. tom. 3

Cant. 4

Tertium quod ponitur in deſcriptione contemplationis eſt, quod oculus contemplationis in ſpectacula ſapientiæ æternæ ſit directus, quod notatur per hoc quod dicitur, in ſapientiæ ſpectacula. Ex hoc autem patet quod Richardus hic non accipit contemplationem, ut eſt actus intellectus præciſe, ſed etiam ut ſaporoſam dilectionem includit. Nam ſapientia a ſapore dicitur, ut dicit Bernardus, & objectum ſapientiæ principale & primarium eſt ipſe Deus, ſub ratione qua verum eſt excitativum voluntatis, ad ejus ſaporoſam dilectionem, & actus ſapientiæ eſt contemplari Deum: non quocumque modo, ſed ex dile-

B ctione, cum quadam experimentali ſuavitate in affectu. Igitur ſpectacula ſapientiæ ſunt cognitio veri, & amor ſive ſapor boni. Dicit enim Linconienſis, quod ſapientia oritur ex amore, quæ prorumpit in lumen cognitionis & ſaporem guſtationis ſicut ex calore prorumpit lux & flamma. Hæc ille. Actus igitur contemplationis duo includit, ſcilicet cognitionem & ſaporoſam dilectionem, & dilectio adjuvat cognitionem. Unde ſecundum menſuram dilectionis, diſpenſatur & modus manifeſtationis, ait Richardus.

Bern. de paſſione Domini c. 43 circ. med.

Quartum, quod ponitur in deſcriptione contemplationis eſt mentalis

C ſuſpenſio ex admiratione cauſata, & notatur in hoc quod dicit, admiratione ſuſpenſa. De hac admiratione dicit Richardus libro 5. de arca myſtica, cap. 9. Ex novitate rei quæ eſt ſupra ſpem & noſtram æſtimationem oritur admiratio, ex admiratione autem accreſcit attentio, & ex attentione cognitio, & ex his mentis ſuſpenſio, quia ſicut dicit ibidem: Dum humana intelligentia divino lumine irradiata intelligibilium contemplatione ſuſpenditur, dum in eorum admiratione ad modum auroræ, diſtenditur, quanto ſemper ad altiora vel ad mirabiliora ducitur, tanto amplius, tantoque copioſius ad modum auroræ dilatatur. Unde quanto ab infimis ſit remotior, tanto ſemetipſa pu-

Rich. lib. 5 de contemplat. cap. 9 Hi enim libri Beniamin. maioris, vel de contemplatione vel de arca myſtica inſcribunt.

purior, & ad ſublimia ſubtilior invenitur. Ex quo ſequitur, quod tanta in ſuperioribus diutius ſuſpenditur, quanto a retrahentibus dilatatur & elongatur. De hoc ſuſpendio dicit Job: ſuſpendium elegit anima mea. Quod Vercellenſis exponens, dicit ſic: Suſpendium illud eſt extenſio mentis in æterna ſpectacula, ut cum fieri poteſt numquam ex intentione voluntatis, ſed ſola interpellatione neceſſitatis, acies mentis inde flectatur, ut dicit Pſalmiſta: Oculi mei ſemper ad Dominum.

Job 7

Pſal. 24

DISTINCTIO III.

Qualiter contemplatio differat a cogitatione, meditatione, ſpeculatione, & ab intuitiva viſione.

TErtio videndum eſt qualiter contemplatio differt a cogitatione, meditatione, ſpeculatione, & ab intuitiva cognitione, hæc enim quemdam ordinem, & gradum habent inter ſe. Nam cogitatio, quæ oritur ex imaginatione, tranſit & terminatur in meditationem. Meditatio, quæ oritur ex ratione, tranſit & terminatur in ſpeculationem. Speculatio, quia partim oritur ex ratione, & partim ex intelligentia, tranſit, & terminatur in contemplationem. Contemplatio autem, quæ oritur ex intelligentia, tranſit & conſummatur in intuitivam cognitionem. Hæc enim omnia in hoc conveniunt cum fuerint ordinata, quod dirigunt in divinum aſpectum, ſed tamen differenter: & hæc differentia prædictorum quatuor a contemplatione, poteſt cognoſci per quatuor, quæ in contemplationis diffinitione ponuntur, quam Richardus ponit in libro 1. cap. 4.

Rich. lib. 1 de contem. c. 4 in pr.

Primo differt contemplatio a cognitione per hoc, quod in deſcriptione contemplationis ponitur, quod ſit libera. Unde Richardus libro 1. de arca myſtica, c. 3. dicit ſic: Contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio autem per devia quæque lento pede, ſine reſpectu perventionis paſſim huc illuc vagatur. Et quia cogitatio ex imaginatione oritur, ideo quandoque ſine ratione movetur, ut dicit Richardus: & ideo minus libera eſt, quam contemplatio, quæ ex intelligentia procedit, & oritur, immo cogitatio rationi ſubiicitur, quæ eſt infra intelligentiam, & per eam regitur. Unde Gregorius libro 1. Moral. ſic dicit: Cogitationes ad modum ancillarum rationi ſubiiciuntur, quia ſi a domo mentis ad momentum ratio diſcedat, quaſi abſente domina, cogitationum ſe clamor velut garrula ancillarum turba multiplicat: ut autem ratio ad mentem redierit, mox ſe confuſio tumultuoſa compeſcit, & quaſi ancillæ ad injunctum opus ſe tacite reprimunt, dum cogitationes protinus ſe cauſis propriis ad utilitatem ſubdunt. Hæc Gregorius. Et ſicut Richardus libro 1. cap. 4. dicit: Si cogitatio quandoque ratione moveatur, ut ad cognoſcendum aliquid ambiat, & ad hoc vehementer, & fortiter inſiſtat, jam non eſt cogitatio ſed modum cogitationis cogitando excedit, & cogitatio in meditationem tranſit.

Ibid. c. 3

Greg. lib. 1 mor. c. 11

Secundo igitur ſciendum eſt, quod contemplatio etiam differt a meditatione per hoc, quod in deſcriptione contemplationis ponitur, quod ipſa eſt mentis perſpicacia. De quo ſciendum eſt, quod perſpicacia eſt actus intelligentiæ. Intelligentia autem, ut dicit Auctor libri de ſpiritu, & anima, eſt ea vis animæ, quæ ſupponitur Deo immediate, qua de divinis, quantum homini poſſibile eſt, cognoſcitur. Sed, ſicut dicit Richardus, ex intelligentia oritur contemplatio, ex ratione autem oritur meditatio, & ex hoc ipſe oſtendit, quantum contemplatio excedat meditationem, ex quo patet etiam differentia eorum. Unde Richardus dicit ſic: Ecce tria, imaginatio, ratio, intelligentia. Inter hæc intelligentia obtinet ſupremum locum, imaginatio infimum, ratio medium, &

Auſt. de ſp. & an. c. 11 apud Aug. to. 3

Rich. de arca myſt. l. 1 cap. 3

& omnia quæ ſubjacent ſenſui inferiori, neceſſe eſt ea ſubjacere ſenſui ſuperiori, ſed non e converſo. Unde conſtat, quod cuncta quæ imaginatio, vel ratio comprehendit, ſub intelligentia cadunt, & etiam illa, quæ nec imaginatio vel ratio comprehendit. *Sequitur.* Vide quam late contemplationis radius ſe expandat, qui omnia illuſtrat, & quomodo contemplatio ſub uno viſionis radio, ad innumera ſe extendit. *Sequitur.* Per intelligentiam ſiquidem ſinus mentis in immenſum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, ut capax ſit ad multa comprehendenda, & perſpicax ad ſubtilia penetranda. Hæc ille. Et propter hoc dicit Richardus ibidem, quod meditatio in contemplationem tranſit, tamquam in illud quod perfectius eſt, id eſt, in aliquem gradum contemplationis, qui dicitur ſpeculatio, qui non eſt perfectus gradus contemplationis, licet unum pro alio ponatur, ut patet.

Tertio ſciendum eſt, quod contemplatio differt a ſpeculatione per hoc, quia in deſcriptione contemplationis ponitur quod fertur in ſapientiæ ſpectacula. De quo nota, quod ſecundum Auguſtinum libro 15. de Trinitate. Speculatio dicitur, cum aliquid non in ſe; ſed per imaginationem ſuam videtur, & in ænigmate, id eſt, obſcure. Richardus libro 5. de arca myſtica dicit: Quamvis contemplatio, & ſpeculatio pro invicem ſoleant poni, & in hoc ſæpe ſcripturæ ſententiæ proprietatem obnubilent, & involvant: aptius tamen, & expreſſius ſpeculationem dicimus, quando per ſpeculum cernimus: contemplationem vero quando veritatem ſine aliquo involucro, umbrarumque velamine in ſui puritate videmus. Unde Hugo in ſeptimum Angelicæ Hierarchiæ dicit: Dionyſius vocat ſimplices fulgores; puras illuminationes devenientes ad primas contemplationes. Pura illuminatio eſt, quando veritas per ſe ipſam concipitur. Pura contemplatio eſt, quando veritas in ſeipſa non per ſubjectam imagnem videtur. Hæc ille. Ex quo apparet, quod contemplatio in ſpeculationem ſapientiæ, clariorem aſpectum habet, quam ſpeculatio, & guſtum ſapidiorem. Unde Richardus ibidem exponens illud: Montes exultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium, dicit: Colles ad agnorum ſimilitudinem exultant, quando immenſa illa intimæ ſolemnitatis tripudia, eos uſque ſupra ſemetipſos levant ut cœleſtium ſecretorum arcana, ſaltem per ſpeculum in ænigmate videre valeant: montes vero quaſi ad inſtar arietum exultant, quando majores in jucunditatis ſuæ exceſſibus, in pura, & in ſimplici veritate vident, & minores, ut jam dictum eſt, vix per ſpeculum in ænigmate videre valent. Hæc ille. Expedit etiam ſcire, quod Linconienſis commentator Dionyſii, loquens de ſpeculis ſpiritualibus ſuper 3. Angelicæ Hierarchiæ dicit, quod ſpecula ſpiritualia pura, clara, & plana, ſpiritualiter primo recipiunt radios ſolares, ſibi incidentes immediate a fonte luminis, & tale dicitur lumen contemplationis, contemperatum tamen in oculo contemplantis, ut infra patebit: & ſecundario lumen receptum ſpecula refundunt in eos, qui luminis ſunt capaces, non tamen ſecundum claritatem illam, qua ipſi recipiunt, ſed ſecundum cujuslibet capacitatem, & hoc dicitur lumen ſpeculationis, quia mediante ſpeculo ſpirituali recipitur, vel per ſcripturam, vel doctrinam, vel per exempla ab illuminatis ſpeculis procedentia, quemadmodum ſpeculum materiale primo a lucido ſuſcipit radios ſibi incidentes, quos reflectit in oculos conſpicientis, quos oculus tamquam ſibi jam mediante ſpeculo proportionatos recipit, quos tamen in fonte luminis propter nimiam refulgentiam oculus debilis immediate videre non potuit, ut patet ad ſenſum. Nec lumen ſpeculare ita efficaciter repræſentat lucidum oculo videntis, ſicut lumen immediate receptum a lucido, ut patet in perſpectiva, & in epiſtola Jacobi

Aug. 15 lib. 15 de Tr. c. 13 circ. fin. in ſex. t. 3 Rich. lib. 5 de arca myſt. c. 14 circa fin.

Hugo in 7 Ang. Hierarch. l. 7 longe poſt med.

Pſalm. 113

Jac. 1 cobi ubi dicitur, quod conſiderans vultum ſuum in ſpeculo, ſtatim oblitus eſt, &c.

Quarto ſciendum eſt, quod contemplatio differt ab intuitiva cognitione per hoc, quod in deſcriptione contemplationis ponitur, admiratione ſuſpenſa. Suſpenſio enim dicit quaſi quamdam violentam elevationem, dum anima naturæ ſuæ poſſibilitatis ſupergreditur terminos. Unde Richardus dicit: Procul dubio, cum anima ſancta de interno quodam tripudii ſui applauſu a ſemetipſa excutitur, dum ſupra ſemetipſam ire mentis alienatione urgetur, dum in cœleſtibus tota ſuſpenditur, dum Angelicis ſpectaculis tota immergitur, nativæ poſſibilitatis terminos ſupergreſſa videtur, propter quod anima contemplativa frequenter ad inferiora dilabitur. Unde ſequitur ibidem: Nonne velut terra a terra ſuſpenditur, quando homo ſuper hominem ducitur? cui per exprobrationem a Domino dicitur: Terra es, & in terram ibis. *Sequitur*. Terra recte dici poteſt, quamdiu luteas inhabitat domos, & terrenum habet fundamentum. Sed Gregorius 10. Moralium dicit: Anima, a contemplativa infirmitatis ſuæ pondere victa laſſatur & tanto celerius labitur quanto carnis clauſtra tranſgrediens, ſupra ſemetipſam ire conatur. Sed anima intuitive cognoſcens Deum, numquam ad inferiora relabitur, ſed ſine intermiſſione, & fatigatione Deum in eternum dulciter intuetur, quod in corpore corruptibili fieri non poteſt. De quo plenius notatur in quinto itinere. Unde dicit Dionyſius in 2. Angelicæ Hierarchiæ ſecundum commentatorem: Deus quia ſemper uniformiter, & æqualiter bonus, & pulcher eſt, & quia habet in ſe ſimpliciſſime omnem ſpeciem deſiderabilem, & ſecundum omnia eſt totus deſiderabilis, ideo plenarie, intime, & irrevocabiliter in ſe trahit omnium ſuorum comprehenſorum deſideria. Hæc ille. Omnes igitur iſtæ differentiæ ſunt ſecundum clariorem, & minus

Rich. l. 5 de arca myſtica cap. 14 circ. med.

Gen. 3

Greg. lib. 10 Mor. c. 11 verſus fin.

A clarum aſpectum ad Deum, & quodlibet prædictorum terminatur in ſequens ſe, tamquam in perfectius eo, ſic etiam contemplatio proficiendo terminatur in intuitivam cognitionem, tamquam in ſuam perfectionem. Unde Gloſſa Lucæ 10. dicit. Vita contemplativa hic incipit, & in cœleſti patria perficitur, quia amor eſt ignis, qui hic ardere incipit, ſed cum ipſum quem amat, videbit, amplius, amore igneſcit, & Gregorius in Moralibus exponens illud Lucæ: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea, dicit: Activæ vitæ opera, cum corpore tranſeunt; contemplativæ autem vitæ gaudia, melius B ex fine convaleſcunt. Et ſic patet differentia prædictorum.

Greg. lib. 6 mor. c. ult. ante med.

DISTINCTIO IV.

ARTICULUS I.

Qualiter contemplatio ſecundum diverſos gradus diverſimode a multis dividatur.

QUarto videndum eſt, qualiter contemplationis iter per diverſos gradus vel modos ſecundum varias conſiderationes ſanctorum, & diverſas traditiones doctorum diſtinguatur, ut per hoc verius, brevius, & C ſecurius iter contemplationis eligamus, & per hoc ad æternum intrinſecum Domini Jeſu verius perveniamus. Sed ad intellectum iſtorum, hoc prænotandum eſt, quod aliud ſunt gradus contemplationis, & aliud ſunt gradus perveniendi per diverſas diſpoſitiones ad contemplationem. Gradus contemplationis ſunt quidam progreſſus, & profectus intellectualis cognitionis, & ſaporoſæ dilectionis, ad contemplandum Deum ſub ratione veri, & boni. Unde Gregorius 22. Moralium dicit: Gradus dicuntur menſuræ creſcentium virtutum. Tales autem gradus profectuum ſunt innumerabiles. Gradus autem ad contemplationem diſponentes, ſunt illa quæ adjuvant, &

Cap. 14 ante med.

&

& diſponunt gradatim intellectum, & affectum ad contemplandum, & ſic omnis creatura eſt quaſi quædam ſcala, per quam gradatim aſcenditur, ad contemplandum Deum, cum creaturæ ſint creatæ propter electos. Loquendo tamen ſecundum conſuetum modum gradus contemplationis dicuntur illa incrementa contemplationis, & illæ diſpoſitiones quæ magis intellectum, & affectum coadjuvant ad contemplandum, & quæ diſtincta ſunt, & tradita a ſanctis doctoribus. Unde Gregorius 22. Moralium dicit: Gradus vocantur incrementa virtutum, diſtincte tradita a Sanctis. Neceſſitatem autem iſtorum graduum contemplationis, oſtendit Gregorius 22. Moralium dicens ſic: Nemo infima deſerens, repente fit ſummus: quia ad obediendum perfectionis meritum, oportet, ut mens quotidie in altum quaſi quibuſdam aſcenſionis gradibus perveniat. Unde, & recte Pſalmiſta dicit: Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion. Et idem: Deus in gradibus ejus cognoſcetur, ſcilicet contemplationis, cum ſuſcipiet eam contemplator. Similiter Linconienſis ſuper Angelicam Hierarchiam oſtendit neceſſitatem iſtorum graduum per exemplum, dicens ſic: Sicut oculi carnis infirmiores prius ſuſcipiunt lumen ſolis obſcurum, & magis coloribus ſuperfuſum, deinde magis conſortati, ſuſcipiunt illud a coloratis mediis coloribus, & poſtea viſu roborato, plus ſuſcipiunt illud ſuperfulgidum coloribus albis, deinde vero plus aucta ſanitate, ſuſcipiunt illud fulgentibus coloribus ſuperfuſum ut ſpeculis tandem oculis perfecte ſanatis ſuſcipiunt ſolarem radium non autem alicui ſuperfuſum, ſed in ſe purum ipſum ſolem in ipſo puro ſolari lumine irreverberate conſpicientes: ſic etiam oportet, mentis oculum infirmiorem prius aſſueſieri ad conſpiciendum lumen ſolis, intelligentia in groſſioribus, deinde in ſubtilioribus, donec tandem ex ipſa

Greg. ibid. circ. fin. ibid. ubi ſup. ante med.

Pſal. 83

Pſalm. 47 ſer. LXX.

A luminis datione multis multipliciter ſuperfuſa, extendamur, & reſtituamur in ſimplicem ipſius radium. Hæc ille.

Ex prædictis apparet, quod tam in radioſo lumine contemplationis ſpeculativæ, quam in ſaporoſo guſtu contemplationis practicæ, oportet paulatim, & gradatim, proficiendo clarius cognoſcere Deum: quia ſicut dicit Hugo ſuper angelicam Hierarchiam: Quanto magis creſcit Aſcenſio, tanto magis creſcit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur, & affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, & totus homo exterior, & interior & B Deum ordinetur, & hoc verius, & perfectius videtur fieri, per gradus illos, qui mentem ad ſimilitudinem cœleſtis Hierarch. purgant, illuminant & perficiunt. Ait enim Hugo commentator ſuper 3. Angel. Hierarchiæ: Et propter, quod mens quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, poſtea illuminetur, & deinde perficiatur, quia niſi præcederet purgatio, non ſequeretur illuminatio; & niſi eſſet illuminatio, non veniret conſummatio ſive perfectio, & tales quando magis aſcendunt, tanto magis appropinquant divinitati. Quanto autem magis appropinquant, tanto verius contemplantur. Tales autem gra- C dus Dionyſius in Angelica Hierarchia dicit eſſe tam in mente Angelica, quam in mente humana bene ordinata. Unde ſecundum commentatorem Linconienſem, & Hugonem, & Vercellenſem, dicit Dionyſius: Addam ego, & ex abundanti non inconvenienter, quod unaquæque mens Angelica, vel humana bene ordinata, habet in ſua ſingulari perſona primas, medias, & ultimas ordinationes, & virtutes, & ſurſum actiones, Hierarchiarum illuminationes manifeſte diſtinctas. Hæc Dionyſius. Hæc verba exponens commentator Vercellenſis dicit ſic: Qualiter in ſingulis mentibus hierarchicis diſponantur tres hierarchiæ, & in ſingulis earum tres ordines juxta Angelicam

Hugo in 1. Ang. hier. lib. 9 par. 2 circa fin.

Hugo in 3 Ang. hier. lib. 8 poſt med.

Vercell. ſuper Iſaia c. 7 & in prol. ſuper Cant.

diſpoſitionem , videlicet in infima Angeli, Archangeli, & Principatus, videndum eſt. Per hos enim mens bene ordinatur ad exteriora , vel reſpectu exteriorum . In media autem mentis hierarchia ſunt Poteſtates , Virtutes , & Dominationes: per hos ordinatur reſpectu interiorum . In ſumma mentis hierarchia , ſunt Throni , Cherubim, & Seraphim, per hos ordinatur reſpectu ſuperiorum . Et has novem ordinationes vocat Vercellenſis novem gradus contemplationis, quibus reducimur in divinam monadem. Et proſequitur ibi de ſingulis gradibus , præmittens , quod infima mentis hierarchia conſiſtit in ejus natura , media in induſtria , tertia in gratia , quæ incomparabiliter excedit utramque. In prima operatur natura , in ſumma ſola gratia , in media induſtria, & gratia . *Et ſequitur* . Infimus ordo infimæ hierarchiæ qui dicitur Angelicus, continet primas, & ſimplices apprehenſiones naturales, tam intellectus , quam affectus , ſine aliqua dictatione commodi vel incommodi, quæ tamquam Angeli, ſcilicet nuncii aliquid ſimpliciter annuntiant

In contemplatione tres poſſunt diſtingui hierarchiæ & in qualibet tres gradus inſtar cœleſtis hier.

Ecce Vercellenſis ſubtiliter incipit ab infimo gradu intellectualis operationis, & affectionis, quæ ſunt primæ & ſimplices apprehenſiones , & aſcendit paulatim , & gradatim per cacumina collium æternorum, uſque ad ſummos apices intellectus & affectus, ut patebit infra.

Medius ordo infimæ hierarchiæ continet naturales dictationes apprehenſorum, utrum videantur commoda vel incommoda : ex his fit annuntiatio principalior, quam ſit prima.

Tertius ordo vel gradus infimæ hierarchiæ continet appetitus , vel fugas apprehenſorum ſecundum dictationes commodi vel incommodi. Fuga autem eſt mali , & appetitus boni, & ita iſte ordo præbet ducatum inferioribus in divina, quod ſignatur nomine Principatuum. Hæc Vercellenſis. Ecce per hos tres ordines, & gradus infimæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus reſpectu exteriorum , dum primi, & infimi gradus intellectus & affectus fuerint bene ordinati: quod fit, dum ſibi objecta ſimpliciter apprehendunt , diſcretive diſcernunt , ſincere bona appetunt , & mala fugiunt. Unde Bernardus ſuper Cantica dicit: Beata mens , quam totam ſibi vendicant ſapor boni, & odium mali: hoc eſt reformari ad ſapientiam.

Quartus ordo vel gradus , qui eſt infimus in media hierarchia mentis, continet voluntarios motus intellectus & affectus , a libero arbitrio jam accepta diſtantia boni, & mali cum deliberatione rationis , examinantis & ordinantis mentem, quantum eſt in ipſis, per diffinitivam ſententiam , ad petendum, & quærendum totis viribus intellectus , & affectus ſummum bonum, & ad repellendum omnia obſtacula. Nomen autem Poteſtatis ſignat ordinem ſecundum Dionyſium.

Quintus ordo, qui eſt medius mediæ hierarchiæ mentis, continet robora virtutum valida naturalium & gratuitarum, ad exequendum fortiter, quod a Poteſtatibus recte decretum eſt, quod notatur nomine Virtutum.

Sextus ordo, qui ſummus eſt in media hierarchia mentis , continet authentica imperia liberi arbitrii, quibus apices intellectus, & affectus tota virtute ſuſpenduntur, ad ſuſcipiendum divinos ſuperadventus, quantum poſſibile eſt libero arbitrio adjuto a gratia. Et hujuſmodi ſuſpendii , & imperii ac libertatis ſublimitas , vocatur nomine Dominationum. In iſto autem ordine mens adhuc ſobria extenditur ad radium ſuperiorem uſque ſummos naturæ terminos. *Et infra*: Mens itaque contemplativa decurſis ſeriatim quinque gradibus contemplationis prædictis, in culmine ſexti aciem figens in ordine Dominationum mentis nititur in theoricos exceſſus cupiens in ordinem Thronorum mentis aſſumi. Hæc Vercellenſis.

Ecce

Digitized by Google

Ecce per hos tres gradus mediæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo bene ordinatus reſpectu interiorum, id eſt ad ſeipſum, ita ut totum regnum animæ pacificetur, dum primo per gradum infimum poteſtate ordinata, viriliter repelluntur omnia offendicula mentis bene ordinatæ, & Deo conformiter operante, ut ſine ulla ordinis confuſione, & perturbatione tendat ad finem ultimum, ad quem creata eſt, & dum ſecundo per gradum medium mens in virtute valida & inconcuſſa exequitur omnes operationes intellectus, & voluntatis ſive affectus, Deo conformiter operante ad Deum ſeu finem intentum conſequendum, quantum poteſt, juxta gratiam & virtutes a Deo acceptas: & dum tertio per gradum ſummum mediæ hierarchiæ plena libertate & in nullo impedita, & Deo conformiter operante, ut poſſibile eſt, intellectus & affectus cum omni familia ſua liberi, in æterna extenduntur: ergo ordinatio interioris hominis eſt neceſſaria, quia ſicut dicit Hugo: Sicut ſine gratia operari vanum eſt, ita præter ordinem operari, ac contra ordinem perverſum eſt. Et quia ſicut dicit Linconienſis ibidem: Ordo dicitur poteſtas a Deo tradita, ad diſponendum ſacra omnia poteſtati ſuæ ſubiecta, ideo homo interius ordinatus per iſtos tres gradus, fit etiam ordinatus reſpectu interiorum.

Hug. ſuper 3 Ang. hie. lib. 4 ante med.

Septimus ordo, qui eſt infimus in ſuprema vel ſumma hierarchia mentis, per mentis exceſſus ſuſceptivus eſt divini ſuperadventus. Unde Thronorum nomine cenſetur, & quot ſunt ſinus mentis, ſive capacitates illius ſuperſubſtantialis ſolaris radii, ſuperſimplicis in eſſentia, & multiplicis in efficacia, tot ſunt throni mentis. Throni autem inconcuſſi collocantur ſtabiliter, & ſunt ſuſceptivi divini ſuperadventus, & ſunt deiformes, & familiariter aperti ad Deum in ſe ſuſcipiendum. Hæc Vercellenſis. Hugo vero idem dicit: Subſellia Dei, id eſt, ſedilia ſublevantur per digni-

Hugo in 7 Ang. hier. lib. 4 ante med.

A tatem, collocantur per ſtabilitatem, Deum advenientem in ſe ſuſcipiunt, & ferunt, quia fiunt ad ſuſceptiones aperti. Hæc ille.

Octavus ordo ſive gradus, qui eſt medius in ſumma hierarchia mentis, ſicut dicit Vercellenſis, continet omnimodam cognitionem intellectus, & affectus, intellectus attracti divina dignatione, quo non valet aſcendere per ſe, & attracti affectus, affectionem tamen & ſummitatem intellectus attracti non extendentis, ſimul enim attrahuntur, & quaſi coambulant ipſe affectus & intellectus, uſque ad noviſſimum defectum intellectus, qui eſt in ſummitate huius ordinis B Cherubim, quem intellectuales etiam attractus non excedunt, ſed ibi habet ſuæ cognitionis, & ſui luminis conſummationem. Unde ordo ſive Gradus ille Cherubim vocatur. Hæc ille, & iterum dicit ſic, quod manifeſtatio interpretationis huius nominis Cherubim, ſignat, quod ſubſtantiæ huius ordinis ſive gradus habent virtutem excellenter cognitivam, & divinorum myſteriorum inſpectivam, & ſupremæ intuitionis luminum divinorum poſt Seraphim ſuſceptivam principaliter, contemplativam divinæ pulchritudinis quam etiam communicant inferioribus.

Vercell. ſup Ang. hierar. c. 7

Nonus ordo ſive gradus, qui eſt C ſummus in ſumma hierarchia mentis continet principaliter in Deum pura ſuſpiria, ſuperintellectuales extenſiones & immiſſiones, fervidos fulgores, & fulgidos fervores, ad quorum omnium ſublimes exceſſus, & excedentes ſublimitates, intelligentia trahi non poteſt, ſed ſolus affectus principalis Deo unibilis. *Sequitur*. In hoc ordine offeruntur Deo orationes caſtiſſimæ, quibus Deo aſſimilamur. Iſte ordo ſponſum amplexatur & ſponſi amplexibus admittitur, ſpeculum neſcit, Mariæ partem percepit, quæ non auferetur ab ea. De iſto ordine ſive gradu contemplativo in inferiores ordines, & gradus ſeriatim, id eſt, ordinate fluit divini luminis inundatio. Hæc ille. Ecce per hos tres gradus

Luc. 10

Digitized by Google

gradus ſupernæ hierarchiæ mentis humanæ, fit homo creatus & bene ordinatus reſpectu ſupernorum, ſcilicet reſpectu Dei: dum primo per gradum infimum omnes Throni ſive mentis capacitates Deo aperiuntur, & ab ipſo inhabitantur: & dum ſecundo per medium gradum omnes intellectuales actiones ad Deum contemplandum intime, quantum poſſibile eſt, & veraciter diriguntur: & dum tertio per ſupremum gradum, omnis voluntatis affectiones ad Deum diligendum totaliter, & finaliter reducuntur, ut Deum in omnibus, & omnia in Deo ordinate diligant. In hoc gradu fuit anima contemplativa conſtituta, quando dixit ipſa: Ordinavit in me charitatem. (*Cant. 2*) Quod exponens Vercellenſis dicit: Per ordinem Seraphicum omnes inferiores ordines ſive gradus participant lumina divina, & hierarchiæ diſponuntur, id eſt inferiora, & exteriora, per media inferiora reducuntur ad ſuperiora, ſcilicet in Deum ordinata charitate. Unde bene dicit: Ordinavit in me charitatem.

ARTICULUS II.

De gradibus contemplationis ſecundum Richardum.

(*Rich. de contempl. lib. 1. cap. 6*) Richardus autem ponit ſex gradus, vel ſpecies contemplationis, quaſi quaſdam diſpoſitiones & itinera ad æternitatem. Et ſicut commentator Dionyſii infimum gradum contemplationis ab infimo gradu intellectualis & affectualis operationis, quæ ſunt ſimplices apprehenſiones, incipit & inſtituit, & aſcendere gradatim docet, per cacumina collium æternorum, uſque ad ſummos apices intellectus, & affectus, ut ſupra patuit: (*Sex ſunt gradus contempl.*) ita Richardus ponendo ſex gradus contemplationis, inſtituit primum gradum & infimum in imaginatione, quæ non eſt aliquis gradus intellectualis operationis, ſed longe inferior eſt intellectu & affectu, &

A ab illa aſcendit gradatim uſque ad cognitionem increatæ veritatis, omnem humanum intellectum excedentis, & etiam uſque ad exceſſum humanæ mentis. Unde idem Richardus dicit: Nos debemus a noviſſimis incipere, (*Rich. ubi ſup. l. 4. c. 3*) & ſcientiæ noſtræ promotionem paulatim ſublevare, & per exteriorum notitiam ad inviſibilium cognitionem aſcendere. Cum enim exteriorum ſcientiam apprehenderis, & in eorum doctrina exercitatos ſenſus habueris, debes ad altiora aſcendere, & ſpiritualium creaturarum ſcientiam comparare. Hæc ille.

Primum ergo gradum ſive infimum Richardus dicit eſſe imaginationem, & B ſecundum ſolam imaginationem. Unde dicit: (*Rich. ubi ſup. cap. 6*) Tunc contemplatio noſtra in gradu imaginationis verſatur, & ſecundum ſolam imaginationem formatur, quando nihil arguendo quærimus, & ratiocinando inveſtigamus, ſed libere mens noſtra huc illucque diſcurrit, quo eam in hoc genere ſpeculationis admiratio rapit, quæ oritur ex his, quæ ſenſu corporeo hauriuntur, dum imaginamur, quam ſunt multa & varia, & pulchra, & iucunda: talium enim forma, & imaginatio in conſiderationem adducta, inferunt ſtuporem & admirationem. Sed neceſſarium eſt, hoc ſcire quod duplex eſt imaginatio, ut ſupra dictum eſt. C Dicit namque Richardus, (*Rich. in lib. Benia. cap. 16*) quod imaginatio alia eſt beſtialis: ut illa quando circa ea, quæ ante vidimus, vel fecimus, ſine utilitate, & abſque omni deliberatione, huc illucque vaga mente diſcurrimus. (*Imaginatio alia beſtialis, alia rationalis.*) Utique hæc beſtialis eſt, & ideo ad contemplationem non pertinet. Alia eſt imaginatio rationalis, ut quando aliqua imaginamur rationabiliter ex his, quæ videmus & illis ſæpe utimur in contemplatione. Hæc ille. Et licet imaginatio non ſit aliquis gradus intellectus, eſt tamen ordinata diſpoſitio ad intellectum, quia ſicut dicit Richardus imaginatio rationi famulatur; & ideo aliqualiter gradus contemplationis dicitur.

Se-

Digitized by Google

Rich. lib. 1 de contem. cap. 6

Secundus gradus contemplationis ſecundum Richardum eſt, qui in imaginatione conſiſtit, tamen ſecundum rationem formatur, atque procedit, ratiocinando circa ea, quæ imaginationi præſentantur, quod fit, quando ea, quæ in imaginatione verſamus, & ad primum gradum contemplationis pertinent, ratione quærimus, & invenimus, & inventa in conſiderationem cum admiratione adducimus. In primo itaque gradu res iſtas imaginamur. In ſecundo autem gradu rerum utilitatem, rationem, & ordinem, & creatas conditiones rimamur, ſpeculamur, & miramur. Hæc itaque contemplatio in imaginatione conſiſtit ſecundum talem rationem, quia circa ea ratiocinando procedit. Hæc ille. Hic gradus eſt ſuperior præcedenti gradu, eo quod ratio in eo operatur, licet cum imaginatione quæ rationi ſubiicitur. Dicitur enim in libro de ſpiritu & anima: Et imaginatio ad rationem non aſcendit, ſed infra remanens eam aliqualiter deducere poteſt, & quaſi a longe quædam oſtendit, ad quæ non poteſt perveni re, & ideo bene ponitur gradus contemplationis, quia per ipſum ſpiritus humanus magis appropinquat, & aſcendit ad cognitionem veræ contemplationis, quam præcedens gradus. Multa enim ratio concludit ex imaginatione, occaſione aſſumpta, quæ continue aſſiſtit rationi famulando, etiam ſenſu abſente, ſive quieſcente.

Auct. de ſp. & ani. ca. 11 apud Aug. tom. 3

Rich. l. 1 de contem. cap. 6

Tertius gradus contemplationis, ut dicit Richardus, eſt, qui in ratione ſecundum imaginationem formatur. Iſto autem gradu contemplationis tunc veraciter utimur, ut inquit Richardus, quando rerum viſibilium ſimilitudine multifaria in rerum inviſibilium ſpeculationem ſublevamur. *Sequitur*. Hæc vero ſpeculatio in ratione conſiſtit, quia in his ſolum, quæ imaginationem excedunt, per intuitionem, & inveſtigationem inſiſtit, ut quæ ſunt inviſibilia. Dicitur autem ſecundum imaginationem formari, quia ex rerum viſibilium imaginatione

A

in hac ſpeculatione ſimilitudo trahitur, unde in rerum inviſibilium inveſtigatione animus adiuvetur. Et hic gradus perfectior eſt præcedentibus, ex eo, quod iſte ſe extendit ad contemplationem inviſibilium, & ſpiritualium, licet ex imaginatione viſibilium ſimilitudinem trahant in ſui adjutorium. Unde Richardus dicit: Cum ſcriptum ſit, quia inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: manifeſte ex hoc colligi poteſt, quod ad inviſibilium cognitionem, numquam ratio conſurgit, niſi ei ancilla ſua, videlicet imaginatio, rationi viſibilium formam repræſentaret.

Rich. lib. 1 Beniamin. Min. c. 5 Rom. 1

B

Per rerum enim viſibilium ſpeciem, ſurgit ratio ad inviſibilium cognitionem quotieſis his adjuta, illa trahit ad quamdam ſimilitudinem. Sed conſtat, quia ſine imaginatione, corporea neſciret, ſine quorum cognitione ad cœleſtium cognitionem, vel contemplationem non aſcenderet.

Quartus gradus ſecundum Richardum eſt, qui in ratione, & ſecundum rationem formatur, quod utique fit cum ſemoto omni officio imaginationis, ſolum illis animus intendit, quæ imaginatio non novit, ſed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem deprehendit. Tali enim ſpeculationi tunc inſiſtimus, quando inviſibilia noſtra, quæ per experientiam novimus, & ex intelligentia capimus in conſiderationem ducimus, & ex eorum conſideratione in cœleſtium animorum, & ſupermundanorum intellectuum contemplationem aſſurgimus. *Sequitur*. Hæc autem contemplatio in ratione conſiſtit, quia ſenſibilibus ſemotis, ſolum intelligibilibus intendit. Et hæc quidem contemplatio ab illis utique inviſibilibus noſtris videtur initium ſumere, & fundamentum capere, quæ humanum animum conſtat per experientiam intellectualem noſſe, & per communem intelligentiam comprehendere. Sed tamen pro hac parte hæc contemplatio etiam in ratione

Rich. de contempl. lib. 1 c. 6

C

ne recte dicitur conſiſtere, quia ipſa invisibilia noſtra a ratione comprehenduntur, & in eo ipſo ratiocinationis modum minime ſupergreditur. Hæc ille. Hic gradus contemplationis perfectior eſt præcedentibus, eo quod tam a corporalibus, quam a temporalibus magis elongatur, & ſpiritus magis in eo purificatur, & æternis unitur. Unde Richardus ibidem dicit, quod in hac contemplatione animus humanus primum pura intelligentia utitur, quæ ſemoto omnis imaginationis officio, ipſa intelligentia noſtra in hoc primum negotio ſeipſam ingerere videtur. Hæc enim per ſeipſam operatur, & quaſi per ſpeciem contemplatur. Hæc ille.

Quintus gradus contemplationis eſſe dicitur, qui eſt ſupra rationem, ſed non præter rationem. In hanc autem contemplationis ſpeculationem, mentis ſublevatione aſcendimus, quando ex divina revelatione cognoſcimus, quæ nulla ratione humana plene comprehendere valemus, & nulla ratiocinatione noſtra intelligere, & inveſtigare ſufficimus. Talia ſunt illa, quæ de divinitatis natura in illa ſimplici eſſentia credimus, & ſcripturarum divinarum auctoritate probamus. *Sequitur*. Ergo contemplatio noſtra tunc veraciter ſupra rationem aſcendit, quando id animus per mentis ſublevationem credit, quod humanæ capacitatis metas tranſcendit, & ſupra rationem, nec tamen præter rationem cenſenda eſt, quando ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire non poteſt: quin potius facile acquieſcit, & ſua atteſtatione alludit. Hæc ille. Et hic gradus eſt perfectior, & ſublimior præcedentibus gradibus eo quod iſta contemplatio eſt ſupra rationem. Circa quod nota, quod ſicut dicit idem Richardus: Quædam ſunt infra rationem, ut quæ ſenſu corporeo percipimus: quædam ſecundum ſolam rationem ſunt, ut quæ ratione inveſtigamus: quædam ſupra rationem ſunt, ut quæ vel per revelationem,

Rich. ubi ſup. prox.

Rich. de contempl. lib. 4 cap. 2

A vel quæ nullus ſenſus corporeus poteſt attingere, & nulla ratio humana penetrare, ſed tamen veraciter ea eſſe credimus, licet nec experimento, nec intellectu comprehendere poſſimus.

Sextus gradus contemplationis eſt, quæ in his verſatur, quæ ſunt ſupra rationem, & videntur eſſe præter rationem, ſeu etiam contra rationem. In hac utique ſuprema omnique digniſſima contemplationis ſpecula, tunc animus veraciter exultat, atque tripudiat, quando illa ex divini luminis irradiatione cognoſcit, atque conſiderat, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia ſunt pene omnia, quæ de perſonarum Trinitate

B credere jubemur, de quibus cum humana ratio conſulitur, nihil aliud quam contrarie videtur. Iſte gradus contemplationis perfectior eſt omnibus præcedentibus, eo quod in eo pura intelligentia operatur, quæ ad contemplationem divinæ majeſtatis admittitur. Unde idem Richardus dicit: Quantum quæſo eſt, quod intelligentia humana quotidie ad illos ſupercœleſtium animorum theoricos exceſſus nititur, & quandoque etiam pro divinæ dignationis beneplacito, ad illa ſummæ majeſtatis magnalia contemplando ſublevatur? Hæc autem ſublevatio quæ

C quandoque extenditur uſque ad mentis elevationem, fit ex tribus, quandoque ex magnitudine devotionis, quandoque ex magnitudine admirationis, quandoque ex magnitudine exultationis, ut ſemetipſam omnino non capiat, ſed ſupra ſemetipſam elevata in alienatione tranſeat. Magnitudine devotionis mens ſupra ſemetipſam elevatur, quando tanto cœleſtis deſiderii igne ſuccenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum excreſcat, quæ animam humanam ad ceræ ſimilitudinem liquefactam, a priſtino ſtatu penitus reſolvat, & ad inſtar fumi attenuatam in ſuperna elevet, & ad ſumma emittat. Magnitudine admirationis anima humana

Rich. lib. 5 de contem. cap. 5

mana

Digitized by Google

mana ſupra ſemetipſam ducitur, quando divino lumine irradiata, & ſummæ pulchritudinis admiratione ſuſpenſa, tam vehementi ſtupore concutitur, ut a ſuo ſtatu funditus concutiatur, & in modum fulgoris coruſcantis quanto profundius ex deſpectu ſui ad ima deiicitur, tanto ſublimius, & celerius per ſummorum deſiderium reverberata, & ſupra ſemetipſam rapta in ſublimia elevatur. Magnitudine vero exultationis, & jucunditatis mens humana ſupra ſemetipſam rapitur, & a ſe alienatur, quando intima illa æternæ ſuavitatis abundantia potata, immo plene inebriata, quid ſit, quid fuerit, penitus obliviſcitur, & in alienationis exceſſum tripudii ſui nimietate traducitur, & in ſupermundanum affectum quemdam ſub quodam miræ felicitatis ſtatu raptim transformatur. Hi ſunt igitur gradus contemplationis ſecundum Richardum.

ARTICULUS III.

De gradibus contemplationis ſecundum Auctorem de ſpiritu, & anima.

SEd auctor libri de ſpiritu & anima conſiderans, quod etiam Dionyſius dicit in epiſtola ad Titum, quod homo ex duabus naturis conſtat, anima ſcilicet & corpore: anima rationali quæ ſimplex eſt in eſſentia, & ex corpore compoſito, ut iuxta utriuſque naturæ proprietatem illuminetur divinis cognitionibus: & ut mens eius puras & ſimplices & intimas ſenſibilium ſignorum intelligentias, ſegregata ab ipſis ſignis conſpiciat, & ut ſenſualitas ejuſdem per naturæ proprietatem cooperetur mentali cognitioni, ut ſic ad divina extendatur, & ideo in contemplatione oportet uti ſenſibilibus formis, in quibus divina inviſibilia immundis, id eſt, carnalibus abſcondantur, & ſpiritualibus manifeſtentur. Ideo auctor prædictus primum gradum aſcendendi in Deum, dicit eſſe in ſenſuum operatione per quam concipiun-

Auct. de ſp. & ani. ca. 11 apud Aug. tom. 3

A tur res corporales. Secundum in imaginatione, per quam concipiuntur corporalium ſimilitudines. Tertium in ratione, per quam percipiuntur rerum naturæ ſive rationes. Quartum in intellectu, per quem percipiuntur ſpiritus creati. Quintum in intelligentia, per quam percipitur ſpiritus increatus. Sextum in ſapientia, per quam aperitur ſpiritualis guſtus. Et auctor prædictus addit ibidem: Quidquid ſenſus percipit, imaginatio repræſentat, ratio inveſtigat, intellectus iudicat, memoria ſervat, intelligentia comprehendit, & ad contemplationem adducit, ſed ſapientia guſtare facit. *Sequitur*. Sic fit aſcen-

B ſus ab inferioribus ad ſuperiora, & a ſummis dependent ima. Et cum ab inferioribus ad ſuperiora, id eſt temporalibus ad æterna aſcendere volumus, prius occurrit nobis ſenſus, tamquam primum iter, deinde imaginatio, poſtea ratio, intellectus, intelligentia, & in ſummo eſt ſapientia. Et ſtatim ſubdit diffinitiones prædictorum, dicens: Senſus eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas percipit formas præſentes, quæ variæ & multipliciter oſtendunt ſuum Creatorem. Unde Bernardus ſuper Cantica dicit: Quid eſt, quod hic eſt tanta formarum varietas, atque numeroſitas ſpecierum in rebus

Senſus quid.

Bernar. in Cant. ſer. 31 ante med.

C conditis, niſi quidam radii divinitatis, monſtrantes quidem quia vere eſt, a quo ſunt, non tamen quid ſit prorſus diffinientes? Itaque de ipſo vero verum vides, ſed non ipſum verum. Unde hoc genus videndi commune eſt, in promptu enim eſt, iuxta Apoſtolum, omni utenti ratione, inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicere. Hæc ille. Et hæc eſt a temporalibus ad æterna ingreſſio, ait Auguſtinus de vera religione.

Rom. 1

Aug. de vera relig. cap. 29 tom. 1

Secundum gradum dicit eſſe imaginationem. Eſt autem imaginatio ſecundum eum, ea vis animæ quæ rerum corporearum incorporeas recipit formas abſentium, præſentium, præteritorum, & futurorum, quando-

Imaginatio quid.

doque ut ſic ipſa inter ſenſum & rationem, quaſi ancilla inter dominum, & ſervum diſcurrat, & quidquid exterius haurit per ſenſum carnis, intellectui repræſentet ad obſequium rationis. Ex hoc apparet, quod imaginatio ſimplicior eſt, & nobilior potentiis ſenſitivis, cum ipſa ſola ſimilitudines objectorum omnium ſenſuum in ſe recolligat, & quoad aliquid quaſi ab hoc loco, & hoc tempore abſtrahat, ut patet per Richardum, quare imaginatio animam magis facit appropinquare æternis, quam ſenſus exteriores. Unde Richardus dicit, quod ratio ad inviſibilium cognitionem numquam aſſurgeret, niſi ei ancilla ſua imaginatio viſibilium formas repræſentaret, ſine quarum cognitione, ad cœleſtium contemplationem numquam aſcenderet. Merito ergo gradus contemplationis poteſt dici, diſpoſitive ſaltem.

Rich. lib. de patriarch. c. 5 qui liber Beniamin minor vulgo inſcribitur.

Ratio quid.

Tertius gradus aſcendendi ad Deum, ſive contemplandi, dicitur eſſe in ratione. Ratio autem ſecundum eum eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, & propria accidentia percipit, omnia incorporea, ſed non extra corpora. Abſtrahit enim a corporalibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, ſed conſideratione. Natura nempe ipſius corporis, ſecundum quam omne corpus eſt, nullum corpus eſt. Hæc ratio ſenſum mentis acuit, veraque a falſis diſtinguit, & imaginem Dei in ſe conſervat. Hæc ille. Ex quo apparet, quod ratio ſenſum, & imaginationem incomparabiliter excellit dignitate, & excedit opere. Unde anima per rationem non ſolum Deum eſſe cognoſcit, ſed etiam ejus capax fit, ut patet per Auguſtinum 14. & 15. de Trinitate. Nam per rationem anima de Deo meditatur, meditando contemplatur, Deus contemplatus amatur, & vere amatus habetur, immo ſicut dicit Auguſtinus in originali: Hæc eſt vis naturæ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus

A

poſſit abſcondi, unde eſt vere gradus contemplationis ratio.

Intellectus quid.

Quartus gradus ſecundum eum, eſt in intellectu. Intellectus autem ſecundum eum eſt ea vis animæ, quæ inviſibilia percipit, ſicut angelos, animam & omnem creatum ſpiritum, & ſic intellectus acceptus ad contemplationem cooperatur, quia importat quamdam intimam contemplationem. Dicitur enim intellectus, quaſi intus legens, penetrat enim uſque ad eſſentiam rei, quia objectum intellectus eſt, quidquid eſt, quod etiam aſſerit Philoſophus. Accipitur etiam intellectus quandoque, ut eſt virtus intellectualis, ſive ut eſt habitus principiorum naturalium, quæ ſub lumine ſunt naturali, & ſic intellectus oſtendit veritatem infallibiliter: Dicitur namque in libro de ſpiritu, & anima, quod intellectuali viſione numquam fallitur anima, aut enim tantum intelligit, & verum eſt, aut ſi verum non eſt, non intelligit, & ideo intellectus ſic acceptus dicit aſpectum manifeſtum, & infallibilem circa principia, & ſic acceptus intellectus etiam cooperatur ad contemplationem. Accipitur enim aliquando intellectus, ut eſt donum Spiritus ſancti, & ſic intellectus eſt habitus ſupernaturalis principiorum ſupernaturalium, quæ ſunt articuli fidei, & ſic nominant quamdam excellentiam cognitionis, penetrandi ad intima cognoſcibilium. Unde Gregorius libro 1. Moralium dicit: Intellectus in die ſuo convivium parat in mente; quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illuſtrat. Nam lumen intellectus ſic acceptum, ita ſe habet ad principia, quæ nobis naturaliter innoteſcunt; ſicut ſe habet lumen naturale, ad ea principia, quæ primordialiter cognoſcimus. Sed ſicut lumen naturale infallibiliter veritates principiorum naturales oſtendit: ita & donum intellectus ſupernaturales veritates infallibiliter oſtendit. Unde intellectus ſic acceptus, eſt verus, & neceſſarius contemplationis gradus.

Ariſt. 3 de ani. tex. 37

B

Auct. lib. de ſpir & ani. c. 23 apud Aug. tom. 3

C

Greg. lib. 1 Mor. c. 10

Quin-

[De ſpir. & ani. cap. 1] Quintus gradus aſcendendi ad æter- A na, ſive contemplandi ſecundum eum [Intelligentia quid.] eſt intelligentia: Eſt autem intelligentia, [Ibid. c. 27] ut ibidem dicitur, ea vis animæ, quæ immediate ſupponitur Deo, cernit quippe ipſum ſupremum verum & incommutabile. Et infra dicit ſic: intelligentia eſt vis animæ, qua de divinis, quantum homini poſſibile eſt, cognoſcitur ad cœleſtia arcana penetranda, quæ ut dicit Boetius, paucorum eſt hominum. Ex quo patet quod intelligentia excellit intellectum in ſua actione, & ab ea differt, & quod eſt perfectior gradus [Rich. de contempl. lib. 1 cap. 3] contemplationis. Quod etiam Richardus videtur ſentire, dicens: Per intelligentiam ſiquidem ſinus mentis in B immenſum extenditur & contemplantis animi acies acuitur, ut capax ſit ad intelligibilia comprehendenda, & perſpicax ad ſubtilia penetranda. Et numquam contemplatio poteſt eſſe ſine vivacitate intelligentiæ. *Sequitur.* Etiam quotiens contemplantis animus dilatatur ad ima, quotiens elevatur ad ſumma, quotiens acuitur ad inſcrutabilia, quotiens agilitate mira, & pene abſque timore rapitur per innumera, ex quadam vi intelligentiæ hoc eſſe, non dubitatur. Hæc ille.

Sextus gradus contemplationis ſive aſcendendi ad æterna, ſecundum prædictum, eſt in ſapientia, quæ ſequitur intelligentiam, quia ſicut dicit C idem: Ut viſio mentis eſt intelligentia, ſic mentis guſtus eſt ſapientia. Illa contemplatur, iſta guſtat, & delectatur. Sed hic primo notandum eſt, quod ſapientia quædam eſt, quæ acquiſita eſt per ſtudium humanum, quæ eſt virtus intellectualis. De qua loquitur Philoſophus in Metaphyſica ſua. Et hæc per rationis inveſtigationem inquirit rectum iudicium de divinis, & actus intellectuales, & omnes operationes animæ perficit, ſecundum eum, quantum poteſt. Quia ſicut di- [Sen. in ep. 59 cir. medium.] cit Seneca: Sapiens ad omnem incurſum munitus, & intentus; non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Interritus, & contra illa ibit, & inter illa. *Et infra*: Sapiens plenus eſt gaudio & inconcuſſus, cum diis ex pari vivit. Hæc [Iac. 3] ille. Ideo poteſt dici aliquis gradus contemplationis. Alia eſt ſapientia quæ deſurſum eſt infuſa. Et hoc eſt donum Spiritus ſancti. Et ad iſtam non ſolum pertinet ſecundum iudicium rectum contemplari divina, ſed guſtare, & regulare humanos actus, excellentiori modo quam ſapientia, quæ eſt virtus intellectualis, utpote magis de propinquo Deum attingens, & experiens per quamdam unionem ſpiritus, & animæ ad ipſum, ut directa per regulas legis æternæ. De iſta ſapientia loquens Bernardus [Bern. lib. de natura & dignitate divini amoris c. 10 in princ. fere.] libro de amore Dei, dicit ſic: Sapientia a ſapore dicitur, ſapor autem iſte, in guſtu quodam eſt. Guſtum autem illum nemo exprimere poteſt, nec etiam ille, qui meretur guſtare, ſed dicere poteſt: Guſtate & videte, [Pſalm. 33] quoniam ſuavis eſt Dominus: Hoc [1 Pet. 2] guſtu, ſecundum Apoſtolum, guſtatur Dei verbum, guſtantur etiam divitiæ ſæculi venturi. *Et ſequitur*. Hic guſtus ſi defuerit ſolus, omnes alii ſenſus, ſcilicet ſpirituales quatuor langueſcunt. Guſtum autem ſequitur quædam ſaporis dulcedo, quam in interiori ſuo ſentiens anima, quodam modo ſingulari quæ ſuſcipit cuncta diſcernit, & diiudicat, ſeque, & omnes ſenſus vegetat, & confirmat, ſcilicet interiores. Hi ſunt gradus contemplationis ſecundum illum.

ARTICULUS IV.

De gradibus contemplationis ſecundum Origenem.

AD hos gradus ſive ſpecies contemplationis ſupra dictorum Doctorum, quaſi omnium aliorum doctorum gradus, & ſpecies contemplationis mediate vel immediate poſſunt reduci, ut patet de ſex gradibus contemplationis Origenis, quos [Orig. ſuper Cant. c. 1] declarat, dicens: Contemplatorem verum, & iubilatorem certum te iudico

dico ſi primo perficiat te actio. Hic Origenes ſubtiliter conſiderat, quod ubi vita activa terminatur, & perficitur, ibi vita contemplativa ordinate inchoatur, & gradatim ſurſum tendit, & proficit, donec in viſionem intuitivam conſummatur. Unde proprie loquendo de contemplatione, perfectio actionis non eſt gradus contemplationis, ſed poteſt dici ſtatus quidam reſultans a ſumma perfectione vitæ activæ, quæ neceſſario præcedit, tamquam diſponens potentias contemplativas ad actus ſuos non
Greg. lib.6 Mor. c. 17 poſt med. impeditos, ſed perfectos. Gregor. 6, Moralium dicit ſic: Qui arcem contemplationis aſcendere deſiderant prius neceſſe eſt, ut in opere actionis perfecte ſe exerceant. Et pro tanto dicitur gradus contemplationis.

Secundo ſecundum Origenem verus contemplator es, ſi in te eſt ſenſuum exteriorum retentio, ſive retractio ad interiora, & collectio eorum in unum. Hoc enim, juxta Vercellenſem, eſt greges, id eſt, ſenſus beſtiales, minare ad interiora deſerti
Rom. 1 per itinera æternitatis. Hoc fit, quando inviſibilia Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, & ſempiterna virtus ejus, & divinitas. Hæc eſt, ſi-
Aug. de vera rel. c. 29 cut dicit Auguſtinus libro de vera religione, a temporalibus ad æterna regreſſio, & ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio, ut ſupra patuit.

Tertio, verus contemplator es, quando eſt in te omnium imaginabilium tranſitus, quando mente omnia imaginabilia tranſcendis. Talis con-
Bern. ſuper Cant. ſer. 52 poſt med. templator, ſicut dicit Bernardus, fuit qui dixit: Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Non enim fuit contentus exire, niſi longe ſe faceret, ut poſſet quieſcere. *Sequitur*. Tranſiliſti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiſcentiis ejus, nec tenearis illecebris, perfeciſti, & ſuperaſti te, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia undique phantaſmata, corporearum ſimilitudinum, tranſvolare mentis puritate prævaleas. Hæc ille. De quo vide ſupra diſt. 6.

Quarto verus contemplator es, ſi tranſcendiſti omnia rationalia propter phantaſmata, & alia impedimenta retardantia animam ad ſuperiora properantem. De hoc dicit Richardus:
Rich. de contempl. lib. 1 c. 6 circ. fin. Contemplatio noſtra tunc veraciter ſupra rationem aſcendit, quando id animus per mentis ſublevationem cernit, quod humanæ capacitatis metas tranſcendit, ut ſunt illa, quæ de divinitatis natura, & de ſimplici ejus eſſentia credimus. Et licet illa contemplatio ſupra rationem ſit, non tamen præter rationem cenſenda eſt, quando ei, quod per intelligentiæ
B aciem cernitur, humana ratio contraire non poteſt, quin potius ei facile acquieſcit, & ſua atteſtatione alludit. Hæc ille.

Quinto verus contemplator es, ſi ſurſum tractus es ſuper omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus contemplationis eſt de quo loquitur Dionyſius, dicens: Adhuc reſtat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyſes ſeparatur ab his, qui locum Dei ſecum viderant, & ſubtrahitur illis viſis, & intrat in caliginem ignorantiæ, & unitur incomprehenſibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ vere eſt omnium clariſſima, & in ſe claudit, & ſecretiſſime celat omnes cognitiones comprehenſivas tamquam in cauſa prima omnium, & per eam omnis unitus Deo, qui eſt ſupra omnia, conſtituitur in excellentia, quam neque ratio inveſtigat, nec intellectus ſpeculatur, & ab omnibus, & quaſi a ſeipſo ſegregatur, & per unionem dilectionis, quæ affectiva eſt veræ cognitionis unitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori, quam ſit cognitio intellectualis, in eo quod intellectualem cognitionem dereliquit, & ſuper intellectum, & mentem Deum cognoſcit. Hæc Dionyſius ſecundum commentatorem Vercellenſem dicit. Hæc require plenius ſupra.

Dionyſ. de myſt. Theo. cap. 1

Exod. 24

C

Sex-

Sexto vero contemplator es, ſi in A te eſt uniformis fixio intelligentiæ puræ, & ab omnibus omnino denudatæ, & conformis affectio volitivæ potentiæ per omnia, in nullo impeditæ, in uno fontali principio cœleſtium gaudiorum, quod eſt Deus trinus, & unus. Unde Origenes ibidem prædicta in unum recolligens, dicit: Contemplatorem verum, & jubilatorem certum te judico, ſi primum te perficiat actio, ſi ſenſum ab exterioribus revoces, ſi imaginabilia felici motu pertranſeas, ſi rationabilia celeri motu percurras, ſi intelligibilia felici, & illuminata fide cognoſcas, ſi in primo vero, & in ſummo bono intelligentiam, & voluntatem tuam ponas ſugens, unde teneritudinem tuam nutrias, bibas, unde gaudeas, haurias unde numquam deficias. Hi ſunt gradus contemplationis ſecundum Origenem.

DISTINCTIO V.

Quantam utilitatem ſpiritus in itinere vitæ contemplativæ experiatur.

Vitæ contemplativæ utilitates. QUinto videndum eſt, quantam jucunditatem, & utilitatem ſpiritus humanus in itinere vitæ contemplativæ experiatur. Nam Deo per totum illud iter aſſociatur continue. Primo ergo videamus, qualiter ſpiritus in hoc itinere dulciter a Domino conſolatur. De quo illud Lucæ (*Luc. 10*) de vita duarum mulierum, ſcilicet Marthæ, & Mariæ, de quibus dicit Gregorius libro 6. Moralium: Quid per (*Greg. lib. 6 mor. c. 18 ante med.*) Martham exterioribus obſequiis occupatam, niſi, activa vita figuratur? Quæ ſtetit, quia ſic dicit Gloſſa: Vita activa in laborioſo deſudat certamine, quæ & querulabatur de ſorore, quia turbata circa plurima vitæ activæ. Unde Bernardus dicit: Cum anima (*Bern. in Cant. ſe. 40 cir. med.*) in actione ſua in aliud tendit, quam in Deum, quamvis hoc faciat propter Deum, tamen non hoc eſt Mariæ otium, ſed Marthæ negotium, quæ adhuc ſollicita eſt, & turbatur erga plurima, & non poteſt terrenorum actuum vel tenui pulvere non reſpergi, quem tamen cito facileque deterget in hora ſanctæ devotionis vel dormitionis caſta intentio, quæ eſt intendere & quærere ſolum Deum propter ipſum ſolum, quod proprium eſt ſponſæ, &c. ut dictum eſt ſupra in primo itinere diſtinct. tertia.

Ex quo patet, quod itinerantes in vita activa frequenter turbantur, ſed ſpiritus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, a Deo dulciter conſolatur poſt activam. Unde Gregorius lib 6. Moralium dicit: Quid per (*Greg. ibid ubi ſup. prox.*) Mariam, quæ ad pedes Domini reſidebat, audiens verbum Domini, niſi vita contemplativa exprimitur, quæ B ex hoc a Domino commendata fuit, quia optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea? Quæ autem illa optima pars fuit, quærit Richardus dicens: Quæ eſt pars optima, quam elegit Maria, niſi vacare, (*Rich. de contempl. lib. 1 c. 1 poſt med.*) & videre quam ſuavis eſt Dominus? Nam Maria ſedens ſecus pedes Domini, audivit verbum illius. Summam itaque ſapientiam Dei in carne latitantem, quæ oculus carnis videre non poterat, audiendo intelligebat, & intelligendo videbat, quia credebat: & in hunc modum ſedendo, & audiendo, ſummæ veritatis contemplationi vacabat. *Sequitur.* Hæc eſt C pars, quæ electis, & perfectis numquam aufertur, & ſane eſt negotium; quod nullo fine terminatur. Nam veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, ſed in futura vita jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis ſane contemplationem homo eruditur ad juſtitiam, & conſummatur ad gloriam. Hæc ille.

Secundo videamus qualiter humanus ſpiritus ambulans per itinera vitæ contemplativæ, Deo familiari amicitia unitur. (*Vita contemplativa Deo unitur.*) In Joanne enim legitur, (*Joan. ult.*) quod Dominus dixit Petro: Sic volo eum manere donec veniam. Tu me ſequere. Ubi dicit Auguſtinus, quod (*Aug. tr. 124 in Joan. poſt med. tom. 9.*) per hos duos Apoſtolos ſignantur duæ vitæ. Una activa per Petrum, altera contemplativa, quæ ſignatur per Joan-

nem Evangeliſtam. De Petro, per quem ſignificatur activa vita, dixit Dominus: tu me ſequere per imitationem, perferendo mala temporalia. Vita igitur activa Petri eſt in labore: altera, ſcilicet contemplativa Joannis, in requie. Una eſt in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Prima agitur dum facit bonum & declinat a malo, quæ tamen finitur: altera vero fruitur bono, quod non finitur, Chriſti ſcilicet gloria. De Joanne vero dixit Dominus: Sic eum volo manere, donec veniam. Ubi dicit Gloſſa. Nolo eum per martyrium conſummare, ſed expectabit placidam abſolutionem carnis ſuæ, quando ego veniens, recipiam eum in æternam beatitudinem. Unde hæc vita contemplativa hic inchoatur, & in futura vita conſummatur. Hanc vitam Dominus in Joanne inchoavit, quando volentem nubere, ſibi familiariter aſſociavit, quam multis familiaribus ſignis amicitiæ continuavit, donec eum invitando dulciter in æterna beatitudine conſummavit. Hæc vita contemplativa eſt ſummum beneficium, quod conferri poteſt animæ. Habet enim ſibi annexas perfectiſſimas, & ſupremas, & ultimas delectationes, conſequentes virtutes, dona, beatitudines, & fructus, magnificativas, & contentivas, & unitivas ſpiritus creati rationalis, & Dei increati, tanto felicius, quanto immediatius, ſicut dicit Origenes ſuper Cantica. Signa familiaritatis patent in Evangelio.

De quiete vitæ contemplativæ

Tertio videamus, qualiter ſpiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplativæ vigili ſomno quietatur, & illuminatur poſt luctam vitæ activæ, ſicut patet de Jacob, qui poſt luctam, & ſomnum contemplationis, didicit videre ſpiritualia, ut diceret: Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. (*Gen. 32*) Unde Hugo dicit: Tunc ex Jacob fit Iſrael, quando poſt ſudationes bonæ operationis, pervenitur ad lucem contemplationis. (*Hugo lib. 4 de clauſtro ani. cap. 22 in fin.*) Tunc exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael. (*Pſal. 13*) Igitur per

A Jacob luctantem, ſignatur vita activa, quæ contra vitia luctatur. In quo luctamine, & ſi ſpiritus non mortificatur, ut plurimum tamen infirmatur, & fatigatur, ut clamet cum Pſalmiſta. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis. (*Pſalm. 37*) Per Iſrael vero videntem, ſignatur vita contemplativa, quia in via dormiens, cœleſtia contemplatur. Quid namque eſt dormire in via, ait Gloſſa, niſi in præſentis vitæ tranſitu a rerum temporalium amore labentium, oculos mentis claudere? Hos oculos concupiſcentiæ aperuit diabolus, quos innocentia clauſos tenuit. Hæc Gloſſa. Iſte ſomnus tantum placet Deo, ut cum conteſtatione juramenti prohibeat tales excitari

B a ſomno tali, & pauſatione, dicens contemplativa: Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne excitetis, neque evigilare, &c. (*Cant. 3*) Quod exponens Origenes dicit: Conjurationem tuam audivi Domine, quam, ni fallor, ſponſæ tuæ actus, & ſtatus cauſabat, ſtatus optimus, actus præcellentiſſimus, tibi incumbens ſine medio te videns ſine nubilo, in te quieſcens ſine tædio, de te hilareſcens ſine modo, a te permanentiam accipiens ſine termino. Hæc ille.

C Quarto videndum eſt, qualiter ſpiritus humanus ambulans per itinera vitæ contemplativæ facie pulchrificatur, & viſu clarificatur. Richardus dicit: Duas ut legimus, uxores Jacob habuiſſe cogebatur. (*Rich. l. de 12 Patriar. ſive Beniamin min. cap. 1*) Una Lia, altera Rachel vocabatur. Lia fuit fœcundior, Rachel fuit formoſior. Lia fœcunda, ſed lippa, Rachel ſterilis, ſed formoſa ſingularis. Per Liam ſignatur vita activa, per Rachel vita contemplativa. Ad Liam pertinet flere, dolere, gemere, & ſuſpirare: & ideo recte talis uxor Lia, hoc eſt, laborioſa, vocatur, & minus videns. Sed ad Rachel, quæ interpretatur viſum principium, vel otium, pertinet meditari, & contemplari, diſcernere & intelligere. *Sequitur*. Sed quid dulcius, quidque jucundius poteſt eſſe, quam oculum mentis ad ſummæ contemplationem ſapientiæ erigere? Ad

hanc

Digitized by Google

hanc itaque contemplationem cum ratio dilatatur, merito Rachel nomine honoratur. Hæc ille. Ex hac autem contemplatione ſummæ ſapientiæ facies mentis pulchrificatur. Exemplum habemus de Moyſe, cujus facies ſplendida fuit facta ex conſortio ſermonis Domini, ut Judæi non poſſent intendere in eam. Similiter ex hac contemplatione viſus mentis clarificatur. Exemplum de S. Benedicto, de quo narrat B. Gregorius lib. 2. Dialogorum, quod cum in oratione conſtitutus, quemdam radium divini ſolis aſpiceret, totus mundus ante oculos ſuos adductus videbatur, ubi vidit etiam animam Germani Epiſcopi Capuani, in ſphæra ignea in cœlum ferri ab Angelis. Et Gregorius dicit ibidem: quid mirum, quod mundum ante ſe collectum vidit, qui ſublevatus in mentis lumine, & contemplatione extra mundum fuit? Hæc ille. Spiritus igitur in itinere contemplationis facie pulchrificatur, viſu clarificatur. De hac contemplatione purificante dicit Hugo: Contemplatio eſt deifica ſimilitudo, quia dum per eam illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipſius luminis lucentis ſimilitudinem accipiunt. Hæc ille. Et Gregorius libro 6. Moralium: Vita contemplativa ſpecioſa eſt in anima contemplantis. Propter quod dicitur animæ contemplativæ? Tota pulchra es amica mea.

Exod. 34

Greg. lib. 2 mor. cap. 35

Hugo ſuper 7 Ang. hie. lib. 7 ante med.

Greg. hoc dicit lib. 2 in Ezech. hom. 14 poſt med.

Cant. 4

Anima contempl. multipliciter reficitur.

Quinto ſpiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, dulciter, & multipliciter reficitur. Nam cibatur primo ut fortificetur. Comedere autem animæ ſpirituale eſt, ſupernæ lucis contemplationibus paſci, ait Gregorius 5 Moralium. De hac refectione dicit Gregorius ſuper Ezechielem: Contemplativa vita amabilis valde dulcedo eſt, quæ ſupra ſemetipſam animam rapit, cœleſtia aperit, terrena autem deberet eſſe contemptui oſtendit, ſpiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abſcondit, ut talis contemplatrix dicat illud Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Vigilanti enim

Greg. lib. 5 mor. c. 6 in princ.

Greg. ſup. Ezech. ho. 15 poſt me.

Cant. 5

A corde dormit, per hoc, quod dum interius contemplando proficit, ab inquieto corporis opere foris quieſcit, neque adhuc tamen præſens Deus in ſua claritate conſpicitur, ſed quædam ſub ipſa ſpeculatur anima, unde refecta proficiat, & poſt ad viſionis gloriam pertingat. Hæc ille. Hanc refectionem anima contemplativa gloriatur ſe eſſe expertam, dicens: Fructus ejus dulcis gutturi meo. Ubi Origenes ſic dicit: Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ: altus es, attolle deſiderium: benedictus es, ſanctifica obſequium: imputribilis es, purifica affectum: ſuavis es, lætifica animam. Item in hoc itinere vitæ contemplativæ ſpiritus B reficitur potu inebriantis gratiæ. Unde anima contemplativa in canticis oſtendit, ſe hanc potationem inebriantem expertam eſſe, cum dixit. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ubi Gloſſa dicit: Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit, ita me recreatam ſpiritu, & ab amore terrenorum in ſuprema translatam ſentio, ac ſi in cellam vinariam introducta novo ſuo meri odore, & poculo inebriata ſim. Sed hanc refectionem ſpiritus ambulans in viis vitæ activæ vix, & raro experitur. Unde Auguſtinus in epiſtola ad Hebræos dicit: Contemplativi, non activi amare, & guſtare poſſunt ſincerum bonum, C ad quod guſtandum, neceſſe eſt ceſſare a tumultu mundi, propter quod eſuriunt, & ſitiunt modo activi, quia non habent guſtus ſenſum exercitatum.

Cant. 2

Cant. 1

Anima contempl. a labore viæ relevatur.

Sexto ſpiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, a labore viæ relevatur per divinam allocutionem. Unde in Luca dicitur: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Quod exponens Gregorius dicit ſic. Ex audito ſermone inardeſcit animus, corporis frigus recedit, fit mens in ſuperno deſiderio anxia, audire libet præcepta cœleſtia, & quod mandatis inſtruitur, quaſi tot facibus inflammatur. Et idem Gregorius libro 2. Mo-

Luc. 24

Greg. hom. 30 in Ev. poſt med.

Digitized by Google

Moralium dicit: Cum in itinere comes iungitur, via quidem non ſubtrahitur, ſed de ſocietate comitis labor itineris levatur. Item, cum ſpiritu illo in itinere ambulante quandoque Deus confabulatur, ut ſupra patuit, ubi dicit Bernardus, Deus quaſi viator quiſpiam itinerantibus ſeſe aſſocians jucundiſſimis confabulationibus ſuis a labore viæ omnem relevat comitem, quam plura ibi de hoc. Item, cum ſpiritu ambulante in hoc itinere contemplationis Deus habet dulcia ſuſurria. Unde Origenes exponens illud Canticorum. Vox dilecti, & cetera dicit ſic: Quando ad cor reduco, quod cum contemplantibus ſua ſuſurria habet Deus, quibus tanto fortius clamat, quanto efficacius ſuſurrat, non ſine admiratione commendatam te habeo, quod hanc vocem, & tenuiſti mente, & commendaſti ore, dicens: Vox dilecti & cetera ubi dicit Gloſſa: Gaudeo conſolatoriam vocem ejus audiens; & dum ejus faciem nondum video; tamen ſublevato ad cœlum animo, aliquam ſuavitatem futuræ beatitudinis prægusto. Tali igitur allocutione ſpiritus a labore viæ ſic relevatur.

Sup. itin. in 2 diſt. 3
Bern. in Cant. ſ. 31
Cant. 2

Septimo ſpiritus humanus ambulans in itineribus vitæ contemplativæ, ultra omnia inferiora mentaliter elevatur, & in ſancta Trinitate ineffabiliter jucundatur. Unde Hugo dicit: Contemplatio clauſtrarum animæ dicitur in cujus ſinu dum ſe recepit animus, ſola cœleſtia meditatur, a terrenis ſeparatur, a turba carnalium cogitationum longe ponitur, dulces carnis refugit affectus, vagos ſenſuum aſtringit motus, in Domino delectatur, Angelica dulcedine fruitur, legit in libro vitæ, pro ſilentio pacem tenet, in choro virtutum ſervat concordiam morum, ſummi Patris potentiam conſiderat; ſapientiam Filii inveſtigat, Spiritus ſancti benignitatem amat. Dum hæc tria contemplatur, tribus modis conſolatur. Hæc ille. Hos autem tres modos conſolandi poteſt experiri pro- A vero, qui in itinere contemplationis ambulans, experitur in memoria Patrem admonentem, & trahentem ad verbum ſuum Jeſum Chriſtum audiendum. Quia ſicut dicitur in Joanne: Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum per internam inſpirationem. Item conſolatur, qui experitur in intelligentia Filium Patris illuminantem, ad Patrem ſuum cognoſcendum, quia ſicut dicitur in Matthæo: Nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Item conſolatur, qui experitur in voluntate Spiritum ſanctum afficientem, ad Patrem, & Filium amplexandum, & B tenendum. Quare in amore qui appropriatur Spiritui ſancto, Pater, & Filius tenentur, & amplexantur; quod oſtendit Auguſtinus. Spiritus ambulans in itineribus vitæ activæ, ſæpe ab hujuſmodi conſolationibus impeditur, & amaritudinibus repletur. Unde Origenes ſuper Cantica dicit: Qui terrenis inhæret, invenire non poteſt, niſi quod in terrenis latet, ſcilicet amaritudinem, & diſſipationem. Sunt, & aliæ multæ utilitates contemplationis.

Anima contemplativa a terrenis elevata in cœlo commoratur. Hugo lib. 3 de clauſtro animæ c. 1 in pr.
Joan. 6
Matth. 11
De Trinit. lib. 6 cap. 5 tom. 3

DISTINCTIO VI.

Qualiter per iter contemplationis ſpiritus æternum manerium Chriſti ingrediatur.

C SExto videndum eſt quomodo per iter contemplationis ſpiritus noſter ad intrinſecum ſecretum Domini Jeſu ingrediatur, & ab exterioribus abſcondatur. Et quamvis ex prædictis gradibus contemplationis ſatis patere poſſet, qualiter ſpiritus humanus contemplando ingrediatur in æternum manerium Jeſu: cum Hugo ſuper primum Angelicæ Hierarchiæ dicat, quod quanto magis creſcit a ſeipſo aſcenſio, tanto magis creſcit cognitio, donec oculus intellectualis magis ac magis illuminetur, & confortetur, & affectus mentalis magis purificetur, & inflammetur, & totus

Spiritus contemplativus debet prius mundo mori, ut Deum in oratione videre poſſit.

tus in Deo quietetur, & in iſtum A aſcenſum doceant prædicti gradus contemplationis: planum eſt, quod per eos poteſt cognoſci, qualiter ſpiritus contemplativus in illud ſecretum intrinſecum Domini Jeſu ingrediatur, & abſcondatur: tamen propter iſtius manerii utilitatem notandum, quod cum Dominus dicat: Non videbit me homo, & vivet, neceſſe eſt, ut ſpiritus contemplativus mundo prius moriatur, & mundus ſibi moriatur, & ex tunc in æterna ingrediatur, & in eis abſcondatur. Quid eſt autem ſpiritum per *Exod. 33* contemplationem illud intrinſecum ſecretum intrare, niſi ab omnibus temporalibus abſolvi, & elongari, & in B æterna extendi, & in eis abſcondi continuis profectibus, donec totus homo exterior, & interior in Deum ordinetur, prout poſſibile eſt ſtatui viæ? Unde Gregorius libro 14. Moralium dicit: Contemplationis penna nos ſublevat, atque a nobis ad illum erigimur intuendum raptim, & intentione cordis, & dulcedine contemplationis, aliquo modo a nobis imus in ipſum, & hoc ire, eſt requieſcere, diſſimiliter tamen requiei divinæ aſſimilamur, & imitamur requiem Dei. Nam ſequitur ibidem: Namque ut beati ſimus, & æterni, æternum imitabimur in æternum, & magna nobis eſt æternitas, C imitatio æternitatis, nec expertes ſumus ejus quam imitari poſſumus. Hæc Gregorius. Oportet enim verum contemplatorem mori mundo, ut mundus ſibi moriatur, ut in nullo contemplatio ejus impediatur. Dicit *Cap. ult. ante med.* enim Gregorius libro 18. Moralium: Quiſquis ſapientiam, quæ Deus eſt, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam amore ejus teneatur. Talis fuit ille verus contemplator Paulus, *Gal. 6* quando dixit: Mihi mudus crucifixus eſt, & ego mundo. Quod Gre- *Cap. 3 circ. med.* gorius exponens libro 5. Moralium, dicit: Mundus quidem ei crucifixus fuerat: quia hunc cordi ſuo jam mortuum non amabat. Sed ſeipſum mundo crucifixerat: quia talem ſe exhibere ſtuduit, ut ab eo quaſi mortuus concupiſci non poſſet. *Et ſequitur*. Sancti igitur viri ab importunitate deſideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore *Ibidem c. 5 poſt med.* perſtrepentium turbationum ſemetipſos ſacri verbi gladio mortificare non deſinunt, atque intus ante Dei faciem in ſinu mentis abſconduntur. Unde recte per Pſalmiſtam dicitur: Abſcondes eos in abſcondito vultus tui, a perturbatione hominum. *Pſalm. 30* Quod quamvis perfecte poſtmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalibus tumultibus, & eorum delectatione in interiora rapiuntur: ut mens eorum dum in amore Dei tota tenditur, nulla mundi perturbatione laceretur. Hinc eſt, quod Paulus contemplatione mortuos quaſi in ſepulchro abſconditos, diſcipulos viderat, quibus dicebat: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hæc *Coloſſ. 3* ille.

DISTINCTIO VII.

Qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter contemplationis ad ſecretum JESU invitatur.

SEptimo videndum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter jucundæ contemplationis ad intrinſecum ſecretum Domini Jeſu, ab eo invitetur, Sponſo in Canticis dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Cujus invitationis ſubjungit allectivum, dicens: Veni, quia jam eſt itinerandi amœna jucunditas, quia flores apparuerunt in terra noſtra. Jam enim tempus vernale advenit, ex præſentia divini ſolis incarnati. Unde Origenes ſuper Cantica dicit: Ipſo ſole juſtitiæ oriente, hiems tranſiit, & ver fidei calore Spiritus ſancti terram ſolvit, & flores virtutum producit. Ergo o amica mea, propter contemplationis tuæ amoroſum affectum, vulneraſti cor meum Sponſa mea, penetrando dulciſluam

Invitatur ſpiritus humanus ad jucunditatem contemplationis. Cant. 2

dulcedinem in uno oculorum tuorum, ſicut exponit Vercellenſis, id eſt intelligentia tua attracta, & ſimplificata in contemplatione pulchritudinis meæ. Surge mentaliter per amoroſæ contemplationis ſurſum actionem, ut ſicut dicit Gloſſa ſuper illud Matthæi: Reſpicite volatilia cœli, *Matth. 6* Sola contemplatione jam in cœlo degas quaſi avis cœlica, non terrena. O columba mea, propter contemplationis tuæ radioſum aſpectum, quia *Cant. 1* oculi tui columbarum, ubi dicit Gloſſa: Senſus tui ſpirituales contemplatione ſpiritualium rerum excellentes reverendi ſunt, & ſimplificati, ideo magis confortati, propterea ait Iſaias: Aſſument pœnnas ut aquilæ, *Iſai. 40* volabunt, & non deficient. Aquila, ſicut dicit Hugo, ſuper 15. Angelicæ Hierarchiæ, avis eſt altifera, & cito volans, & ſignificat agilitatem ſpiritus, & cetera. *Hugo in 15 Ang. hier. lib. 10 poſt med.* O formoſa mea, propter contemplationis tuæ ſpecioſum objectum. Ex pulchritudine enim objecti beatifici, mentes contemplatrices beatificantur, & pulchrificantur. Unde Dionyſius in Angelica Hierarchia dicit: Deus pulchros facit ſuos contemplatores, & amatores, juxta illud ad Corinthios: Nos *2 Cor. 3* autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformabimur, & cetera. Tali contemplatrici dicitur: Oſtende mihi faciem tuam. *Cant. 2* Facies enim tua decora, non decore corporali, ſed decore vero, & ſpirituali, & interiori. Veni ergo de labore ad requiem, de dolore ad conſolationem, de languore ad impaſſibilitatem. Veni ad interiores theorias unitivæ contemplationis, tamquam ad interiora deſerti, ubi jam apparent flores, id eſt ſplendores cœleſtis ſapientiæ, qui ibi apparent in contemplatione clara, qui prius te latebant in prima deſideriorum extenſione. Unde in Job dicitur: Auditu auris audivi te, nunc *Job 42* autem oculus meus videt te. *Prov. 27* Veni, aperta ſunt prata, apparuerunt herbæ florentes, varios flores, & odoriferos, & ſpirituales in Eccleſia producentes. Unde Gregorius exponens illud Geneſis: Odor filii mei, ſicut *Greg. hom. 6 in Ez. ante med. Gen. 27* odor agri pleni, dicit: Aliter redolet flos uvæ, per quem ſignantur prædicatores doctrinis inebriati. Aliter flos olei, id eſt miſericordes, qui lucent, & refovent debiles. Aliter flos roſæ, id eſt, martyres exemplis fragrantes. Aliter flos lilii, id eſt, virgines candidam famam ſpirantes. Aliter flos violæ, id eſt, humiles purpuram cœleſtis vitæ ſervantes. Aliter ſpica nardi, id eſt perfecti, & maturi, opera bona fructificantes, dicit Gregorius. Et Origenes: Quis jam non ſurgat, quis non properet, aut quis non veniat ubi tot utilitatis inſignia concurrunt? Per illud iter floridæ contemplationis fideliter, & amoroſe ambulare tribuat nobis, qui eſt æternorum via, veritas, & vita. Amen.

DE QUARTO ITINERE

Æternitatis.

Quartum iter æternitatis eſt, per quod ſpiritus humanus venit ad intrinſecum ſecretum, & æternum manerium Jeſu, eſt æternorum charitativa affectio. Ad cujus itineris majorem cognitionem, ſeptem ſunt notanda.

Primo quare iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate ſequatur.

Secundo, quid ſit charitativa affectio, & quomodo ſit iter ad æterna, ut verius coguoſcatur.

Tertio, qualiter charitativa affectio a naturali affectione, vel acquiſita dilectione diſtinguatur.

Quarto, quibus ſignis & conjecturis charitativa affectio qualitercumque manifeſtetur.

Quinto, qualiter charitativa affectio a ſanctis Doctoribus per gradus dividatur.

Sexto, qualiter ſpiritus noſter per iter charitativæ affectionis, æternum manerium ingrediatur.

Septimo, qualiter ſpiritus noſter ad

Digitized by Google

veniendum per iter charitativæ affectionis ad æterna a Domino invitatur.

DISTINCTIO I.

Quare iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate ſequatur.

Amor ſequitur contempl.

PRimo igitur videndum eſt, qualiter iter charitativæ affectionis iter contemplationis immediate ſequatur. De hoc nota, quod quia affectio charitativa tamquam poſterior perficit contemplationem, dicit enim Auguſtinus, quod quanto flagrantius Deum diligimus, tanto certius, ſereniuſque eum videmus: ideo charitativa affectio debet immediate ſequi contemplationem tamquam excellentior, & perfectior, & perficiens intellectum contemplativum. Voluntas enim tamquam poſterior in ordine, aperit intellectui ſuam perfectionem. Cujus ſignum eſt, quia voluntas imperat intellectui quærere, & invenire notitiam quæ eſt perfectio intellectus, & partus mentis, ſicut oſtendit Auguſtinus. Et Hugo ſuper ſeptimum Angelicæ Hierarchiæ dicit: Dilectio ſupereminet ſcientiæ, & major eſt quam intelligentia. Plus enim diligitur Deus, quam intelligatur, & dilectio intrat, & appropinquat, ubi ſcientia foris ſtat. Et iſtius dicti reddit rationem dicens: Nec mirum, quia dilectio ſemper amplius præſumit, & confidit, ſemper acutum habet penetrans omnia, & ſequens impetum ardentis deſiderii, nec diſſimulare valet, donec ad amatum perveniat. Hæc ille. His concordat Gilbertus Porretanus, ubi dicit: Scientia inflat, charitas perflat. Charitas intimior eſt, quam ſcientia, & ad ſecretiora pertingit. Omnia enim interiora perflat ſpiritus amoris, quo, & ſcrutatur profunda Dei. Hæc ille: Nullum etiam bonum perfecte noſcitur, quod non perfecte amatur, ſicut Auguſtinus dicit. Unde in Eccleſiaſtico dicitur: Qui timetis Deum, diligite illum, & illuminabit corda veſtra. Rationabiliter igitur charitativa affectio ſequitur contemplationem, tamquam perficiens eam, quamvis incognita amari omnino non poſſint, ſecundum Auguſtinum.

Aug. l. 8 de Trin. c. pen. t. 3

Aug. ubi ſup. lib. 9 c. ult. Hugo in 7 Ang. hier. lib. 6 ante med.

Gilb. ſuper Cant. ſer. 39 cir. fin. inter Ber. op. tom. 2

Aug. lib. 83 qq. q. 35 tom. 4

A

DISTINCTIO II.

Quid ſit charitativa affectio, & quomodo ſit iter ad æterna, ut verius cognoſcatur.

Charitas quid ſit.

SEcundo videndum eſt, quid ſit charitativa affectio, ut ex hoc ſpiritus cognoſcat, qualiter ipſa ſit iter ad æterna. De quo primo ſciendum eſt, quod amor, dilectio, & charitas, in ſcriptura frequenter pro eodem accipiuntur, ut dicit Dionyſius quarto de divinis nominibus, ubi dicit: Communiter, & uniformiter utendum eſt in divinis nomine amoris, nomine dilectionis, ſive etiam charitatis. Et Auguſtinus octavo de Trinitate dicit, quod nihil aliud eſt charitas, niſi amor boni. Eſt igitur ſciendum, ſicut dicit Dionyſius ubi ſupra, quod unus eſt amor increatus, qui ſua ſuperſubſtantiali, & univerſali appetibilitate ingignit amorem creatum omnibus rebus; qui amor creatus, eſt quædam inclinatio, & coordinatio amantis ad bonum amatum, & ideo Dionyſius diſtinguit ibidem diverſos amores, ſecundum diverſas inclinationes ad bonum appetibile, dicens: Quando amorem nominamus, ſive divinum, ſive Angelicum, ſive intellectualem, ſive animalem, ſive naturalem, deſignamus nomine amoris, quamdam virtutem unitivam, ubi dicit commentator: Amor eſt connexio, & vinculum, quo omnium rerum univerſitas ineffabili amicitia, inſolubilique unione copulatur. Et commentator exponit, & declarat iſtos amores ibidem. Ex quibus magis quid amor ſive charitas ſit, apparebit. Amorem naturalem vocant inclinationem ad bonum, quæ non præſupponit cognitionem aliquam, quæ ineſt omnibus rebus a Creatore indita,

B

Lib. 8 de Trin. c. 10 tom. 2

C

Diverſimodi amores.

Amor naturalis.

qua inclinentur ad conſervationem ſui eſſe, quod eſt bonum eis. Unde dicitur in Job: Frumentum deſiderat nubes, id eſt, naturalem habet inclinationem ad hoc bonum. Amorem animalem vocat inclinationem ad bonum, quæ præſupponit cognitionem ſenſitivam, & hic tantum eſt in his, in quibus eſt ſenſibilis appetitus, ut in homine, & in brutis. Amorem intellectualem vocat inclinationem ad bonum, quæ præſupponit cognitionem rationis, ut commentator ait, quæ eſt in homine: & hic amor diſtinguitur: quia quædam eſt inclinatio ad bonum, quæ non præſupponit niſi naturalem cognitionem boni abſolute, & eſt a voluntate non deliberata: quædam eſt inclinatio in bonum, quæ præſupponit cognitionem deliberatam reſpectu boni relati ad aliud ut ad finem, vel circumſtantias, vel ad aliquid aliud, tunc eſt amor electivus, qui proprie dicitur dilectio. Si autem ille amor fit per aliquem habitum ſupernaturalem, per quem homo fit acceptus Deo, & dignus remunerari in æterna vita, amor charitatis eſt ſive gratuitus, & hic neceſſarius eſt, ut ſicut intellectus per fidem, quod eſt lumen ſupernaturale, elevatur ad beatifici objecti ſupernaturalem cognitionem; ita & affectus ſive voluntas per ſupernaturalem habitum charitatis elevatur ad beatifici objecti ſupernaturalem affectionem, ut infra patebit.

Job 37

Amorem autem Angelicum vocat inclinationem in bonum, qua præſupponit altiorem cognitionem, quam ſit cognitio humana: & ideo Angelus fortius inclinatur in bonum cognitum, & perfectius. Unde Linconienſis commentator ſuper quintum Angelicæ Hierarchiæ dicit; Angeli ex rationis abundantia ſcientes, id quod appetunt eſſe vere deſiderabile, & vehementiſſime, & intime, & totis viribus deſiderandum, & amandum amore puro, & non in aliud tendente; illud intendunt, ita fortiter, & inavertibiliter, quod illa intentio a nulla poteſtate, & po-

A tentia intercipi poteſt, vel impediri, & ſic amor intellectualium tendit in eis in viſum bonum, quod eſt verum, & ſummum bonum. Hæc ille.

Amorem vero divinum Dionyſius ubi ſupra ponit, præexiſtentem ſuperſubſtantialiter in bono ad exiſtentiam emanantem, qui & rurſus ad bonum convertitur, in quo divinus amor monſtratur, ſicut quidam æternus circulus, habens finis interminabilitatem, & principii carentiam, circumambulantis propter bonum ex bono, & in bonum, per quamdam circulationem non errantem, & ipſe amor in eodem, & ſecundum idem

B procedens, ſemper in ſe manet, & ad ſe reſtituitur. Hæc ille: De iſto amore dicit idem ſic: Audeo autem pro vero dicere, quia ipſe Deus omnium tam pulchro, & bono amore omnium per abundantiam amativæ bonitatis, quaſi extra ſeipſum fit, providendo omnibus exiſtentibus, & per amorem, & bonitatem trahitur, & ex eo, quod eſt ſuper omnia, ad id, quod eſt in omnibus deducitur ſecundum virtutem ſuperſubſtantialem facientem ecſtaſim ſed a ſe inegreſſibilem. Propter quod Deum zelotem vocant, tamquam abundanter amantem exiſtentia, & excitantem mentes ad fervens deſiderium ipſius: unde

C amabilis, & diligibilis dicitur, in quantum eſt plenitudo bonitatis & pulchritudinis cunctis appetentibus. Dicitur Deus amor & dilectio in quantum ipſe eſt virtus movens, & quaſi ſurſum agens omnia, ad ſe naturaliter appetendum: quemadmodum adamas quieſcens, facit ferrum moveri. Hæc Dionyſius. Ex his omnibus concludit, dicens: Quando ergo amorem nominamus ſive Divinum, ſive Angelicum, ſive intellectualem, ſive animalem, ſive naturalem, deſignamus nomine amoris quamdam virtutem unitivam, & concretivam, moventem ſuperiora ad providentiam inferiorum, & coordinatam ad continuam, & mutuam habitudinem inferiorum, ad converſionem ad ſuperiora. Ex qui-

Digitized by Google

Amor quid.

quibus omnibus apparere poteſt, quod amor eſt virtus unitiva amantis cum amato.

A

DISTINCTIO III.

Qualiter charitativa affectio a naturali affectione, vel acquiſita dilectione diſtinguatur.

Affectio charitativa qualiter ab affectione naturali, & acquiſita differat.

TErtio ne ſpiritus humanus arripiat iter naturalis affectionis, vel acquiſitæ dilectionis, pro itinere charitativæ affectionis, expedit videre qualiter affectio charitativa ſive gratuita a naturali affectione & acquiſita dilectione, vel amore differat, vel diſtinguatur. De quo notandum eſt, quod ſicut dicit Hugo de ſancto Victore in libro, qui incipit. Accipe frater chariſſime, affectus eſt ſpontanea quædam ac dulcis ipſius animi ad aliquid inclinatio. Et quia, ſicut ipſe dicit ibidem, ſecundum variam inclinationem affectionum, & motuum variantur noſtri amores, ideo ut de omnibus affectionibus, & motibus quibus amor noſter multipliciter variatur, quis illorum maxime ſequendus ſit, & quantum, & qualiter, ut competenter fiat, & quis reſpuendus ſit, vel etiam reprimendus, ſubtilius eſt inquirendum. Per hoc patebit in quo amores iſti conveniunt, & differunt.

B

Sunt autem, ſicut ipſe oſtendit, ibidem quinque amores, & affectiones, quibus inclinamur ad aliquem vel aliquid.

Hugo ubi ſup. prox. Epheſ. 5 Iſa. 49

Primus eſt affectus naturalis, de quo dicit Hugo ibidem ſic: Naturalis affectus eſt cujuslibet ad carnem ſuam, nemo enim carnem ſuam odio habuit. Item matris ad filium, non enim poteſt mater oblivifci infantem uteri ſui. Item hominis ad domeſticum ſuum. Qui enim curam domeſticorum non habet, fidem negavit, & eſt deterior infideli. Hunc ſane affectum ſicut non admittere impoſſibile eſt, ita non ſequi ſummæ virtutis eſt, niſi ratione reguletur. Semper enim iſte affectus mollia ſuggerit, & ſuave, & jucundum, quod terrenum, quod voluptuoſum, & quod delicatum libenter amplectitur: quod vero aſperum, quod voluntati contrarium omni horrore refugit: quocirca hujus affectionis executio amor perverſus eſt. Hic amor a Salvatore interdicitur, cum dicit: Qui amat animam ſuam, perdet eam. Proinde Sanctus Auguſtinus dicit: Si male amas, tunc odiſti: ſi bene oderis, tunc amaſti. *Sequitur*. Qui enim amat ſecundum talem affectum utique odit, quia qui diligit iniquitatem odit animam ſuam: qui vero odit ſecundum illum affectum, ſecundum rationem diligit. Naturale quidem eſt, quod homo erga ſe, & ſuos affectum habeat, ſed amorem ſecundum affectum habere non debet. Hæc ille. Quod in iſto affectu naturali affectio charitativa differat, patet, quia iſta cum homine naſcitur, illa vero a Deo inducitur, dicit idem Hugo.

2 Tim. 5

Joan. 12 Aug. tract. 51 in Joa. poſt med. tom. 9

C

Secundus eſt affectus carnalis, de quo dicit idem ſic: Carnalis affectus duplex eſt. Plerumque enim neque virtus, neque vitium eſt, ſed eſt quædam exterioris hominis habitudo, animum intuentis ſibi inclinans facile? Quippe cum alicujus forma eſt elegantior, & ſermo ſuavior, venuſtus aſpectus etiam ignorantis qualis ipſe ſit, provocat, & perſtringit ipſum affectum. Hoc in puero Moyſe apparuit, quod propter elegantem formam tribus menſibus contra præceptum Pharaonis abſcondebatur, & a filia ipſius Pharaonis in filium fuit adoptatus. Porro & qui ad noxiam voluptatem in qualibet ſpecie ſuavitatis male blanda compungit, motum carnalis affectus nemo ſani capitis dubitavit. Hic carnalis affectus fuit, qui David ad ſpeciem Bethſabee prævenit incautum, præventum diſſolvit, diſſolutum obruit. Hic affectus ſapientiam Salomonis abſorbuit, & carnali libidine diſſolutum, in ſpiritualis fornicationis barathrum, & nefandiſſimam idolorum culturam dejecit. Hæc ille. Talis affectus non mere-

2 Reg. 11 3 Reg. 11

Digitized by Google

meretur habere nomen amoris veri, ſed, ut dicit Dionyſius, eſt longinquum idolum veri amoris & plenus anxietate. Affectio autem charitativa plena eſt iucunditate. Unde Richardus de Trinitate: Sicut charitate nihil eſt melius, ita & nihil eſt iucundius.

Dionyſ. de Ang. Hier. c. 2 & de div. nomi. cap 4. Rich. de Trin. lib. 3 c. 3 ſtatim poſt prin.

Tertius affectus eſt officialis, de quo Hugo ſic dicit: Officialem affectum dicimus, qui meritorum vel obſequiorum exhibitorum quorumdam animos inclinat, qui quamvis ſit periculoſus, tamen admittendus eſt, ne ſis ignarus vel ingratus in officio, cavendum eſt ne tam homini impertiatur, quam vitio. Quid magis cavendum eſt, quam ne obſequiis vel muneribus illectus aut foveas vitia aut vitioſa? Proinde in muneribus vel obſequiis ſuſcipiendis, magna habenda eſt diſcretio. Et attendendum eſt ad perſonæ dignitatem, ut ſi forte tanti meriti ſit, ut affectus officialis tranſeat in rationalem, ut quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia virtutibus adornatus, & retributio ſecundum rationem non ſecundum affectum impendatur, ſed, & deſiderium quo amati præſentia deſideratur, vel actus quo ipſa præſentia comparatur, rationem ſequatur non affectum. Iſte quoque affectus, qui hominem ſine alterius cauſæ reſpectu ſponte complectitur, per omnia temperetur. Ab iſto affectu multum differt affectio charitativa, quia iſte quærit quæ ſua ſunt, per charitatem autem ſingula ſunt omnium, & omnia ſingulorum, quia non quærit quæ ſua ſunt, ut ait Gregorius in Moralibus.

1 Cor. 13 Greg. lib. 10 Mor. cap. 4 verſ. fin.

Quartus eſt affectus rationalis de quo Hugo ſic dicit: Rationalis affectus hic eſt, qui ex conſideratione alienæ virtutis oboritur, videlicet cum oculis noſtris, cuiuslibet virtus, vel ſanctitas explorata, vel fama divulgata; mentem noſtram dulcedinis ſuavitate perfundit. *Sequitur.* Hic eſt affectus qui nos audita triumphali martyrum paſſione, ſuaviſſima

A compungit devotione, ac memorabiles actus præcedentium quaſi ſub oculis delectabili meditatione depingit, & ad proximi dilectionem contemplantis eius virtutibus accendit, propter quod conſtat, hunc affectum eſſe perfectiorem. Etenim non modicum virtutis indicium eſt ipſe amor virtutis, ex quo ad actum virtutis excitabitur. Hæc ille. Ab iſto affectu differt affectio charitativa, quia iſta ratione mediante ab exemplis exterioribus oritur, & exercitatur. Affectio vero charitativa a Spiritu ſancto ad amandum etiam peccatores inflammatur, & bonorum exemplis multo dulcius afficitur, ut patet per Apoſtolum, vel per alios Sanctos.

B Quintus eſt affectus ſpiritualis, ſic dictus, quia vel a ſpiritu immittitur, vel a ſpiritu oritur, vel a ſpiritu inſpiratur. Et hic affectus eſt triplex, quia quandoque immittitur a ſpiritu maligno: quandoque oritur a ſpiritu humano, & quandoque inſpiratur a ſpiritu divino, & ſancto. A ſpiritu maligno affectus immittitur, ut dicit Hugo, quando inclinat aliquem ad vitia. Illo affectu maligno, filius David improbe in ſororis exarſit amplexus. Iſtumque affectum miſit in cor Judæ, ut Dominum traderet. Illo affectu inclinat ad quæque turpia. Unde Oſee, Spiritus (inquit) fornicationis decepit eos. Quod autem affectio charitativa differat ab illo planum eſt: quia illi contrariatur. A ſpiritu autem humano tam ex innata ingenuitate, quam ex ſtudioſa, & exercitata exquiſitione, oriuntur quandoque affectus amoroſi ad ſummum bonum diligendum, quod eſt ſumme appetibile, & ſunt ſimillimi affectioni charitativæ, ſive gratuitæ. Nam ſi accipiatur gradus maximæ charitatis, qui teſtante veritate in Evangelio, eſt, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ſimilem gradum ex puris naturalibus inveniuntur multi aſcendiſſe. Unde Auguſtinus narrat, quod multi utilitatem Reipublicæ propriæ vitæ præpone-

Affectus triplex. 2 Reg. 13 Joan. 13 Oſee 4. Joan. 15 Aug. de ci. vi. Dei lib. 5 c. 8 Cic. lib. 1 offic.

nebant. Et exemplificat de hoc. Et A Tullius de officiis dicit, quod duo erant præcepta Platonis volentibus Reipublicæ prodeſſe. Primum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcumque agant ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Secundum præceptum fuit, ut totum corpus Reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deſerant. A ſpiritu autem divino affectus charitatis infunditur, ut patebit, qui licet in multis differat a prædictis, in multis tamen convenit cum eis propter quod difficile eſt diſtinguere inter iſtas affectiones, ſcilicet charitativam, naturalem, & acquiſitam, propter ſimilitudinem actuum ſuorum.

Charitas gratuita ab aliis affectibus dilectionis ut differt. *Rom. 5*

Et tamen iſti habitus differunt, quod certum eſt, primo, quantum ad originem, quia charitas gratuita a ſolo Deo ſupernaturaliter infunditur. Unde dicit Apoſtolus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per inhabitantem Spiritum ſanctum. Illa autem ſcilicet naturalis per naturam cum homine naſcitur, & altera per exercitium acquiritur. Secundo differunt quantum ad ſubſtantialitatem, quia charitas gratuita eſt vivificativa, purior, & ferventior, quia numquam eſt ſine Spiritu ſancto, qui datur in ea, neutra autem aliarum vivificat. Tertio differunt quantum ad formalitatem, quia charitas gratuita alias virtutes, vel habitus informat, & perficit: ut dicit Ambroſius. Utrique autem illorum manent informes, & imperfecti ſine iſta. Quarto differunt quantum ad finis capacitatem, quia charitas gratuita ſpiritum humanum a culpa educit, in gratiam conducit, & Deo unit, & gaudio perenni & jubilatione, conſummat & perficit, Unde Rabanus in quodam ſermone dicit ſic: Charitas ſive amor divinus eſt ignis in meditatione, mentem purificans a ſordibus vitiorum. Lux eſt in oratione mentem irradians, claritate virtutum. Mel eſt in gratiarum actione, mentem dulcorans, dulcedine divinorum beneficiorum. Vinum eſt in contemplatione, mentem inebrians jucunda delectatione. Sol eſt in æterna beatitudine, mentem clarificans, ſereniſſimo lumine, & ſuaviſſimo calore, exhilarans ineffabili gaudio, in perenni jubilatione. Hæc ille. Nullum iſtorum poteſt perficere ſine charitate, nec naturalis amor, nec acquiſita dilectio. Bernardus ſuper Cantica ſermone 50. ſic diſtinguit, dicens: Eſt affectio, quam caro, ſive natura gignit: eſt affectio, quam ſtudioſa exercitatio acquirit, ſive quam ratio regit: & affectio, quam ſapientia condit. Hæc ultima primam illuminat, ſecundam remu- B nerat; prima quidem eſt dulcis, ſed turpis: ſecunda eſt ſicca, ſed fortis: tertia ſuavis, & pinguis, quæ guſtat, quoniam ſuavis eſt Dominus. Hæc ille. Certa tamen differentia in his non poteſt haberi.

Ber. ſer. 50 in Cant. ante med.

DISTINCTIO IV.

Quibus ſignis, & conjecturis charitativa affectio qualitercumque manifeſtetur.

ARTICULUS I.

De ſignis charitatis jam genitæ.

C QUarto igitur videndum eſt, quibus ſignis vel conjecturis charitativa affectio, ut a Deo inſpirata eſt, qualitercumque cognoſcatur. Circa quod ſciendum, quod quamvis Magiſter in ſententiis notificare nitatur habitum charitatis, dicens: Charitas eſt virtus gratuita, voluntatem in eſſe ſecundo perficiens, in ordine ad actum diligendi, prompte, & faciliter, propter ſe, & ſupra omnia ſummum bonum: & licet habitus notificentur per eorum actus: tamen, ut ſupra patuit, quia actus charitatis, & actus amoris naturalis, & acquiſitæ dilectionis ſunt ſimillimi, ideo non poſſumus certitudinaliter ſcire, utrum habeamus habitum charitativæ affectionis: quod non abſque

Quibus conjecturis cognoſci poteſt qui non ſit in gratia.

ra-

rationabili cauſa a Deo ordinatum eſt, & ideo oportet nos eſſe contentos aliquibus ſignis, & conjecturis, quibus aliqualiter confidimus nos habere charitatem gratuitam. Et quia iſta ſigna, & conjecturæ oriuntur ex actibus charitatis, quorum aliqui ex ipſa charitate eliciuntur, aliqui ex ipſa imperantur, & horum aliqui ſunt charitatis incipientium, & alii charitatis proficientium, & alii charitatis perfectorum, propter quod Sancti & Doctores aliqui dicunt, aliqua ſigna eſſe charitatis genitæ, aliqua roboratæ, & aliqua eſſe charitatis ſigna jam perfectæ. Et ſigna charitatis jam genitæ ſeu infuſæ, ſicut dicit Bernardus ſunt quatuor, quæ ibi numerat, dicens ſic:

Bernar. in ſer. de omnibus Sanctis.

Primum ſignum charitatis genitæ ſive infuſæ, eſt dolor de culpa præterita. Ratio hujus eſt, Charitas & culpa mortalis opponuntur, & ideo ſimul ſtare non poſſunt in eadem voluntate, ideo quando charitas eſt in voluntate, expellit culpam per dolorem contritionis. Unde Auguſtinus dicit ſic: Radix omnium bonorum eſt charitas, & radix omnium malorum eſt cupiditas, & ſimul ambæ non poſſunt eſſe, quia niſi una radicitus evulſa fuerit, alia plantari non poteſt. Ergo dolor contritionis ſignum eſt habitæ charitatis, cum utraque ſimul in voluntate eſſe poſſit.

In lib. 50 homil. hom. 8 cir. prin. t. 10

Secundum ſignum charitatis genitæ ſecundum Bernardum, eſt firmum propoſitum cavendi futura peccata cum effectu. Cuius ratio eſt, quia habere propoſitum cavendi omnia peccata mortalia cum effectu, nec per amorem naturalem, nec per acquiſitam dilectionem, poteſt diu quis habere ſine gratia, ſive charitate adiuvante. Unde Auguſtinus dicit, quod voluntas ipſa niſi gratia Dei liberetur a ſervitute, qua facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet per gratiam adiuvetur, recte, pieque vivi a mortalibus non poteſt, licet enim propter libertatem

Aug. l. 1 Retract. c. 9 cir. med. tom. 1

A poſſet vitare quodlibet peccatum mortale ſignatum, non tamen propter infirmitatem poteſt diu omnia in communi vitare, quin in aliquod incidat. Ergo diu eſſe ſine mortali peccato, ſignum eſt charitatis iam habitæ, ſine mortali, ideſt ſine conſcientia mortalis.

Tertium ſignum charitatis genitæ, ſecundum Bernardum, eſt delectatio in auditu divini ſermonis. Ratio huius eſt, quia amantes delectantur in ſermonibus mutuis, ſive ſint ſermones inſpirati, ſive ſcripti, ſive exterius auditi, ut ex illis capiant experimentum mutuorum affectuum, quos charitas ſilentio tegere non poteſt. B Mos enim amantium eſt, ait Chryſoſtomus, ut amorem ſuum ſilentio tegere non queant. Unde, & Gilbertus Porretanus idem dicit: Ideo Charitas inſpiratione, ideſt, interna locutione non eſt contenta, ſed ſacri ſermonis inſtitutiones, velut clypeos, undique memoriter apprehendit, ſed nec his contenta, quaſi vociferando clamat: Nunciate dilecto, quia amore langueo, ubi dicit Gloſſa: illis volentibus docere, iſta flagrans amore prior alloquitur. Ex his apparet, quod delectatio in auditu verbi Dei, eſt ſignum charitatis genitæ.

Gilb. Porr. in Cantica ſer. 26 poſt med.

Quartum ſignum charitatis genitæ C eſt promptitudo boni operis. Ratio huius ſigni eſt, quia charitas maxime eſt operativa, quia ipſa eſt amor finis, & ideo imperat omnem actum ordinatum, vel ordinabilem in hunc finem. Unde Gregorius in homilia ſuper Joannem: Si quis diligit me, dicit: Numquam amor eſt otioſus: operatur enim magna ſi eſt, ſi autem operari renuerit, amor non eſt. Et ibidem, Probatio dilectionis eſt exhibitio operis. Et Bernardus ſuper Cantica: Magna res eſt amor, ſi ad ſuum recurrit principium, ſi ſuæ origini reducitur, ſi refuſus ſuo fonti, ſemper ex eo ſumat, unde iugiter fluat. Igitur operatio bonorum operum, ſignum eſt charitatis habitæ.

Greg. ho 30 in Joan. non longe a prin.

Bern. ſer. 33 ſuper Cant. cir. med.

Quin.

Digitized by Google

Quintum ſignum charitatis jam genitæ ponit Anſelmus in libro de ſimilitudinibus, ubi dicit, quod quando aliquis de defectu alicujus triſtatur ſpirituali, & de profectu aliorum ſpirituali lætatur, ſignum eſt charitatis. Et Auguſtinus in una epiſtola ad Hipponenſes, dicens: Qui non dolet de malo proximi, non eſt in eo charitas Chriſti. Ratio hujus ſigni eſt, quia cum ſecundum Dionyſium charitatis ardor ſit virtus unitiva, ideo nititur omnia liqueſcere, & in unum conflare, ut ipſa uniantur. Unde Gregorius ſuper Ezechielem dicit ſic: Ecce qualis eſt charitas, quæ diverſitates mentium accendit, concremat, conflat, & quaſi in unam ſpeciem reformat. Sed hanc conflationem unitivam defectus ſpiritualium impedit, & profectus perficit, ideo charitas facit de uno triſtari & de altero lætari. Unde Apoſtolus dicit, quod charitas non congaudet iniquitati, ſed magis congaudet veritati, igitur triſtari de defectu ſpiritualium, & gaudere de eorum profectu, ſignum eſt charitatis.

Aug. ep. 137 non longe a princ.

Greg. hom. 14 ſuper Ezech. longe ante med.

1 Cor. 13

ARTICULUS II.

De ſignis charitatis jam roboratæ.

Signa charitatis proficientis.

SEcundo quidam tradunt aliqua ſigna charitatis jam roboratæ, ſive proficientis. Et licet multa ſint ſigna iſtius charitatis, tamen quinque ſufficiant magis utiliora. Primum igitur ſignum jam roboratæ, & proficientis charitatis, eſt frequens, & juſta conſcientiæ examinatio, non ſolum de peccatis mortalibus, ſed etiam de venialibus. Ratio hujus ſigni eſt, quia ſicut charitas opponitur peccato mortali, ita fervor charitatis opponitur veniali, ut ipſum expellat ab anima, ne Spiritui ſancto diſpliceat: qui omnes officinas mentis viſitat, & mundat. Unde Gregorius in Moralibus, & Bernardus in ſermone de Pentecoſte, dicunt: Spiritus ſanctus profecto monet, movet, & docet. Monet memoriam, movet voluntatem, & docet rationem, nec

Bern. ſer. 1 de Pent. poſt med.

A minimam peccati paleam, infra cordis, quod poſſidet, habitaculum, patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit. Hæc ille. De quo igne Ambroſius ſuper illud: Veni ignem mittere, dicit ſic. Dicit ignem, quia aurea vaſa Dominicæ domus meliorat, fenum vero conſumit, & ſtipulam. Aurea vaſa ſunt animæ ad imaginem Dei factæ ſecundum tres potentias, ſecundum quas capaces Dei ſunt, ut dicit Auguſtinus 14 & 15 de Trinitate, quas ignis charitatis innovat, & perficit, & peccata deformantia tam majora, quam minora liqueſcendo conſumit. Cum igitur frequens examinatio conſcientiæ ſit a Spiritu ſancto per fervorem charitatis, planum eſt, quia ipſa eſt ſignum roboratæ charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum.

Luc. 12
Ambr. lib. 7 commen. in Luc. 12 t. 3

B

Secundum ſignum proficientis charitatis roboratæ, eſt concupiſcentiæ diminutio. Ratio hujus ſigni eſt, quia quanto charitas diligens Deum magis augmentatur, tanto magis homo a concupiſcentia temporalium elongatur, ex quo ipſa concupiſcentia in tantum diminuitur. Unde Auguſtinus in Enchiridio dicit, quod minuitur concupiſcentia, creſcente charitate, donec veniat ad magnitudinem, qua major eſſe non poſſit. Ubi autem non eſt charitas, ibi regnat cupiditas: regnat autem cupiditas, quando deſiderium veri, & boni expellit, & ſaporem.

Aug. in Ench. c. 121 tom. 3

C

Tertium ſignum charitatis proficientis eſt ſenſuum interiorum, ſive ſpiritualium vitalis exercitatio. Ratio iſtius ſigni eſt, quia ſicut exercitatio ſenſuum corporalium ſignum eſt corporalis vitæ, ita exercitatio ſenſuum ſpiritualium, ſignum eſt ſpiritualis vitæ. Sunt namque quinque ſenſus interiores in mente, ſicut ſunt quinque ſenſus exteriores in corpore, ſicut dicitur in libro de ſpiritu, & anima, & Gregorius in Moralib. dicit: Habitare in corpore animam, probant vitales ſenſus: ita habitare in anima ſpiritum, probat vita ſpiri-

Auct. de ſp. & ani. ca. 49 apud Aug. tom. 3

Digitized by Google

ritualis. Illud ex viſu & auditu dignoſcitur, iſtud ex charitate & aliis virtutibus probatur. *Bern. de reſurrect. ſerm. 2. in princ.* Bernardus ſermone de Paſcha dicit: Fidei vitam opera teſtantur. Sicut enim corporis vitam ex motu ſuo ſcimus: ita fidei vitam ex bonis operibus cognoſcimus. Quia ſicut vita corporis eſt anima, per quam movetur, & ſentit: ita vita fidei eſt charitas, per quam operatur actus virtutum, & Spiritus ſancti. Igitur ex charitate ſive dilectione, quæ eſt vita animæ, ſecundum Hugonem de arrha animæ, ſenſus interiores vivificantur & exercitantur: ideo profectus interioris ſive ſpiritualis exercitationis, ſignum eſt augmentatæ dilectionis, quæ omnia exercet in finem, id eſt, ordinat.

Quartum ſignum charitatis eſt ſtudioſa mandatorum Dei obſervatio. *Joan. 14* Ratio hujus ſigni eſt, quia obſervatio mandatorum vera ſine charitate fieri non poteſt. Unde Dominus dicit ſic: Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, &c. *Greg. in hom. 30. in Evan. non longe a pr.* Quod exponens Gregorius in homilia dicit ſic: In quorumdam corda venit, & manſionem non facit, quia tempore tentationis ab eo recedunt. In quorumdam corda venit & manſionem facit, quia ſic amor ſive charitas Dei eos penetrat, ut ab amore tempore tentationis non recedant. Qualiter autem charitate non proficeret, qui fontem dilectionis in ſe haberet, & jam aliqualiter guſtaret? Unde Auguſtinus dicit: Tu qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam promittitur, quæris, etiam hanc inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias, ſuavem jucundamque guſtabis, ſi ejus, qui eam promiſit, præcepta ſervando, dilexeris. Et ſic patet quartum ſignum charitatis proficientis.

Quintum ſignum charitatis proficientis eſt divinarum veritatum manifeſtatio. Ratio hujus ſigni eſt, quia amor eſt ſignum communicationis, & ideo amicus revelat, & communicat amico ſuo ſecreta ſua quaſi non credens ea ponere extra ſe, ſed in eo, qui eſt ſicut ipſe. Amicus enim

A meus eſt, quaſi alter ego, ait quidam. Unde Richardus dicit: *Rich. de contempl. lib. 4 cap. 16 poſt med.* Si vis noſcere quia ſublimitas divinarum revelationum ſit manifeſtum divinæ dilectionis indicium, audi: *Joan. 15* Jam non dicam vos ſervos, inquit Dominus, ſed amicos, quia omnia nota feci vobis, quæ audivi a Patre, quia ex magnitudine divinæ dilectionis pendet modus divinæ revelationis. Et idem dicit ſic: *Rich. ibid.* Certum igitur ſignum tibi ſit, quod dilectum tuum minus diligis, & ab illo minus diligeris; ſi ad theoricos exceſſus, nondum vocantem, ſequi merueris. Ex quo patet, quod creſcente revelatione, creſcit & dilectio. Et ſignum quintum B charitatis proficientis patet ſic.

ARTICULUS III.

De ſignis extrinſecis charitatis jam perfectæ.

Tertio quidam tradunt quædam ſigna charitatis iam perfectæ, prout poteſt perfici in via. Quia juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens *Prov. 4* procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem, ſcilicet perfectæ charitatis. Et ideo ſciendum eſt, quod in viatoribus duplex eſt perfectio charitatis. Una eſt neceſſitatis & ſufficientiæ, alia eſt privilegiatæ ſanctitatis & excellentiæ. C *Charitatis perfectio duplex.* Has perfectiones tangit Proſper de vita contemplativa, ubi dicit ſic: *Proſp. lib. 3 de vita contempl. c. 15 cir. fin.* In hac vita perfecti ſunt illi, qui perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Deus, nullis peccatis quibus offenditur Deus, acquieſcunt, & ſemper ad virtutes *Deut. 18* habendas ſe extendunt. Perfectionem neceſſitatis tangit, cum dicit: Qui volendo quod vult Deus & hanc habet quicumque manet in charitate; & ad hanc perfectionem invitat Dominus, dicens: Perfectus eris & abſque macula, coram Domino Deo tuo. Abſque macula nempe criminali, ut ait Gloſſa. Perfectionem autem excellentiæ tangit Proſper, cum dicit: Semper ad virtutes habendas ſe extendunt. Unde bene in epiſtola quadam

Digitized by Google

dam dicit ſic: Indefeſſum proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfectionem, reputatur perfectio. Sed
Rom. 7 quia Apoſtolus dicit: Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio: ideo plena charitas qualis erit in patria, nullo modo in via haberi poteſt. Propter quod ſigna talis perfectæ charitatis, in his non quæruntur, ſed ſigna perfectæ charitatis, prout in via haberi poteſt, quæruntur.

Eſt igitur notandum, quod ſigna charitatis perfectæ dupliciter conſiderari poſſunt: quia quædam habentur quaſi ex actibus exterioribus, & quædam quaſi ex actibus interioribus; & licet de utriſque multa aſſignari poſſint, tamen de utriſque quinque ad præſens ſufficiant.

Primum igitur ſignum extrinſecum charitatis perfectæ eſt, ſi quis pro ſalute proximi mori paratus eſt. Ratio iſtius ſigni eſt, quia ſicut dicit
Aug. lib. de gratia & libero arb. c. 17 in princ. tom. 7 Auguſtinus libro de gratia, & libero arbitrio: Parva charitas non ſufficit ad implenda magna mandata, ut ſunt mori pro Chriſto, vel pro fratribus, & cetera hujuſmodi; ſed requiritur ad hoc charitas magna, id eſt, perfecta. Unde ſuper epiſtolam Joannis,
Auguſt. tr. 5 in epiſt. Joan. ante med. t. 9 dicit Auguſtinus. Perfecta charitas hæc eſt, ut quis pro fratribus ſit mori paratus, ſicut & Origenes etiam
Cant. 7 exponit illud Canticorum: Aſcendam ad palmam, dicens. Voluntas patiendi probavit, quia veraciter amavit, & tanto erat amor altior, quanto patiendi pro Eccleſia voluntas erat paratior. Hæc ille. Et Dominus dicit:
Joan. 15 Majorem hac dilectionem, &c. Signum igitur perfectæ charitatis eſt, ſi aliquis paratus eſt mori pro ſalute proximi.

Secundum ſignum extrinſecum perfectæ charitatis eſt, ſi inimicos diligit, & eis propter Deum benefacit. Ratio hujus ſigni eſt, quia ſicut dicit Hugo de arrha animæ: Amor transformat amantem in ſimilitudinem amati, in quantum poteſt: non ſolum quantum ad ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad operationes arduas & difficiles. Cum ergo Deus amatur

A ab eo, qui diligit inimicos & bene facit eis, ſibi aſſimilatur, ut ipſe oſtendit, dicens: Diligite inimicos veſtros, & benefacite eis, ut ſitis perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus *Matth. 5* eſt: & hoc non poſſit fieri per quamlibet dilectionem, ſed per perfectam: quia dicit Auguſtinus in Enchiridio, quod talis dilectio perfectorum eſt, *Aug. in c. 73 t. 3* & Origenes ſuper Cantica dicit: In exhibitione pietatis probatur magnitudo amoris: ideo illud verum eſt ſignum, diligere inimicos propter Deum dilectum.

Tertium ſignum charitatis perfectæ extrinſecum eſt, ſi omnia adverſantia gaudenter ſuſcipit, & patienter
B ſuſtinet. Ratio hujus ſigni eſt, quia charitas perfectam mentem ab amore hujus vitæ quaſi totaliter avertit, & occidendo quaſi inſenſibilem reddit, quia pœnas temporales, & mortem contemnere facit. Unde Gregorius in homilia 9 dicit: Fortis eſt, *Greg. hom. 11 in Ev. paulo poſt princ.* ut mors dilectio; quia ſicut mors corpus interimit, ſic charitas vitæ æternæ ab amore temporalium mentem avertit & occidit. Nam mentem, quam perfecta charitas abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit, neque Sanctus quilibet mori pro Domino potuiſſet in corpore, niſi prius a terrenis deſideriis in mente mortuus fuiſſet. Hæc
C ille. Charitas enim omnia ſuſtinet, ait Apoſtolus. Unde Apoſtoli ibant *1 Cor. 13* *Act. 5* gaudentes a conſpectu concilii, &c. Ex quo patet veritas iſtius ſigni.

Quartum ſignum perfectæ charitatis extrinſecum eſt, ſi omnibus renunciare paratus ſit, & ſequi Chriſtum. Ratio hujus ſigni eſt, quia perfecta charitas omnia renuit, quæ ejus officium impediunt. Unde Apoſtolus omnia arbitratus eſt ut ſtercus, ut dilectum lucrifaceret. Sed temporalium concupiſcentia maxime impedit officium charitatis. Dicit enim Auguſt. quod charitatis venenum, eſt *Aug. in lib. 83 q. 36 in princ. tom. 4* ſpes adipiſcendorum temporalium, & nutrimentum charitatis, imminutio cupiditatis: perfectio vero charitatis eſt, ubi nulla eſt cupiditas. De hoc dicit

Digitized by Google

Greg. lib. 8 mor. c. 13 ſub init. dicit Gregorius: Sunt nonnulli juſtorum, qui ad contemplandum culmen perfectionis dum ad altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt, qui rebus habitis ſe nudant, gloria honoris ſe expoliant, qui deſideriorum internorum aſſiduitate ſe affligunt, de exterioribus habere conſolationem nolunt, quibus Paulus dicit: *Coloſſ. 3* Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Deo. Hæc ille: Et ſic patet, quod renunciare omnibus, & ſequi Chriſtum, ejus voluntatem faciendo, ſignum eſt perfectæ charitatis. *1 Joan. 2* Unde Joannes, dicit: Qui ſervat verbum Dei, vere in eo charitas Dei perfecta eſt.

Quintum ſignum perfectæ charitatis extrinſecum eſt, ſi nihil aliud quam ſolum Deum timuerit. Ratio hujus ſigni eſt, quia ſicut dicit Joannes: Perfecta charitas foras mittit timorem. Quod exponens Gilbertus *Gil. Porr.* Porretanus ſermone 18 dicit: Charitas proximi caret livore, ſed charitas Chriſti caret timore. Hæc enim nihil pœnale habet, timor autem pœnam habet, ergo in Chriſti charitate non erit timor niſi filialis. Quid enim timebit charitas veteres offenſas? quia multitudinem peccatorum *1 Pet. 4* operit charitas. Quid infirmitatem propriæ conſcientiæ timebit ne decidat? quia fortis ut mors dilectio. *Cant. 8* Quid temporales pro Chriſto timebit moleſtias finibiles, cum nec quidem ſi æternæ fuerint, defatigari aut nec evaneſcere poterit dilectio conſummata, id eſt perfecta? Non ideo amat charitas ut pereat, ſed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quam privari uſu amoris interni æternaliter. Hæc ille. Ex his patere poteſt, quod timorem expellit charitas perfecta. Quidam etiam ponunt ſigna iſtius amoris corporalia, ut faciei pallorem, corporis languorem, actionis torporem, &c. hujuſmodi. Sed illa ſunt ſigna tam amoris carnalis, quam ſpiritualis, ut communiter patet.

A

ARTICULUS IV.

De ſignis intrinſecis charitatis perfectæ.

Ultimo videndum eſt de ſignis intrinſecis charitatis perfectæ. Sunt enim quædam actiones charitatis perfectæ quaſi intus manentes a charitate elicitæ vel imperatæ, & tanto ſunt veriora, quanto interiora. Quanto enim charitas perfectior, tanto acutior, & ad intima pertingens, *Hugo in 7 Ang. hier. lib. 7* ut patet per Hugonem, ideo intimiores & perfectiores elicit actus.

Primum igitur ſignum intrinſecum charitatis perfectæ, ſunt profunda & B intima ſuſpiria mentis. Ratio hujus ſigni poteſt eſſe talis, quia quando memoria rei amatæ intima mentis amantis tangit, ſtatim ſuſpiria amoroſa quaſi quoſdam nuncios amoris expellit, donec eam præſentia dilecti viſitet, & viſu reficiat. Unde Gregorius 5. libro Moralium adducens illud Job: *Greg. lib. 5 mor. cap. 7 lib. 3* Antequam comedam ſuſpiro, dicit: Mens ad inſpirationem fulgoris intimi, ſuſpiriis, vegetata convaleſcit: quia eam amor veritatis afficit, & refectio contemplationis paſcit. Tepidus autem amor hoc non facere poteſt, ſed amor perfectus. Patet ergo, quod intima ſuſpiria ſunt ſignum charitatis perfectæ, C ut idem & Richardus dicit. *Tract. de grad. cha. violenta non longe a pr.*

Secundum ſignum charitatis perfectæ, ſunt alta deſideria. Ratio iſtius ſigni eſt, quia Auguſtinus libro 13 *Aug. lib. 13 Conf. c. 9 tom. 1 Ibi.* confeſſionum dicit: Omnia ponderibus ſuis aguntur, & loca ſua petunt, gravia deorſum ut lapis, ſurſum levia, ut ignis. Hæc extra loca ſua exeunt quaſi inquieta, ſed quod eſt pondus in corporalibus, eſt amor in ſpiritualibus. Unde dicit idem: Amor meus pondus meum, eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur. Ergo quanto amor magis accenditur, tanto deſideria amoroſa perfectius ſurſum feruntur, nec quieſcunt, donec ad locum ſuum ſcilicet ad amatum Deum perveniant. *Unde ſequitur.* Inardeſcimus,

Digitized by Google

mus, & imus, & aſcendimus aſcenſiones in corde ad pacem in Hieruſalem. Simile dicit Linconienſis ſuper 3. Ang. Hierar. Et Gregorius libro 7. Moralium dicit ſic: Sancti viri, cum deſiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ ſe ſublevant, ut audire jam quæ mundi ſunt, grave ſibi ac deprimens pondus credant. Valde enim intolerabile æſtimant, quidquid id non ſonat, quod intus amant. *Sequitur infra:* Et multiplicata charitate majoribus deſideriis æſtuant, & jam pervenire ad vitam ſpiritus, etiam per cruciatus corporis anhelant. Ex quo patet, quod alta deſideria, quæ in ſummum deſiderabile tendunt, ſigna perfectæ charitatis ſunt. Idem dicit Richardus in tractatu de charitate.

Greg. lib. 7 Mor. cap. 5 cir. fin.

Greg. ibid. c. 7 ſtatim à prim.

Tertium ſignum & intrinſecum perfectæ charitatis, ſunt cogitationes languidæ. Ratio iſtius ſigni eſt iſta. Fulgentius in quodam ſermone dicit: Neceſſe eſt, ut quo præceſſit dilectionis theſaurus, id eſt, amatum, illuc ſequatur cogitationis affectus, id eſt, deſiderium amoroſum. Ideo veritas ait: Ubi enim theſaurus tuus eſt, ibi & cor tuum erit. *Sequitur.* Ut ergo cœleſtia theſaurizemus, cœleſtia diligamus. Vis ergo noſſe ubi theſaurizas? attende quid amas, attende & quid cogitas, & ita fiet, ut theſaurum tuum ex tuo amore recognoſcas, & amorem tuum judicio tuæ cogitationis intelligas. Hæc ille. Si ergo cogitationis affectus eſt ubi eſt theſaurus amoris, id eſt, amatum, planum eſt, quod cogitatio faſtidit omne aliud ab amato. Unde Gloſſa ſuper illud Canticorum: Adiuro vos filiæ Hieruſaſalem, ut annuncietis dilecto, quia amore langueo: dicit ſic. Præ magnitudine amoris, omnia temporalia ſunt mihi faſtidium, unde langueo. Languor autem iſte cauſatur ex amore perfecto. Unde Origenes ibidem, diſtinguit inter amorem ſimplicem, & ardorem, & languorem. Amant, inquit, incipientes, ardent proficientes, languent perfecti: ergo co-

Fulg. ſerm. de Confeſſoribus longe poſt med.

Matth. 6

Cant. 2

A gitationes languidæ ſunt ſignum amoris perfecti. Simile oſtendit Richardus infra.

Quartum ſignum intrinſecum amoris perfecti, ſunt expectationes tædioſæ: Ratio huius ſigni eſt, quia ſicut dicit Linconienſis: Amore tendente in rem amatam, nihil velocius, nihil acutius, nihil ſubtilius, aut penetrabilius, quia ſua natura non quieſcit, donec ſubſtantialiter totam penetraverit profunditatem, & pertranſierit amabilis totalitatem quantum poteſt. Et idem: Quando curſus iſtius amoris impeditur, vel retardatur qualitercumque, tota mens turbatur, & expectatione attædiatur. B Quia ſicut dicit Richardus: Amanti omnis mora nimis longa videtur, expectatio oneroſa, clamat cum ſancto Job: Tædet animam meam vitæ meæ. Quod exponens Gregorius 9. Moralium, dicit: Præſens vita vileſcere, id eſt, tædere incipit, dum divinus amor dulceſcere cœpit, id eſt, perfici. Unde amans perfecte, cum tædio quodam faſtidit omne, quod curſum amoris impedit. Ideo Gilbertus Porretanus ſermone 11. dicit ſic: Amor terrenarum occupationum impatiens eſt, ſuis ſatis habes inſervire negotiis, otio gaudet, quiete fovetur, ad internam dilectionem libera tempora habere volens. *Sequitur.* C O quam durum eſt amanti animum dimidiare cum Chriſto & mundo. Et quam durum eſt in dilectionis via peregrinas admittere curas, & cœleſte ſecretum ſæcularibus infeſtari turbis. *Sequitur.* Amor nihil magis vult quam amare. Hæc ille. Et ſic patet quartum ſignum charitatis perfectæ.

Lincon. ſuper 7 Ang. Hier.

Rich. de contemp. lib. 4 c. 15 in princ.

Job 10

Greg. lib. 9 Mor. c. 23 in prin.

Gilb. Porr. ſer. 11 in Cantic. in prin. inter Bern. opera tom. 2

Quintum ſignum intrinſecum perfectæ charitatis, ſunt affectiones ecſtaticæ. Ecſtaſis autem eſt exceſſus mentis, ait Papias: Ratio huius ſigni eſt, quia ſicut dicit Dionyſius: Amor in Deum tendens, eſt faciens ecſtaſim ſpiritus. Et reddit rationem ibidem, dicens: Quia amor non permittit amatores eſſe ſui ipſorum per mentis ſobrietatem, ſed eorum qui amantur

Dionyſ. de div. nomi. cap 4

per mentis exceſſum, ſed illi, qui ſunt aliorum, extra ſe ſunt. Quia ſicut dicit Bernardus: Non eſt præſentior noſter ſpiritus ubi animat, quam ubi amat. Quod tamen intelligendum eſt, quantum ad conatum affectionis. Hunc autem exceſſum, non poteſt facere niſi Charitas perfecta, quæ per fortem inclinationem, cauſat tendentiam vehementem in rem amatam, quod oſtendit Dionyſius ibidem per exemplum, dicens ſic: Unde beatus Paulus in amore Dei magnifice excellens dicit. Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Chriſtus. *Sequitur*. Hoc autem dicit verus amator, & ecſtaſim paſſus, vivens Deo & non ſibi. Hæc exponens Vercellenſis dicit: Vivo ego vita naturali, jam non ego, per imitationem exceſſivam ad æternitatis immenſitatem, quaſi abſorpta & ſuo officio ſuſpenſa, dirigor, moveor, doceor, & regor vita ſuperſubſtantiali, cui unior, qua repleor, vivit autem in me Chriſtus, id eſt, ſicut anima ſobria me regit naturaliter, & diſponit ad omnem actum interiorem, ſic virtus Chriſti cui unior gratuite, me vivificat & ad omnia diſponit. *Sequitur*. Hæc dixit ſicut verus amator. Verus amator eſt, qui in ſolum, & ſumme, & vere diligibile, & deſiderabile, immediate, & propter ipſum, ſuperintellectualiter tendit. Hæc ille. Et ſic patet quintum ſignum charitatis perfectæ. Sunt tamen plura alia ſigna charitatis perfectæ, ſed hæc propter brevitatem ad præſens ſufficiant.

Bern. de præcepto & diſpenſ. c. 7

Gal. 2

Vercell. in prolo. ſuper Cant.

DISTINCTIO V.

Qualiter charitativa affectio a ſanctis Doctoribus per gradus dividatur.

ARTICULUS I.

De gradibus amoris gratuiti.

QUinto videndum eſt, qualiter charitativa affectio a ſanctis Doctoribus diſtinguatur per gradus. Dicit enim Auguſtinus ſic: Numquid

Aug. ſuper Canonic. Joan. ho. 5 ante med. tom. 9

A mox ut naſcitur charitas, jam prorſus perfecta eſt? immo ut perficiatur, naſcitur, cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, & cum ad perfectum venerit, dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ex quo patet, quod in charitate ſunt diverſi gradus. Et quia Auguſtinus alibi dicit: Tanto nobis melius, quanto magis ad Deum imus, quo nihil melius eſt: imus autem non ambulando, ſed amando, quem tanto habebimus præſentiorem, quanto eundem amorem quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Hæc ille. Et quoniam major & minor puritas in gra-
B dibus invenitur charitatis, ideo de gradibus ejus videndum eſt, quomodo ab infimis aſcendamus ad medios, & per medios veniamus ad ſummos: quia, ut ait Gregorius: Nemo repente fit ſummus, ſed per gradus ad ſummum pervenitur.

Aug. in ep. 52 ad Macedon. poſt med. tom. 2

Greg. lib. 22 Mor. c. 14 non longe a prin.

Propter quod notandum eſt, quod quidam diſtinguendo gradus charitatis, ſive amoris gratuiti, incipiunt ab infimo gradu amoris, aſcendendo uſque ad gradus amoris violenti. Et quidam alii docent aſcendere ultra per gradus amoris violenti, uſque ad gradus amoris ſeraphici.

Primo igitur notandum, quod quidam doctor, ſcilicet Cantuarienſis ſu-
C per Cantica incipit rationabiliter ab infimo gradu charitatis, ſive amoris gratuiti, aſcendendo per ſex gradus, uſque ad gradus amoris violenti ſive vehementis, dicens: Non omnis amor inducit languorem ſive vulnerat, ſed vehemens amor, qui habet ſex gradus præcedentes, quos enumerat ibi dicens: Primus amoris gradus dicitur amor incomparabilis, & iſte eſt communis omnium electorum. Secundus gradus, eſt amor incontaminabilis, & iſte eſt mundi contemptorum & religioſorum. Tertius gradus, eſt amor infatigabilis, & iſte amor eſt jugiter proficientium & Confeſſorum. Quartus gradus, eſt amor inſeparabilis, & iſte eſt bonorum contemplativorum. Quintus gradus, eſt amor inſu-

inſuperabilis, & iſte eſt Chriſti martyrum ſive victorum. Sextus gradus, eſt amor inſatiabilis, & iſte eſt jugiter deſiderantium, ut ſolitariorum.

Sex gradus amoris gratuiti. His ſex gradibus decurſis, ſequitur amor violenter inducens languorem.

Primus gradus charitatis ſive amoris & infimus, eſt amor intemporalis, qui eſt communis omnibus electis, qui eſt tantæ virtutis, quod omne peccatum mortale ab anima expellit, & Deum ſuper omnem creaturam diligit. Et hic gradus eſt neceſſitatis, ut oſtendit Dominus in
Matth. 10 Evangelio Matthæi, ubi dicit: Qui diligit patrem, & matrem, &c. non eſt me dignus. Ergo ſuper omnia diligendus eſt Deus. Unde Anſelmus dicit, quod creatura rationalis, nihil debet diligere, niſi ſummam eſſentiam, aut propter illam. Ratio iſtius eſt, quia in quo eſt ſumma diligibilitas, ſumme debet diligi, hoc autem eſt Deus.

Secundus gradus amoris charitativi, eſt amor incontaminabilis, & hic gradus eſt mundi contemptorum, qui tantæ eſt virtutis, ut hominem a mundana converſatione abſtrahat, ne mens polluatur, & ne charitas ab opere
Joan. 11. impediatur. Unde Joannes dicit: Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo, quoniam omne quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Ratio iſtius eſt, quia ignis amoris, ut dicit Linconienſis in Angelica Hierarchia, ſeparat heterogenea, & unit homogenea: ſeparat enim omne inconveniens ab amato.

Tertius gradus charitativi amoris, eſt amor infatigabilis, & iſte eſt jugiter proficientium & Chriſti Confeſſorum, qui eſt tantæ virtutis, ut animam non ſinat quieſcere, donec in-
Cant. 3 veniat quem diligit. Unde in Canticis dicitur: In lectulo meo quæſivi per noctem, &c. Surgam circuibo per vicos & plateas, quærens quem diligit anima mea. Quod exponens Origenes dicit: Quærendus es Domine cum frequentia laboris, nunc in lectulo lumine veritatis, nunc per noctes fervore charitatis, abiecta ſuperſtitione naturalis rationis. *Sequitur*. Solus amor te invenit, quia qui te amat, te habet ut amet, amat ut habeat, & ne te in æternum perdat. Hæc ille.

Quartus gradus amoris charitativi eſt amor inſeparabilis, & hic eſt aſſidue contemplantium, & hic gradus tantæ virtutis eſt, ut continuis ſtimulis agitet mentem contemplatoris ad comprehendendum dilectum, donec tandem dicat: Inveni quem diligit anima mea. Et dicit Bernardus: Quis te non teneat Domine Jeſu, qui tenentem te ſpe fortificas, perfectione decoras, perſeverantia conducis, remuneratione perducis? Ego autem non dimittam te, niſi benedixeris mihi & numquam dimittam te, quia non benedicis niſi tenentem te. Iſtum gradum videtur habuiſſe Apoſtolus, cum dixit: Quis ſeparabit nos a charitate Chriſti? &c. *Bern. Ibid.* *Rom. 8*

Quintus gradus amoris gratuiti eſt amor inſuperabilis, & hic eſt Chriſti martyrum & adverſitatibus non cedentium, qui eſt tantæ fortitudinis, ut in libro de moribus Eccleſiæ dicat Auguſtinus: Nihil tam durum, atque ferreum, quod non igne amoris vincatur. Et Hieronymus in quodam ſermone dicit: Nihil amantibus durum eſt, nullus labor difficilis. *Sequitur*. Amemus & nos Chriſtum, & facile videbitur eſſe omne difficile. Ratio huius eſt, quia ſicut dicit Auguſtinus de ſancta viduitate. Nullo modo oneroſi ſunt labores amantium, ſed ipſi delectant, ſicut venantium, aucupantium & piſcantium labores. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Amor autem reddit minus ſenſibilem, ait Auguſtinus. *Aug. lib. de morib. Ecc. c. 22 tom. 1* *Hieron. ep. 22 ad Euſtoch. verſ. fin.* *Aug. de Viduitat. bono. c. 21 prope fin. tom. 4*

Sextus gradus amoris gratuiti eſt amor inſatiabilis, & hic eſt jugiter deſiderantium & ſolitariorum. Hic gradus tantæ fortitudinis eſt, ut nihil ſibi ſufficiat præter unum ſolum quod amat, & ad ipſum ſemper amplius in hac vita ſitit & deſiderat.

Digitized by Google

Rich. de 4 gradib. violentæ charitatis ante med. Ratio hujus eſt, quia ſicut dicit Richardus lib. de charitate: Charitas iſta ſemper invenit, quod adhuc concupiſcere poteſt: quia quidquid agit, deſiderium ardentis animæ non ſatiat, ſitit & bibit, bibendo ſitim non extinguit, ſed quo amplius bibit, eo amplius ſitit. Avidæ enim immo & inſatiabilis animæ ſitis, vel eſuries non ſedatur, ſed irritatur. *Sequitur*. Quid quæſo amore moleſtius, quidve acerbius, cum ſitim ſuam nec reſiſtendo temperare, nec inebriando poſſit extinguere? Hæc ille. Ecce quod iſte gradus amoris, jam ſe extendit ad violentiam quandam amantis, ut clamet cum Pſalmiſta: *Pſalm. 41* Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Unde Cantuarienſis ibidem dicit: Iſtis ſex gradibus decurſis, ſequitur amor inducens languorem, qui eſt gradus amoris violenti. Et ideo nunc de illo dicendum eſt.

ARTICULUS II.

De gradibus amoris violenti.

Rich. ibid. ſtatim a prin. De gradibus igitur amoris violenti, loquens Richard. in tractatu de charitate dicit: Vis magna dilectionis, magna virtus charitatis, multi gradus in ea, & in illis magna differentia, & quis eos diſtinguere vel ſaltem dinumerare ſufficit? Et dinumeratis aliquibus gradibus, *Ibid. paulo poſt.* idem dicit: Supra tamen omnes gradus dilectionis, eſt amor iſte ardens & feruens, qui cor neceſſitat, & medullitus transfigit, ut veraciter dicat: Vulnerata charitate ego ſum. *Cant. 2 a ſec. lxx.* *Et ſequitur*: Cogitemus ergo, quæ ſit ſupereminentia charitatis Chriſti, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis ſuperat, affectum carnis tranſcendit, vel extinguit, inſuper & animam ſuam in odium vertit. O vehementia dilectionis, o violentia charitatis Chriſti, o excellentia & ſupereminentia charitatis Chriſti. Hoc eſt de quo loqui volumus, de vehementia charitatis, de ſuper-

A eminentia perfectæ æmulationis aſcendendo ad opera violentæ charitatis: & invenio quod charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum inducit. Quid horum non violentum? quid horum non validum? Hæc omnia Richardus. *Rich. ubi ſup. proxi. non longe a prin.* Et poſt hoc proſequitur dicens.

Primus igitur gradus violenti amoris eſt, quando mens deſiderio ſuo reſiſtere non poteſt, quin vulneretur. Nonne tibi cor percuſſum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque tranſverberat, in tantum ut deſiderium ſive æſtum cohibere animo non valeat, deſide- B rio ardet, affectum fervet, æſtuat, anhelat profunde ingemiſcens, & longa ſuſpiria trahens, ut dicat, Uulnerata charitate ego ſum. Sed nota, quod amor violentus non ſolum vulnerat amatrices animas, ſed etiam cœleſtes ſubſtantias, immo etiam ipſum fontem amoris Deum vulnerat. Unde Vercellenſis exponens illud Canticorum: Filii matris meæ *Cant. 1* pugnaverunt contra me, dicit: Filii ſunt ſubſtantiæ ſupernæ civitatis, ex qua ipſa aſſidue ſpiritualia percipit alimenta, pugnaverunt contra me. Pugnantes corporaliter, ſpiculis acutis mutuo ſe feriunt & pungunt; ſic mentes contemplativæ ſpiculationes C volatiles, ferventia deſideria, ſubtilia & acute penetrativa immittunt, primo quidem in paranymphos. Prorſus eiſdem pertranſitis in ſponſum dirigunt ſagittas acutas volatiles, violenti ſcilicet amoris, ut dicat: Vulneraſti cor meum, ſoror mea Sponſa, ſicut dicitur in Canticis. *Et ſe- Cant. 4* *quitur*. Ex quo a diebus Joannis re- *Matth. 11* gnum cœlorum vim patitur. Ex tunc enim regnum cœlorum quaſi violenter rapitur ab his, qui ſtimulo violenti amoris aguntur, mentes enim cœleſtes ad ſimilitudinem pugnantium, his ſpeculationibus & deſideriis occurrentes, luminibus fervidis & penetrativis illos perfundunt, & ad ſui ipſarum exceſſum, quaſi ad quandam ſpiritualem mortem provocant,

quam

Digitized by Google

quam eligunt oſſa, ut vivant vita Sponſi. Hæc Vercellenſis. De ſigno hujus amoris Richardus ubi ſupra dicit: Hæc tibi animæ vulneratæ certa ſunt ſigna, gemitus, & ſuſpiria, vultus pallens, atque tabeſcens, quæ omnia operatur amor vehemens. Sed poſt ſubjungit utilitates iſtius gradus, dicens: In primo iſto gradu ſpiritus iſte intrat ſuper mel dulcis ad animam, & inebriat eam in tantum, ut habere dicatur mel & lac ſub lingua. Et parum poſt dicit ſic: Hic eſt ille cibus cœleſtis, qui egredientes de Ægypto ſolet reficere, & per ſolitudinem ducere & paſcere, hoc eſt illud manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit, non per doctrinam, ſed per experientiam, & hic eſt ille dulcor ſuavitatis ſpiritualis, & tenera ſuavitas, quæ ſolet lactare, & alere, & ad maturitatem paulatim perducere. *Et infra:* Hoc ergo, æſtimo, per dilectionis gradum agitur, ut dum mens ſæpe viſitatur, ſæpe reficitur, ſæpe inebriatur, quandoque ad majora audienda provocatur, & ad ſecundum gradum charitatis diſponitur. Hæc ille. *Apoc.* 2

Ibidem. Secundum gradum amoris violenti, inquit Richardus, diximus illum qui ligat, ſicut primum diximus, qui vulnerat. Nonne, inquit, ſine omni contradictione animus ligatus eſt, quando omnium obliviſcitur, ut aliud meditari non poſſit? quia quidquid agat, quidquid dicat, ſemper hoc mente revolvit, perennique memoria retinet, hoc dormiens ſomniat, hoc vigilans omni hora tractat. Unde facile eſt perpendere, ut arbitror quomodo hic gradus priorem gradum tranſcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam eſſe permittit. *Sequitur.* Recte itaque dictum eſt, quod prior gradus ſit qui vulnerat; ſecundus ſit iſte qui ligat. Licet ergo ligari minus ſit quandoque, quam vulnerari, tamen major violentia videtur eſſe, ſi poſtquam aliquis percuſſus deiicitur, dejectus deprehenditur, deprehenſus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur, A atque ligatur, & iam omnino captivus tenetur. Quid horum quæſo maius & violentius? Ille liber eſt, iſte autem a loco in quo detinetur, recedere non poteſt. Sic utique qui a ſecundo gradu violentæ charitatis abſorptus eſt, quidquid agat, quocumque ſe vertat, ab illa una & intima ſolicitudinis ſuæ cura avelli non poteſt, quia ligatus eſt. Hæc ille. Sed quæ ſunt vincula, quibus ſpiritus ſive animus ſic ligari poteſt? Reſpondet idem, dicens: Si vultis audire de charitate ligante, propheta Oſea dicit: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Sed qui ſunt iſti funiculi Adam primi parentis noſtri, niſi munera Dei? In magna enim gloria creatus fuit. Quid igitur ſunt iſta charitatis vincula, niſi Dei beneficia, bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ? Huius enim beneficentiæ vinculis debitores obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, & gloriam repromiſit. Ecce funiculus triplex. Funiculus, autem triplex difficile rumpitur. Seneca dicit: Qui beneficium accipit, libertatem vendidit. *Sequitur.* Adiecit autem Dominus adhuc nova vincula charitatis, quæ manu valida multiplicat ſuper nos, ut nos ſibi arctius aſtringat, quæ enumerari non poſſunt. Hæc ille. Cum his concordat Vercellenſis, qui exponens eandem auctoritatem dicit: In funiculis Adam traham eos, id eſt, in vinculis charitatis. Ipſe ſiquidem Deus mentem movet in ſe ſuo amore, adducitque ſuis participationibus, quibus ſolum cognoſcitur; quantæ autem illæ ſint quis novit? Richardus igitur quaſi concludendo dicit: Sicut in priori gradu deguſtata ſuavitas ſatiat animum transfigitque affectum: ſic in hoc ſecundo gradu, inſpecta claritas cogitationem ligat, ut illius obliviſci, vel aliud cogitare non poſſit. Vincula illius alligatura ſalutis dicitur in Eccleſiaſtico.

Oſee 11 — *Eccleſ.* 4 — *Rich. ibid.* — *Eccleſ.* 6

Ad tertium itaque gradum violenti amoris aſcendit, quando omnem alium amorem excludit, quando nihil

Digitized by Google

hil præter unum, vel niſi propter unum diligit. *Sequitur*. In hoc itaque tertio gradu violentæ charitatis, nihil omnino ſatisfacere poteſt, præter unum, ſicut & nihil ſapere poteſt, niſi propter unum. Unum amat, unum diligit, unum ſitit, unum concupiſcit, ad unum anhelat: in unum ſuſpirat, & in uno inardeſcit, in uno requieſcit, unum ſolum eſt in quo reficitur, unum ſolum ex quo ſatiatur, nil dulceſcit, nil ſapit, niſi hoc uno condiatur. *Sequitur*. Quidquid ultro ſe offerat, quidquid ſponte occurrat, cito reiicitur, cito conculcatur, quod ſuo affectui non militat, vel ejus deſiderio non deſerviat. Sed quis huius affectus tyrannidem digne deſcribat? quoniam omne deſiderium expellit, omne ſtudium excludit, omne exercitium violenter opprimit, quod ſuæ concupiſcentiæ deſervire non concupiſcit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile immo intolerabile videtur, niſi in unum ſui deſiderii finem concurrat. Cum autem frui poteſt eo quod diligit, omnia pariter ſe habere credit, ſine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabeſcit ac langueſcit, conſilium non accipit, rationi non acquieſcit, nullam conſolationem admittit, ſed clamat cum Sponſa: Nunciate dilecto, quia amore langueo. Ubi ait Gloſſa: Præ amoris magnitudine, omnia temporalia ſunt mihi faſtidio. *Sequitur*. Cant. 2

Tertius itaque gradus amoris eſt, quando mens rapitur in Deum luminis abyſſum, ita ut humanus animus in hoc ſtatu omnium exteriorum oblitus, penitus neſciat ſeipſum, totuſque tranſeat in Deum ſuum. In hoc itaque gradu, compeſcitur plene carnalium deſideriorum turba, & fit in cœlo ſilentium quaſi dimidia hora: in hoc namque gradu dum mens a ſeipſa alienatur, dum in illud divinum ſecretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio circumdatur, intime penetratur & inflammatur, ſeipſum penitus exurit, & divinum quemdam affectum induit; & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam tranſit. In hoc ſtatu anima in illum quem diligit liqueſcit, & in ſeipſa tota langueſcit, ut dicat: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Hæc ille. Apoc. 8 Cant. 2

Sed nota, quod triplex eſt languor. Primus eſt defectus corporis, ex intenſione fervoris, amoris, vel charitatis. Unde Gloſſa dicit: Jam anima ſupradictis confortata, ita in amore Dei ardet, ut præ nimio ardore, languor carnis immineat; creſcente enim virtute mentis, decreſcit fortitudo corporis, ait Gloſſa ſuper illud Geneſis: Angelus Domini tetigit nervum, &c. Gen. 32

Item eſt alius languor charitatis reſpectu temporalium. Unde Gloſſa ibidem: Quanto, inquit, ad amorem Sponſi ſe accendit mens, tanto ab amore temporalium langueſcit.

Item eſt alius languor reſpectu tribulationum: habet enim amor plagas ſuas, ſecundum Auguſtinum, quæ quandoque amariſſime infliguntur. De his tribus dicit Origenes: O ſi ſic langueſcat ſervus Chriſti in ſpe æternæ viſionis, ut caro preſſa non laſciviat, mundus fallax non involvat, tribulatio utilis eos cuſtodiat, cum quo ſuis in tribulationibus eſt ipſe Deus, ut dicit Pſalmiſta: Cum ipſo ſum in tribulatione, &c. Et Richardus concludens in fine dicit: Sicut primus gradus affectum ſauciat, ſic ſecundus ſauciatum ligat, ſic tertius actionem implicat, ut animus circa aliqua occupari non poſſit, niſi quo eam voluntatis divinæ nutus trahit vel impellit. Et ſic qui ad hunc tertium gradum amoris profecerunt, nil iam propria voluntate agunt, nihil omnino ſuo arbitrio relinquunt, ſed divinæ diſpenſationi omnia committunt. Hæc ille. Sed hic caute intelligas, ut non cooperationem totaliter excludas creaturæ. Unde Richardus ibidem addit dicens: Sicut artifex liquefactis metallis, formam quamcumque voluerit, imprimit, ſic Pſalm. 90

anima in illo ſtatu ad omnem divinæ voluntatis nutum ſe facile applicat, immo ſpontaneo quodam deſiderio ad omne eius arbitrium ſeipſam accommodat, & iuxta divini beneplaciti modum, omnem voluntatem ſuam informat, ut obediat cum Chriſto uſque ad mortem. Huic exemplari quilibet ſe debet conformare, qui vult ſummæ charitatis gradum attingere.

Quartus gradus violentæ charitatis eſt, ut ait Richardus ibidem, quando æſtuantis animi deſiderio iam omnino nihil ſatisfacere poteſt, & ideo ad defectum ducit. *Sequitur*. Quis huius ſupremi gradus violentiam digne penſare ſufficiat? quid quæſo cor hominis profundius penetrat, vehementius exagitat, cum ſitim ſuam nec reſiſtendo temperare, nec inebriando extinguere poſſit? In hoc quarto gradu eſt amor inſuperabilis, quia alii affectui etiam maiori non cedit. Inſeparabilis eſt, quia a memoria numquam recedit. Singularis eſt, quia ſocium non recipit. Inſatiabilis eſt quia ei ſatisfieri non poterit. *Sequitur*. Quanta eſt excellentia ipſius amoris, qui omnem alium affectum excedit? quanta quæſo vehementia, quæ mentem quieſcere non ſinit? quanta obſecro violentia charitatis, quæ omnem alium affectum violenter expellit? quanta ſupereminentia, cui omnino nihil ſufficit? O excellentia amoris, o violentia dilectionis, o charitatis vehementia, o æmulationis ſupereminentia. *Et infra dicit*: In primo gradu, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, eo quod inſuperabilis ſit. In ſecundo gradu, anima ponit dilectum ſuum ſuper cor ſuum ſicut ſignaculum, eo quod illum omnino oblviſci non poteſt. In tertio gradu, ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam, eo quod in re alia delectari non poſſit. In quarto gradu, fortis eſt ut mors dilectio, & dura ut infernus, æmulatio, eo quod ei ſit dulce, quidquid pro Deo facere, vel ſuſtinere poſſit: hic enim omnem alium affectum expellit & vincit. Si enim ad aliquid affectum habemus, quod propter Deum non diligimus, profecto adulterinus affectus eſt, qui ſummæ charitatis conſtantiam frangit, vireſque eius minuit, inquantum ad aliena animam trahit vel impellit. *Sequitur*. In primo igitur gradu, diligitur Deus ex corde, in ſecundo ex toto corde, in tertio ex tota anima, in tertio ex tota anima, in quarto autem ex tota virtute: *Et infra dicit*: Secundum aliquem modum anima in hoc gradu efficitur immortalis & impaſſibilis, immortalis, quia a vita ſeparari non poteſt. Certus ſum, inquit Apoſtolus, quod neque mors, neque vita, neque aliqua creatura, &c. Nonne impaſſibilis ſecundum aliquem modum videtur, qui illa damna non ſentit, qui in omni iniuria hilareſcit, & quidquid infertur ei ad pœnam, totum præſumit ad gloriam, ut cum Apoſtolo dicat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c. Et Apoſtoli ibant gaudentes, &c. Nonne hic gradus amoris violenti videtur animum hominis quaſi in amentiam vel in ſanctam inſaniam vertere, dum non ſinit eum in æmulatione modum vel menſuram tenere? Nonne ſummæ amentiæ videtur eſſe, veram vitam repellere, ſummam ſapientiam arguere, & omnipotentiæ reſiſtere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus a Chriſto ſeparari cupit? ſicut ille, qui dixit: Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, in quo me ſcripſiſti. Nonne ſapientiam arguere voluit vel docere, qui ad Deum loquitur, dicens: Abſit a te Domine, ut rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio, fiatque iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum facere. Nonne omnipotentiæ reſiſtere tentavit, qui iram eius mitigare homo præſumſit atque prævaluit, quando Dominus ſententiam mutavit? Ecce in quantam præſumptionis audaciam, conſummatio charitatis ſolet mentem hominis erigere: Hæc omnia Richardus, præpoſtere tamen.

Cant. 8. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Rom. 8. 2 Cor. 12. Act. 5. Exod. 32. Gen. 18.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De gradibus amoris ſeraphici.

DE gradibus autem ſeraphici amoris nunc dicendum eſt, non quod nos ſimiles actus amoris exercere in hac vita poſſimus: ſed quod nos ſtudeamus aliqualiter imitari eos, inquantum poſſumus in divino amore.

1. Primo igitur videamus de amore Angelorum in communi. De quo ſciendum eſt, quod ſicut Dionyſius dicit, ſecundum translationem Vercellenſis: Amorem divinum Angelorum intelligere oportet immaterialiter, qui eſt ſupra mentem & deſiderium, indeclinabile in aliud, & irremiſſibile a proprio fervore contemplationis divinæ, & per exceſſum omnis ſubſtantiæ in ſolos Sponſi amplexus tendentis, & nulla anxietate afflictus, ut accidit in deſideriis carnalium voluptatum, quarum appetitus plenus eſt anxietate, & infra deſiderium non volens coerceri vel remitti propter ſui fortitudinem ad id, quod appetit, & incorruptibilitatem ad id, quod nulla actione valet intercidere, propter hoc quod pure Deum & ſimpliciter deſiderant, & nihil eſt quod poſſit eos ab eius amore revocare vel retardare. Et quia ſemper Deus eſt uniformis, & æqualiter bonus & pulcher, & quia ipſe habet in ſe ſimpliciſſime omnem ſpeciem deſiderabilem, ut ſapientiam, bonitatem, pulchritudinem, æternitatem, omnipotentiam, &c. & ſecundum omnia eſt totus deſiderabilis, ut habetur in Canticis. Ideo trahit plenarie, intime, irrevocabiliter in ſe omnium ſuorum omnia deſiderabilia comprehenſorum. Hæc ille. Et cum hoc concordat. Linconienſis commentator ibidem, dicens ſic: Angeli ex rationis abundantia ſcientes illud, quod appetunt eſſe deſiderabile, & vere, & vehementiſſime, & totis viribus deſiderandum, & amandum amore puro, & non in aliud tendente, illud intendunt ita fortiter & tam invertibiliter, quod illa tentio a nulla potentia interdici poteſt vel impediri, & eſt ipſe amor intentio & progreſſio ad aliud, & amplexus illius adepti, nec aliqua ratione aut modo aliquo retinetur, aut avertitur, aut remittitur eorum tentio in illud, aut progreſſus, aut in illud adeptum amoris amplexu deſeritur. Hæc ille. Ex his apparet, quantum amor Angelorum excedit amorem noſtrum, ſaltem quantum ad actum & operationem. Non invenimus in ſcriptura ſacra, gradus amoris Angelici diſtincte traditos, niſi Seraphim. De quorum amore Dionyſius loquens ponit quinque gradus, vel magis quinque proprietates, dicens: Congruum eſt, ut in ſupremis ſubſtantiis ordinetur prima Hierarchia, quæ ſuper ceteras exaltatur, & circa Deum immediate collocatur, ad quam tamquam Deo proximam principalius deferuntur, primo Dei influitiones & perfectiones. Et illius Hierarchiæ ordo primus Seraphim, id eſt, calefacientes, vel incendentes interpretantur. *Sequitur*. Interpretatio autem iſtius nominis Seraphim, incendentes, vel calefacientes iuxta naturales proprietates ignis, qui incendit & calefacit, nobis ſignificat æternam mobilitatem ſubſtantiarum illius ordinis circa divina, & inceſſabilitatem, & caliditatem, & acutum, & ſuperfervidum. Alia translatio habet, & excedentem fervorem ſempiternæ motionis eorum in Deum, quæ attentiſſima eſt & irremiſſibilis, & in aliud deſiderabile numquam declinans. Hæc verba occultiſſima ſunt, ideo Linconienſis commentator exponens ea dicit ſic: Ad hos deiformes habitus tam excelſos, & a noſtra infirmitate longinquos, & viſui noſtro tam abſconditos exponendos, omnino minores ſumus. Veriſimile eſt enim hoc eſſe de arcanis verbis, quæ Paulus in raptu ſuo audivit, quæ homini non licet loqui. Hæc tamen Dionyſio quaſi ſpecialiſſimo diſcipulo, & cœleſti eius concivi locutus

Vercell. de Ang. Hier. c. 5 — *Cant. 5* — *Dion. de Ang. hier. cap. 7* — *2 Cor. 12*

cutus eſt, quæ iſte, ut exiſtimo, non A omnibus communiter ſed puritate intelligentiæ & divinis illuminationibus & gratia privilegiatis, ac per hoc ſuper hominem elevatis, decrevit communicare, de quorum numero ego non ſum, tamen communicabo ea in quantum poſſum. Hæc ille. Similiter commentator Hugo, oſtendit ſubtilitatem iſtorum verborum, & dicit ſic: Si quod ſentio dicam, primum hoc fateor; quia verba audivi, aut non homini dicta, aut non dicta ab homine. Nam per hominem ea dici tam magnum mihi videtur, ut nihil amplius homini dari poſſit. Et quia forte verba iſta ab illis verbis nata ſunt, quæ audiri potuerunt, dici non debuerunt. Nam B ille, qui hæc dicebat, uſque ad tertium cœlum pervenerat, & intraverat in Paradiſum Dei, ibique verba quædam audierat de verbo ſecreta omnino & proxima ſilentio, uſque ad quæ auris humana non contingeret, quæ nemo audiret, donec ſciret. Intus enim audiebantur, ubi dicebantur, & non poterant exire foras, ubi erat homo. Propterea ab eo, qui intus erat & valde intus, intus, & introrſum audiri potuerunt: ſed his, qui foris erant dici non debuerunt: ne tamen vel illi, qui foris erant, derelinquerentur, ſi ab eo, qui intus erat non vocarentur, nata ſunt verba de verbis, ſicut de verbo nata fuerant de C verbis, quæ intus ſervari debuerunt, verba quæ foras proferri potuerunt, de immenſis magna: de occultis obſcura, de impenetrabilibus profunda: quæ a nobis audita ſunt tamquam tonitrua, utrum intellecta, neſcio. Et addit ibidem; Si hæc non guſtantur, non amantur: ſi autem non amantur, non intelliguntur: & ſi non intelliguntur, vane audiuntur. In amore autem fit guſtus, id eſt, experientia, quæ eſt magiſtra intelligentiæ, & noſtra conſummatio. Hæc ille. Igitur qui volunt hoc perfecte intelligere primo experiantur. Narrata autem difficultate iſtorum verborum, prædictorum doctorum expoſitionem videamus utrorumque.

Hugo in 7 Ang. hier. lib. 6 ante med.

Prima igitur proprietas ſeraphici amoris, ſive ſupremus gradus ſecundum Dionyſium, eſt ſemper mobile. De quo Linconienſis, & commentator Hugo concorditer dicunt, quod auctor volens oſtendere proprietates amoris, quo fervent Seraphim, ſicut ea ſignificavit per ignem, ſic eorum deiformes habitus ſignificat per ignis proprietates. Ignis namque proprietates ſunt, ſempiterna non interrupta mobilitas, caliditas, acumen penetrativum, & velociter acutum & ſuperfervidum: quia interius, calidum ſibi eorum, quæ contingit, eſt aſſimilativum. *Et infra ſequitur*: Eadem ignis proprietas, quæ dicitur motio amoris, ut æſtimo, ſignat actionem & amationem non interruptam, nec finitam quiete, vel pauſatione ab agendo. Quæ enim poteſt eſſe alia amoris motio, niſi ejus actualis amatio, quæ non in illis cœleſtibus ſubſtantiis, ſicut in nobis quandoque quieſcit & finitur, ſed ſempiterne agit, exiſtens intenta, ut non debeat quandoque ab agendi motione: ac per hanc intentionem intermiſſibilis ab amandi intenſione, & indeclinabilis & inflexibilis ab amando ordinate amatum, & indeclinabilis ad aliquid aliud inordinate amandum. *Sequitur*. Hujuſmodi ergo ſemper motione, prædicto modo, attenta, & per hoc irremiſſibilis & indeclinabilis ſemper mobilis circa divina, primo docet manifeſtative cognominationem Seraphim. Hugo commentator addit hic, dicens, quod motio dilectionis quæ ad ſuperiora eſt intenta, intima & inflexibilis dicitur: prout autem fit ab ſubjecta, id eſt, inferiora reductivæ & activæ exemplativum nominatur. Motus enim ille, qui in ſuperiori eſt contemplatio, in inferiori eſt operatio, & ad ſuperiora tendit, ut in eis requieſcat, ad inferiora tendit, ut ea ad ſe reducat, ſurſum charitas movetur, ut illic maneat deorſum ut redeat. Præterea motio charitatis in ſuperioribus quidem ad inferiores reductiva & activa dicitur: reductiva in eo quod illos ad Creatorem ſuum eodem igne charitatis ſuccendens con-

Hugo lib. 7 Ang. hier. ubi ſup.

ver-

vertit: activa vero, in eo quod illos accepta claritate illuſtrans, ad ipſius voluntatem componit. *Et infra*: Propter quod itaque dilectio illorum exemplum facta eſt in inferiorum ad ſuperiora tendendi, & ſecundum ſuperiora incedendi tamquam recaliſicans iſta, ſcilicet inferiora, & reſuſcitans in conſimilem caliditatem, ut ſemper ardeant, ſed non æqualiter. Mobile igitur amoris eſt, ut non torpeſcat dilectio noſtra, neque tepeſcat. Hæc Hugo ibidem.

Ibid. paulo poſt.

Secunda proprietas, vel gradus Seraphici amoris, eſt inceſſabile, vel infinibile. Et hæc proprietas amoris differt a prima. Et commentator Linconienſis reddit rationem differentiæ, dicens: Sicut hæc particula, ſemper mobile, tollit interruptionem motionis in amotione: ſic hoc adjunctum inceſſabile vel infinibile, tollit terminationem durationis. Vel forte, inquit, Linconienſis per hoc, quod dicit Auctor, inceſſabile, vel infinibile, intendit exprimere hanc proprietatem amoris, ad ſimilitudinem proprietatis ignis, videlicet quod ſicut ignis non habet terminum in agendo, dum invenit materiam aptam in quam poſſit tranſire. Sic amor, & ejus actio non habent terminum in agendo, dum inveniunt materiam aptam, in quam poſſunt tranſire. Deus autem infinitus eſt, quia infinitæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, &c. De ipſo igitur dictus amor in ſeipſum tranſiens, ſemper invenit aptam materiam in quam naturaliter aptus natus eſt tranſire, & ignis qui eſt amor aptus natus accendi. *Sequitur;* Amor igitur & amoris motio in divina, terminum non habet in agendo. Signatur igitur per mobile ſemper, ſempiternitas privans interruptionem, & durationis interminationem; per inceſſabile vero vel infinibile, amoris & amotionis ſignatur augmentabilitas, privans terminum augmentationis ſeu intenſionis & magnitudinis. Unde verus & conſuetus ſermo, quo dicitur: Modus amandi Deum, eſt quod ſit ſine modo & menſura. Secundo A idem declarat dicens: Si ſcibilia ſunt infinita, ſaltem ex infinitate ſpecierum, numerorum, & figurarum, & his per ſe accidentibus, & intellectus naturaliter amat omnia ſcibilia, ſcire, &c. Tertio idem declarat per reflexionem amoris ſuper omnem ſuum actum, reſpectu omnium virtutum. Advertendum eſt, quod per prædicta duo nomina, ſc. per nobile, & inceſſabile ſeu infinibile, ex vi ſermonis non ſignatur actus, ſed ad prætactos amoris actus naturalis aptitudo. Hæc omnia Linconienſis, & ibidem addit dicens: Motio igitur illorum ſpirituum ſummæ divinitati appropinquantium, inceſſabilis dicitur, & intenta per intima, & inflexibilis, quia a ſe per B amoris deſiderium in Deum tendens, & mobilis ſemper eſt, & numquam in ſe ſubſiſtit, & intenta ut in illum pergat, & intima ut ad exteriora non defluat, inflexibilis ut ad alia extra ipſum non divertat: mobile ad inquiſitionem excitat, inceſſabile ad perſeverantiam confirmat. Hæc ille.

Bern. de dilig. Deo, in princ.

Tertia proprietas ſive gradus ſeraphici amoris eſt calidum. De quo dicit Hugo in commento, quod hoc, tertio loco convenienter ponitur, quia ſicut mobile præcedit, ut inquiſitionem excitet: & inceſſabile ſequitur, ut ad perſeverantiam confirmet: ita C calidum ſequitur, ut ſenſum viviſicet, & acutum ſequitur, ut ad apprehendendum penetret, & ultimo ſuperfervidum ſequitur, ut adhæſionem & amplexum quietum manifeſtet. Require plura ibi, ſi vis. Linconienſis autem de calido loquens, dicit ſic. Sicut prima actio ponderoſi vel levis, eſt inclinatio ad naturalem locum, ſic actio virtutis ſeu potentiæ amativæ eſt inclinatio ad naturale amabile. Hæc tamen actio non ſimpliciter eſt amatio, ſicut inclinatio ponderoſi & levis nondum actualis eſt motio ad locum naturalem, cum frequenter ſit inclinatio cum quiete rei inclinantis, altero prohibente actum motionis. Hanc igitur inclinationem virtutis amativæ, puto ſignifica-

Hugo ubi ſup. prox. ante incid.

ficari per calidum: motionem autem A ad naturaliter amabile amplexandum, exiſtimo ſignificari per acutum. *Ideo ſequitur*. Ipſam autem rei amatæ amplexationem, ſemper tentionem, ſeu cum illa adhæſionem, & in illam quietationem manifeſtari per ſuperfervidum. Caliditas enim, naturaliter eſt inclinativa ſubjecti in dilatationem & diffuſionem ſui in omnem partem. Gaudium autem eſt animi diffuſio: ſed amor eſt res, quæ per ſe & ſola eſt gaudioſa & dilatabilis. Eſt igitur res amor per ſe dilatationis, & diffuſionis participativa: quapropter & inclinatio ad actum amoris, eſt inclinatio ad actum dilatationis & diffuſionis. Unde convenienter hæc inclinatio nomine calidi B eſt expreſſa. Calor namque, qui intus eſt non videtur, & movet virtutem incendii latentis, ſed quod movet videtur, & ex quo videtur, intelligimus vim magnam & violentiam fortem caloris, qui latet & non videtur. Calor iſte ſine tumultu & actione ſenſitiva ad amorem ingreditur, ut ingreſſus illius ſibi aſſimilet, & tandem potenter a ſeipſo eiiciat, & tandem per calorem totus igneſcat. De iſto gaudioſo amore dicit Richardus ſic: Amor eſt dulcedo ſaporis intimi, & quanto ardentius amat, tanto ſuavius guſtat. Et amor eſt gaudium ſpei, quia ubi amor, ibi ſpes, & ubi C eſt ſpiritualis amor, ibi eſt ſpirituale gaudium.

Amor quid.

Quarta proprietas ſive gradus ſeraphici amoris eſt acutum. Quod exponens commentator dicit ſic: Acutum, ſignificat quemdam impetum amoris, & vehementiam deſiderii ardentis & penetrantis, ut ibi ſit ubi eſt ipſum amatum, cum ipſo & in ipſo, ut non ſolum ab ipſo calidum ſit, ſed tranſeat acutum in ipſum. Poterat enim calidum eſſe, & quaſi de longe calidum fieri, cui hoc ſatis eſſet, amare abſentem, & præſentem non videre, vel præſentiſſimum poſſidere. Sed non erat iſte amor perfectus niſi acutum faceret ſibi foramen, & tranſiret omnia, & penetraret donec ad dilectum perveniret, immo potius in dilectum iret. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, neque acutum habes dilectionis, & torpens diviſus es, manens extra, & alius a dilecto, & unum non efficeris cum ipſo. Amor autem te vult unum facere cum ipſo, & ideo penetrat omnia, & appropinquat quantum poteſt ad unum ipſum. Unde Propheta ait: Ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. Impetus acutum eſt. *Et infra dicit*. Acutum non quieſcit, donec intret & penetret, & dicat: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ. Sed tamen ipſum ad te introductum, non quolibet modo, ut ſcilicet ſubſiſtat extra apud te, vel in partibus tuis, ſive ante oſtium domus tuæ, aut etiam ſolummodo in domo tua: quia hoc non eſſet ſignum magnæ dilectionis, niſi uſque ad thalamum perveniat, & cubiculum ingrediatur, & uſque ad interiora penetret, & in intimis requieſcat. Ipſe autem ingreditur, ut & tu ingrediaris ad illum. Hæc ille. Linconienſis illud verbum exponit, dicens ſic: Acutum, dicitur tam quod ſubtile & penetrativum eſt, quam quod in motione velox. Inhiatione autem tendente in rem amatam, nihil velocius. Unde nihil acutius, nihil ſubtilius amore, aut penetrabilius: quia natura non quieſcit donec naturaliter totam amabilis penetraverit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantum poteſt. Hoc igitur exiſtimo ſignificari per acutum. Hæc ille.

Hug. ibid. *Ezech. 1* *Cant. 3*

Quinta proprietas ſive gradus ſeraphici amoris eſt ſuperfervidum. Quod Linconienſis exponit, primo oſtendens quid ſit fervidum, & quid ſit ſuperfervidum. Dicit ergo ſic: Fervere dicuntur, qui impreſſo calore ſupra ſe ſurſum feruntur, & proprio pondere in ſe redeunt, hujuſmodi ſuper ſe levationes, & in ſe relapſus viciſſitudinarie, fervores dicuntur. Sancti itaque viri, qui exarſerunt ſancti Spiritus gratia: ſupra ſe efferuntur

tur

tur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in ſe ab actuali ſupra ſe elevatione. Hi viciſſitudinantes, congrue dicit poſſunt ſpiritu ferventes, & qui in hoc ſupereminent, ſuperabundanter ſuperfervidi dicuntur.

Sed oritur quæſtio, Angeli, quorum amor defixus in Deum non tepeſcit aut remittitur, aut aliquo modo declinat ab ipſo, quomodo dici poſſunt ferventes? & ſi ferventes dici poſſunt, quomodo ſuperfervidi dicuntur? Reſpondet Linconienſis quod poteſt dici, quod ſicut Dei cognitio in ſe eſt ſicut mane, & cognitio ejus in creaturis eſt velut veſpere, ſic amor in ſe eſt elevatior, & amor ipſius in creaturis depreſſior. Et in hoc utroque ipſius amore ſeſe naturaliter ad invicem conſequente, quaſi quædam viciſſitudo fervor eſt ſpiritualis, cujus ſupereminentia eſt eſſe in termino poſſibilis ſibi intenſionis. Vel quod forte, inquit Linconienſis: poſſet dici, amor quo Deum Angeli amplexantur, ſuperfervidus eſt, qui eſt intenſus ad ſummum, non lenteſcit nec remittitur, ſed immobiliter præſtat in intenſionis ſuæ ſummitate. Si enim vis caloris ſurſum ferentis, partes liquide ferventis ſupra ſe poſſet eas portare & ſuſtinere in ſua ſuper ſe elevatione, ita ut neque caloris remiſſione, neque proprio pondere relaberentur ad inferius: liquidum hujuſmodi uſitato modo loquendi, non diceretur fervere, ſed veriſſime diceretur ſuperfervere, cum majoris virtutis eſſet id elevare, & quietare in ſua elevatione ſupra ſe, quam id ſolum elevare abſque quietatione, & ſtatim laberetur inferius. Et ſic patet cognominatio Seraphim. Docet etiam hæc proprietas iſtius potentiæ amativæ primum actum, qui eſt inclinatio, & conſequenter ſecundum actum, qui eſt motio animi ad naturaliter amatum, intendens ipſum penetrare, ut poſſibile eſt: & deinceps docet tertium & ultimum actum iſtius potentiæ amativæ, qui eſt cum amato jam adepto adhæſio & quietatio. Intellige tamen prioritatem & poſterioritatem naturæ, non

A temporis. Hæc ille: Hugo vero commentator exponens prædictum verbum, ſcilicet ſuperfervidum dicit: Admonet nos hæc res aliquid magis cogitare de ſuperfervido quam de calido & acuto. Noſtis enim quomodo id, quod fervet, quadam caloris incendii ſui violentia jactatur extra ſe, tollitur ſupra ſe, & facit motionem magnam inviſibili æſtuatione. *Et infra*: Quod enim prius acutum fuit in dilectione, obſiſtentia omnia penetrans, ſuperfervidum fit, jam bulliens in ſeipſo ſtare non valens. Acutum enim amoris eſt cum omnia tranſcendendo deſpicit: ſuperfervidum autem cum etiam ſeipſum contemnendo relinquit. Nam qui hoc ſolum appetit,

B quod amat, in illius comparatione, etiam ſeipſum contemnit & deſpicit. Neque enim vere hoc ſolum appeteret, ſi vel ſemetipſum cum illo amaret, non autem hoc facere poteſt, niſi magna & ſingularis dilectio, ut præ amore illius quod ſolum diligitur, ille etiam qui amat quodammodo a ſemetipſo deſpiciatur. Sic ergo miro modo per dilectionis ignem ſuſtollitur, qui etiam ſupra ſe per vim amoris expellitur, ut exeat etiam a ſe. Quomodo igitur fervet, & quomodo bullit corde qui per conceptum amoris ſuperni ignem, dum in illum ſolum, qui ſurſum eſt, appetendum fertur cogitatione, & deſiderio extra ſe proii-

C citur, & ſupra ſe elevatur, nec ſe cogitat, dum illum ſolum amat? Et in fine concludit, dicens: Ecce diximus mobile illius dilectionis inceſſabile, & calidum, & acutum, & ſuperfervidum, & intenſum, & intimum, & inflexibile, & exemplativum, & reductivum, & activum, & recaliſicans, & reſuſcitans, ut ex iſtorum aliquali cogitatione imitemur, ut poſſumus in amando cœleſtes ſubſtantias,

Hugo ſup. 7 Ang. hie. 6 ante me.

DI-

DISTINCTIO VI.

Qualiter ſpiritus noſter per iter charitativæ affectionis æternum manerium ingrediatur.

SExto videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter per charitativam affectionem intrinſecum & æternum ſecretum Domini Jeſu ingrediatur. Circa quod notandum eſt, quod amare Deum, eſt accedere ad ipſum, & intrare & guſtare, quoniam ſuavis eſt Dominus. Et hoc oſtendit Gregorius *Cap. 15 in fin.* 15. Moralium, dicens ſic: Superiora amare, jam ſurſum eſt ire: dumque magno deſiderio ad cœleſtia animus inhiat, miro modo hoc ipſum quod accipere quærit, hoc jam deguſtat. Et Gregor. ſuper Fzechielem dicit: Quantum quiſque amat, in tantum ad ingreſſum regni appropinquat. Inquantum vero ingredi negligit, intantum recuſat. Ratio iſtorum eſt, quia verus amor ſive charitas, nullum patitur medium inter ſe, & objectum quod eſt Deus, ſed vehementer tendit in ipſum immediate: & ideo numquam quieſcit, donec omnia tranſeat, & ad ipſum & in ipſum veniat. Et Hu- *Hugo ſup. 7 Ang. hie. 6 ante me.* go dicit: Dilectio ſive amor impetum ſui ardentis deſiderii ſequens, amato appropinquat quantum poteſt, & eo amplius ſitiens intrare ipſum cupit, & eſſe cum Chriſto, & tam prope, ut ſi fieri poteſt, hoc idem ipſum ſit quod ipſum eſt, ideo ſuper omnia verius, citius, perfectius pervenitur ad Deum greſſibus affectionum, quam greſſibus pedum. Unde Aug. dicit: *Aug. ad Mor. cel. ep. 55 poſt med. t. 2* Ire ad Deum tanto nobis melius eſt, quanto magis ad illum imus, quo nihil melius eſt. Imus autem non ambulando ſed amando, quem tanto habebimus præſentiorem, quanto eumdem amorem quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Hæc enim charitas, ut dicit Auctor de ſpiritu *Auctor. de ſpir. & anim. c. 16 in fin. apud Aug. tom. 3* & anima, eſt via Dei ad homines & via hominum ad Deum. Per charitatem namque venit Deus ad homines, venit in homines. Per charita-A tem elegit Deus homines, & eligunt homines Deum, diligunt Deum, & ad Deum currunt, & ad Deum perveniunt. Sic familiaris eſt Deo charitas, ut manſionem haberet nolit, ubi charitas non fuerit. Et ibidem dicitur ſic: Anima namque, quam Dei *Ibid. c. 16 circ. med.* pietas reſpicit, humilitas ſubiicit, pœnitentia ducit, juſtitia deducit, obedientia conducit, perſeverantia perducit, devotio introducit, puritas conjungit, & charitas unit. *Sequitur*. Habet anima in ſe amorem, quo ſemper poteſt ſtare cum Deo. Si igitur charitatem habemus, & Deum habemus, & in eo manemus, quia Deus charitas eſt. De hac materia, require B plus in hoc quarto itinere, quaſi per totum.

DISTINCTIO VII.

Qualiter ſpiritus noſter ad veniendum per iter charitativæ affectionis ad æterna a Domino invitatur.

SEptimo videndum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter charitativæ affectionis, ad intrinſecum & æternum ſecretum Domini ab ipſo amicabiliter invitatur, *Cant. 2* dicente ſponſo in Canticis: Surge, propera amica mea, columba mea, C formoſa mea, & veni. Et hujus invitationis allectivum ſubjungit, dicens: Veni, quia jam eſt ambulantium alleviata agilitas, quia tempus putationis advenit, id eſt, omnium ſuperfluorum & gravantium depoſitio. Dicit ergo: Amica mea, propter tuam unitivam charitatem. Charitas enim, ut ait Apoſtolus, eſt for- *Coloſſ. 3* tiſſimum vinculum amicitiæ: quia ipſa eſt vinculum perfectionis. Immo fortis eſt, ut mors dilectio. Sur- *Cant. 8* ge, propter dilecti tui attractivam amabilitatem. Ego enim traho te movendo ſicut amatum & deſideratum, & traho te in vinculis Adam, *Oſee 11* & in funiculis charitatis, id eſt, in unitivis attractionibus primæ dilectionis, ait Vercellenſis. O columba mea,

Digitized by Google

mea, propter charitatis tuæ ſinceritatem. Charitas ſincera eſt ait Bernardus in libro de diligendo Deum, qua proximi bonum æque diligimus ut noſtrum. Nam qui magis aut certe ſolum diligit ſuum bonum, convincitur non caſte diligere bonum, quod propter ſe diligit, non propter ipſum. Homo ſecundum Prophetam confitebitur tibi cum benefeceris ei. Propera, propter charitatis tuæ velocitatem. Nihil enim velocius eſt amore acuto tendente in rem amatam, ait Linconienſis ſuper ſeptimum Angelicæ Hierarchiæ, cui etiam hora brevis longa videtur, ut ſupra. O formoſa mea, propter charitatis tuæ pulcriformitatem. Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis, ibidem dicit Origenes: Mirabilis laus tua non ex tuo, ſed ex eo qui diligit te. Fide enim polles, ſpes nites, charitate luces, juſtitia ſplendes, fortutudine rutilas, prudentia fulges, & temperantia candes. Veni per iter charitatis non diviſæ, ſed integræ, quæ fit ex toto corde, id eſt, ſecundum Auguſtinum toto intellectu ſine errore, ex tota anima, id eſt, ex tota voluntate ſine contradictione, ex tota mente, id eſt, memoria ſine oblivione. Si unum illorum deeſt, integre non venis. Hujus autem invitationis ſubjungit allectivum, dicens: Veni, quia tempus putationis advenit, id eſt, omnia aggravantia, & impedientia ſpiritum itinerantem in itinere charitatis, ſunt amota, quia charitas operit multitudinem peccatorum, non quærit, quæ ſua ſunt: & alleviantia itinerantes collata ſunt, ſcilicet palmites omnium habituum virtutum. Vercellenſis exponens hæc verba dicit: In vite putantur, id eſt, reſecantur ſarmenta, quæ ſi in Vere manerent, fructum multiplicem, ſed minus nobilem proferrent. Sic, inquit, in mente ſunt virtutes & motus, qui apti ſunt in vita activa fructificare, ſed illi fructus minus reputantur reſpectu fructuum vitæ contemplativæ. Maria optimam partem elegit, quæ

Bern. l. de dilig. Deo longe poſt med. — *Pſalm. 48* — *Cant. 7* — *1 Pet. 4* — *Luc. 10*

A &c. Similiter intellectus ſpeculativus fructificat, in divinorum cognitione per creaturarum inveſtigationem, ſed ille fructus minus nobilis eſt, quia ænigmaticus eſt reſpectu cognitionis unitivæ. Nam dicit Dionyſius: Eſt iterum diviniſſima cognitio Dei, qua ipſe cognoſcitur, per ignorantiam, quando ſcilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligibilibus recedens, & tandem ſeipſam excedens, unitur radiis æternæ ſapientiæ, inſcrutabilis profunditatis. *Et ſequitur*. Quoties ergo ſuperintellectualiter exercemur ad divinum radium, toties opus eſt, ut reſecemus intellectuales operationes, ut docet Dionyſius primo de myſtica Theologia: & B ſimiliter creaturarum ſimilitudines, ut innuitur in Exodo, ubi dictum fuit Moyſi; ſolve calceamenta de pedibus. Pedes ſunt intellectus & affectus, quibus ſpiritus noſter ad æternum Deum accedit, ut ſupra dictum eſt. Qui pedes mundandi ſunt ab omnibus pellibus, id eſt, creaturarum ſimilitudinibus, quos Sponſa dixit ſe lavaſſe in Canticis, ubi dicit Vercellenſis: Pedes meos, id eſt affectum & intellectum, quibus carpſi itinera æternitatis, lavi & purgavi vel purificavi; quomodo iterum inquinabo illos umbris & imaginibus temporalium; cum etiam intellectuales operationes C & formæ in hoc loco, id eſt, ſuperintellectuali exercitio, reputentur umbræ & offendicula? Hæc ille. Et Hæc ſufficiant pro quarto itinere æternitatis.

Dionyſ. de div. nom. c. 7 poſt med. — *Exod. 3* — *Cant. 5*

DE QUINTO ITINERE *Æternitatis.*

QUintum igitur æternitatis, per quod ſpiritus noſter venit ad intrinſecum ſecretum, & æternum manerium Domini Jeſu, eſt æternorum occulta revelatio. Revelationes autem æternorum ſunt ſtudioſiſſime conſiderandæ: & aſſidue ruminandæ: quia ſicut dicit Vercellenſis: Aſſidua revelationum ſpiritualium ruminatio, præbet aſſiduum cognitionum

num & exultationum mentis incrementum, & ex hoc exceſſum æternorum, & ingreſſum occultorum conſequitur.

Sunt autem ad majorem hujus itineris cognitonem ſeptem conſideranda, per ordinem.

Primo qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis ſequatur.

Secundo, qualiter revelatio æternorum, occulta dicatur, & qualiter diſtinguatur.

Tertio, qualiter per ſenſibilem revelationem ſpiritus noſter ad acceſſum æternorum mittatur.

Quarto, qualiter per intellectualem revelationem æternorum, ſpiritus noſter ad æterna introducatur.

Quinto, qualiter per ſuperintellectualem revelationem æternorum, ſpiritus noſter æternitati uniatur.

Sexto, qualiter ſuperintellectualis revelatio æternorum a nobis acquiratur.

Septimo, qualiter ad iter occultæ revelationis æternorum ſpiritus noſter a Domino invitatur.

DISTINCTIO I.

Qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis ſequatur.

PRimo igitur videndum eſt, qualiter iter occultæ revelationis æternorum, iter charitativæ affectionis ſequatur. De hoc poteſt aſſignari ratio talis. Cum ſecundum Auguſtinum libr. 13 confeſſionum: Charitas ſive amor ſit pondus inclinans amantem ad amatum: & appropinquare facit amato, quantum poteſt, ut etiam transformet amantem in amatum ſecundum Dionyſium: quanto ergo propinquius eſt amans amato, tanto verius, ſubtilius, & perfectius ſibi revelatur amatum. Unde Hugo ſuper 7. Angelicæ hierarchiæ dicit: Conſtat, ut qui ardentius diligunt, profundius conſpiciant, & ſubtilius diſcernant: & quia magis profunde proſpiciunt, procul-

Aug. l. 13 conf. c. 9 tom. 1

A dubio evidentius cognoſcunt. Ergo rectiſſime quanto æterna magis amantur, tanto perfectius cognoſcuntur. Et ſic verificatur verbum Richardi dicentis libro 4. de contemplatione. Ex magnitudine dilectionis pendet modus divinæ revelationis: ideo rationabiliter illud iter ſequitur præcedens iter, ex quo pendet modus divinæ revelationis.

DISTINCTIO II.

Qualiter revelatio æternorum occulta dicatur, & qualiter diſtinguatur.

B SEcundo videndum eſt qualiter revelatio æternorum dicatur occulculta, & qualiter diſtinguatur. De primo notandum, quod revelatio divinorum dicitur occulta, quia non niſi in occulto percipitur. Sive enim revelatio prout eſt occultorum manifeſtatio per exteriores figuras fiat, ſive per ſacras Scripturas, ſive per illuminationes inſpiratas, ſive per collocutiones exterius expreſſas, ſemper fit in occulto, ut oſtendit Hugo libr. 4. de Arca Noe, ubi dicit, quod in revelationibus neceſſaria eſt ſecreta habitatio, & mentis collectio & unio, unde dicit ſic: Scrutemur Scripturas & inveniemus vix aut numquam Deum fuiſſe locutum in multitudine, ſed C quotieſcumque innoteſcere voluit aliquid hominibus, non gentibus & populis, ſed vel ſingulis, vel admodum paucis, & a communi hominum frequentia ſegregatis, vel per nocturna ſilentia, vel in campis & ſolitudinibus, montibus & vallibus ſe manifeſtavit. Sic locutus eſt cum Noe, cum Abraham, cum Iſaac, cum Jacob, & Moyſe, Samuele, David, & omnibus Prophetis. *Et ſequitur:* Quid eſt quod ſemper loquitur in ſecreto Deus, niſi quod nos ad ſecretum vocat? & quid quod cum paucis loquitur, niſi ut nos colligat ſive uniat? Et dicit ibidem ſic: Similis ratio eſt quare Deus obſcure loquitur in Scripturis, ut veritas malis abſcondatur,

Cap. 4 in princ.

&

Digitized by Google

& bonis reveletur. Simile dicit Deus A *Matt. 7* in Evangelio, ne margaritæ pedibus porcorum conculcentur. Simile dicit *Dion. de myſt. The. cap. 1* Dionyſius in myſtica theologia loquens ad Timotheum.

Revelationes divinæ multipliciter fiunt.

Ex his patere poteſt ſecundum, ſcilicet quomodo revelationes diſtinguantur. Non enim omnes æqualiter a ſenſibilibus abſtrahuntur, nec æqualiter in intellectu excitantur: nec æqualiter ſuperintellectualiter ſurſum extenduntur: ideo neceſſe fuit, ut quibuſdam fierent revelationes ſenſibiliter, quibuſdam intellectualiter, & quibuſdam ſuperintellectualiter, quas *Exod. 2* revelationes legimus Moyſi factas, quando exiverat ex Ægypto temporali ad interiora deſerti, ut illas nunciaret filiis Iſrael, de Ægypto exire B deſiderantibus, ut teſtabatur clamor eorum ad Dominum, ut pergerent iter trium dierum in ſolitudine: quæ poſſunt intelligi tres revelationes.

Prima revelatio ſenſibilis, & ſimpliciter viventibus fit de Ægypto hujus mundi exire deſiderantibus. Unde quibuſdam patribus fiebant ſenſibiles revelationes, ut exemplificat Dio- *Dion. de Ang. hier. cap. 4* nyſius ſicut paſtoribus, & quibuſdam aliis. Hæc revelatio ad intrandum ad æterna allicit.

Secunda revelatio eſt intellectualis quæ fit intellectualiter videntibus, in filiis Iſrael de Ægypto hujus mundi exeuntibus, jam intellectualiter C ambulantibus. Et hæc revelatio ad æterna introducit ut quarto capite patebit.

Tertia revelatio eſt ſuperintellectualis. Et hæc tantum fit unitis mentibus, & egreſſis de Ægypto, & in interioribus deſerti exiſtentibus, ut Moyſi. Et hæc revelatio æternitati unit, ut patebit infra cap. 5. Iſtas revelationes mens precipit, quæ in intimis, & imis ſtare conſuevit, ait Richardus. Et ſic patet ſecundum, ſcilicet qualiter revelatio diſtinguatur.

DISTINCTIO III.

Qualiter per ſenſibilem revelationem ſpiritus noſter ad acceſſum æternorum alliciatur.

De revelatione ſenſibili.

Tertio videndum eſt de qualibet iſtarum revelationum. Et primo de ſenſibili, qualiter ſpiritus noſter per eam ad exceſſum æternorum alliciatur. De qua notandum eſt, quod hæc revelatio fit plebi ſimpliciter viventi, de Ægypto temporali jam exire deſideranti ad terram promiſſæ æternitatis. Et hæc revelatio, ut dicit Richardus, ſcilicet ſenſibilis fit du- *Rich. ſup. Apoc. c. 1* pliciter. Fit enim quandoque per ſigna ſenſibilia, ut quando res videtur corporalibus ſenſibus extra abſque ſignificatione myſtica, ut Pharaonis & hujuſmodi, qui nullum ſenſum ſpiritualem vel myſticum intellexerunt. Et ſic non fuit revelatio facta illis, quia ultra ſenſum nihil manifeſtatum fuit. Eſt & alia revelatio ſenſibilis ſive viſio corporalis, quæ fit ſenſibus exterioribus, ut quando res videntur in quibus latet ſignificatio myſtica, qualis facta fuit patribus veteris legis & novæ, ut dictum eſt, & patet per Dionyſium: qui myſteria noverunt, ut Abraham, Iſaac & Jacob, &c. Ne- *Dion. de Ang. hier. cap. 4* ceſſitas hujus revelationis fuit ut dicit Dionyſius in epiſtola ad Titum, ut homo qui conſtat ex duabus naturis, anima, ſcilicet rationali, quæ ſimplex eſt in eſſentia, & corpore compoſito juxta utriuſque naturæ proprietatem illuminetur divinis cognitionibus, ut & mens ejus puras & ſimplices & intimas ſignorum ſenſibilium intelligentias ſegregare ab ipſis ſignis conſpiciat, & ſenſualitas ejuſdem per naturæ proprietatem coaptetur mentali cognitioni, & ſic ad divina extendatur. Hæc ille. Et ſecundum *Rom. 1* Auguſtinum de vera religione. Sic in- *Aug. de vera rel. c. 29 tom. 1* viſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, & ſempiterna ejus virtus & divinitas. Et hæc eſt a temporalibus ad æterna regreſſio, & ex vita veteris homi-

Digitized by Google

hominis in novum hominem reforma- A tio. Hæc ille. Quia jam ſenſualitas ordinate cooperatur cognitioni mentali. Hæc revelatio ſenſibilis facta fuit Moyſi, cum de rubo ardenti Dominus ſibi ſenſibiliter apparuit, in ſubjecta creatura, & dixit filiis Iſrael, di- *Exod. 3* cens: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Jacob: hoc nomen mihi eſt in æternum. In hac revelatione ſenſibili oſtendit Dominus ignem Divinitatis uniendum cum rubo humanitatis, in qua Verbum paternum oſtendit ſuam ſenſibilem denominationem, in qua conjungit æterna cum temporalibus, ſpiritualia corporalibus, patriam exulibus, cum dicit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Jacob. Ego, in- B quit, ſum, quia eſſe meum æternum, & immutabile eſt. Quod etiam oſtendit Dominus, dicens: *Joan. 8* Antequam Abraham fieret ego ſum. Et dicit Hieronymus ad Marcellam: Deus, qui exordium naturæ non habet, vere no- *Matth. 22* men eſſentiæ tenuit. Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Jacob. Deus autem ſum vivorum, non mortuorum. Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Jacob. Ergo Abraham, Iſaac, & Jacob vivunt, ſed non vivunt in temporali mutabilitate, non exilii hujus calamitate, ſed æterna hereditate, quia nomen hoc mihi in æternum eſt. Dicens ergo filiis Iſrael: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & C Jacob, eos alliciendo, ut ex Ægypto temporali, corruptibili, & peregrina egrediantur, ad terram hereditatis patribus promiſſam & datam, terram, inquam, æternæ ſtabilitatis & veritatis, terram æternæ beatitudinis & *Aug. ſer. 9 de nativ. Dom. in princ. t. 10* hereditatis. Nam, ut dicit Auguſtinus: Natus eſt nobis Chriſtus in temporis mobilitate, ut nos perducat ad patris æternitatem. Factus eſt Deus homo, ut homo fieret Deus. Veniat igitur modo non corporaliter, ſed mentaliter memoria æterna cogitando, quia ſicut Auguſtinus dicit: *Aug. l. 4 de Tr. c. 17* Cum æterna cogitamus, non ſumus in hoc mundo, quem jam tranſcendimus. Veniat etiam intellectui æterna contemplando, quia Gregorius 18. Moral. dicit: In ſanctis fit æternitas, aſpiciendo Dei æternitatem. Veniat etiam voluntati æterna amando, quia ſicut dicit Gregorius 1 Moral. Unuſquiſque electorum adhuc in mundo poſitus corpore, mente amante, etiam extra mundum ſurgit. Et 15 dicit: *Idem 15 lib. mor. 12 cap. 27* Superiora amare jam ſurſum eſt ire, cumque magno deſiderio ad cœleſtia inhiant, miro modo hoc ipſum accipere quærunt, jam deguſtant. Sic igitur patet qualiter ſenſibilis revelatio æternorum ad æterna allicit.

DISTINCTIO IV.

Qualiter per intellectualem revelationem æternorum ſpiritus noſter ad æterna introducatur.

Quarto videndum eſt, qualiter per intellectualem revelationem æternorum: ſpiritus noſter ad æterna introducatur, *De revelatione intellectuali* quæ fit intellectualiter viventibus, ut filiis Iſrael de Ægypto hujus mundi mentaliter jam egredientibus, & ad æterna tendentibus. Et hæc revelatio non fit oculis carnis, ſed mentis, ut dicit Richardus: Et fit dupliciter, quia quandoque *Rich. in 1 c. Apocal.* fit quando per Spiritum ſanctum animus illuminatus, formalibus rerum viſibilium ſimilitudinibus præmonſtratis, ſive præſentatis, ad inviſibilium cognitionem ducitur: qualiter Joannes vidit in Apocalypſi, & Ezechiel propheta, ſicut dicit Gloſſa ſuper primum prologum Apocalypſis, & in fine alterius prologi dicens, quod Joannes imagines mente vidit, & tamen veritatem in eis intellexit. Hæc revelatio ad æterna ducit, quia per eam intellectus in inviſibilium & æternorum cognitionem exſurgit & perducitur, ut dicit Richardus.

Secundo modo fit hæc revelatio æternorum ſive viſio intellectualis, ut dicit Richardus, *Ibidem.* quando ſpiritus humanus per internam inſpirationem ſuaviter tactus, nullis mediantibus rebus viſibilibus, ad Cœleſtium cogitatio-

tationem erigitur, ſicut vidit propheta David, qui vidit in ſpiritu, & Hugo ſuper 7 Angelicæ Hierarchiæ, idem dicit. Et Haymo ſuper Apocalypſim concordat, ubi dicit: Intellectualis viſio ſive revelatio fit quandoque non per corporales res nec per ſimiles, ſed ipſa veritas, immediate manifeſtatur videntibus, quod proprie electorum eſt. Unde Salvator dixit Petro: Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt, per interiorem inſpirationem: ait Pſamiſta: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Hæc occulta revelatio æternorum, videtur innui per hoc quod dictum eſt Moyſi, quando in interioribus deſerti dictum eſt ſibi: Dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me: Hic apparet quod hæc revelatio ſit intellectualiter viventibus, quia filiis Iſrael, & in interioribus mentis, quia interiora deſerti ingredientibus. Unde Vercellenſis dicit ſic: Populo Iſraelitico mandatur nomen intellectuale, ſcilicet qui eſt, ſive ens, quod eſt emanatio primæ exiſtentiæ cauſa cauſaliſſima. Et Damaſcenus dicit, quod qui eſt, principalius eſt nomen omnibus nominibus Dei, quæ de Deo dicuntur. Totum enim in ſeipſo comprehendit, velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum & interminatum. His concordat Auguſtinus libro 5 de Trinitate, cap. 2. Et quia illud verbum eſt, ſignificat præſens nunc æternitatis, eo quod ambit omnes differentias temporis; prout de Deo dicitur; ideo mentem ſive intellectum a temporalibus ad æterna, a ſenſibilibus ad intelligibilia ducit & pertrahit, uſque ad nunc æternitatis quod varietates temporis neſcit, ut tales dicant illud Pauli: Noſtra converſatio in cœlis eſt.

Matth. 16 *Pſalm. 84* *Exod. 3* *Vercell. in prol. ſup. Cant.* *Dam. l. 1 fide orth. c. 12* *Phil. 3*

Sed ſciendum eſt, quod iſta revelatio intellectualis æternorum non fit niſi intelligentibus, & interiora ingredientibus ubi omne velum removetur ab eis. Nam revelatio dicitur, quaſi veli remotio ab oculis intellectualibus, quam remotionem petivit David dicens: Revela oculos meos, A & conſiderabo mirabilia de lege tua. De hoc velamine dicit Apoſtolus: Uſque in hodiernum diem velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum, quod in Chriſto evacuatur. Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu. Velamen ergo a Chriſto evacuatur, ut nobis Pater manifeſtetur. Unde ait ipſe: Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Chriſtum autem Spiritus ſanctus clarificat, non in ſe ſed in nobis, ut ipſe dicit: Cum venerit Paracletus, ille me clarificabit, & do- B cebit vos omnia: quia amor divinus omne velum removet, omnem veritatem docet. Unde Apoſtolus dicit: Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum, quia omnia perſcrutatur etiam profunda Dei. Et Joannes: Unctio docebit vos omnia, ſcilicet Spiritus ſanctus.

Revelatio unde dicatur. *Pſalm. 118* *2 Cor. 3* *Matth. 11* *Joan. 16* *1 Cor. 2*

DISTINCTIO V.

Qualiter per ſuperintellectualem revelationem æternorum ſpiritus noſter æternitati uniatur.

QUinto videndum eſt, qualiter per ſuperintellectualem revelationem C æternorum ſpiritus noſter æternitati uniatur.

Sed hic primo occurrit dubium, quod in revelatione iſta ſuperintellectuali videtur includi oppoſitum in adjecto, quia, ut ait Papias: Revelatio eſt manifeſtatio eorum, quæ fuerunt abſcondita; ſed abſcondita revelantur cum intelliguntur, quæ autem intelliguntur non ſunt ſuperintellectualia; ergo nulla revelatio dicitur ſuperintellectualis.

Sed ad horum cognitionem habendam, eſt notandum quod ſecundum ſanctos Auguſtinum, Gregorium, Dionyſium, & alios, homini a Deo donatur diverſi habitus ſupernaturales, ad ſuum finem, qui eſt ſupernaturalis, comprehendendum vel conſequendum.

Habitus ſupernaturales nobis infunduntur.

Digitized by Google

dum. Donantur enim intellectui habitus ſupernaturales ad ſuum finem cognoſcendum, ut fides, & ſcientia divinorum, &c. Donantur etiam voluntati ſupernaturales habitus, ad Deum diligendum, ut charitas ſive amor gratuitus, &c. Sed habitus charitatis excellit omnes habitus intellectus, ut fidem, & ſpem, & ſcientiam, &c. ut expreſſe oſtendit Apoſtolus in epiſtola prima ad Corinthios, ubi primo enumeratis aliquibus actibus, & habitibus intellectus & voluntatis. Major autem horum inſert, eſt charitas. Et oſtendit ibidem, quod nullus habitus, vel actus intellectus eſt meritorius, ſine habitu voluntatis, qui eſt charitas; & quod habitus intellectus aliqualiter evacuabuntur, propter imperfectionem eorum, in patria. Habitus autem voluntatis propter ſuam perfectionem permanebunt in patria, ſed perfectiores eliciunt actus, ut patet; & ideo actus dilectionis hic præfertur actui cognitionis, tamquam perfectior, unde in Matthæo dicitur, quod dilectio eſt primum & maximum mandatum. Item actui dilectionis convenit unire & transformare, ut dicit Dionyſius de divinis nominibus, ut viſum eſt ſupra, hoc autem nullus attribuit intellectui poprie. Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non poteſt, quia ſuperintellectualis eſt, ſaltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum ſicuti eſt, ut dicit Joannes. Nec obſtat quod dicit Auguſtinus: Incognita nequaquam poſſunt amari, quia eſt notitia aliqua non intellectualis, ſed affectualis ſeu experimentalis, ut ſtatim patebit. Unde Gregorius exponens illud Joannis: Vos dixi amicos meos, & cetera dicit: Quia cum affectus diſcipulorum imprimuntur divino amori, fit in eis prælibatio quædam, & per conſequens quædam notitia experimentalis; quia amor notitia quædam eſt: ergo patet, quod non eſt oppoſitum in adjecto, cum illa notitia ſit alia ab intellectuali, ut dictum eſt. Cum prædictis concordat Hugo commentator Dionyſii dicens ſic: Intelligas quanta eſt vis veri amoris, & dilectionis: ſi tamen intelligi poteſt: quoniam dilectio ſupereminet ſcientiæ, & major eſt intelligentia; plus enim diligitur, quam intelligitur. Intrat dilectio & appropinquat, ubi ſcientia foris ſtat. Et reddit rationem: Quia amor, inquit, præſumens & confidens amato, ſuo acumine penetrat omnia, impetum ſequens ardentis deſiderii ſui, nec diſſimulari valens, donec ad amatum perveniat, & eo ipſo amplius adhuc ſitiens intrare ipſum, & eſſe cum ipſo, & eſſe tam prope, ut ſi fieri poſſit, hoc idem ipſum ſit quod ipſe. Ecce expreſſe dicit, quod verus amor Dei unit Deo immediatius quam intellectio, & quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis eſt ſuperior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellenſis ſuper Cantica dicens, quod affectus & intellectus ſimul coambulant, uſque ad noviſſimum defectum intellectus ubi habet ſuæ cognitionis, & ſui luminis conſummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum ſuſpiria, ſuperintellectuales extenſiones, & immiſſiones, fervidos fulgores, & fulgidos fervores, ad quorum omnium ſublimes exceſſus & excedentes ſublimitates, intelligentia trahi non poteſt, ſed ſolum principalis affectus Deo unibilis, & hoc idem poſt dicit: Tanta eſt virtus veri amoris & pulchri quod non ſolum facit homines & Angelos excedere propriam naturam, ut in Deum aſcendant, ſed etiam Deum quaſi naturam propriam egredi, ut ad creaturas quaſi infra naturam ſuam procedendo condeſcendat. Et hoc ut dicit Dionyſius, audendum eſt dicere pro veritate, cum tamen ſit ingreſſibilis a ſe: licet ipſe ſuam immenſitatem noſtræ capacitati contemperet eo immutato. Hæc revelatio ſuperintellectua-

1 Cor. 13 · *Matth. 22* · *Dion. de div. nom. cap. 4* · *1 Joan. 3* · *Joan. 15* · *Greg. ho. 27 in Evan. ante med.* · *Hugo in 7. Ang. hier. circ. med.* · Dilectio intrat ubi ſcientia foris ſtat.

lectualis æternorum fuit facta Moyſi in interioribus deſerti conſtituto, quærenti a Domino, quod ſibi nomen eſſet. Reſpondit Dominus in ſubjecta creatura, dicens: Ego ſum qui ſum, (Exod. 3) ut dicit Vercellenſis, ego ſum, eſſe in ſe reflexum, vel entitas, quale nomen non concipitur niſi ab apice principalis affectionis quæ æternitati unitur, quaſi dicat. Me nemo poteſt cognoſcere, niſi per meipſum. Unde nomen quod quæris, eſt mirabile, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. (Apoc. 2) Niſi, ſcilicet qui acceperit per revelationem vel experientiam, ut Aug. ait, vel ſicut dicit Haymo, qui ad hoc prædeſtinatus eſt, ut experimento cognoſcat. Ex quo patet, quod revelatio hæc non fit niſi mentibus ſeraphicis, in interioribus deſerti exiſtentibus, id eſt in caligine occulti ſilentii, in qua revelate & vere apparet Deus ſuperintellectualiter, ut dicit Linconienſis.

ARTICULUS VI.

Qualiter ſuperintellectualis revelatio æternorum a nobis acquiratur.

SExto cum revelatio æternorum iſta ſit ſuperintellectualis, & ideo nec cogitari nec dici poſſit, ut ſupra patuit. Ideo oportet videre, qualiter ſit attingenda & obtinenda.

Circa quod notandum eſt, quod Dionyſ. de myſtica Theolog. volens Timotheo oſtendere acceſſum ad iſtam revelationem ſuperintellectualem æternorum, docet eum derelinquere omnes revelationes ſenſibiles, & omnes revelationes intellectuales, tam naturales, quam ſupernaturales, & omnia ſenſibilia, & intelligibilia, donec ingrediatur caliginem occulti ſilentii, in qua revelate & vere apparet Dominus ſuperintellectualiter. Ubi Dionyſius cap. 1. dicit ſecundum tranſlationem Abbatis: Tu autem Timothee, ad hoc quod capax fias myſticarum contemplationum ſive revelationum incorporare ſic radio divino, derelinque ſenſus, & ſenſibilia exercitia & intellectuales operationes & omnia intelligibilia, & forti conatu hic comprime te, & ſi eſt tibi poſſibile, conſurge ignote, & ſuperintellectualiter ad unionem Dei, quæ eſt ſuper omnem cognitionem. Iſtud verbum conſurge ignote, exponens Linconienſis commentator dicit ſic: Surge & reſtitue te incognite, ut poſſibile eſt ad unionem Dei, id eſt, ejus qui ſuper omnem cognitionem eſt; quæ quidem reſtitutio vel reſurrectio fit per ipſius ſolius forte deſiderium, & amorem ſuperfervidum, quæ nulla ratiocinativa inveſtigatione poteſt eſſe cognita. *E infra dicit*. Ceſſans enim in iſta caligine ab operatione cognitionis, ſed æſtuans, deſiderium ſolius Dei perfecte ab ipſo incogniti, ipſi ſoli unitur, & cognoſcens videt in iſta caligine ſuper intellectum: quia ad hoc cognoſcendum non poſſet intellectus humanus & inoculatus attingere, non quod intellectus dicatur inoculatus a privatione potentiæ viſivæ, ſed a privatione omnis actus viſivi, dum otiatur in illa caligine. *Sequitur*. Et hi ſunt gradus aſcenſionis in ſpiritualem caliginem, ſignati per ea quæ ſunt hiſtorice facta Moyſi. Et is eſt modus habendi ſe in caligine illa, donec divinus radius vere incircumvelate appareat, & ſe revelet dicto modo. Hæc Linconienſis.

Gradus igitur aſcenſionis iſtius ſunt, primo derelinquere omnia ſenſibilia: ſecundo omnia intelligibilia: tertio ingredi caliginem, ubi apparet Deus. (Exod. 19) Cum his concordat quaſi per omnia Vercellenſis commentator per eamdem hiſtoriam Moyſi, oſtendens gradus aſcendendi caliginem myſticam, in qua ſe Deus incircumvelate revelat. Unde dicit, quod Moyſes, primo viſus eſt ſe purgare a multitudine ſenſibilium, & deinde a non puris ſeparari, & poſt omnem mundationem audit ſonum buccinæ, & tonitrua videt, & fulgura micantia, & radios multos emittentia, & poſt ſeparatus a multitudine populari cum Aaron, & Nadab, & Abiu, & ſeptua-

ginta

giuta ſenioribus in Iſrael tamquam rationabilibus aſcendit, & tunc fuerunt ſibi revelata intelligibilia ſcilicet æternæ architypiæ, ſive rationes exemplares omnium creaturarum, quæ in Deo ſunt, quarum intellectuali inſpectione Deum cognoſcimus, quibus nihil divinius oculis intellectualibus intuemur. Hæc ille. *Exod.* 24

Tertio dicit. Sed adhuc reſtat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo quod Moyſes poſt prædicta ſeparatur ab his, qui prædicta ſecum viderant, & ſubtrahitur illis viſis & intrat in caliginem ignorantiæ, & unitur incomprenſibilitati divinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ omnium clariſſima eſt, & in ſe claudit & celat ſecretiſſime omnes cognitiones comprehenſivas. Exemplum hujus plane videtur in luce ſtellari, quomodo abſconditur in luce ſolari in meridie. *Sequitur:* Et omnis unitus Deo per eum, qui eſt ſuper omnia, conſtituitur, in excellentia quam nec ratio inveſtigat, neque intellectus ſpeculatur, & quaſi ab omnibus talibus, & quaſi a ſeipſo ſegregatur & per unitionem dilectionis quæ eſt effectiva veræ cognitionis unitur Deo intellectualiter, tamen ignoto & tamen cognitione multo meliori, quam ſit cognitio, in eo quod intellectualis eſt: quia in eo quod cognitionem intellectualem derelinquit, ſuper intellectum & mentem Deum cognoſcit. Hæc ille.

Ex prædictis patere poteſt, quod revelatio ſuperintellectualis non fit per intelligibilem cognitionem, ſed per ardentiſſimam immo ſuperfervidam dilectionem, & experimentalem notitiam. Ex his etiam apparet, ſicut dicit Linconienſis, quod hæc revelatio quæ fit incircumvelate & vere, abſque ſymbolis & imaginibus, ſecundum ſui nudam apparitionem, ſolum fit his, qui tranſcendunt immunda omnia, id eſt terrena omnia quæ amore contracta maculant amantem mentem, & etiam pura quæ non maculant mentem contingentem, & quia aſcendunt ſuper aſcenſionem omnium ſanctarum extremitatum, hoc eſt, aſcendunt ſuper omnes actus, omnis virtutis apprehenſivæ agentis quantum poſſibile eſt intrinceſe & derelinquunt omnia divina lumina illuſtrantia, & introeunt in caliginem, hoc eſt actualem ignorantiam omnium. Ubi vere eſt, ut eloquia ajunt, qui eſt ſuper omnia, ſolum enim ibi invenitur & tenetur. Qualis ibi invenitur non eſt effabilis. Hæc ille. Cui talis revelatio facta fuerit, dicat illud Matthæi: Confiteor tibi Pater Domine, & cetera. *Matt.* 11

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad iter occultæ revelationis æternorum ſpiritus noſter a Deo invitatur.

SEptimo videndum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter occultæ revelationis, ad intriſecum ſecretum Domini, ab ipſo invitatur dicente: Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni, & hujus invitationis ſubjungit allectivum, dicens: Quia jam ambulantibus revelata eſt veritas, quia jam vox turturis audita eſt in terra noſtra, id eſt, vox paterni verbi revelantis omnem veritatem in terra humanitatis noſtræ. Dicit ergo: O amica mea, propter ſecretorum revelationem. Unde Salvator dicit in Joanne: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre nota feci vobis, notitia experimentali, dicit Gregorius in homilia. Surge ad revelationum perfectionem a ſenſibili ad intellectualem, ab intelligibili ad ſuperintellectualem, ut diſponas, ſecundum Pſalmiſtam: Aſcenſiones in corde tuo in valle lacrymarum. O columba mea propter revelationum exercitationem. *Et ſequitur:* Oculi tui ſicut columbarum ſuper rivos aquarum, id eſt, ut dicit Vercellenſis, innitentes aquis ſapientiæ, quæ derivantur a fonte ſapientiæ, in quibus mentes columbinæ tamquam in puro ſpeculo contem- *Cant.* 2 *Joan.* 15 *Hom.* 37 *in Ev. ante med.* *Pſ.* 83

plantur revelationes, mentem ſimplificantes, & purificantes. Propera, propter revelationum pleniſſimam effuſionem. Unde in Canticis, Columbæ, quæ reſident in mentis ſuſpendio, quietatæ juxta fluenta pleniſſima. Propter quod, ut dicit Vercellenſis, quantum mortalibus conceditur ad pleniſſimas ſapientiæ eſſentialis copias acceditur, quarum plenitudo nulla effuſione diminuitur. Hæc Vercellenſis. O formoſa mea, propter revelationum radioſam illuminationem. Unde dicit in Iſaia: Implebit Dominus ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus cujus non deficiunt aquæ. Exemplum de Moyſe, cujus facies ex conſortio Domini ſplendida facta eſt, ut videri non poſſet oculis corporalibus. Veni propter divinarum revelationum certam directionem. Pſalmiſta: Specie tua & pulchritudine tua, & cetera; quia vox jam turturis audita eſt in terra noſtra, gemitu amoroſo cantans: Ego ſum via, veritas & vita: ego ſum via, per quam tutiſſime ibis, ego ſum veritas, ad quam certiſſime ibis, quia jam finis ænigmatis eſt: ego ſum vita, in qua æternaliter permanes. Qui enim invenerit me, inveniet vitam. Ego veni, quia mens quaſi avis turturea invenit ſibi nidum continue manſionis, ab æterno turture præparatum, ubi reponat pullos ſuos, id eſt, omnes caſtos & amoroſos conceptus caſtæ mentis, a caſto, & amoroſo turture, id eſt, verbo paterno auditos conceptus, & gemitus. Unde Gloſſa dicit: Turtur eſt Chriſtus amator caſtitatis, cujus vox audita eſt in terra noſtra, id eſt, in humanitate, in qua verbum paternum denunciat nobis amœniſſimum adveniſſe tempus veris, id eſt, tempus gratiæ, & in quo nobis revelavit omnia quæ audivit a Patre. Dum, ſicut dicit Gregorius: Affectus noſtri imprimuntur divino amori, cui nihil occultatur. Unde Vercellenſis exponit illud verbum dicens ſic: Turtur eſt ſolivagus, & ſignificat mentis virtutem unitivam & ſuperintellectualem, quæ nidificat in amœniſſimis locis virentibus, & aſſiduis contemplativis mentibus & pullos ut turtur fovet nocte in ſuperlucenti caligine occulti ſilentii. In quo nos perducat benedictus Deus. Amen.

Cant. 5 · Iſa. 58 · Pſal. 44 · Joan. 8 · Prov. 8 · Joan. 15

DE SEXTO ITINERE

Æternitatis.

SExtum iter æternitatis, per quod ſpiritus noſter venit ad intrinſecum ſecretum, & æternale maneriun Domini Jeſu, eſt æternorum experimentalis prægustatio, & notitia. Niſi enim eſſet in nobis æternorum quædam ſpiritualis prægustatio, non diceret Pſalmiſta: Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, & cet. Pſalm. 33
Ad majorem hujus itineris notitiam ſeptem per ordinem ſunt notanda.

Primo igitur videndum eſt, quod hæc experientia dicatur, & quare præcedentia itinera ſequatur.

Secundo, quarum potentiarum iſta experimentalis notitia dicatur.

Tertio, qualiter ſpirituales ſenſus potentiarum ab experimentali notitia impediantur.

Quarto, qualiter interiores ſenſus ſpirituales reparantur vel reformantur.

Quinto, qualiter per guſtum interiorem ſpiritualem æterna prægustantur.

Sexto, qualiter quilibet ſenſus interior ſpiritualis eterna experiatur.

Septimo, qualiter ſpiritus noſter ad veniendum per iter experientiæ ad intrinſecum Domini invitatur.

DISTINCTIO I.

Quid dicatur experimentalis prægustatio æternorum, & qualiter alia itinera ſequatur.

PRimo igitur videndum eſt, quid hæc experientia dicatur, & qualiter alia itinera ſequatur. De quo notan-

tandum eſt ſicut dicit Papias, quod experientia idem eſt quod notitia.

Experientia quid.

Unde experientia videtur eſſe objecti cuiuslibet potentiæ præſentialis actus & notitia. Actus enim vitales attingunt ſua objecta active vel paſſive, vel utroque modo, ſecundum quoſdam: alias potentia non fieret in actu. Unde ſi omnes homines dicunt mihi hoc eſſe dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem de illo etiam quantumcumque probent per rationes, ſed opinionem vel fidem, vel ſcientiam poſſem habere. Sed ſi guſtus meus attingit guſtabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter eſt de guſtu interiori, & aliis ſenſibus ſpiritualibus. Unde ſi ego lego vel audio ab aliquo, quod dulcis ſit Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc, niſi guſtus ſpiritualis attingatur a dulcedine divina; ut dicat cum Sponſa: Fructus ejus eſt dulcis gutturi meo. Ubi loquitur de guſtu ſpirituali & experimentali, ut patet in Gloſſa. Et iſta notitia experimentalis perfectiſſimorum eſt. Unde dicit Bernardus ſuper Cantica:

Cant. 2

Quidquid de occultis tuis ſcimus o Domine Jeſu, aut Scriptura docente, aut te revelante, aut certe quod perfectiſſimorum eſt, guſtando didicimus, id eſt, experientia. Ex quo patere poteſt ſecundum, ſcilicet quod iſtud iter experimentalis notitiæ æternorum rationabiliter ſequitur itinera præcedentia. Quid prodeſt namque multa cognoſcere & intelligere, nec illa experiri, nec ad aliquem uſum illa habere? ergo experientiæ notitia quandoque eſt neceſſaria. Unde Hugo dicit ſic: Non facit perfectum cognitio virtutis, niſi & habitus virtutis in experientia ſubſequatur.

Hugo in 7 Ang. hier. lib. 7 poſt med.

Magiſtra enim eſt intelligendi experientia, & illa optime judicii veritatem cognovit, quia jam non audiendo ſolum, ſed guſtando & faciendo didicit. *Sequitur*. In experientia namque & habitu virtutis, cognitio perficitur veritatis: quia in ſola intelligendi illuminatione inchoatur. Hæc ille. Ad hanc experientiam hortatur Petrus, dicens: Si enim guſtaſtis, quam dulcis eſt Dominus.

1 Pet 1

Rationabiliter itaque iter experimentalis notitiæ æternorum ſequitur præcedentia itinera tamquam illa perficiens.

DISTINCTIO II.

Quarum potentiarum iſta experimentalis notitia dicatur.

SEcundo videndum eſt, quarum potentiarum, & quorum ſenſuum experimentalis notitia eſſe dicatur. Circa quod notandum eſt, quod in libro de ſpiritu, & anima dicitur ſic:

Auctor. de ſpir. & an. c. 9 apud Aug. t. 3

Duo quidem in homine ſunt ſenſus, unus interior, & alius exterior, & uterque bonum ſuum habet in quo reficitur. Senſus exterior reficitur in contemplatione humanitatis, ſenſus interior in contemplatione Divinitatis. Propterea enim Deus factus eſt homo, ut totum hominem beatificaret, & tota converſio hominis eſſet ad ipſum, & tota dilectio eſſet in illo, cum a ſenſu carnis videretur per carnem, & a ſenſu mentis per Divinitatis contemplationem. *Sequitur*: Hoc erat totum bonum hominis, ut ſive ingrederetur, ſive egrederetur, paſcua in ſuo factore inveniret.

Ibid. c. 40

Et infra dicit: Cum homo conſtet ex carne, & anima, & in carne ſint quinque ſenſus, ſcilicet viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, quos tamen non movet abſque animæ ſocietate: ita anima ſimiliter habet quinque ſenſus ſuo modo, quia ſpirituales res non corporalibus ſenſibus, ſed ſpiritualibus rimandæ ſunt. *Et ſequitur*: Unde divina vox in Deuteronomio ait:

Deut. 32

Videre quod ego ſum Deus: ecce ſpiritualis viſus. Et in Apocalypſi: Qui habet aures audiat, quid dicat ſpiritus Eccleſiis: ecce ſpiritualis auditus.

Apoc. 2 & 3

Et in Pſalmo: Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus: ecce ſpiritualis guſtus.

Pſalm. 33

Et Apoſtolus: Bonus odor Chriſti ſumus: ecce ſpiritualis olfactus.

2 Cor. 2

Et in Evangelio: Fide mu-

Marc. 8

mulierem ſe tetigiſſe magis, quam corpore oſtendit dicens: quis me tetigit? ecce ſpiritualis tactus. *Et ſequitur:* Sic modo cum omni cautela ſervandum eſt, quid ad corporis ſenſus & quid ad animæ dignitatem pertineat. Hæc ille. Ex his plane patet quod ſicut experientia corporalium fit ſenſibus corporalibus, ita experientia ſpiritualium fit in mente ſpiritualibus ſenſibus.

DISTINCTIO III.

Qualiter ſpirituales ſenſus potentiarum ab experimentali notitia impediatur.

TErtio videndum eſt, qualiter ſenſus noſtri interiores ſpirituales ab illa experimentali notitia impediuntur. De quo notandum, quod ſenſus ſpirituales dupliciter impediuntur ab experimentali notitia. Unum impedimentum eſt ex natura corrupta, aliud eſt ex noſtra negligentia. De primo impedimento Bernardus dicit ſic: Saporem interiorem perdidimus ab ipſo pene exordio generis noſtri. Unde ex quo cordis palatum ſenſu carnis prævalente infecit virus ſerpentis antiqui, cœpit non ſapere bonum, ac ſapor noxius ſubintrat, & inſipientia mulieris, id eſt, ſenſualitatis ſaporem boni excludit: quia ſerpentis malitia, & aſtutia mulieris inſipientia circumvenit. Hæc ille. Iſte morſus ſerpentinus fecit ſenſus interiores langueſcere, & tabeſcere. Ex tunc enim viſus interior ſpiritualis tenebreſcit, auditus ſurdeſcit, olfactus tabeſcit, guſtus amareſcit, & tactus craſſeſcit, ut clamet Propheta: Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, & cetera. Tales manent in tenebris exterioribus carnis. De impedimento ſecundo dicitur in libro de ſpiritu & anima, ſic: Hoc bonum magnum quod habuit ex duplici ſenſu, ſcilicet interiori, & exteriori bene ordinato, malum magnum ſecutum eſt: quoniam perdito bono quod intus erat, egreſſa eſt anima ad bona aliena quæ foris erant & pactum fecit cum delectationibus ſæculi, requieſcens in illis, non attendens homo boni ſui interioris abſentiam, eo quod conſolationes ſuas quærit in bonis alienis. Nam cum exterior ſenſus carnalis bono ſuo foris utitur, interior ſenſus quaſi obdormit. Non enim cognoſcit bona interioris ſenſus, qui jucunditate bonorum exteriorum capitur. Nam qui in carne vivit, in carne ſentit, & dolores carnis fugit, quantum poteſt: vulnera autem animæ prorſus ignorat. Unde non medicinam quærit. *Sequitur:* Cum autem mortuus fuerit ſenſus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet ſenſus ille, quo intus ſentit ſeipſum, ſcilicet ſcientia experimentali, & tunc ſciet dolores ſuos, & ſentire incipiet vulnera ſua interiora tanto gravius, quanto propinquius. Magis enim nocet malum, quod magis intimum, & magis prodeſt bonum, & delectat, quod magis intimum eſt. Hæc ille. De hoc vide hic proximo membro plenius, qualiter utrumque impedimentum tollitur, ſcilicet experimentalis notitiæ. Item in tertio itinere aliqua invenies de eodem.

Bern. ſup. Cant. ſ. 85 circ. med.

Pſalm. 113

Auctor. de ſpir. & an. c. 9 apud Aug. t. 3

DISTINCTIO IV.

Qualiter interiores ſenſus ſpirituales reparantur vel reformantur.

QUarto videndum eſt, qualiter ſenſus interiores ſpirituales reformantur vel reparantur. Circa quod ſciendum eſt, quod contra primum impedimentum, ſcilicet corruptionem naturæ, neceſſe eſt, ut a Jeſu qui eſt clavis David, ſenſus noſtri aperiantur, antequam æterna experiantur. Unde Bernardus dicit: Dominus poſt ſuam reſurrectionem loquens diſcipulis, ait Evangeliſta Lucas, aperuit eis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Cum enim, inquit Bernardus, Scripturarum interiorem ſenſum, &

Bern. l. de amore c. 10 cir. fin.

Luc. 24

& virtutem miraculorum, & ſacramentorum Dei cœperimus non ſolum intelligere, ſed etiam quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare & tractare, quod non fit niſi quodam conſcientiæ ſenſu, & experientiæ diſciplina intelligentis, & ſcientis bonitatem Dei, & virtutem, quam potenti bonitate, cum efficaci virtute in filiis gratiæ opus ipſius gratiæ operatur: tunc demum ſapientia quod ſuum eſt, exequitur, tunc quos dignos judicat, unctione ſua docet de omnibus, tunc appoſito bonitatis Dei ſigillo, omnia * pectora noſtra unctione illa, & * emollit, & imprimit, & * conformat: & ſi quæ dura, ſi quæ rigida invenit, inculcat, & infringit, donec lætitia Dei ſalutaris accepta, & ſapientiæ ſpiritu principali confirmata, anima læta, & ſancta decantet ad Deum: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo: & idem ſuper Cantica, dicens: Sapientia aſſidua vincit malitiam, id eſt, concupiſcentia in mentibus ad quas intraverit, ſaporem mali quem illa invexit ſapore meliore exterminans. Intrans enim ſapientia, dum ſenſum carnis infirmat, intellectum purificat, cordis palatum ſanat, & reparat, ſanato palato, jam ſapit bonum, ſapit & ipſa ſapientia, qua in bonis nihil eſt melius. Hæc ille. Contra impedimentum ſecundum, ſcilicet noſtram negligentiam, neceſſe eſt ut ſenſus exteriores ſopiantur, & a ſua vagatione reſtringantur, quia tunc interiores ſenſus excitantur, & exercitantur. Unde 30. lib. Moralium Gregorius dicit: Si exterior evagatione ſenſus clauditur, interior ſenſus aperitur. Cujus rationem reddit Hugo de arca Noe, ubi dicit: Mentes (quas curæ carnales exagitant, non comprehendunt ſapidam ſapientiam, ſed qui minoratur actu, ipſe invenit eam: quia dum animus ab exterioribus ad interiora abſtrahitur, ad ſeipſum colligitur, & robuſtior ad contemplanda cœleſtia elevatur & cum a delectatione exteriori abſtrahitur, neceſſe eſt, ut aliquid ſpiritualis gaudii prægustare incipiat, ne ſi omnino a delectatione manſerit alienus, quaſi ſemen aridum ſine humore ad gramen ſapientiæ non convaleſcat. *Sequitur*: Fit ergo divina gratia inſpirante, ut mens ſic abſtracta & terrenis deſideriis exuta ſtatim quadam inſolita lætitia perfundatur, ut eo amplius amarum eſſe agnoſcat quod deſeruit, quo magis dulce ſentit quod invenit. *Sequitur*: Illas mentes internæ dulcedinis deſiderium trahit, quas nullus concupiſcentiæ carnalis affectus religavit. Hæc ille.

* al. peccata. * al. emollita. * al. confortat.

Pſal. 4

Bern. ſup. Cant. ſ. 86 cir. med.

Cap. 9 poſt med.

Hugo l. 3 c. 1 & 2. Eccleſ. 3 8

A

B

DISTINCTIO V.

Qualiter per guſtum interiorem ſpiritualem æterna prægustantur.

QUinto videndum eſt, qualiter per interiorem guſtum ſpiritualem æterna prægustantur. Circa quod ſciendum, quod niſi guſtus ſpiritualis eſſet in nobis, Pſalmiſta non dixiſſet: Guſtate, &c. & Dominus non diceret: Qui manducat hunc panem vivet in æternum. De guſtu æternorum ſpirituali dicit Bernardus: Mens eſt quædam vis animæ, qua inhæremus Deo, & fruimur. Fruitio autem hæc in ſapore quodam eſt divino. Quare ſapientia a ſapore dicitur, ſapor autem iſte in guſtu quodam eſt. Guſtum autem iſtum nemo poteſt digne exprimere, nec etiam qui meretur guſtare, ſed poteſt dicere: Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Hæc Bernardus. Dicit etiam Gregorius: Suavitatem ejus non cognoſcitis ſi hanc minime guſtaſtis. Ex quo ergo guſtum illum nemo poteſt exprimere, ſed ſolum per experientiam noſcitur, ideo oportet viam quærere, qualiter ſpiritus noſter ad iſtam guſtus experientiam poſſit pertingere.

Pſalm. 33 Joan. 6

Lib. de amore Dei c. 10 paulo poſt princ.

C

Hom. 36 paulo poſt princ.

De quo notandum eſt, quod Jeſus qui eſt ſapientia Patris ſapida, quia in eo eſt ſapor omnis ſuavitatis, & delectamenti, primum exivit, ut dicit

Hugo in 1 c. Ang. hie. lib. 2 ante med.

cit Hugo, per creaturam mundi, & manifeſtavit ſe in operibus ſuis, & cœpit videri viſibiliter inviſibilis, per effectum ſuum viſibilem. Et ille exitus ſapientiæ cauſabat in ſenſibus noſtris exterioribus, quandam notitiam æternorum ſcientialem, quia ſecundum Apoſtolum:

Rom. 1

Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, & gloria, & divinitas. Et licet illud lumen ſapientiæ aliquem cauſet ſaporem in ſenſibus, ut patet per Pſalmiſtam:

Pſal. 91

Delectaſti me Domine in factura tua, &c. tamen illa delectatio fit ſemper ex guſtu ſapientiali, oleo gratiæ condito, nec illa notitia eſt experimentalis, ſed diſcurſiva, vel naturalis.

Secundo, ut dicit Hugo ibidem, exivit ſapientia Patris incarnata, & facta eſt lumen in teſta, ut nos illuminaret, & ad Patrem revocaret. Et ille exitus ſapientiæ, ſive manifeſtatio, cauſabat in ſenſibus noſtris interioribus quandam notitiam æternorum credibilem, ſupernaturalem, & ideo nobilior eſt præcedente, quia ſupernaturalia dona perficiunt animam, ut dicit Dionyſius. Sed nec illa notitia eſt experimentalis, quia experientia repugnat fidei, ut patet per Gregorium:

Hom. 26 in Ev. ſtatim poſt princ.

Tamen ex notitia fidei firma, multiplex notitia, & conſolatio habetur, ut patet per Dionyſium, qui dicit ſic:

De divin. nomin. c. 7 cir. fin.

Fides divina eſt ſtabilis collocatio credentium, collocans illos in veritate, confirmans ſimplicem veritatem intranſmutabili identitate in ipſis credentibus.

Rom. 8

Et credentem in veritate, teſte Scriptura, nihil movebit a lætitia, quæ eſt ſecundum veram fidem, ſed habebit in ea permanentiam immobilis, & intranſmutabilis identitatis. Qui enim veritati unitus eſt, ex ipſa unione bene novit, quando bene ſentit, quamvis multi corripiant eum, tamquam mentis exceſſum paſſum.

Ubi ſup. prox. longe poſt med.

Tertio, ut dicit Hugo, ſapientia incarnata quæ ſe per inviſibilia manifeſtat, voluit oſtendere, quomodo

A ipſa animorum cibus, & refectio eſt. Et ideo carnem aſſumptam nobis in edulium propoſuit in ſacramento, ut per cibum carnis ad guſtum invitaret divinitatis. Hæc ille.

In ſacramento altaris, qualis guſtus percipiatur.

Egreſſa eſt ergo ſapientia Patris, & quaſi jam panificata, ut jam dicat: Ego ſum panis vitæ, & Pater dat vobis panem de cœlo verum, qui de cœlo deſcendit.

Joan. 6

Igitur Jeſus in ſacramento eſt verus cibus, & vere guſtabilis, ut per guſtum corporis ejus perveniatur ad guſtum divinitatis ejus, quia ipſe eſt via ſecundum humanitatem ad ejus divinitatem, ut ſupra dictum eſt. Summe autem neceſſarium eſt, ad hoc ut ad guſtum intimæ divinitatis pertingatur per corpus **B** ejus in ſacramento, quod ſenſus corporalis aliquo ſenſibili ſigno foveatur, & determinetur, & ut intellectus lumine ſupernaturali fidei confortetur, & ut voluntas charitate inflammetur, & ſic per ſpiritualem manducationem corporis Chriſti, ad guſtum abſconditæ divinitatis pertingatur. Sed ecce, hic Jeſus dicit: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet. Ego ſum oſtium ſenſui corporali, per ſigna ſenſibilia monſtratum.

Joan. 10

Ego ſum oſtium intellectui, per fidem perfectam reſeratum. Ego ſum oſtium voluntati, per charitatem fervidam apertum, guſtatum, & habitatum. **C** Ego, inquam, ſum oſtium ſenſui, per ſigna ſenſibilia monſtratum in Sacramento, per ſenſibiles ſpecies Sacramentales panis, & vini, quæ ſignificant perfectam refectionem.

Aug. lib. 2 de Doctr. Chriſtian. c. 1 tom. 3

Signa enim ſenſibilia, ſecundum Auguſtinum, ſunt, quæ præter ſpeciem, quam ingerunt ſenſibus aliquid aliud faciunt in cognitionem venire. Unde Hugo, ubi ſupra dicit:

Hugo ubi ſup. prox.

Ne humana infirmitas contactum carnis in aſſumptione abhorreret, ideo conſueti edulii ſpeciebus carnem velavit, ut ſenſus foveretur, dum conſueta percipit, ut etiam intellectus credendo, & affectus diligendo determinate dirigeretur ad cibum hunc, quem Pater ſignavit ſenſibilibus ſignis. Hinc Chryſoſtomus ſuper illud:

Hoc

Hoc facite in meam commemorationem, dicit: Hoc fecit Chriſtus ſenſibilibus ſignis ut nos duceret ad majus amicitiæ fœdus ſuam charitatem declarans erga nos præſtitit ſe non ſolum videri deſiderantibus, ſed etiam palpari, comedi, & amplecti, & totum affectum explere. Hæc ille.

Item, inquit ſecundo: Ego ſum oſtium intellectui, per fidem perfectam reſeratum. Unde Chryſoſt. in tract. de Symb. dicit: Fides eſt lumen animæ, oſtium vitæ, fundamentum
Iſai. 7 ſalutis æternæ. Unde dicit Iſaias: Niſi credideritis, non intelligetis: ergo per fidem intratur ad veritatis co-
ſec. 70 gnitionem. Unde Auguſtinus ſuper
Aug. tra. 29 in Joan. poſt med. tom. 9 Joanne dicit: Noli intelligere ut credas, ſed crede ut intelligas. Intelligere enim eſt merces fidei. Fides mundet te, ut intelligere repleat te. Hæc ille: Intellectus enim humanus ſine radio fidei, circa divina eſt quaſi cæcus. Unde impoſſibile eſt, quod intellectus attingat corpus Chriſti, ut exiſtit ſub ſpeciebus Sacramentalibus niſi lumine ſupernaturali certiſſimæ fidei illuminetur, & dirigatur, alias non videbit rivulos fluminis torrentis
Job 20 butyri, & mellis, ut dicit Job. Quod
Greg. lib. 15 Mor. c. 10 exponens Gregorius 13. Moral dicit: Butyrum naſcitur ex carne, & ſignificat Chriſti humanitatem, mel vero deſcendit ex aere, & ſignificat Chriſti divinitatem. Ex his duobus deſcendunt ſeptem rivuli contemplationis humanitatis, & ſeptem divinitatis, quos ſolum fideles in tanta plenitudine quandoque recipiunt, ut videant quod dicere non valent. At-
Bern. ſuper Cant. ſer. 76 cir. med. tingit enim fides inacceſſa, ait Bernardus, quia intellectus per fidem illuminatus, & confortatus attingit hanc veritatem indubitanter, quod Chriſtus vere eſt in Sacramento, & divinitas vere eſt in Chriſto.

Joan. 10 Item tertio inquit: Ego vere ſum oſtium voluntati, per charitatem fervidam, apertum, guſtatum, & inhabitatum: quia qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: Hæc autem manducatio fit ſpiritualiter.

A Manducare autem ſpiritualiter, eſt attingere ad rem hujus Sacramenti. Res autem hujus eſt duplex, una contenta, & ſignata, & eſt Chriſtus integer qui continetur ſub ſpeciebus panis, & vini. Alia eſt res ſignata, & non contenta, & hæc eſt corpus Chriſti myſticum. *Res Sacramenti duplex.* Ille ergo manducat ſpiritualiter, qui Chriſto conjungitur per fidem, & charitatem. Fides pertinet ad cognitionem, charitas ad refectionem, ideo etiam unitur corpori Chriſti myſtico, id eſt, Eccleſiæ. Ex iſta enim manducatione oritur attingentia ſpiritualis, alias Chriſto non incorporaremur, dum carnem ejus guſtamus. De iſta incorporatione Augu- *Aug. tr. 25 in Joan. poſt med. tom. 10*
B ſtinus ſuper Joannem dicit: O Sacramentum pietatis, o ſignum unitatis, o vinculum charitatis. Qui vult vivere accedat, credat, incorporetur, & vivificetur. Et Hugo dicit, quod iſta manducatio dicitur unifica, quia unos ſecum efficit omnes, quibus ſe manducandam præbet. *Hugo ſup 7 Ang. hier. lib. 7 longe poſt med.* Dicat ergo manducans illud Canticorum: Comedi favum cum melle meo. *Cant. 5* Favus, ſicut dicit Origenes, eſt cera virginea, cellulis diſtincta, melle repletus. Quid ergo eſt aliud: Comedi favum cum melle meo, niſi manducare corpus virgineæ carnis dulciſſima divinitate repletum? & ſic per guſtum humanitatis pervenitur ad guſtum divinitatis, &
C ideo ad prælibamen æternitatis.

DISTINCTIO VI.

Qualiter quilibet ſenſus interior ſpiritualis æterna experiatur.

SExto notandum eſt, qualiter quilibet ſenſus interior ſpiritualis æterna experiatur. De quo ſciendum eſt, quod Bernardus dicit: Sicut corpus habet ſuos quinque ſenſus, quibus animæ conjungitur, vita mediante, ſic anima habet ſuos quinque ſenſus, quibus Deo, ſive æternis conjungitur, mediante charitate. *Bern. lib de amore Dei, c. 6 cir. fin.* Quare Apoſtolus dicit: Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, id *Rom. 12*
eſt,

Digitized by Google

eſt, experimento ſciatis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. *Sequitur:* Per ſenſus corporis veteraſcimus, & huic ſæculo conformamur. Per ſenſus vero mentis, renovamur in agnitione Dei ſive æternorum. *Et infra dicit:* Sicut omnes ſenſus corporales, ſcilicet, viſus, auditus, odoratus, & tactus, ſine ſenſu guſtus infirmantur, & hebetantur in operationibus ſuis: ſic ante adventum Jeſu mediatoris, omnes ſenſus noſtri ſpirituales languebant, propter abſentiam guſtus ſpiritualis vel ſapientiæ, quæ nondum fuit incarnata, nec quaſi guſtata, a cujus guſtu quanto diutius abſtinemus, tanto ſenſus interiores magis deficiunt, & infirmantur in actibus ſuis circa æterna. Unde Gregorius 14. Moralium exponens illud Job: Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat coſtas eius, ſic dicit: Ex rationali anima habet homo, ut in perpetuum vivat, & tamen hominis iniqui robur attenuatur fame, quia anima eius nulla interni cibi refectione paſcitur. Et inedia invadit coſtas eius, quando ſpirituali refectione ſubtracta, ſenſus mentis deficiunt. Et tunc cogitationes ſuas nec tegere, nec tueri poſſunt: quia fames interna ſenſus mentis extenuat, & ideo ſe foris extendunt ad temporalia ſpretis æternis, quæ eis non ſapiunt. Adveniente autem guſtu ſapientiæ, ait Bernardus ubi ſupra, tunc ſequitur quædam dulcedo ſaporis, quam in interiori ſuo ſentiens anima, modo quodam ſingulari, quæ ſuſcepit cuncta diſcernit, & diiudicat, ſeque & omnes ſenſus vegetat, & confirmat. Nam his panis ſpiritualis eſt, de quo dicitur: Paratum panem dediſti eis de cœlo ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantiam enim tuam, & dulcedinem tuam quam in filios habebas, oſtendiſti, & deſerviens uniuſcuiuſque voluntati, ad quod unuſquiſque volebat, convertebatur. Ac ſi diceret: O Pater ſubſtantiam tuam, id eſt, Filium tuum, cui totam ſubſtantiam tuam communicas, & dulcedinem tuam; id eſt, Spiritum ſanctum, quem æternaliter ſpiras, nobis oſtendis, & communicas in Sacramento charitatis: ergo, & omnem ſaporem ſuavitatis. Et ideo iſte panis ſapientialis nobis in Sacramento charitatis exhibitus maximæ attingentiæ eſt. Attingit enim omnes ſenſus interiores, in tantum, ut in omnibus manducantibus eum, maneat, & ipſi in eo, ut non moriantur in æternum, ſed in æternitate vivant, & maneant, ut dicit Salvator.

Diviniſſima igitur Euchariſtia in ſe habens delectamentum omnem ſenſum interiorem attingens, ſenſum viſus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum contemplationem, ſenſum auditus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum auditionem, ſenſum olfactus excitat ad æternorum olfactionem, ſenſum tactus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum tentionem, ſenſum guſtus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum prælibationem. Niſi iſtis ſenſibus interioribus æterna aliqualiter in hac vita experirentur, Gregorius 5. lib. Moralium non diceret ſic: Æternitas per inhiantem mentem ſine ſpecie cernitur, ſine ſono auditur, ſine motu ſuſcipitur, ſine loco retinetur, ſine corpore tangitur, & cum mens phantaſmata imaginationum corporalium abiicit, iam aliquatenus æternam divinitatem conſpicit: quam ſi necdum quid ſit apprehendit, agnovit tamen certe quid non ſit.

Videamus ergo de ſingulis ſenſibus interioribus. Primo igitur Jeſus, panis vitæ in Sacramento manducatur, cum vere in ſe habeat delectamentum omnis ſuavitatis omnium ſenſuum ſpiritualium. Et cum ipſe ſit candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula: attingens ſenſum viſus interioris hominis iam aliqualiter exercitatum, ipſum excitat ad æternorum recipiendam contemplationem vel inſpectionem. Unde Gregorius 24. Moral. exponens illud Job: Vi-

Margin notes: Ibidem. — Job 18. Greg. lib. 14 Moral. c. 6 poſt med. — Ber. ubi ſup. prox. c. 10 — Sap. 16 — Joan. 6 — Greg. lib. 5 Mor. c. 26 non longe a prin. — De ſenſibus interioribus. — Sap. 7 — Job 33

Greg. l. 14 mor. cap. 7 poſt med. Videbit faciem ejus in jubilo, dicit Gregorius 13. Moral. dicit: Unde exterior auditus aperitur, inde interior obſurdeſcit. Hujus allocutionis experientiam habuit, qui dixit: Vox dilecti mei, ubi dicit Gloſſa: Gaudeo Cant. 2 conſolatoriam ejus vocem audiens, dum ejus faciem nondum video, tamen ſublevato ad cœlum animo aliquam ſuavitatem præguſto futuræ beatitudinis, & hoc in præſenti ſæculo. Hæc Gloſſa.

A ſic: Plerique contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam prius quam ſpolientur carne, hilareſcunt, dum in jubilo faciem Dei conſpiciunt: quod fit, cum aliquis ſpiritualem oculum in radio æterni ſolis figit. Ibi lumen vivens videt: quia jam omni mutabilitatis viciſſitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eique inhærendo quem cernit ad ſimilitudinem incommutabilitatis aſſurgit, atque in ſemetipſam auctoris ſui inconverſibilem ſpeciem, dum recipit, aſſumit. Quæ enim ad mutabilitatem per ſeipſam lapſa eſt, ad immutabilitatis ſtatum immobilem videndo formatur. Hæc Gregorius: Hujus ſenſus Cant. 5 experientiam habuit, qui dixit: Dilectus meus candidus, & rubicundus, &c. Experimentaliter loquebatur, ait Vercellenſis.

Secundo Jeſus panis ſacramentalis, cum ſit verbum Patris (verbum autem eſt notitia declarativa cum amore, ut ait Auguſtinus lib. 9. de Trinitate) Cap. 9 & 10 attingens aures ſpirituales in ſacramento, excitat eas ad experiendum allocutionem de æternis, quia quantum in ſe eſt, ſemper notificat æterna, & illuminabit omnem hominem. Anima autem niſi haberet aures ſpirituales habiles ad audiendum æterna, Jeſus non dixiſſet. Qui Matth. 13 & Luc. 8 habet aures audiendi, audiat. Dominus autem, ut dicit Gregorius, non Greg. ſup. Ezech. ho. 14 ante med. quærit aures corporis, ſed mentis. Et in Apocalypſi dicit idem: Qui Apoc. 2 per totum. habet aures, &c. ubi dicit Richardus: Illa habet aures audiendi, qui habet ſenſum intelligendi, & affectum diligendi ea quæ promittuntur, & idem dicit Haymo: Auris carnis tantum ad audiendum conſiſtit, auris vero cordis auditu ſimul, & intellectu viget. Has aures verbum Patris multipliciter alloquitur, ut ſupra dictum eſt in itinere meditationis. Et Auguſtinus ſuper Geneſim ad litteram dicit: Sapientia Filius Dei non ceſſat loqui occulta inſpiratione ad intellectualem creaturam. Sed Gre-

Tertio Jeſus panis Sacramentalis excitat olfactum ad æternorum odorem Dionyſ. 4 Eccl. hier. ſentiendum. Cum ſicut dicit Dionyſius, exiſtit fontana copioſa ſusceptionum divinarum ſuavitatum, refundens de ſua plenitudine diviniſſimas B fragrantias. Ideo olfactum interiorem ſpiritualem excitat, & aperit, ad experiendorum æternorum odorem, ut Joannes Evangeliſta tamquam expertus diceret: Odor tuus Domine excitavit in nobis concupiſcentias æternas. Sed hic nota quid ſit olfactus ſpiritualis in anima, & in Angelis. De hoc dicit Linconienſis commentator ſuper Angelicam Hierarchiam ſic: De olfactiva virtute diſcretiva odorum, quæ intus ſuſcipiendo agit, dicit Dionyſius, ſignare ſuſceptivum bene redolentis, hoc eſt, bene contemplantis gratiæ divinæ. Et Dionyſius 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, dicit ſic: Si ſenſibilium aro- C matum ſuſceptio moderata, vim olfactivam noſtram ſanam delectabiliter refovet, pariter & intellectualem ſenſum noſtrum ſpiritualis ſuavitatis diſcretivum ab appetitu inordinato purgatum, ſuſceptio divini boni odoris ſancta delectatione nos replebit. Hujus odoris experientiam habuit, Cant. 1 qui dixit: In odorem unguentorum Bern. ſup. Cant. ho. 22 non longe a pr. tuorum curremus poſt te, ubi dicit Bernardus ſic: Et ſi Dominus ſuavis odoris ſit univerſis, maxime tamen domeſticis, & quanto quis ſibi familiarius vitæ merito ac mentis puritate appropiat, tanto eum arbitror recentiorem aromatum, & unctionis ſuavioris ſentire fragrantiam. Porro in hujuſmodi non capit intelligentia, niſi quantum experientia attingit. Hæc

Hæc ille. Deo igitur gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, ut dicit Apoſtolus. *2 Cor. 2.*

Quarto Jeſus panis ſacramentalis, cum ſit ſummæ attingentiæ, quia ipſe ſe dat in cibum, & manet in cibato, & cibatus in eo, ut dicitur in Joanne, & hoc in maxima charitate, ubi fit veriſſima attingentia animæ, & Dei ſpiritualis. Sed notandum, quod Hugo in libro 1. de arca Noe, dicit ſic: ad Deum attingere, eſt ſemper per deſiderium eum quærere, & per cognitionem invenire, & per guſtum tangere. Ex quo patet, quod attingentia iſta habet quoſdam gradus, per quos Deus acceditur, & invenitur, & attingitur, non acceſſu locali, nec tactu corporali, ſed ſimilitudine ſpirituali acceditur ad Deum, & diſſimilitudine a Deo receditur, ut dicit Auguſtinus in libro ſexto de Trinitate. *Joan. 6.* *Hugo l. 1. de ar. mor. cap. 4. cir. med.*

Primus igitur gradus eſt, quo Deus attingitur, cum per deſiderium quæritur: quamvis enim Deus ut deſideratur, ſecundum aliquid ut præſens non habeatur, tamen neceſſe eſt, ut etiam ſecundum aliquid præſens habeatur, alias non deſideraretur. Dicit enim Gregorius in homilia: Profecto, qui Deum deſiderat, jam habet quem amat, & tamen habitus amplius quæritur: quia ſine fine eſt quærendus, qui ſine fine eſt diligendus, ut ait Auguſtinus exponens illud pſalmi: Quærite faciem ejus ſemper. *Pſalm. 104 Aug. enar. in Pſ. 104 non longe a pr. to. 8*

Secundus gradus, quo Deus attingitur, eſt cum per cognitionem invenitur. Cognitio enim eſt actus vitalis. Actus autem vitales attingunt ſua objecta, ut dictum eſt ſupra, alias dilectus non dixiſſet dilectæ: Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, intelligentia tua penetrante ait Vercellenſis. Sed attingentia manet imperfecta, niſi id, quod præſens eſt cognitioni fiat præſens voluntati amantis. Quia Auguſtinus dicit, quod quidam Deum cognoſcunt, qui tamen Deum propter hoc non habent, quia ſi eum ut Deum cognoverunt, non tamen ut Deum glorificaverunt, ut ait Apoſtolus. *Cant. 4.* *Aug. in ep. ad Dard. paulo ante med. t. 2.* *Rom. 1*

Tertius gradus, quo Deus attingitur, eſt cum Deus per amorem tenetur, & amplexatur, & ſpiritualiter manducatur. Hi autem actus, & gradus ſunt principaliter ipſius affectus, & voluntatis. Unde Auguſtinus dicit quod voluntas habet unum proprium actum, qui eſt actus tenendi ſive amplexandi & quaſi poſſidendi, quos actus non poteſt habere intellectus. Nam poſſeſſio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntatis habentis, ſicut ſanitas ſani non eſt medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis. Unde & actum guſtandi non habet intellectus, ſed voluntas, quia guſtus eſt in charitate, ſicut dicit Richardus, ſed charitas vel dilectio eſt actus voluntatis. Nam ſicut dicit Richardus: Sicut Deus per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur, & attingitur. Hunc tactum ſpiritualem experta fuit, quæ dixit: Læva ejus ſub capite meo. Lævæ nomine intelliguntur ſplendores intellectus ſpeculativi, qui ad guſtum viatoris pertinent, dextræ nomine quæ patriam ſignat, intelligitur ſuperintellectualis unitio ad Deum, quæ ſpeculum neſcit, & quaſi ad præmium inclinat tamquam arra, & pignus nec auferetur. Quare dixit ſponſa: Tenui eum, nec dimittam illum, poſt tam exceſſivos amplexus, & ineffabiles. Hæc Vercellenſis. *Aug. lib. 9 de Trin. c. 8 tom. 3* B *Rich. l. 4 de contem. cap. 15* *Cant. 2* *1 Cor. 13* C *Luc. 10 2 Cor. 5 Cant. 3*

Quinto Jeſus eſt panis ſuperſubſtantialis, ſicut patet in Matthæo. Ideo gratiſſima, & ſufficientiſſima refectio Angelorum, & hominum, ut dicitur in pſalmo. Ideo attingens guſtum interioris mentis, aperit eum ad æternorum dulcedinem guſtandam. Unde Vercellenſis ſuper Cantica dicit: Nihil eſt quod ita gratam mentibus præſtet refectionem ſicut panis ſuperſubſtantialis. Hæc enim refectio non fit per ſpeculum, ſed per divinæ dulcedinis experientiam, juxta quod guſtus, & tactus non exercentur per ſpeculum ſicut viſus. Et in hac *Matt. 6.* *Pſal. 77*

Digitized by Google

Luc. 10 hac Dei participatione fundatur por- A tio Mariæ, quæ non auferetur ab ea. Sed hæc eſt principalis ruinæ antiquæ reparatio, quando in primo Adam ſpoliati fuimus, & vulnerati in naturalibus. Hæc ille. Quamvis autem iſte panis habeat omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis, & ſanet omnes infirmitates noſtras ſecundum Pſalmiſtam, non tamen omnibus ſapit æqualiter. Dicit namque Bernardus: Deus non uniformiter ſapit omnibus. Oportet namque pro variis animæ deſideriis divinæ præſentiæ guſtum variare, & infuſum ſaporem divinæ dulcedinis diverſa appetentis animæ aliter atque aliter oblectare palatum. Multum B enim differenter ſapit iſte panis vitæ æternæ reprobis, & electis. Unde Gregorius 11. Moralium exponens illud Job: Auris verba dijudicat, & fauces comedentis ſaporem, dicit ſic. Job in his verbis aliquid de reprobis, & aliquid de electis innuere videtur, quia verba ſapientiæ, quæ reprobi audiunt tantum, electi non ſolum audiunt, ſed etiam guſtant, ut eis in corde ſapiat, quod reproborum non mentibus, ſed ſolummodo auribus ſonat. Aliud namque eſt cibum nominatim audire ſolummodo, aliud vero eſt guſtare. Electi itaque cibum ſapientiæ ſic audiunt, ut deguſtent: quia hoc quod audiunt ipſis per amorem medullitus ſapit, reprobi vero C qualiter ſapiat, ignorant. Aliud enim eſt aliquid ſcire de Deo, & aliud quod cognoſcitur faucibus intelligentiæ guſtare. Illa enim dicta in ſapientiæ radice ſolidata ſunt, quæ per vivendi uſum, & actuum experimentum convaleſcunt. Hæc Gregorius. Sed, ut ſupra dictum eſt, oportet volentem guſtare hunc panem ſuperſubſtantialem, habere ſenſus excitatos. Hos ſenſus interiores videtur beatus Auguſtinus habuiſſe, qui 10. libro Confeſſionum ait ſic: Quid amo cum Deum meum amo? certe non exteriora, ſed quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum interioris hominis mei, ubi fulget animæ meæ lumen, quod non capit locus, & ubi ſonat verbum, quod non rapit tempus, ubi olet odor quem non ſpargit ventus, & ubi ſapit cibus, quem non minuit edacitas, & ubi hæret quod non divellet ſatietas. Hæc amo cum Deum meum amo. Hæc Auguſtinus. Ex his patet, qualiter ſenſus interiores noſtri æterna experiantur. Unde & Richardus dicit: Non debet nobis ſufficere illa æternorum notitia, quæ eſt per fidem ſolum, niſi & apprehendamus illam, quæ eſt per intelligentiam, ſi nec dum ſufficimus ad illam, quæ eſt per experientiam. Hæc ille.

Bern. ſuper Cant. ſ. 3 poſt med. — *Cap. 4 ante med.* — *Job 12* — *Cap. 6 to. 1* — *Lib. 1 de Trin. c. 1*

DISTINCTIO VII.

Qualiter ſpiritus noſter ad veniendum per iter experientiæ ad intrinſecum Domini invitatur.

SEptimo videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter ad veniendum per iter experimentalis prægustationis æternorum, ad intrinſecum Domini Jeſu invitatur ab ipſo, dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni. Et hujus invitationis ſubjungit allectivum, dicens: Quia ficus protulit groſſos ſuos, id eſt, quia jam eſt deſiderati viatici optata ſuavitas. Tunc namque eſt itinerandi ſecuritas, quando itinerans ſuaviter reficitur, & itinerantis virtus augmentatur, donec cum propheta ad montem Dei Oreb perveniatur. Dicit igitur, O amica mea, propter experimentalem mei manducationem, nonne comediſti favum meum cum melle meo, id eſt dulcedinem divinitatis cum corpore, & ſanguine meæ humanitatis. Hoc enim proprium eſt amicis meis, ut comedant, & bibant, & inebrientur chariſſimi, ut corpus meum comedant, & ſanguinem meum bibant, & experientia intima, mea divinitate inebrientur. Hoc enim proprium electorum eſt, dicit Haymo ſuper Apocalypſim Sur-

Cant. 2 — *3 Reg. 19* — *Cant. 5* — *Joan. 6*

Surge ad meam experimentalem co- A habitationem, ut ubi ſum ego, & tu ſis, quia ex hac manducatione mei, tu manes in me, & ego maneo in te, tamquam mihi jam incorporata.
Eccl. 25 Ego quidem in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Ideo ſurge o columba mea, propter experientiæ tuæ ſimplicem in fruitionem, & ſingularem. Solum enim quæris experiendo frui præſentia mea. Un-
Pſalm. 76 de dixiſti: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Quod exponens Gregorius 18.
Cap. 24 Moral. dicit ſic: Quia temporalium amiſſione non lugeo, de temporalium abundantia conſolari nequaquam poſſum, & tamen memoria Dei ſolum B delectatus ſum. Si igitur tantum delectatur in ſola memoria Dei, dicat cum Bernardo: Super mel, & omnia ejus dulcis præſentia. Propera propter experientiæ tuæ perfectionem, & delectationem. Quanto enim ſpirituales delicias plus experiris, tanto avidius appetis eas, propera igitur venire ad me fontem omnium deliciarum. Nam etiam celeritas in deſiderio mora eſt; ut dicit Seneca.
Cant. 2 O formoſa mea, propter experientiæ tuæ radioſam multiplicationem. Experiris enim me, te viſitantem, poſt parietem ſtantem, per cancellos proſpicientem, in montibus ſalientem. Item experiris me, te alloquentem, C te odore meo ſemper attingentem, te reficientem, & amplexantem, &c. ut patet in Cantico amoris per
Bern. ſup. Cant. ſ. 57 in pr. totum. Unde Bernardus dicit: Attendite Sponſæ devotionem, atque ſolertiam ſive experientiam, quod vigili utique oculo, ſcilicet experientiæ, obſervat Sponſi adventum, & deinceps omnia ipſius intuetur. Venit enim ille, acclerat, appropiat, id eſt, reſpicit, alloquitur, & nihil horum momentorum Sponſæ induſtriam fugit. Hæc ille: Veni igitur ad experientiæ tuæ conſummationem, quia ficus protulit groſſos ſuos. In quo oſtendit ſuæ invitationis dulce allectivum. Quid per ficum convenientius intelligi poteſt producentem fructum dulcedinis, quam Pater æternus, principium omnis dulcoris, qui protulit nobis groſſos infinitæ dulcedinis, & refectionis, ſcilicet verbum ſuum Spiritum ſanctum, conſubſtantiales, & coæternos? Verbum ſuum infinitæ dulcedinis protulit incarnatum, ut nobis eſſet in redemptionem, & panem ſuperſubſtantialem, ut eſſet nobis in refectionem, qui deſcendit de cœlo nobis præparatus, & habens in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis, ut per ipſum dulciter reficiamur in via, ne deficiamus, ſed ad æternum Patrem reducamur. Ecce dicit Hugo: Unum ferculum proponitur in menſa Domini, ſed noli contemnere. Continet enim in ſe omne bonum. Sed hanc refectionem non omnes guſtant. Ipſa enim una eſt ſingularis, quia cum aliena, & extranea delectatione, & dulcedine non percipitur. Dicitur domeſtica, quia amicis, & familiaribus tantum præparatur. Dicitur unifica, quia unum ſecum efficit omnes, quibus ſe ſumendum, & percipiendam præbet. Hæc ille: Ficus etiam paterna protulit nobis Spiritum Sanctum conſubſtantialem, & coæternum, qui eſt fons infinitæ dulcedinis ſaliens in vitam æternam. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis. A quo omnis dulcedo emanat. Unde Gregorius l. 5. Moral. dicit, quod unctio Spiritus Sancti facit contemnere inferiora, & elevat ad ſuperiora, & quod dulcedo eius hic ſentiri poteſt, non dici. Hunc groſſum infinitæ dulcedinis Pater nobis protulit, dum nobis eum in ſenſibilibus ſignis miſit, & quotidie inviſibiliter electis mittitur, qui itinerantes per ſeptem dona quaſi per ſeptem dies, & per ſeptem refectiones ſpirituales, nos ad convivium æternorum collium perducit. Unde Gregorius l. 1. Moral. dicit, quod unumquodque donum Spiritus Sancti, diem ſpiritualem facit in mente per ſuam illuminationem, & in qualibet die convivium facit per ſuam dulcedinem. Intellectus in die ſuo

Hugo in 7 Ang. hier. lib. 6 ante med.
Eccleſ. 24
Greg. l. 5 mor. c. 19 paulo poſt pr. in ſenſ.
Ibid. c. 16

Digitized by Google

ſuo convivium facit, & præparat, quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo, cor tenebras ejus illuſtrat. Sapientia in die ſuo convivium facit, quia mentem æternorum ſpe, & certitudine reficit. Conſilium in die ſuo convivium exhibet; quia dum præcipitem eſſe prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die ſuo convivium facit, quia dum adverſa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die ſuo convivium præparat, quia in ventre mentis ignorantiæ jejunium ſeparat. Pietas in die ſuo convivium exhibet, quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet. Timor in die ſuo convivium facit, quia dum premit mentem, ne de præſentibus ſuperbiat, de futuro illam cibo ſpei confortat. Hæc ille: Et ſic itinerans ad æternitatem confidenter, & velociter incedit. Et hæc dona ſancti Spiritus ſunt quædam perfectiones animæ, per quam redditur bene nobilis ad æterna conſequendum, & exercitata ad experiendum, quia ſpiritualis omnia dijudicat. Ad cujus æternitatis plenam experientiam nos perducat æterna ſapientia benedictus Deus. Amen.

DE SEPTIMO ITINERE

Æternitatis.

SEptimo iter æternitatis, per quod ſpiritus noſter venit ad intrinſecum ſecretum, & æternale manerium Domini Jeſu eſt æternorum meritoria operatio, ſive Deiformis, id eſt, divinæ operationis conformis: niſi enim opera noſtra eſſent iter ad æterna, Dominus non diceret ſe redditurum unicuique ſecundum opera ſua. Opera enim illorum ſequuntur illos, ſicut dicit Joannes. Ad majorem autem hujus itineris notitiam habendam, ſeptem ſunt notanda.

Matth. 16

Apoc. 14

Primo, quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera ſubſequatur.

Secundo, quare natura rationalis ad hoc facta eſt quod operetur, & æternum finem per hoc conſequatur.

Tertio, quare homo ſecundum duplicem naturam corporalem, ſcilicet, & ſpiritualem operari teneatur.

Quarto, qualiter operatio utriuſque naturæ corporalis, ſcilicet, & ſpiritualis Deiformis efficiatur.

Quinto, qualiter diverſi gradus utriuſque operationis vel ſpecies diſtinguantur.

Sexto, qualiter ſpiritus per utramque vitam ſcilicet activam, & contemplativam ad æterna ingrediatur.

Septimo, qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis a Domino invitetur.

DISTINCTIO I.

Quare iter meritoriæ operationis præcedentia itinera ſubſequatur.

PRimo, notandum eſt, quod cum aliquis in ſpiritualibus exercitatus fuerit ad æterna directus per rectam rationem vel intentionem, cum fuerit in itineribus æternitatis expeditus per frequentem meditationem, cum fuerit ad æterna directus per limpidam contemplationem, cum fuerit ad æterna inclinatus per fervidam dilectionem, cum fuerit de æternis inſtructus per multiplicem revelationem, cum fuerit æterna expertus per dulcem prægustationem, ut de omnibus patuit ſupra, quid modo reſtat, niſi æterna ingrediatur per Deiformem, & meritoriam operationem? Quidnam prædicta omnia valerent, ſi ea Deiformis operatio non conſummaret? Non enim perfectum facit cognitio veritatis, niſi ſubſequatur habitus virtutis in operatione, ait Hugo ſuper 7 Angelicæ hierarchiæ. Et in libro de tribus dictis dicit ſic: Quid nobis prodeſt, ſi in Deo cognoſcimus majeſtatis celſitudinem, & nullam nobis inde colligimus utilitatem? Si enim de illo intimo divinæ contemplationis ſecreto revertimur, quid nobiſcum afferre poterimus niſi lumen exemplaris operationis, &c. ut ſupra in prologo

Li. 7 paulo poſt med.

logo diſtinct. 5. Quare iter meritoriæ A operationis rationabiliter prædicta ſequitur.

DISTINCTIO II.

Quare natura rationalis ad hoc facta eſt, quod operetur, & æternum finem per hoc conſequatur.

SEcundo ſciendum eſt, quod natura rationalis ad hoc facta eſt, ut operationes proprias operetur, & per hoc gratia mediante finem ſuum ultimum conſequatur. Propter hunc enim finem conditus eſt homo, ut opus, propter quod factus eſt operetur, & non ſolum ne a vita æterna ſive a ſuo fine excludatur, ſed etiam ne quaſi naturali ſua perfectione privetur. Quod Linconienſis commentator ſuper 3 Angelicæ hierarchiæ ſic oſtendit, dicens: Facta eſt rationalis natura non ſolum propter inhærere Deo per dilectionem Dei, ſed etiam propter operari ſecundum ſacras ordinationes bene ad proximum ex dilectione proximi. Et ſi prædicto modo non operatur, tunc fine, propter quem facta eſt, caret: cum neutra dilectio ſine altera permaneat, ac per hoc caſſa, & vana eſt, & idcirco indigna ſubſiſtere etiam ſecundum exiſtentiam naturalem ei divinitus datam propter hujuſmodi finem. Sicut enim, ſecundum Apoſtolum, qui non laborat, non manducet: ſic omne quod propter opus factus eſt, ſi ſuæ negligentiæ vitio non facit, exiſtentiæ ſuæ naturalis fulcimento privari habet, ut videlicet plenitudinem integram, & integritatem plenam exiſtentiæ naturalis non retineat. Sic primus Angelus, & primus homo, non operantes ſecundum ſacras ordinationes gratiæ propriæ, recedentes voluntarie, & elongantes ſe a per ſe ente, & per ſe eſſe, deciderunt in corruptionem naturalis exiſtentiæ, non quod ipſa caderent in penitus non eſſe, ſed quod ipſa ut prætactum eſt, a propriæ integritatis plenitudine deciderunt, & propter averſionem ab illo, qui ſolus per ſe eſt & converſionem ad aliud, quod per ſe non eſt aut deficienter eſt: dicatur magis non exiſtere quam exiſtere. Hæc ille: Et ideo non licet otiari a bono opere. Otium enim ſine litteris mors eſt, ait Seneca, & vivi hominis ſepultura. Et Bernardus in ſermone ad ſolitarios. Nihil pretioſius tempore, quia ſicut capillus non peribit de capite, ſic nec momentum peribit de tempore, quin oporteat reddere rationem. Igitur natura talis facta eſt ut operetur, & per hoc finem ſuum conſequatur.

1 Theſſ. 3 — Sen. ep. 82 paulo poſt prin.

DISTINCTIO III.

B *Quare homo ſecundum duplicem naturam operari teneatur.*

TErtio videndum eſt quod cum homo conſtet ex duplici natura, corporali, ſcilicet, & ſpirituali: ideo duplices operationes debet operari, ut ſecundum utramque naturam ad æterna paſſibus operationum dirigatur per intentionem rectam in finem ultimum, qui eſt Deus æternus, ut ſic totus homo cum tota familia ſua ſpirituali bene ordinetur, pacificetur, & regnum efficiatur æterno Deo. Niſi enim Deus regnum ſuum in nobis habere poſſet, non dixiſſet, regnum Dei intra vos eſt. Hoc autem C regnum non eſt eſca vel potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Juſtitia juſtificans judicia cordis ſive rationis, pax tranquillans imperia facultatis, gaudium adimplens deſiderium voluntatis. Et Gregorius exponens illud verbum, dicit: Hæc ſunt quaſi imago, & arrha perennis lætitiæ futuri ſæculi. Iſtarum operationum tam ſpiritualium, quam corporalium ordinem, & directionem in finem, ſcilicet Deum bene oſtendit, & docet Auctor libri de ſpiritu, & anima, dicens: Nobilis eſt creatura anima, civitas namque Dei eſt, de qua tam glorioſa dicta ſunt, quod ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facta eſt. Hæc civitas Hieruſalem merito appellata eſt, quia ad fruendum viſio-

Luc. 17 — Rom. 14 — Auct. de ſp. & an. c. 37 apud Aug. in pr. t. 3

viſione illius pacis ſummæ, quæ fecit utraque unum creata eſt. Mens ejus paradiſus eſt, in qua dum cœleſtia meditatur, quaſi in paradiſo voluptatis delectatur. Domus etiam ſummi patrisfamilias eſt anima, propter unitatem morum. Sponſa Chriſti propter dilectonem. Templum Spiritus ſancti propter ſantificationum. *Sequitur:* Civitas Regis æterni, propter concordiam civium. Et quia nulla eſt civitas abſque populo, diſpoſuit in ea Conditor noſter populum triplicis gradus id eſt, ſapientes ad conſulendum, milites ad pugnandum, artifices ad miniſtrandum. Cives hujus civitatis, ſunt naturales, & ingeniti animi vigores tamquam indigenæ, quorum diſtincti ſunt gradus. Alii ſuperiores, alii medii, alii, inferiores, ad ſimilitudinem Angelicæ hierarchiæ. Superiores ſunt quidem intellectuales ſenſus, medii rationales, infimi animales: quorum hæc differentia eſt. Animalis ſive ſenſualis appetit ſenſibilia. Rationalis diſcernit, & diſcretionis oculo aſpernatur ea. Intellectualis pertrahit ea ad divina. *Sequitur*: Intellectuales igitur ſenſus ſunt tamquam animæ conſiliarii dicentes ei: Deum time, & mandata ejus obſerva: propter hoc eſt enim omnis homo. Rationales ſunt milites, qui hoſtes concupiſcentiarum impugnant per arma juſtitiæ. Animales ſive ſenſuales ſenſus ſunt tamquam ruſtici, & artifices mechanici, qui corporalibus rudimentis inſiſtunt, & corpori neceſſaria miniſtrant. *Sequitur:* Hanc triplicem vim animæ ſcilicet ſenſualem, rationalem, & intellectualem, Philoſophi partes animæ vocaverunt, non integrales ſed virtuales, quia potentiæ ejus ſunt: Hæc omnia in libro prædicto. Tota igitur iſta familia pacificata, & quælibet ad ſuum officium, & opus ordinata, & directa, & Regi ſuo plene ſubjecta, omnes extranei regnum animæ turbantes eiiciantur, & excludantur. Extranei autem ſunt, ut dicit Richardus, omnes cogitatus tam vani, quam noxii, qui nulli noſtræ utilitati ſerviunt, & ſimiliter turba inordinatarum affectionum, & ſollicitudinum, quas omnes oportet eiicere, ut Regis noſtri legibus, & dilecti noſtri amplexibus, quanto liberius tanto jucundius, liceat inhærere. Qui abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum. Ex his apparet; quod homo ſecundum utramque naturam debet operari, cum ſecundum utramque ſit beatificabilis.

Eccl. 12 — *Ric. l. 4 de contem. cap. 35 non longe a pr.* — *Apoc. 21*

DISTINCTIO IV.

Qualiter operatio utriuſque naturæ corporalis, ſcilicet, & ſpiritualis Deiformis efficiatur.

Quarto videndum eſt, cum Dionyſius dicat quod ex Scriptura edocemur, quod jam in hac vita Deiformem vitam inchoamus, quam in cœlo conſummabimus, qualiter utraque noſtra operatio, ſcilicet ſpiritualis & corporalis, Deiformis, id eſt, divinæ operationi conformis efficiatur. Niſi enim aliqualiter poſſemus nos Deo Patri noſtro conformiter operari tamquam Filii, Dominus non dixiſſet: Eſtote perfecti, ſicut, & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Sicut enim imaginem Dei Patris noſtri habemus in mente vel tenemus, ita etiam, ut Dei Filii ſimus, debemus ſimilitudinem tenere in operatione. Nam ejus Filii ſumus, cujus opera facimus, dicit Dominus. Unde Dionyſius dicit: Uniuſcuiuſque hierarchiæ, ideſt, bene ordinatæ perſonæ perfectio eſt ad Dei imitationem ſecundum propriam operationem reductam eſſe, & fieri cooperatricem, quod efficacius omnibus divinam ingignit conformitatem, & facit repræſentare divinam operationem in ſeipſo, ſecundum quod poſſibile eſt, juſta illud Pauli: Dei enim adjutores ſumus. Notandum igitur, quod Dionyſius 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ dicit: Ne illuminationes divinarum operationum confuſæ, & indiſtinctæ videantur, tam Angelici, quam Eccleſiaſtici gradus ſunt diviſi in primas, medias, & ultimas ſanctas operationes, & ordines, ſecundum

Dion. 7 de Eccl. hier. — *Matth. 5* — *Joan. 8* — *Dion. c. 5 Eccl. hier.* — *1 Cor. 3*

dum Hierarchicas diſcretiones, id eſt ordinatas diſtinctiones. Et cap. 10 Angelicæ hierarchiæ dicit, quod unaquæque mens bene ordinata, tam Angelica, quam humana habet in ſe primas, medias, ultimas, ſive infimas ordinationes, & virtutes, & ſurſum actiones, ſecundum quas unuſquiſque Angelus, & homo Hierarchicus, id eſt, bene ordinatus percipit ſecundum propriam capacitatem, Dei purgationem, illuminationem, & perfectionem, quæ ſunt Deiformes operationes, nos Deo conformantes. Oportet igitur volentes Deiformes operationes operari eſſe Hierarchicos, id eſt, bene ordinatos ad ſimilitudinem Angelicæ hierarchiæ, ut videlicet ſecundum ſupremas operationes ſimus bene ordinati ad Deum, ſecundum medias ad noſmetipſos, ſecundum ultimas ſive infimas, ſimus bene ordinati quantum ad exteriora. Et ſic erimus totaliter ordinati, & operationes noſtræ Deiformes, & Deo acceptæ erunt, quia per eas purgamur, illuminamur, & perficimur. Et ex tunc erimus idonei ad purgandum, illuminandum, & perficiendum alios diſpoſitive, quia ſumus coadjutores Dei, qui ſolus hoc facit effective. De hoc vide ſupra itinere 3. diſtinct. 4.

Primo igitur, ut tamquam bene ordinati Deiformiter operemur quoad Deum, ad ſimilitudinem ſupremæ Angelicæ hierarchiæ, in qua, ſicut dicit Bernardus libro. 5. de conſideratione, Deus in Seraphim amat ut charitas, in Cherubim noſcit ut veritas, in Thronis ſedet ut æquitas: oportet etiam ut nos, quantum poſſumus, Deum ſummum bonum diligamus, ut ſummam veritatem cognoſcamus, & ut ſummam æquitatem in nobis teneamus, & ſic erimus bene ordinati quoad Deum per Deiformes operationes. Quia ſicut dicit Linconienſis ſuper Angelicam hierarchiam: Intellectus humanus in ſuo ſupremo gradu ad intus habet ut ferveat amore cum Seraphim, luceat ſcientia cum Cherubim, ſpiritualis factus judicet omnis cum Thronis.

Bern. l. 5 de conſid. c. 2. in fine.

Secundo, ut tamquam bene ordinati circa noſmetipſos, Deiformes operationes operemur ad ſimilitudinem mediæ Angelicæ hierarchiæ, in qua, ſicut dicit Bernardus ubi ſupra, Deus dominatur ut majeſtas, operatur ut virtus, tuetur ut ſalus, oportet ut etiam nos omne impediens participationem divinæ dominationis ſuperemus, ut opera omnium virtutum ſecundum gratiam nobis datam ſtudioſe agamus, ut omnibus inordinatis motibus, & impulſionibus potenter reſiſtamus, & illa, ut poſſumus, inferioribus communicemus, & ſic erimus bene ordinati in nobis per Deiformes operationes, quia ſicut dicit Linconienſis, ubi ſupra. In media hierarchia noſtra oportet, quod dominemur cum dominationibus, ut fortes ſimus cum virtutibus, ut ordinati ſimus cum poteſtatibus.

Tertio, tamquam bene ordinati ad exteriora, operemur Deiformes operationes ad ſimilitudinem infimæ Angelicæ hierarchiæ, in qua Deus, ſicut dicit Bernardus, ubi ſupra, regit ut principium, revelat ut lux, & aſſiſtit ut pietas; oportet ut omnia exemplariter ad primum principium revocemus, ut lumen veritatis verbis, & factis aliis oſtendamus, ut opera pietatis omnibus devote exhibeamus, & ſic erimus ordinati quoad exteriora per Deiformes operationes: quia ſicut dicit Linconienſis ubi ſupra. In ultima noſtra Hierarchia oportet, ut principemur cum Principibus, ſcilicet media ad primum principium reducendo: ut revelemus veritatem cum Archangelis, & pie aſſiſtamus indigenti cum Angelis. Ut igitur dicit Dionyſius: Divinitas cœleſtis animos prius naturaliter mundat, poſtea illuminat, & illuminatos perficit, ad operationes prfectionis Deo conformes. Hæc ille.

DI-

DISTINCTIO V.

Qualiter diverſi gradus utriuſque operationis, vel ſpecies diſtinguantur.

QUinto videndum eſt qualiter in utriſque operationibus diverſi gradus vel ſpecies diſtinguantur. Sed quia de operationibus ſpiritualibus, pro ut reſpiciunt vitam contemplativam, ſupra dictum eſt in 3. itinere, diſt. 4. de gradibus contemplationis: ideo modo dicendum eſt de gradibus operationum, prout reſpiciunt vitam activam. Et primo dicendum eſt de gradibus operationum virtualium, prout ordinantur ad proximum: ſecundo ut ordinantur in proprium ſubiectum: & tertio pro ut ordinantur ad Deum.

Gradus operationum virtualium, prout modo loquor de virtutibus, conſiſtunt in quatuor virtutibus Cardinalibus, quarum quælibet habet plures gradus, ut oſtendit Macrobius libro 1. de quatuor virtutibus, ubi recitat dicta Platonis, qui diſtinguit quatuor genera virtutum, quarum quædam dicuntur politicæ, quædam purgatoriæ, quædam purgati animi, quædam exemplares. Primæ ordinant hominem, quoad proximum, ſecundæ quoad ſubiectum proprium, tertiæ quoad Deum, quartæ perficiunt alias. Politicæ ſunt quibus boni viri reipublicæ conſulunt, urbem tuentur, parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt, cives ſuos bene gubernant. Purgatoriæ virtutes ſunt, in quantum ab his animum ad divina trahunt. Purgati animi virtutes ſunt, in quantum animum innixum divinis expeditum tenent. Exemplares, ſive heroicæ ſunt, quæ in ſolo Deo ſunt, non ut in nobis, ſed incomparabiliter excellentiori modo, a quibus omnes virtutes in nos influunt, operantur, & conſiſtunt.

Macrob. l. c. in ſomn. Scipionis cap. 8

Quatuor genera virtutum.

Notandum eſt igitur, quod Macrobius ibidem quamlibet iſtarum virtutum diſtinguit, & diffinit, per quas diffinitiones patent earum gradus ſive ſpecies, & proprietates.

Virtutum Cardinalium diffinitiones & gradus.

A Primo igitur diffiniens prudentiam primam virtutum Cardinalium, ut eſt virtus politica, dicit: Prudentia eſt ad rationis normam univerſa dirigere. Secundo, ut eſt virtus purgatoria diffinit eam ſic: Prudentia eſt mundum iſtum, & omnia, quæ in eo ſunt divinorum comparatione deſpicere. Tertio, ut eſt virtus purgati animi diffinit eam ſic: Prudentia eſt divina non quaſi in electione aliis præferre, ſed quaſi nihil aliud ſit intueri, quod perfectorum eſt. Exemplaris autem prudentia, ut eſt in Deo, eſt ipſa mens divina, vel divinæ mentis regula, qua diſponit univerſa in cœlo, & in terra. Hæc ille. B Ex his apparere poteſt, quod primus gradus prudentiæ, ut eſt virtus politica, facit hominem in omnibus rationabiliter operari, & cum omnibus honeſte converſari. Secundus gradus prudentiæ, ut eſt virtus purgatoria, mentem altius erigit: quia dum mundana deſpicit, æterna ſive cœleſtia prudenter appetit. Tertius gradus prudentiæ, ut eſt virtus purgati animi, mentem plenius perficit, dum eam in æterna figit, quia ſola æterna appetit. Exemplaris autem prudentia, quæ in ſolo Deo eſt, prædictos gradus inchoat, deducit, & conſummat: quia omnis prudentia vera a Deo eſt, ut patet.

Prudentia.

Eccleſ. 1

C Secundo, Macrobius ſecundam virtutem Cardinalem, ſcilicet, fortitudinem diffinit, & primo, ut eſt virtus politica, dicens: Fortitudo eſt, quæ habet mentem ſuper metum erigere, & nihil niſi turpia formidare. Secundo, ut eſt virtus purgatoria, diffinit eam ſic: Fortitudo eſt animam non terreri corporis cruciatu, ductu philoſophiæ præcedente. Tertio, ut eſt virtus purgati animi, eſt paſſiones non tantum vincere, ſed omnino penitus ignorare. Exemplaris fortitudo quæ in Deo eſt, eſt quod ſemper idem eſt, nec umquam mutatur. Ex his patere poteſt, quod primus gradus fortitudinis, ut eſt virtus politica, hominem facit omnem timorem pro utilitate repipublicæ poſt-

Ibidem.

Fortitudo

poſtponere, & turpia formidare. Secundus gradus fortitudinis, ut eſt virtus purgatoria, mentem magis confortat, ut nulla pœna temporalis eam terreat: quia ad ſola æterna fortiter anhelat. Tertius gradus fortitudinis, ut eſt virtus purgati animi, mentem in æternis figit: quia cum omnia contraria vicerit, repugnare omnino, & confidenter contemnit. Exemplaris autem fortitudo, quæ in Deo eſt, prædictos gradus inchoat, deducit, & conſummat. Ipſa enim attingit a fine uſque ad finem fortiter, ſuaviter diponens omnia.

Sap. 8 Ibidem. Tertio, Macrobius virtutem Cardinalem tertiam, ſcilicet temperantiam diffiniens primo, ut eſt virtus politica, dicit ſic: Temperantia eſt virtus, quæ in nullo moderationis metam excedit. Secundo, ut eſt virtus purgatoria, diffinit ſic: Temperantia eſt omnia relinquere, niſi quantum natura requirit. Tertio, temperantia ut eſt virtus purgati animi, eſt terrenas cupiditates non reprimere, ſed obliviſci. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo eſt, ſic eſt, quod in ſe perpetua intentione converſa eſt. Ex his apparet, quod primus gradus temperantiæ, ut eſt virtus politica hominem ab exceſſu, & defectu cuſtodit: quia ei medium virtutis in omni operatione oſtendit. Secundus gradus temperantiæ, ut eſt virtus purgatoria mentem ad æterna perfecte dirigit: quia omnem ſuperfluitatem rerum gravantium firmiter excludit. Tertius gradus temperantiæ, ut eſt virtus purgati animi mentem æternis infigit: quia concupiſcentiam omnis inordinati concupiſcibilis penitus extinguit. Exemplaris autem temperantia, quæ in Deo eſt, prædictos gradus temperantiæ inchoat, deducit, & perficit: quia omni creaturæ numerum, pondus, & menſuram tribuit.

Temperantia.

Sap. 11

Ibidem. Juſtitia. Quarto, Macrobius virtutem quartam Cardinalem, ſcilicet juſtitiam, ut eſt virtus politica, diffinit, dicens: Juſtitia eſt mundum iſtum deſpicere, & dare unicuique quod ſuum eſt, ſcilicet ſibi ipſi, & proximo, & Deo. Secundo, juſtitia, ut eſt virtus purgatoria, eſt ad veram propoſiti viam conſentire. Tertio juſtitia, ut eſt virtus purgati animi, eſt cum divina mente perpetuo fœdere ſociari. Exemplaris juſtitia, ut in Deo eſt, eſt quod perenni lege a ſuperna ſui operis continuatione non flectitur. Hæc ille: Ex his patet, quod primus gradus juſtitiæ, ut eſt virtus politica hominem ab omni iniquitate cuſtodit, & cum omnibus pacifice converſari docet. Secundus gradus juſtitiæ, ut eſt virtus purgativa, mentem ad æterna directe trahit: quia juſto ordini rectæ rationis perfecte conſentit. Tertius gradus juſtitiæ, ut eſt virtus purgati animi, mentem in æternis figit: quia illam cum Deo perpetuo ſociat fœdere. Exemplaris autem juſtitia, ut in Deo eſt, prædictos gradus inchoat, deducit, & perficit, quæ omnem creaturam perpetua, & inflexibili lege juſte regit. Ex his aliqualiter patet, quomodo gradus operationum virtualium differenter ſunt in activis, & contemplativis, & qualiter per virtutes, ut ſunt virtutes politicæ, homo ordinatur in operationibus ſuis quoad proximum: per virtutes, ut ſunt purgatoriæ ordinatur quantum ad ſeipſum: ut ſunt virtutes purgati animi quantum ad Deum. Alias virtutes exemplares, quæ in Deo ſunt ſolum, perficiunt ſecundum magis, & minus, prout operantes in fide & charitate opera lucis, eas perfectius, vel minus perfecte participant, vel imitantur.

DISTINCTIO VI.

Qualiter ſpiritus per utramque vitam ſcilicet activam, & contemplativam ad æterna ingrediatur.

SExto videndum eſt, qualiter per utraſque operationes, ſcilicet interiores, & exteriores hominis ſive vitæ activæ, ſive contemplativæ ſpiritus humanus ad intrinſecum, & æter-

æternale manerium Jeſu ingrediatur. De quo notandum eſt, quod ſicut dicit Proſper in libro de vita contemplativa, licet vita activa, & contemplativa itineribus diſparibus incedant, ad eandem patriam tamen tendunt. Activa vita, ait Proſper, habet ſollicitum curſum, contemplativa vero habet gaudium ſempiternum, quod non auferetur ab ea in æternum. Item in contemplativa vita regnum percipitur, in activa regnum acquiritur. Hæc ſcilicet activa, facit te plurimum bonorum copia operum pulſare januam, illa, ſcilicet contemplativa vocat conſummandos in patriam. In hac ſcilicet activa contemnitur mundus, in illa videtur Deus. Hæc ille: Cum his concordat Auguſtinus in ſermone de dedicatione templi, dicens ſic: Sicut malis operibus quaſi quibuſdam vectibus, & ſeris vitæ nobis janua clauditur, ita abſque dubio bonis operibus aperitur. Igitur non ſolum bonis operibus hominis interioris, ſed etiam bonis operibus hominis exterioris pervenitur ad æterna, quia Deus reddit unicuique ſecundum opera ſua, juxta illud: Opera enim illorum ſequuntur illos. Qui bona opera facit, quid aliud, quam ad æterna quaſi quibuſdam paſſibus tendit? Et qui æternam vitam quærimus, quid aliud, quam quædam itinera agimus, per quæ ad patriam feſtinamus? ait Gregorius 22. Moral. Quia quamvis in uſu operis ſit temporalitas, tamen in intentione debet eſſe æternitas.

Proſper de vi. contempl. l. 1 c. 12

Aug. ſer. 1 in anniverſ. dedic. Eccl. vel alt. paulo poſt prin. de temp. 252 c. 10

Apoc. 14

Greg. lib. 22 Mor. c. 22 paulo poſt pr.

Et notandum, quod ſicut per opera interioris hominis, ut per contemplationem, quandoque fit quædam prælibatio æternæ vitæ: ita & per opera exterioris hominis fit in eo aliquando ſimilitudo aliqua vel imago æternæ vitæ, ſicut dicit Bernardus in l. de amore Dei, ubi dicit ſic: Sicut in ſanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione divinitatis, jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & imitari: ſic etiam A de corporum ſuorum glorificatione quam plene ibi percepturi ſunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta illa gratia, quam habitantes in unum ſeipſis in Deo, & Deo in ſeipſis fruuntur, ipſius carnis ſe ſentiunt viciſſe omnes contradictiones, ut univerſa ſubſtantia carnis non ſit eis niſi inſtrumentum boni operis. Nam, & ſi ipſius miſeriis, & infirmitatibus contabeſcunt, ex hoc ipſo in interiori homine fortius convaleſcunt. Quando enim infirmor, tunc fortior ſum, & potens, ait Apoſtolus. *Sequitur*: Senſus ipſi novam percipiunt quandam, & prope ſpiritualem gratiam, oculi ſimplices, & aures obtemperantes, & aliquando in B fervore orationis tanta odoris ignota quædam fragrantia inſpirat, tanta guſtus & ſi non guſtando ſuavitas, tanta per mutuum tactum ſpiritualis charitatis incentivum ſit, ut videantur ſibi intra ſeipſos ſpiritualis gratiæ, cujuſdam voluptatis gerere paradiſum. Vultus etiam & totius corporis compoſitione vitæ, & morum, & actuum decore, mutuæ etiam ſervitutis in illis devotis exhibitionibus, & piis ſuſceptionibus, cujuſdam gratiæ beneplacito ſibi conveniunt invicem, & convivunt, ut vere ſit cor unum, & anima una. Nimirum corporum ſuorum gloriam jam hic C inchoant vel incipiunt, & puritate conſcientiæ, & intimæ converſationis gratia perfecte habituri, eam in futura, & perenni vita pronunciat. Hæc Bernardus: Et Origenes ſuper 7. Canticorum dicit: Concordia hic inchoatur, quæ in futura gloria inter electos cœleſtis patriæ ſemper datur. Hæc enim bonos confortat, in pugna ſuperat, conſolatione inebriat, Deo aſſociat, amorem augmentat. Hæc inchoat, quod in cœlo conſummatur. Hæc ille: Poteſt ergo humanus ſpiritus dicere: Ingrediar in locum tabernaculi tui.

Bern. de natura, & dignit. amor. Div. cap. 10 poſt med.

2 Cor. 12

DISTINCTIO VII.

Qualiter ad veniendum per iter meritoriæ operationis a Domino ſpiritus humanus invitatur,

SEptimo videndum eſt, qualiter ſpiritus humanus ad veniendum per iter Deiformis actionis, ſive meritoriæ operationis ad intrinſecum, & æternum manerium Domini Jeſu, ab ipſo amoroſe invitatur dicente: Surge propera amica mea, formoſa mea, columba mea, & veni. *Cant. 5*

Dicit igitur: O amica mea, propter operationis meæ hierarchicam imitationem. Amica (inquit) mea, quia manus tuæ ſtillant myrrham. Quod exponens Vercellenſis dicit ſic, quod per manus ſtillantes myrrham ſignantur operationes hierarchicæ ordinatæ. Nam ſicut Deus ſtillat dona gratiarum, & perfectionem operationum primæ Angelicæ Hierarchiæ, & illa inſtillat mediæ, & media ultimæ, ut patet per totam Angelicam Hierarchiam: ita anima in ſuo ſupremo a Deo recipiens perfectionem ſuarum operationum circa ſuperiora. Et ut illa ſtillat in mediam perfectionem ſuarum operationum circa ſuperiora, reſpectu interiorum: ſic & illa ſtillat in ultimam mentis Hierarchicam perfectionem ſuarum operationum reſpectu exteriorum. Et hæc eſt ſtillatio gratuitæ myrrhæ, quæ oprationes præſervat a putredine vanæ laudis, & fœtore humani favoris. Surge propter operationis tuæ oſtenſionem rectam, ut Pater cœleſtis honorificetur, & proximus ædificetur, quia opera tua ſunt plena coram Deo meo, ut dicitur in Apocalypſi. Opera ſunt plena coram Deo, ut Haymo ait, quando virtutes datæ vitiis non commaculantur, & exterius humána gloria non quæritur. Plenitudo enim legis eſt dilectio, ait Apoſtolus. O columba mea propter operum tuorum fecundam parturitionem. Quaſi enim columba, quæ eſt avis fecunda, aquas ſteriles mundi fugiens, & ad meum intrinſecum, & æternum manerium quaſi ad arcam ſalutis confugiens portans ramum olivæ virentibus foliis, id eſt, amoroſam voluntatem plenam operibus bonis, ibi ut columba fecunda in foraminibus petræ nidificans, æterna ſecura parturis opera lucis. Unde Bernardus ſuper Cantica exponens illud verbum, dicit ſic: O amica mea, ſi quietem deſideras, ſi ſecuritatem affectas, ſi fecunditatem amas, aſſume pennas ſicut columba, & volans nidifica in vulneribus Jeſu Chriſti. Nuſquam quies gratior, nuſquam ſecuritas tutior, nuſquam fecunditas uberior; ubi hauries, quod pullis miniſtres. Propera propter operationis tuæ ſpiritualem refectionem. Dicit enim Origenes ſuper Cantica. De natura boni operis eſt, quod ipſius multiplicatione multiplicetur etiam dilectio, & delectatio, & quaſi quoddam condimentum cibi ſpiritualis eſt hilaritas bene operativa. Nam bonum operatum facit dlucedinem in guſtu, & gaudium in corde. Et Gregorius 21. Moral. dicit: Comedere animæ eſt bonis operibus ſatiari. Ergo propera, o formoſa mea, propter operum tuorum Deiformem ordinationem. Deiformis autem ordinatio, ut dicit Linconienſis ſuper 3. Angelicæ Hierarchiæ, eſt renovatio ſpiritus rationalis, & confortatio ipſius prout poſſibile eſt ſecundum tria, ſcilicet amorem, ſcientiam, & operationem ad Deum, ad quod Deiforme attingit noſtra poſſibilis aſſimilatio ad ipſum, ut amor referatur ad Spiritum, ſcientia ad Filium, operatio ad Patrem. *Sequitur*: Eſt enim in nobis primo amor boni in genere, deinde ſcientia bonorum in ſpecie, de quibus procedit in operationem ſingularium bonorum ſcitorum, & amatorum. Et quaſi concludit dicens, quod rationalis creatura debet, ut poſſibile eſt ſecundum amorem, ſcientiam, & operationem Deo aſſimilari, & ad ejus imitationem reduci Deiformiter. Et veni propter operationis tuæ ple-

Cant. 5 · *Ibid.* · *Apoc. 3* · *Rom. 13* · *Greg. lib. 21 Moral. c. 8 paulo poſt pr.*

A B C

Digitized by Google

Apoc. 22 plenam remunerationem. Merces enim mea mecum eſt dare unicuique ſecundum opera ſua.

Cant. 4 Veni ergo ad me de Libano Sponſa mea, veni, coronaberis. Hoc verbum exponens Vercellenſis dicit, quod omnes tres Hierarchiæ Sponſæ candore lucis æternæ perfuſæ ſunt, quaſi montes elevati, & ideo in Libanum converſæ ſunt, qui interpretatur candidatio, quare ter dicitur, veni.

Primo igitur dicitur: Veni Sponſa mea de infima hierarchia tua, quæ perfuſa eſt lumine virtutum politicarum, per quas charitate jam formatas, operaris ordinate circa omnia exteriora exemplo, & doctrina alios ad me reducendo.

Secundo: Veni de media tua Hierarchia, quæ perfuſa eſt lumine virtutum, quæ dicuntur purgatoriæ, per quas operaris ordinate circa omnia tua interiora, habitus virtutum, & donorum Deiformiter exercendo, & proficiendo, ut dictum eſt.

Tertio: Veni de ſuprema tua Hierarchia, quæ perfuſa eſt lumine virtutum, quæ dicuntur purgati animi, per quas operaris ordinate circa ſuperiora. Deum ſinceriter contemplando, & fortiter amando, & ſurſum tendendo, ut coroneris.

Pro operibus enim infimæ Hierarchiæ coronaberis corona gaudioſa. Unde Sapiens dicit: *Eccl. 50* Circa te corona fructuum quaſi plantatio cedrorum in Monte Libano, quia de omnibus per exemplum, & doctrinam tuam converſis gaudebis.

Secundo pro operibus mediæ Hierarchiæ coronaberis corona ſpecioſa. Unde in Apocalypſi dicitur *Apoc. 12* in capite ejus corona duodecim ſtellarum. Per duodenarium ſignatur univerſitas perfectionis alicujus, ut patet per Auguſtinum in libro de Civitate Dei. *Lib. 20 c. 5 tom. 3*

Tertio pro operibus ſupremæ Hierarchiæ coronaberis corona glorioſa interminabilis æternitatis. Unde in *Prov. 17* Proverbiis: Corona tribuetur ei in generatione, & generationem, id eſt, in ſempiternum. Corona nec habet principium neque finem in figura, & ſignificat æternitatem, quæ nec fine nec principio clauditur.

Veni igitur Sponſa mea, quia mihi, & tibi omnia communia ſunt. Unde Bernardus ſerm. 7. ſuper Cantica dicit: *Bern. ſ. 7 in Cant. non longe a pr.* Non ſunt inventa æque dulcia verba, quibus verbi animæque dulces ad invicem exprimunt affectus quemadmodum Sponſus, & Sponſa, quibus quippe omnia communia ſunt, nihil proprium, nil a ſe diviſum habentibus. Una utriuſque hereditas, una domus, una menſa, unus thorus, una caro, & ſecundum Apoſtolum, Deus, & anima unus ſpiritus. *1 Cor. 6*

Ultimo Dominus ſubjungit hujus ſanctæ imitationis dulce allectivum, dicens: Veni, quia vineæ florentes odorem dederunt, qui odor iſtius itineris medium facit odoriferum, & fugat, & expellit venenata. Quid autem per vineas florentes, & odorem ſpargentes convenientius intelligitur, quam fecundæ mentis potentiæ, & capacitates odoriferæ illius ſapidæ partis, quæ eſt vera vitis, quam Pater cœleſtis agricola in mentibus humanis tamquam in horto vinearum ſacris inſpirationibus plantat, Sacramentis vegetat, & bonis operibus maturat, prout gradatim ipſam vineam excolit, ut fructificet? Unde Hugo lib. 2. de Arca Noe dicit: *Cap. ult.* Hoc eſt vere lignum vitæ, verbum Patris, ſapientia Dei, quæ in cordibus Sanctorum tamquam in Paradiſo inviſibiliter primo per timorem ſeminatur, poſt per gratiam rigatur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionem oritur, per deſiderium creſcit, per charitatem roboratur, per ſpem viret, per circumſpectionem frondet, & extendit ramos, per diſciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam matureſcit, per mortem carpitur, per contemplationem cibat. Hæc ille: Cum igitur, ut dicit Dionyſius 4 Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Jeſus qui eſt vera ſapientia Patris, ſit fontana copioſa ſuſceptionum divinarum ſuavitatum, & refundat de plenitudine ſua diviniſſimas fra-

gran-

gantias ſive odores ad Deiformes intelligentias, in quibus mentes ſuaviter delectatæ, & ſanctis, & odoriferis ſuſceptionibus adimpletæ utuntur intelligibili alimento, penetrante ad intimos ſuos intellectuales ſinus ſecundum ſuam divinam participationem bene olentium diſtributionum, planum eſt, quod hi, quos ſapida ſapientia inhabitat, ſacris ſuſceptionibus quaſi vineæ florentes fœcundantur habitibus virtutum, & fructibus bonorum operum perficiuntur, & ſic tot ſuaves odores aliis dant, quot exempla odoriferorum operum evaporant. Unde Paulus dicit: Deo autem gratias, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Bonus enim odor Chriſti ſumus, his, qui ſalvi fiunt, qui bono odore recreantur, & his qui pereunt, qui bonum odorem abominantur, ſicut bufones bonum odorem vineæ florentis. De hoc odore require ſupra itinere 6

2 Cor. 2

Vineæ igitur florentes dicuntur fœcundæ mentis potentiæ, & capacitates odoriferæ, quas cœleſtis agricola inhabitans, & excolens, facit eas floridas, & odoriferas. Floridas per verbum veritatis, odoriferas per ſcriptum charitatis. Dionyſius dicit, quod Filius, & Spiritus ſanctus, quaſi quædam pullulationes a Patre originem habent, & quaſi quidam flores, & ſuperſubſtantialia lumina ab ipſo lumine, vel patre luminum exiſtunt. Unde agricola cœleſtis dicit: Veni auſter, perfla hortum meum ut fluant aromata illius. Quod verbum exponens Vercellenſis dicit: Sponſa hic invitatur ad perfectionem Hierarchicæ operationis. Auſter enim eſt ventus calidus, & purus, & per eum poteſt intelligi verbum quantum ad puritatem veritatis, & Spiritus ſanctus quantum ad calorem charitatis. Dicit igitur agricola cœleſtis: Veni auſter, perfla hortum meum, id eſt, ſupremam Hierarchiam, quam ſpeciali zelo tamquam hortum voluptatis fœcundam operibus veritatis, & odoriferis exemplis, ut producat vinum germinans virgines, & virgineas men-

Dion. de div. nom. cap. 2

Cant. 4

A tes, & aromata illius, & participationes luminum odoriferorum fragrantis mentis fluant Hierarchicæ, id eſt, fluant de ſumma mentis Hierarchia in mediam, & de media in infimam, ut ſic mens exerceatur ad perfectionem hierarchicæ operationis, ſcilicet ut fortiter & inceſſanter extendatur ſurſum ad Deum, ad hauriendum divinum odoriferum lumen, quod vineam maxime fœcundat, & perficit: & ſecundo hauſtum lumen odoriferum firmiter in ſe cuſtodiat, & exerceat: tertio illud lumen odoriferum aliis hominibus ſine decremento luminis ſui, veris doctrinis, & odoriferis exemplis communicet, ut dicere poſſit illud B Eccleſiaſtici: Ego ſicut vitis fructificavi odorem ſuavitatis.

Eccli. 24

Tota igitur Trinitatis has vineas inhabitat. Pater in memoria, operarios ad laborandum excitans ſacris inſpirationibus: Filius in intelligentia operarios ad prudenter laborandum claris veritatibus illuminans: Spiritus ſanctus in voluntate, operarios ad laborandum exemplariter fervidis affectionibus inflammans. Unde Origenes dicit ſic: Delicioſus intuitus memoriæ per Patrem confortatæ, intelligentiæ per Filium illuminatæ, & voluntatis per Spiritum ſanctum expeditæ ad operandum: quia Deo exiſtente in vineis Engaddi, tanto ero remotior, quanto ſterilitati C propinquior. Et ibidem dicit: O amica mea convertere in requiem tuam, id eſt, in Deum tuum, ut in te tamquam in ſpeculo imaginem ſuam expreſſivam repræſentet, in te ineffabiliter delectetur, & familiariter congratuletur, te innovet decorando, te amet inhabitando, te a caſu futuro præſervet præcavendo, & te lætificet de converſione gratias agendo. Hæc ille.

Orig. ſup. Cant. c. 6

Spiritus igitur noſter ad veniendum, jam a Domino amoroſe invitatus, & ex hoc ad ambulandum prædicta itinera æternitatis vigoroſe animatus, & amoroſe, & gratioſe a Patre tractus, competenter petit dilectum invitantem horum itinerum eſſe ſo-

Digitized by Google

ſocium, ducem, ductorem, & conſervatorem, quia ipſe eſt via, veritas, & vita. Ipſe eſt via per quam imus, de qua Iſaias dicit. Hæc eſt via, ambulate in ea. Et Auguſtinus ſuper Joannem dicit ſic: Verbum aſſumendo hominem factum eſt via, ambula per hominem, & pervenias ad Deum. Ipſe eſt veritas per quam perveniemus, quia veritas eſt finis ænigmatum. Unde Joannes ait: Videbimus eum ſicuti eſt. Neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Ipſe eſt vita, in qua permanebimus in æternum. Unde dicitur in Proverbiis: Qui me invenerit, inveniet vitam, ſcilicet æternam.

Iſa. 30 — *Aug. de verb. Dom. ſerm. 55 prope fin.* — *tom. 10* — *1 Joan. 3* — *Prov. 8*

Dicit igitur ſpiritus amans confidenter illud verbum Canticorum: Veni dilecte mi ad ſitibundam æternorum intentionem, quantum ad iter primum, ſcilicet rectæ intentionis: ingrediamur in agrum per devotam æternorum meditationem, quantum ad iter ſecundum: commoremur in vallibus per limpidam æternorum contemplationem, quantum ad iter tertium: mane ſurgamus ad veniendum per inebriantem æternorum dilectionem, quantum ad iter quartum: videamus ſi vinea floruit, per pullulantem æternorum revelationem, quantum ad iter quintum: ſi flores fructum parturiunt, per experimentalem æternorum prægustationem, quantum ad iter ſextum: floruerunt mala punica per collium æternorum Deiformem operationem, quantum ad iter ſeptimum. Sic ibit homo in domum

Cant. 7

A æternitatis ſuæ. In qua ſicut dicit Auctor de ſpiritu, & anima, erit manifeſta viſio, plena cognitio, vera dilectio, firma conjunctio, ſocietas individua, ſimilitudo perfecta, vita beata in æternum, & ultra, in perpetuas æternitates. Odor autem, & dulcedo prælibatur prædictorum, & guſtatur a ſpiritibus ambulantibus in prædictis itineribus, ex quo velocius currunt. Unde Gregorius 15. Moral. dicit: Superiora amare jam ſurſum ire eſt, dumque magno deſiderio ad cœleſtia homo inhiat, miro modo hoc ipſum quod accipere quærit, jam deguſtat. Ex quo ſpiritus itinerans maxime conſolatur, conſolatus currendo caleſcit,

Eccl. 12 — *Cap. 27 in fin.*

B caleſactus devotione molleſcit, mollificatus amando liqueſcit, liquefactus fervendo ſurſum effluit, ut nuſquam niſi in æternitate ſiſtere, & quieſcere velit. Unde Origenes dicit ſic, quaſi admirando: Divinæ conſolationis dulciſſimus affectus, ut audio, eſt liquefactio. Liqueſcit enim mens cum devotione molleſcit, ut ſponſus in ea ſuaviter cubet, & nihil ei duri obſiſtat. Liqueſcit dum devotione caleſcit, ut dilectus in ea calorem divini amoris inveniat, ut quaſi quidam contactus ſpiritualis fiat, qui maximam delectationem generat. Liqueſcit, quia dum devotione ſupereffluit, ut Deus ſolum plenum dominium in ea obtineat, tunc omnes motus, omnes niſus,

Orig. ſup. Cant. c. 2

C omnes impetus ejus æternitate feliciter terminat. Hæc ille: Ad quam domum æternitatis nos perducat, conducat, & inducat, qui eſt trinus & unus Deus in æternum benedictus. Amen.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

OPUSCULUM, DE SEPTEM GRADIBUS CONTEMPLATIONIS.

Omnis perfectionis initium, profectum & ſtatum ſubtili narratione Auctor in hoc opuſculo docet, ſimulque ad hæc viam commonſtrans veluti per gradus ducit: qui quidem gradus ab eodem ſeptem connumerantur, videlicet: Ignis, unctio, ecſtaſis, ſpeculatio, guſtus, quies, gloria. De his vero ſingulis brevem ſermonem ſcribit, ſed mirabili doctrina refertum.

CONTEMPLATIVORUM aquilinos obtutus acui, & ipſorum ſpirituale palatum perfundi dapibus ſupernæ dulcedinis affectans ſeptem gradus eo glorioſiſſimos, quo ſcientia experientiæ probatiſſimos in medium cenſui deducendos, reſeratione quorum odorifera confido, quod tam intellectui ſplendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia piiſſimæ matris thearchicæ exhalabit. Primum igitur dicamus ignem, ſecundum unctionem, tertium ecſtaſim, quartum ſpeculationem, quintum guſtum, ſextum quietem, ſeptimum gloriam. Primo enim anima ignitur: ignita ungitur: uncta rapitur: rapta ſpeculatur vel contemplatur: contemplans guſtat: guſtans quieſcit. Hæc in via poſſunt acquiri, non tamen ſubito ſed gradatim. Citius autem hæc experitur, qui frequentius ſpiritualibus ſe exercet. Septimus in patria confertur abundantius, iis qui ſe in præcedentibus gradibus exercuerunt.

Ignis quid ſit. Ignis eſt vehemens divini caloris vel amoris fervor, ex camino ſuperſplendentis Hieruſalem flabellatus. A Hujus ignis calor contemplativi ſive ſancti activi viri animam, cum ſe ad orandum Deum effuderit in conſpectu Dei ſubito eam valde perlucido ſplendore irradians, quamplurimum ignit & arentes motus affectioneſque accendit, maloſque concremat & exufflat, teporem inflammat, & torporem expergiſci facit, atque ipſam totam animam velut veſpertinum quoddam & pinguiſſimum holocauſtum divino conſpectui repræſentat, intuetur tunc & gaudet. Deus adeſt & pavet illa, ille immiſſum ignem auget ut magis caleat, B illa ortas affectiones colligens nutrit, ut eo amplius magis reddatur incendium, quo abundantius ſubminiſtratur materia accendendi. Super hunc gradum pedem fixit, qui poteſt dicere cum Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Et iterum: Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt. Pſalm. 38 Pſalm. 72

Unctio quid. Unctio eſt velut quidam roſeus liquor, qui per totam animam ſe diffundens ipſam erudit, corroborat & confortat, diſponens eam ſuaviter ad

ad veritatis luculentias ſuſcipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cælica unctione perlinitus fuerat, qui dicebat: Unxit me unctione miſericordiæ ſuæ. De qua rurſum dicit David: Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Hermon interpretatur lumen exaltatum. Habet autem ſignare infinitiſſimam Jeſu bonitatem. Ipſe etenim de ſe dicit: Ego ſum lux mundi. Quæ quidem lux de terra in crucem, de cruce vero fuit ſuper pulchritudinem cœlorum omnium exaltata, ita ut licet ſemper potuerit, nunc autem convenientius propter ſuæ humanitatis ſuperpulchrificam claritatem adjectam, dici queat ſuperſplendens candor, & ſupercandens ſplendor illius æternæ & feliciſſimæ regionis. Ros igitur montis hujus deſcendit in montem Sion, id eſt, contemplativi viri mentem, ipſius præcordia tam irrigando fœcundans, quam fœcundando irrigans, & calorem ſcilicet primi gradus leniter temperans, ne plus ardeat, quam oportet. Quod enim purificat ignis concremando, hoc unctio mulcet ſuam pinguedinem perfundendo, ut capificilior ſit divinorum & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditiſſime emanantium, quibus quidem ſalubriter perluſtrata, ita ſecundum Apoſtolum docetur de omnibus ut nequaquam quiſquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, ubi fulgeat copia tam glorioſi luminis.

Pſ. 132

Joan. 8

1 Joan. 2

Ecſtaſis quid.

Ecſtaſis, eſt deſerto exteriore homine, ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam elevatio, ad ſuperintellectualem divini amoris fontem, mediantibus ſurſum activis virtutibus pro viribus ſe extendens. Virtutes ſurſum activas voco humilitatem & puritatem. Humilitate etenim fit exterioris hominis deſertio; puritate vero interioris hominis ſurſum actio, quem quidem ad fontalem perducens radium, ibidem haurit ſanctas thearchici amoris & inolitas influitiones: quarum gratia poſteriorum oblitus, ad anteriora empyrei & ſuperlucidiſſimi tabernaculi ſe extendit. Eſt enim ecſtaſin faciens amor divinus non dimittens ſui ipſorum amatores eſſe, ſed amandorum, ut teſtatur ſecretorum Dei conſcius Dionyſius. Igitur ſi in vera & non ficta Dei charitate ſumus & amore in ſancta ecſtaſi ſumus, interiorem hominem ad interiora extendente, exterioris vero ſicut poſterioris oblivíſci faciente.

Dion. l. 6 de divin. nom. 4 poſt med.

Speculatio quid.

Speculatio, eſt beatorum & ſupercœleſtium, & ſoli Deo ſcibilium divitiarum, intellectualis & affectualis pia inveſtigatio. Contemplantur autem hi duo, ſcilicet intellectus, & effectus: ſed intellectus longe diſſimiliter ab affectu. Cum enim animus contemplativus ſenſibus ſpiritualibus ſuſpenſis, ſynderéſim in ſpecula æterna extendit, apex intelligentiæ & principalis affectio pariter feruntur mutuo in divina ſe promoventes, & æqualiter aſcendentes, illa ſpeculando, hæc vero deſiderando. Præcurrente autem intelligentia nec ingredi queunte, utpote per ſpeculum videns, foris remanet. Affectio vero quæ neſcia eſt ſpeculi, intrans unitur, ſecundum illud: Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Ingreſſoque intellectu, qui ante conatu ſuo ingredi non poterat, a ſupereſſentiali, & ſuperintellectuali deifica bonitate hilariter excipitur affectio ipſa. Suſceptamque ſuperfervide ipſam deſiderantem, & ſe ſurſum pro viribus impingentem ipſam in ſe profundius trahens, tam intelligentiæ ſuperclarorum radiorum pulchrificans claritatem fontani ſplendoris, quam affectioni thearchici & ſuperimmenſi ſaporis ſuaviter ſanctum deſiderium nutriens ſuavitatem ſuperlucidiſſimam elargitur. Poſtea illis ſic guſtantibus, illam magis deſiderantibus magis ſeipſam divina bonitas immittit, & abundantius ſuperfulget, quoniam multum diligunt illam ſummam veritatem, hoc ſummum

2 Cor.

Digitized by Google

mum bonum. Felix nimis qui hujus gradus collem attingit: hic plane Angelificatus in præſenti, futuram jam inchoavit vitam. Ex quibus fuerat, qui dicebat: Nos autem revelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem transformamur imaginem a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu. Ubi potiſſime divinus ille Apoſtolus utilitatem expreſſit contemplationis. Quid enim eſt revelata facie gloriam Domini ſpeculari, niſi remota omni impuritate faciem noſtræ intelligentiæ velante, gloriam Dei, id eſt, tam ſuper ignotam, & ſimpliciſſimam & ſuperſplendentem æternitatis claritatem, quam ſuperineffabilem & humanis mentibus non capifacilem omnino ſupercœleſtium ſubſtantiarum ſupertranquilliſſimam pacem, pie, pure, devoteque rimari? Quid vero eſt taliter ſpeculantes in eamdem imaginem transformari, niſi quia cauſa ſuperactivæ ſuavitatis ſunt hæc eadem, quæ imaginati ſumus, ut nos a nobis abſtractos & in ſeipſa abſorptos, ita torrente voluptatis nos potant, ut neceſſe ſit de terrenis in cœleſtes, de carnalibus in ſpirituales, de hominibus in quodammodo Angelos transformari? Sic ergo intelligo verbum. In eandem imaginem transformari, id eſt, in eadem imaginata. Bene autem dicitur. A claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu, quia ab ipſo Domini ſpiritu manuducti ſuperſanctiſſimis divinis ſplendoribus adimplemur, & per hoc de cognitione in cognitionem proficimus, ſicut per Prophetam dicitur: In lumine tuo videbimus lumen. Hæc contemplatio vel inveſtigatio quaſi nihil habet periculi vel laboris, in animo pio, puro & vacante, habet utilitatem inæſtimabilem, etiamſi nihil inveſtiget.

2 Cor. 3.

Pſalm. 35.

Guſtus.

Guſtus autem eſt ſuperinæſtimabilis divinæ dulcedinis perſuavis quædam & inolita prælibatio, ex cellario ſancti Spiritus in Sanctorum

A contemplativorum animas diſtillata. Prælibatio dico, quoniam permodicum valde eſt, quod nobis ex iſta tam ſuper magna multitudine divinæ dulcedinis tribuitur, quod proviſive & ſuperineffabili thearchica bonitate fieri, non eſt dubium. Dum enim ſtillatim æternis & ſuperſuavibus illis influitionibus recreamur, frequentius noſipſos orationibus extendimus, atque ad cumulos omnimodæ plenitudinis anhelamus. Quamvis autem utrumque faciunt, tamen plus alliciunt, quam reficiunt divinæ illæ prælibationes: efficiunt enim eſuriem, non ſaturitatem pariunt. Beneficio hujus gradus cognitio experientiæ tribuitur, per quam ſupercœleſtium ſubſtantiarum cognitioni conformamur. Quidquid enim divinæ mentes noverunt, hoc illius experientia probaverunt. Quia ſicut ſol terris, ſic ipſa ſimplici cognitioni prælata eſt. Glorioſi & felices illi, qui ſuper verticem hujus gradus elevati ſunt. Eructant plane hi abundantiam ſuavitatum æternarum nuptiarum, vacant & vident, quam ſuavis eſt Dominus.

B

Quies eſt totius animæ mira quædam & ſuavis tranquilitas, per infuſam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valde ſpiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur etiam ipſas ſuper cœleſtes ſubſtantia contemplando tranſcendere. ſuperignota enim bonitas, ipſis familiaris, ſeipſam eis immittit, & ipſi tota virtute dilatato ſinu ſancti deſiderii, potenter ſuſcipiunt beatas immiſſiones, animalibus præſumptuoſis omnino incognitas. Sic igitur puris ſanctorum contemplativorum animabus, tam inſueto nutrimento ditiſſime adimpletis ſplendeſcit ipſorum ratio, dulceſcit concupiſcentia, hilareſcit iraſcibilis, ex dilectione quorum deificam illam quietem non ambigimus emanare. Hic gradus glorioſior & pretioſior eſt, quo ultimo modo, gradui, qui ſolum patriæ eſt, appropinquat.

Quies.

C

Digitized by Google

Gloria.

De ſeptimo tutius tacendum cenſui, quam loquendum, quoniam nulli viatorum aſcenſus, ſive viſio huius gradus patere potuit, niſi illi cœleſti Paulo, qui ſe raptum uſque ad huiuſmodi per ſacram Scripturam aſſerit. (2 Cor. 12) Fœlix certe ſuperdulciſſimæ & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ anima, cui hoc datum eſt in via, quod nulli ſanctorum aliquando poſſederunt; portavit ergo illam gloriam a qua portantur ceteri, aſcendit illa A gradum hunc, per fidei cognitionem, deſcendit ille ad eam, per carnis aſſumptionem. Quid hunc gradum, hanc gloriam cenſeam dicis? Nihil aliud quam ipſum quem peperit; quem lacte virgineo educavit, manibus eburneis contrectavit, dulciſſimo gremio fovit, pudiciſſimo vultu blandiebatur, caſtiſſimo amplexu complexa eſt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

Opuſculum, quod inſcribitur, Formula aurea.

DE GRADIBUS VIRTUTUM.

In hoc Opuſculo, ut titulus præferre videtur, S. Bonaventura, veluti per ſcalæ gradus, aſcenſum aperit ad montem omnium virtutum. Deinde eumdem conſcendere monet, & hortatur. Ac denique modum præſcribit, quo is aſcenſus facilior nobis ſit, ut cuique attente & devote legenti omnino patebit.

Pſal. 33 ACCEDITE ad Dominum, & A illuminamini, & facies veſtræ non confundentur, dicebat David. Jus hominis eſt ad Deum accedere. Jus Dei accedentem ad ipſum illuminare. Ad Deum ſpiritualiter accedit, qui affectiones ſuas ad Deum dirigit, qui ſuperat Dei laudem, qui timet Dei contumeliam, qui lætatur de omnibus, quæ Deo placent, qui triſtatur de omnibus, quæ Deo diſplicent, qui diligit virtutes & opera virtutum, qui odit vitia & opera vitiorum, qui erubeſcit iniqua, & opera iniquitatum, & occaſiones iniquitatum. Deus lux vera B illuminat accedentem, ad cognoſcendum virtutes, & gradus virtutum, quæ ſunt certiſſima via ad regnum cœlorum. Si aliquis calumniatur gradus, qui ponuntur, & ſcit meliores gradus ponere, quam hic ponuntur, non eſt contra me, nec propter hoc volo litem ſubire. Et ſciendum quod gradus, in pleriſque ordinantur, ſecundum raritatem, vel ſecundum perfectionem, tamen diverſis reſpectibus ſe excedunt.

Quid ſit ad Deum accedere, & ab eo illuminari.

CAPUT I.

Gradus Charitatis.

PRimum autem notandum eſt de gradibus charitatis. Nam dicit ſponſa in canticis: Ordinavit in me *Cant. 2* charitatem. Infimus gradus charitatis eſt, diligere amicum a quo homo diligitur, honoratur, fovetur, & in omnibus adjuvatur, qui hoc non curat facere, contra naturam nititur laborare. Diligere enim amantem, naturæ eſt, ut dicit Chryſoſtomus. Altior gradus, diligere inimicum ex corde propter Deum, qui eum ad imaginem ſuam creavit, & corpore ſuo refecit, & ſanguine ſuo redemit; quia diligere non amantem gratiæ eſt, ut dicit Chryſoſtomus: qui hoc facere non curat, filius Dei eſſe recuſat, qui facit *Matt. 5* ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Altiſſimus gradus charitatis eſt, inimicos beneficiis ad amorem trahere. Unde ſuper illud. Ut ſitis filii Patris veſtri, dicit Gloſſa: *Ibid.* Cumulus perfectionis eſt inimicos diligere, & pro ipſis diligenter orare, ſicut fecit Chri-

Graduum charitatis ordo. I.

Chriſtus, & alia Gloſſa ſuper illud: Benefacite, & cetera dicit: Non tantum ad amicos, ſed etiam ad inimicos extendite opera charitatis, ut amici eſſe incipiant. In primo gradu ſtant ethnici & publicani, qui diligunt eos, qui ſe diligunt. In ſecundo ſtant perfecti Chriſtiani, qui maledicentibus benedicunt. In tertio ſtant perfectiſſimi Religioſi, immo Chriſtus, qui Judam ad amorem ſuum traxit, benigniſſime oſculando, pedes lavando, ſua carne cibando, & in cruce pro perſecutoribus orando.

II. Item altus gradus charitatis eſt, cum aliquis utilitatem amici ſui cum proprio lucro quærit. Altior, cum aliquis commodum amici ſui, cum damno rerum ſuarum quærit. Altiſſimus, cum aliquis bonum amici ſui, cum propria morte quærit. Unde dicitur: Majorem charitatem, &c. *Joan. 15* Ergo maximam charitatem habet, qui animam ſuam pro amicis ponit. In illo gradu ſtetit Chriſtus, quando pauper factus eſt, cum eſſet dives, ut nos inopia ſua divites eſſemus, ut dicit Apoſtolus: *2 Cor. 8* Cum per ſuam contumeliam nobis, obtinuit æternam gloriam. Cum per ſua vulnera nobis exhibuit medicinam. Cum per ſuam mortem turpiſſimam nobis comparavit vitam æternam.

III. Item altus gradus charitatis eſt, cum quis diligit auferentem ſibi res temporales. Altior, cum diligit auferentem ſibi honorem. Adhuc altior, cum diligit auferentem ſibi corpus, vel membra corporis. Altiſſimus, cum diligit auferentem ſibi virtutes & dona ſpiritualia, ſive ipſum Deum, ad peccatum quacumque occaſione inducendo, vel a virtuoſis operibus retrahendo.

CAPUT II.

Gradus obedientiæ.

Graduum obedientię ordo I. Obedientiæ altus gradus eſt obedire Creatori, Redemptori, remuneratori noſtro, qui vult commune bonum noſtrum in præſenti, A & in futuro, cui obediendum eſt merito in omnibus præceptis & prohibitionibus: quia nihil præcipit, niſi ducat nos ad ſummum bonum: & nihil prohibet, niſi abducat nos a ſummo bono. Altior videtur gradus obedientiæ quodammodo eſſe, cum obedimus homini in perſona Dei, quaſi obediremus ipſi Deo: quia Deo tenemur obedire propter prædicta, ſed non homini tenemur, niſi propter Deum. Cum obedimus, inquam, homini perfecto & diſcreto, qui omnia cum diſcretione & deliberatione imperat. Altiſſimus autem videtur gradus obedientiæ, cum obedimus homini indiſcreto, & diſcolo, & deſpecto, B in perſona Dei, qui multa imperat cum impetu, ſine diſcretione & deliberatione. Unde Petrus: Servi obedite Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. *1 Pet. 2* Hæc eſt enim gratia apud Deum quaſi dicat, non eſt meritum magnum bonis & modeſtis obedire, tamen caute videatur, ne obediatur contra ſalutem.

Item aliqualis gradus obedientiæ in eo, quæ homini ſuave eſt, & leve. II. Altior eſt obedire in eo, quod grave eſt, & ad breve tempus. Altiſſimus obedire in eo, quod grave eſt ad longum tempus, vel uſque ad mortem. In hoc gradu ſtetit Chriſtus, C cum obedivit Patri ſuo, uſque ad mortem, a principio vitæ, turpiſſima ſuſtinendo.

Item aliqualis eſt gradus obedientiæ, obedire propter timorem pœnæ inferendæ propter inobedientiam, ſicut ſæpe contingit. III. Altior eſt obedire propter ſpem gratiæ in præſenti, & propter amorem gloriæ in futuro, quod etiam ſæpe contingit. Altiſſimus eſt obedire propter neutrum horum, ſed pure propter Deum, quia Deus Dominus noſter eſt, & nos ſervi ejus.

Item altus gradus eſt obedientiæ, IV. implere verbum prælati, propter Deum. Altior implere nutum. Altiſſimus implere voluntatem, ſicut dixit Chriſtus: Non veni facere volun-

Digitized by Google

Joan. 6 Marc. 4 tatem, &c. Et item: Si fieri poteſt, tranſeat &c.

V. Item aliquis gradus eſt, cum mandatum differtur, & tamen impletur. Altior cum ſtatim perficitur, ſed tamen cum murmure & involuntarie. Altiſſimus cum ſtatim perficitur, ſponte, & cum magno deſiderio.

CAPUT III.

Gradus humilitatis.

Graduum humilitatis ordo I. HUmilitatis altus gradus eſt, cum aliquis ſponte ſubiicit ſe majori hæc eſt debita. Altior cum ſubiicit ſe pari, hæc abundans eſt. Altiſſimus cum ſubiicit ſe minori, hæc ſuperabundans eſt. In hoc ultimo gradu fuit Chriſtus, cum veniens ad Jordanem ſubjecit ſe Joanni dicens: Si-
Matth. 3 ne modo, ſic enim decet nos adimplere omnem juſtitiam, id eſt humilitatem ſuperabundantem, ut dicit Gloſſa.

II. Item altus gradus eſt, cum aliquis habet humilitatem in verbis. Altior cum in factis. Altiſſimus cum habet humilitatem in corde. Ibi enim eſt virtus, ſed non in verbis vel factis. Quandoquidem enim eſt, qui ſe nequiter humiliat, verbis, vel factis, vel geſtibus, vel veſtitu, vel inceſſu. Chriſtus vero fuit humilis in corde,
Matth. 11 cum diceret: Diſcite a me &c. Hu-
Pſal. 21 milis in verbis, cum diceret: Ego
Joan. 7 ſum vermis, & non homo. Et mea doctrina non eſt mea, &c. Et: Ver-
Idem 14 ba, quæ ego loquor, a meipſo non loquor. Humilis in factis, cum ſe inclinavit ante pedes Apoſtolorum in lotura.

III. Item altus gradus humilitatis eſt, humiliare ſe propter magnitudinem & multitudinem defectuum, juxta illud
Michea 6 prophetæ: Humiliatio tua in medio tui, id eſt, materia humiliationis, ſit in corde tuo, ſcilicet defectus tui. Altior eſt humiliare ſe, propter abundantiam virtutum, & donorum ſpiritualium, ſicut arbor nobilis inclinatur ex abundantia fructuum. Un-
A de dicitur: Quanto major es, hu- Eccl. 3
milia te in omnibus. Altiſſimus, pro- Joan. 13
pter imitationem exempli humilitatis Chriſti.

IV. Item altus gradus eſt humiliare ſe de omnibus malis commiſſis. Altior de omnibus bonis omiſſis. Adhuc altior de omnibus deturpatis. Altiſſimus de omnibus bonis in vacuum perceptis. Iſte ordo ſumitur ex raritate. Quanto enim gradus eſt rarior, tanto videtur altior. In nullo iſtorum fuit Chriſtus, quia nihil mali commiſit, & nihil boni ommiſit, & nihil boni deturpavit, nihil boni in vacuum recepit.

V. Item altus gradus eſt, tam vilem
B ſe reputare, ſicut vere eſt in oculis Dei. Altior, ſicut vilis eſſe potuit coram Deo, ſi Dominus non caviſſet. Altiſſimus, ſicut vilis adhuc fieri poſſet, ſi Dominus a tentationibus non cuſtodieris.

CAPUT IV.

Gradus caſtitatis.

Graduum caſtitatis ordo I. CAſtitatis altus gradus eſt caſtitas conjugalis. Altior vidualis. Altiſſimus virginalis. Hoc patet per fructus, qui eis debentur, ſcilicet triceſimus, ſexageſimus, centeſimus. In hoc ultimo gradu fuit Chriſtus, &
beata Virgo mater ejus. Damaſcenus Damaſc.
C etiam dicit: A nuptiis abſtinentia, eſt Angelorum imitatio.

II. Item altus gradus eſt deteſtari geſtus & tactus impudicos. Altior deteſtari verba impudica. Adhuc altior deteſtari voluntatem, vel concupiſcentiam impudicam, ſicut Sara di-
xit: Numquam concupivi virum, Tob. 3
& cetera. Altiſſimus, deteſtari cogitationem impudicam, ſicut dicit Job:
Pepigi fœdus cum oculis, & cetera. Job 31
Item multum quandoque periclitatur caſtitas ex auditu impudico. Magis quandoque ex viſu, ut in David, &
in ſenibus ut in Daniele. Sed maxime 2 Reg. 11
quandoque ex tactu impudico. Item Dan. 13
maxime adjuvatur caſtitas, ſi homo vitat locum ſuſpectum. Magis ſi vitet

Digitized by Google

tet homines ſuſpectos. Multo amplius ſi vitat familiaritates ſuſpectas, & ea quæ provocant familiaritates ſuſpectas, ut ſunt dulces litteræ, dulces ſalutationes, dulces reſpectus, dulcia verba, & blanda, & crebra munuſcula, de quibus Hieronymus dicit: Crebra munuſcula, & dulces litteras, & ſudariola, & cibos prægustatos, ſanctus amor non habet. *Hieron. ep. ad Nepot. ante med.*

III. Item altus gradus caſtitatis eſt, eſſe caſtum per munditiam carnis. Altior per munditiam mentis, quia per impudicitiam maculatur corpus & anima, ut dicit Apoſtolus: Quodcumque peccatum fecerit homo, &c. Altiſſimus per imitationem exempli caſtitatis Chriſti.

CAPUT V.

Gradus patientiæ.

1 Cor. 6 Gradnum patientiæ ordo I. *Job 1* *2 Reg. 16*

Patientiæ altus gradus eſt, patienter ſuſtinere amiſſionem rerum, ut Job. Altior, patienter ſufferre amiſſionem honoris, ut David, cum improperia Semei ſuſtinuit. Altiſſimus eſt, patienter ſufferre mutilationem membrorum, vel ablationem vitæ corporalis. In hoc gradu fuit Chriſtus, cum ſponte pro nobis animam ſuam poſuit.

II. Item altus gradus eſt patientiæ, tolerare afflictionem, quam homo pro peccatis meruit. Unde Petrus: Si peccantes & colaphizati ſuffertis, &c. Altior, patienter ſufferre afflictionem, quam innocenter ſuſtinet pro juſtitia. Unde, ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Altiſſimus eſt, ferventer appetere afflictionem. In hoc gradu fuit Chriſtus, cum dicebat: Improperium expectavit, &c. *1 Pet. 2* *Matth. 5* *Pſalm. 68*

III. Item altus gradus patientiæ eſt, non vindicare injuriam facto. Altior non vindicare verbo. Altiſſimus eſt non habere vindictam in deſiderio.

IV. Item altam habet patientiam, qui non indicat impatientiam in verbo. Altior, qui non indicat vultu. Altiſſimam qui non portat impatientiam in corde ſuo.

Item altum gradum patientiæ habet, qui non vindicat injuriam ſuam cum vindicare poteſt, licet non ſine damno. Altiorem, qui non vindicat, cum vindicare poteſt ſine damno. Altiſſimus eſt, cum gratias agit pro afflictione, ut Tobias, cum dixit: Gratias ago tibi Domine, quia caſtigaſti & ſanaſti me. V. *Tob. 11*

Item altus gradus patientiæ eſt, cum aliquis patienter ſuſtinet adverſitates, ut a peccatis ſuis purgetur, juxta illud: In fornace probatur argentum. Altior, ut in cœlo glorioſe remuneretur, juxta illud Matthæi: Beati eritis cum vos oderint homines, & cetera. Altiſſimus, ut Chriſto vicem rependat, juxta illud Hieronymi: Felix eſt anima, quæ pro Chriſti nomine tanta voluerit ſuſtinere, quanta ille pro nobis paſſus eſt. VI. *Prov. 17* *Matth. 5*

Item altus gradus patientiæ eſt, de injuria numquam querimoniam facere. Altior numquam injuriam propriam excuſare. Altiſſimus eſt, injuriam propriam, numquam alicui ad vivificandum ſignificare. VII.

CAPUT VI.

Gradus miſericordiæ.

Miſericordiæ altus gradus eſt miſereri proximi, juxta illud, Eſtote miſericordes. Et Job: Si negavi quod volebant pauperes, & cetera. Et iterum: Oculus fui cæco, & pes claudo. Altior miſereri ſui, ſecundum illud: Miſerere animæ tuæ placens Deo. Altiſſimus miſereri Dei, ſicut ipſe petit in Job: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos, &c. Graduum misericordiæ ordo I *Luc. 6* *Job 31* *Idem 29* *Eccl. 30* *Job 18*

Item altus gradus eſt, miſereri conſanguineis afflictis. Altior gradus, miſereri extraneis afflictis. Altiſſimus, miſereri inimicis afflictis. In hoc ultimo gradu fuit Chriſtus, cum dixit: Miſereor ſuper turbam. Et iterum: Pater ignoſce illis, &c. II. *Marc. 8* *Luc. 23*

Digitized by Google

III. Item altus gradus eſt miſereri vivis in afflictione corporis. Altior, miſereri vivis in afflictione ſpiritus. Altiſſimus, miſereri mortuis in purgatorio.

IV. Item altus gradus eſt, miſereri ſanis in neceſſitate. Altior, miſereri infirmis non decumbentibus in neceſſitate. Altiſſimus miſereri infimis decumbentibus in neceſſitate.

V. Item altus gradus miſericordiæ conſiſtit in dando temporalia, ſicut fecit Abraham, qui nulli negavit hoſpitium. Altior in condonando iniurias. ſicut fecit David Sauli, & Semei. Altiſſimus pro injuriantibus ſupplicando fideliter, ſicut Chriſtus & beatus Stephanus.

Gen. 18
1 Reg. 24 & 26
2 Reg. 16
Luc. 23
Act. 7

VI. Item in alto gradu miſericordiæ conſiſtit, quem ad miſerendum inducit natura ſuadendo. In altiori, quem inducit homo præcipiendo, vel admonendo. In altiſſimo, quem inducit Deus inſpirando.

CAPUT VII.

Gradus veritatis.

Graduum veritatis obſervandæ ordo I. Veritatis altus gradus eſt libenter cogitare veritatem, & libenter cogitare de veritate. Altior eſt libenter loqui veritatem, & libenter loqui de veritate. Altiſſimus eſt libenter vivere ſecundum veritatem, & alios ad hoc inducere.

II. Item altus gradus eſt cognoſcere veritatem. Altior amare veritatem. Altiſſimus ſeipſum, & alios judicare ſecundum veritatem. In omnibus iſtis gradibus fuit Chriſtus.

III. Item altus gradus eſt libere, & abſque adulatione, & ſine pallio pronunciare veritatem, quando libere pronunciare oportet. Altior libere defendere veritatem, quando defendere convenit. Sed qui hoc faciunt ſæpe amaritudinibus replentur, quia veritas res amara eſt. Dicit ſanctus Bernardus: Melius eſt tamen pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione pati beneficium. Altiſſimus eſt libere defendere veritatem coram inimicis.

IV. Item altus gradus eſt propter veritatem res temporales in periculo ponere. Altior honorem imponere. Altiſſimus corpus in periculo ponere. Et hoc merito faciendum eſt, quia Chriſtus veritas eſt.

CAPUT VIII.

Gradus paupertatis.

Paupertatis, quæ eſt una de octo beatitudinibus, altus gradus eſt, relinquere res temporales. Altior relinquere amicos ſæculares, & ſpirituales. Altiſſimus relinquere ſeipſum, id eſt ſingularem ſenſum, amorem privatum, propriam voluntatem. In omnibus iſtis gradibus fuit Chriſtus, qui reliquit ſeipſum, ſua, ſuos. Graduum paupertatis perfectæ ordo I.

Item altus gradus eſt pro tranſitoriis non laborare, nec ſolicitari. Altior tranſitoria non appetere. Altiſſimus oblata reſpuere. In ſecundo fuit Apoſtolus cum dixit: Argentum & aurum, aut veſtem nullis concupivi. In ultimo fuit Daniel Propheta, qui contempſit munera Balthaſar, quia ſcriptura reprehendit munuſcula dare, & accipere. II.

Act. 20
Dan. 5
Exod. 23
Eccl. 20

Item altus gradus eſt nolle habere certum hoſpitium, ſicut Chriſto non fuit locus in diverſorio. Altior non habere certum victum & veſtitum tempore ſanitatis. Altiſſimus nolle habere certum victum & veſtitum tempore infirmitatis. In hoc ultimo gradu fuit Chriſtus, cum non habuit ubi caput ſuum reclinaret, nec hauſtum aquæ, nec veſtem, ſed nudus ante crucem ſtetit. III. *Luc. 2*

Item in alto gradu paupertatis eſt, qui propter hoc eligit paupertatem, ut a tranſitoriis ſolicitudinibus eruatur. In altiori eſt qui propter hoc eligit paupertatem, ut in virtutibus & donis ſpiritualibus dotetur. In altiſſimo, qui propter hoc eligit paupertatem, ut in ſeſſione ſua apud Chriſtum in lucido. Deus glorificetur. IV.

In alto gradu eſt, qui nihil habet proprium, in ſpeciali, ſicut multi Religioſi. In altiori, qui nihil habet V.

pro.

proprium in communi ad annum, A
vel ad longum tempus ſicut pauci Religoſi. In altiſſimo eſt, qui nihil habet proprium in communi, nec ad ſeptimanam, vel ad diem, ut Fratres minores.

CAPUT IX.

Gradus prudentiæ.

Graduum prudentiæ veræ, & Chriſtianæ ordo I.

PRudentiæ altus gradus eſt, cognoſcere Deum per creaturas, ſicut dicit Apoſtolus: Inviſibilia Dei, &c. Altior per ſcripturas. Altiſſimus per fidem.

II. Item altus gradus eſt prudentiæ, ordinare mores exteriores ſecundum voluntatem Dei. Altior ordinare affectiones interiores, Altiſſimus, ordinare vires animæ ſecundum placitum Dei.

III. Item altus gradus eſt, ordinare vitam interius & exterius ſecundum exempla ſanctorum. Altior ſecundum exempla Chriſti. Altiſſimus ſecundum mores Chriſti.

IV. Item in alto gradus eſt, qui conſiderat amaritudinem animæ cum ſeparatur a corpore. In altiori, qui conſiderat amaritudinem animæ cum ſeparatur a familiaritate Dei ad breve tempus. Unde Bernardus: Quæ anima ſemel accepit, &c. in altiſſimo, qui conſiderat amaritudinem animæ, cum æternaliter ſeparatur a fruitione Dei.

V. Item in alto gradu eſt, qui conſiderat jucunditatem animæ, cum unitur Deo ad longum tempus in altiſſimo eſt, qui conſiderat jucunditatem animæ cum unitur Deo æternaliter.

VI. Item in alto gradu eſt, qui conſiderat, quomodo dat ſe Deus in bonis ſpiritualibus. In altiſſimo eſt, qui conſiderat, quomodo dat ſe Deus totum in omni, quod eſt ipſe in divina, & humana natura.

CAPUT X.

Gradus fortitudinis.

Graduum veræ, atque Chriſtianæ fortitudinis ordo I.

FOrtitudinis eſt altus gradus vincere mundum & delicias ejus contemnendo, ſicut dicit Apoſtolus: Omnia inquit arbitratus ſum ut ſtercora &c. Altior eſt vincere carnem, & concupiſcentias ejus reſtringere, ut Apoſtolus: Caſtigo, inquit, corpus meum. 1 Cor. 9
Altiſſimus, vincere ſeipſum ſimpliciter & ſponte uſque ad mortem obediendo, ſicut in omnibus iſtis fuit
B Chriſtus.

II. Item altus gradus eſt, fortiter reſiſtere peccatis corporalibus, ut ſunt luxuria, gula, &c. Altior, reſiſtere peccatis ſpiritualibus, ut ſunt placentia propria, diſplicentia aliena, hypocriſis, perſonarum acceptio, ingratitudo. Altiſſimus eſt reſiſtere occaſionibus, tam corporalium, quam ſpiritualium peccatorum, ut munuſcula, & familiaritates, verba blanda, &c.

III. Item altus gradus eſt, non conſentire peccatis operationis. Altior, non conſentire peccatis locutionis. Altiſſimus, non conſentire peccatis cogitationis. In his omnibus fuit Chriſtus.

IV. Item altus gradus eſt, fortiter laborare in hoc mundo pro ſancta vita,
C quæ conſiſtit in bona conſcientia, & in bonis operibus & moribus. Altior, laborare pro ſocietate angelica. Altiſſimus, laborare pro unione Dei in vita æterna.

CAPUT XI.

Gradus juſtitiæ.

Graduum Chriſtianæ juſtitiæ ordo I.

JUſtitiæ altus gradus eſt, reddere proximo jus ſuum, ſcilicet, congratulationem in proſperitate, & compaſſionem in adverſitate, juxta illud: Gaudere cum gaudentibus; &c. Rom. 12
Et altior reddere ſibimet jus ſuum, ſcilicet dolorem de malis commiſſis, juxta illud propheticum: Dole quaſi parturiens, & cautelam contra mala com- Mich. 4

Theſſ. 5 mittenda, juxta illud: Non ſolum a malo, ſed ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Altiſſimus, reddere Deo jus ſuum ſcilicet timorem, quia Dominus juſtus eſt: & amorem, quia Pater bo-
Malach. 1 nus eſt. Unde Dominus dicit: Si ego Dominus, ubi timor meus? ſi Pater ubi amor meus?

II. Item altus gradus eſt, reddere unicuique bonum pro bono. Altior, reddere bonum pro malo. Altiſſimus, reddere optimum pro peſſimo. Hoc fecit Chriſtus, quando dedit corpus ſuum ſanctiſſimum Judæ peſſimo traditori.

III. Item altus gradus eſt, juſtificare omnes opperationes, ut Deo placeant. Altior, juſtificare omnes locutiones. Altiſſimus, juſtificare omnes voluntates. In iſtis gradibus fuit Chriſtus,
B cum dicit: Quæ placita ſunt ei, fa-
Joan. 8 cio ſemper.

IV. Item altus gradus eſt, diſcere judicare omnia opera ſua, qua intentione, & ad quem finem fiant. Altior, judicare verba, utrum ſint utilia vel nociva. Altiſſimus judicare conſcientiam, utrum recta vel erronea ſit, & omnes affectiones, utrum ordinatæ vel ordinatæ ſint.

V. Item altus gradus eſt, exhibere naturalem juſtitiam omnibus vivis, ſcilicet quod oderis tibi fieri; & quæ-
Matt. 7 cumque vultis, ut faciant vobis homines. Altior, exhibere iuſtitiam omnibus mortuis conſanguineis in eleemoſynis, orationibus, & maxime in
C teſtamentis eorum diſtribuendis, ſecundum ordinationem ipſorum, & in omnibus, quæ ipſis fideliter commiſerunt. Altiſſimus, iuſtitiam exhibere mortuis extraneis, ſicut eis commiſerunt, & confidunt.

CAPUT XII.

Gradus temperantiæ.

Graduum Chriſtianæ temperantiæ ordo I. TEmperantiæ altus gradus eſt, moderare ſe in omnibus exterioribus, ſcilicet in victu, habitu, ſomno, in inceſſu, verbis, factis, & moribus, ut omnia ordinate & modeſte
A fiant ſecundum Deum. Altior eſt, temperare ſe in motibus, & affectionibus interioribus, ne nimis circa tranſitoria occupentur. Altiſſimus, temperare cogitationes, ne nimis extra Deum evagentur.

Item altus gradus eſt, reſtringere ſe ab illicitis interioribus & exterioribus. Altior, refrenare ſe a licitis exterioribus, & interioribus ad tempus. Altiſſimus eſt, abſtrahere a licitis exterioribus & interioribus uſque ad mortem, iuxta illud: *Virtus eſt licitis abſtinuiſſe bonis*. Ille enim ſolus ad illicita non cadit, qui ſe caute reſtringit a licitis, dicit gloſſa ſuper Job. Qui enim non vult detrahere & mentiri, & ſimilia, reſtringat ſe a licitis verbis, quia auctore Salomone, In multiloquio peccatum non deerit. II. Gloſſ. in 3 c. Job ex Greg. lib. 5 mor. c. 8 ante med. Prov. 10

Item aliqualis altus gradus eſt, moderate loqui de defectibus hominum in præſentia eorum. Altior, temperate loqui de defectibus vivorum & mortuorum in abſentia ipſorum, ſed tamquam præſentes eſſent. Altiſſimus, exceſſus tam vivorum quam mortuorum abſentium excuſare fideliter, quia locum excuſationis non habent. III.

Item Chryſoſtomus ponit gradus de temperantia cibi & potus, dicens: Nihil ſic ægritudinem fugat, ſicut moderata refectio, ecce altus gradus. Nihil ſic ſanitatem ſervat, ecce altior. Nihil ſic acumen ſenſuum operatur, ecce altiſſimus. IV.

CAPUT XIII.

Gradus pacis.

PAcis altus gradus eſt, cum caro ſubiicitur ſpiritui, ſive rationi, difficilem ſe reddens ad omnia mala perpetranda. Altior, cum ſubiicitur caro ſpiritui, promptam ſe exhibens ad omnia bona facienda. Altiſſimus eſt, cum ſpiritus ſubiicitur Deo, omnem ordinationem tam in exterioribus, quam in interioribus animæ viribus penitus obſervando. Iſte ultimus gradus ſervatur in cœlo. Graduum Chriſtianæ pacis ordo I.

Item

II. Item altus gradus eſt inferioribus parcere, ſi in aliquo exceſſerunt, eoſque benigne conſolari, ſi in aliquam afflictionem inciderint. Altior eſt, cum paribus benigne converſari, ita quod faciat eis bonum, quod ſibi juſte vult fieri, nec inferat malum aliquod, quod ſibi juſte non vult fieri. Altiſſimus, voluntatem ſuam voluntati ſuperiorum in omnibus conformare.

III. Item altus gradus, nullum turbare factis. Altior eſt, nullum turbare verbis, vel facie, vel in verbis poſt tergum. Altiſſimus eſt, nullam dare occaſionem juſtam alicujus turbationis, ſigno, nutu. In omnibus iſtis gradibus fuit Chriſtus, ſecundum illud: Non veni facere voluntatem meam, &c. *Joan. 6*

IV. In altum gradum pacis aſcendit, qui mala proximorum non publicat. In altiorem gradum, qui bona proximorum non minuit, nec denigrat, nec invertit, ſed extollit. In altiſſimum aſcendit, qui defectibus eorum compatitur, & profectibus eorum ex corde congratulatur. In iſto gradu fuit Chriſtus.

CAPUT XIV.

Gradus conſtantiæ.

Graduum Chriſtianæ conſtantiæ ordo I.

CONſtantiæ altus gradus eſt, cum homo tantum unitur Deo, quod non poteſt induci ad aliquod malum, quod Deo diſplicet, nec abduci ab aliquo bono, quod Deo placet, per amiſſionem rerum temporalium, ſicut Tobias & Matthathias. Altior, cum homo non poteſt cogi per mutilationem membrorum, ſicut illi ſeptem, de quibus legitur in libro Machabæorum. Altiſſimus, cum non poteſt cogi per ablationem vitæ temporalis, ſicut Paulus, cum dixit: Non ſolum alligari, ſed etiam mori paratus ſum propter nomen Domini Jeſu Chriſti. *2 Mach. 7* *Act. 21*

II. Item in altum conſtantiæ gradum aſcendit, qui non recedit a Deo in proſperitate, ſicut David. In altiorem aſcendit, qui non recedit a Deo in adverſitate illata ab inimicis, ut Stephanus. In altiſſimum, qui non recedit a Deo in adverſitate illata ab inimicis, ut Stephanus. In altiſſimum, qui non recedit a Deo in adverſitate illata ab amicis, ut Job, qui dixit amicis: Juſtificationem, quam tenere cœpi, non deſeram. *Job 27*

III. Item in alto gradu conſtantiæ eſt, qui non conſentit tentationibus peccatorum carnalium, ſed tamen ſuffert. In altiori eſt, qui non conſentit tentationibus peccatorum ſpiritualium, ſed tamen ſuffert. Unde Jacobus dicit: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, & cetera. In altiſſimo eſt, qui extirpat a ſe etiam occaſiones tentationum carnalium, & ſpiritualium peccatorum. In iſto gradu fuit Chriſtus. *Jacob. 1*

IV. Item in altum aſcendit, qui non movetur a ſancta converſatione, vel a bono opere, vel propoſito bono, irriſione, vel vituperatione, ut David, cui Michol irriſit, & contempſit, & improperavit, quod ſaltaſſet, ſicut ſcurra nudus coram ancillis. In altiorem, qui non movetur adulatione, vel laude hiſtrionum, & malorum hominum. In altiſſimum aſcendit, qui non movetur adulatione, vel laude bonorum hominum. *2 Reg. 6*

CAPUT XV.

Gradus largitatis.

Graduum Chriſtianæ largitatis ſeu liberalitatis ordo I.

LArgitatis altus gradus eſt, hilariter dare temporalia, ſicut fecit Abraham, qui nulli negavit hoſpitium. Altior eſt, hilariter dare ſpiritualia, ſicut Apoſtolus fecit, dicens: Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. Item: Si vobis ſpiritualia ſeminamus, &c. Altiſſimus eſt, ſponte & hilariter dare corpus ſuum, ſicut fecit Chriſtus, qui dicit per Prophetam: Corpus meum dedi percutientibus; & cum dixit: Comedite ex hoc omnes, hoc eſt, &c. *Rom. 1* *1 Cor. 9* *Iſa. 50* *Matth. 26*

II. Item in altum gradum largitatis aſcendit, qui dat quidquid ab eo petitur, ſicut Herodes fecit, qui filiæ dixit: Quidquid petieris dabo tibi. In altio- *Marc. 6*

altiorem aſcendit qui dat plus, quam A
petatur ab eo, ſicut fecit Naaman
Giezi ſervo Eliſæi, petenti unum ta-
4 Reg. 5 lentum, dixit: Melius eſt, ut duo ac-
cipias. In altiſſimum aſcendit, qui
arguit non petentes, ut petant, ſicut
Joan. 16. Chriſtus. Uſque modo non petiſtis
quidquam.

III. Item in alto gradu ſtat, qui dat
aliquid habens ſpem recuperandi, vel
recompenſationis, ſicut fere faciunt
Iſa. 1 omnes homines, juxta illud Iſaiæ:
Omnes diligunt munera &c. In altio-
ri ſtat, qui dat aliquid ſine ſpe re-
compenſationis, ſicut Apoſtolus dedit
2 Cor. 12 ſpiritualia, dicens: Non quæro veſtra,
ſed vos. In altiſſimo ſtat, qui refert
gratias accipientibus dona, ſicut Chry- B
ſoſtomus dicit de Chriſto: Pro omni-
bus, quæ tribuiſti nobis o Chriſte,
nihil petis, quam ſalvari, hoc ipſum
tribuens, & accipientibus gratias agens.
In omnibus iſtis gradibus fuit Chri-
ſtus.

IV. Item in alto gradu ſtat, qui dat do-
na conſanguineis indigentibus. In al-
tiori ſtat, qui dat extraneis indigen-
Matt. 5. tibus. In altiſſimo ſtat, dat inimi-
cis indigentibus, ſicut Deus, qui fa-
cit ſolem ſuum oriri ſuper bonos &
malos.

CAPUT XVI.

Gradus compaſſionis.

Graduum compaſſionis Chriſtianæ ordo I. COmpaſſionis altus gradus eſt, me-
dullitus condolere amico afflicto.
Altior, condolere inimico afflicto. Al-
tiſſimus condolere Deo de contumelia
ſibi illata.

II. Item in alto gradu eſt compaſſio-
nis, qui condolet ſanis in afflictione
ipſorum. In altiori eſt qui condolet
infirmis in infirmitate. In altiſſimo
eſt qui condolet purgandis in pœnnis
eorum in purgatorio.

III. Item altum gradum aſcendit, qui
afflictis condolet in corde, ſicut dicit
2 Cor. 11 Apoſtolus: Quis infirmatur, & ego
non infirmor? Quis ſcandalizatur,
aliqua moleſtia tribulationis, & ego
non uror? dicit Gloſſa. In altiorem
aſcendit, qui ore conqueritur incom-
modum afflictorum, ſicut David mor-
tem Saulis & Jonathæ dicens: Quo- 2 Reg. 1
modo ceciderunt fortes in prælio? In
altiſſimum aſcendit, qui plorat ſuper
afflictionem, ſicut David lugebat Ab- In eodem
ſalonem inimicum ſuum; & Job: 18
flebam, inquit, quondam ſuper eo, Job 30
qui afflictus erat, & anima mea com-
patiebatur pauperi. In his gradibus
fuit Chriſtus, quando conqueren-
do flevit ſuper Hieruſalem, dicens:
Quia ſi cognoviſſes. Quædam Gloſſa Luc. 19
dicit ſuper Marcum: Homo patitur
& ridet: Deus compatitur, & flet.

Item altus gradus, condolere om- IV.
nibus in afflictionibus corporalibus.
Altior, condolere in afflictionibus
ſpiritualibus. Altiſſimus, condolere in
defectibus ſpiritualibus.

Item altus gradus eſt, condolere V.
afflictis ad breve tempus. Altior,
condolere ad longum tempus. Altiſſi-
mus, condolere ſemper. In omnibus
his gradibus fuit Chriſtus.

CAPUT XVII.

Gradus congratulationis.

COngratulationis altus gradus eſt, Graduum Chriſtianæ congratulationis, ordo I.
congratulari omnibus hominibus
quod ad imaginem & ſimilitudinem
Dei ſunt facti, & congratulari eis
C in omnibus bonis, quæ a Deo per-
ceperunt. Altior eſt, congratulari
omnibus Angelis, quod ſignaculum
Dei ſunt, & quod nullam miſeriam
experti ſunt, & ſemper in fruitione
Dei fuerunt. Altiſſimus eſt, congra-
tulari Deo de æterna, & immenſa
beatitudine, quam habet a ſeipſo per
naturam.

Item altus gradus eſt, congratula- II.
ri in omni beneplacito ſuo, quod
perficitur in cœlo, & in terra ab
hominibus. Altior eſt, congratulari
Deo in omni beneplacito ſuo in cœ-
lo, quod perficitur ab Angelis. Al-
tiſſimus, congratulari ſingulis perſo-
nis in omni beneplacito, quod per-
ficitur unicuique perſonæ a duabus per-
ſonis:

Digitized by Google

III. Item altus gradus eſt, congratulari omnibus hominibus de omnibus bonis fortuitis. Altior, congratulari in omnibus donis naturalibus in corpore & anima. Altiſſimus, in omnibus donis ſpiritualibus, & virtutibus in ſpiritu.

V. Item altus gradus eſt, congratulari omnibus conſanguineis in omnibus bonis & profectu. Altior eſt, congratulari omnibus extraneis. Altiſſimus, congratulari omnibus inimicis.

V. Item altus gradus eſt, congratulari cum ad congratulandum inſtigat natura. Altior, cum Scriptura. Altiſſimus, cum inſpiratio divina. In omnibus his fuit Chriſtus.

B

Are delectabilia in raris, & caris omni tempore.

Item altus gradus, eſt conſolationem tranſitoriam non admittere in omnibus viſibilibus, propter Deum. Altior eſt fugere conſolationem tranſitoriam in Angelis, & inviſibilibus propter Deum, ſicut Maria Magdalena dixit: Non quæro Angelos, ſed eum, qui fecit me, & Angelos, &c. Altiſſimus, vitare ad tempus conſolationem, quæ poteſt haberi in ipſo Creatore, propter ſalutem proximorum, ſicut dixit Apoſtolus: Optabam anathema eſſe pro fratribus. Et: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. In omnibus his fuit Chriſtus. IV.

Rom. 9 *Phil.* 1

CAPUT XVIII.

Gradus abſtinentiæ.

Graduum Chriſtianæ abſtinentiæ ordo I.

Abſtinentiæ altus gradus eſt, vitare ſuperflua oblectamenta corporis in victu, & in veſtitu, & in aliis commoditatibus. Altior, vitare oblectamenta ſpiritus, quæ ſubito veniunt, & ſubito terminantur, ut contingit in luxuria, in choreis, & cum aliquis delectabiliter audit, & loquitur mendacia, vel detractiones, & ſimilia. Altiſſimus, vitare delectabilia ſpiritus, quæ ſæpe veniunt, & diu permanent, ſicut eſt in ornatu ſuperfluo, & amicitia carnali, & in gaudio temporali.

II. Item altus gradus eſt libenter vitare illicita oblectamenta, quæ homo non poteſt, vel difficulter habere poteſt. Altior, eſt ſponte vitare delectabilia, quæ habet, vel quæ habere poteſt. Altiſſimus, qui poteſt vitare licita delectabilia, quæ habet, & quæ habere poteſt, & quibus meritorie uti poteſt, unde illud: *Virtus eſt licitis abſtinuiſſe bonis.*

III. Item altus gradus eſt, ſponte vitare delectabilia in vilibus & nocivis. Altior, vitare delectabilia in raris, & caris ad tempus, & quæ fiunt cum multa diligentia, & magnis ſumptibus comparantur. Altiſſimus, vita-

C

CAPUT XIX.

Gradus concordiæ.

Graduum Chriſtianæ concordiæ ordo I.

Concordiæ altus gradus eſt concordare cum ſanctis hominibus in ſancta converſatione. Altior, concordare cum ſanctis Angelis in continua laude Dei. Altiſſimus, concordare cum Deo in perfecta voluntate.

II. Item altus gradus eſt, concordare cum ſubditis, defectibus compatiendo. Altior, concordare cum paribus, & ſociis, profectibus eorum congaudendo. Altiſſimus, concordare cum prælatis, voluntati eorum obediendo in omnibus.

III. Item altus gradus eſt, concordare cum perfectis, præcepta Dei ſervando. Altior, concordare cum perfectioribus, conſilia Dei in ſcriptura perficiendo. Altiſſimus, concordare cum perfectiſſimis, divinis moribus ſe conformando.

IV. Item altus gradus eſt, concordare cum omnibus hominibus, quantum in ſe eſt, ut omnis perturbatio caveatur. Altior eſt, concordare cum omnibus hominibus propter quietem propriam, ne homo in ſeipſo affligatur. Altiſſimus eſt, concordare cum omnibus hominibus, ne propter inquietudinem cordis Deus ab ipſo, vel

Digitized by Google

ipſe a Deo ad breve, vel ad longum tempus alienetur. In omnibus his fuit Chriſtus.

CAPUT XX.

Gradus Gratitudinis.

Graduum gratitudinis, ordo I.

GRatitudinis altus gradus eſt, digne ponderare naturalia dona corporis. Altior, digne ponderare naturalia dona animæ, ſcilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Altiſſimus, digne ponderare gratuita dona animæ, ſcilicet dona Spiritus ſancti, & virtutes.

II. Item altus gradus eſt, ponderare dona temporalia a Deo collata. Altior, ponderare dona ſpiritualia a Deo percepta. Altiſſimus, ponderare dona æterna a Deo percipienda.

III. Item altus gradus eſt, gratias agere de ſcriptura. Altior eſt, gratias agere de ſeptem Sacramentis. Altiſſimus eſt, gratias agere de ſanctiſſimis exemplis Jeſu Chriſti, & moribus divinis.

IV. Item altus gradus eſt, gratias agere de præceptis ſacræ ſcripturæ. Altior, de conſolationibus. Altiſſimus, de doctrinis Chriſti in Evangelio.

V. Item altus gradus eſt, gratias agere de omnibus creaturis, quas habet homo in terra. Altior eſt, gratias agere de omnibus Angelis, & ſanctis, quos homo habet in cœlo. Altiſſimus eſt, gratias agere de omnibus bonis, quæ habet in ipſo. In omnibus his gradibus fuit Chriſtus, ipſo teſte: Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

Joan. 8.

CAPUT XXI.

Gradus Religionis.

Graduum Religionis (ut eſt virtutis ſtudium) ordo I.

REligionis altus gradus eſt, cognoſcere omnia impedimenta Religionis, & ea odire, ſicut eſt otium, diſſolutio, mala ſocietas, curioſitas, & nimia libertas. Altior eſt, cognoſcere omnia incitamenta Religionis, & ea deſiderare, ut eſt maturitas, ſolitudo, taciturnitas, bona ſocietas, bona exempla. Altiſſimus, ſtudioſe ſe exercitare in omnibus quæ pertinent ad Religionem, ut ſunt virtutes, & opera virtuoſa.

II. Item altus gradus eſt, diligenter ſervare omnia præcepta Religionis. Altior, ſervare omnia vota Religionis, non ſolum maxima, ſed & minima. Qui enim minima negligit, paulatim decidet. Altiſſimus, imitari optimos in Religione, & ipſis ſe conformare.

III. Item altus gradus eſt, relinquere res temporales. Altior, relinquere omnes amicos, tam carnales, quam ſpirituales. Altiſſimus, relinquere proprium ſenſum, & propriam voluntatem.

IV. Item altus gradus eſt, ſervare Religionem, & amare Religionem, propter pœnam vitandam, quæ debetur irreligioſis. Altior, propter ſpem in præcedenti, & gloriam in futuro, quæ debetur Religioſis. Altiſſimus, amare Religionem pure, propter Deum.

V. Item altus gradus eſt, ſemper niti ad proprios defectus videndos, qui ſemper pullulant. Altior, niti ſemper ad creſcendum in virtutibus & ſpiritualibus donis, ad conformandum ſe divinis moribus. Altiſſimus, ſemper dolere, quod non poteſt omnes defectus devincere, nec ſemper exercere virtutes. In multis his gradibus fuit Chriſtus.

CAPUT XXII.

Gradus contritionis.

Graduum contritionis, ordo I.

COntritionis altus gradus eſt, ex corde dolere pro omnibus peccatis mortalibus. Altior, pro omnibus peccatis venialibus magnis. Altiſſimus dolere pro omnibus peccatis venialibus minimis.

II. Item altus gradus eſt, vehementer dolere pro peccatis operum. Altior, dolere pro peccatis verborum. Altiſſimus, dolere pro peccatis cogitationum & affectionum.

III. Item altus gradus eſt, dolere pro com-

commiſſis omnium malorum. Altior, pro omiſſis omnium bonorum. Altiſſimus, pro deturpatione omnium bonorum per tædium & teporem, & etiam impuram intentionem.

IV. Item altus gradus eſt, dolere pro omnibus malis, quæ homo commiſit perſonaliter. Altior, pro omnibus, quorum fuit occaſio ſcienter. Altiſſimus pro omnibus, quorum occaſio fuit ignoranter: Unde illud: Ignorantias, &c. *Pſ. 24*

V. Item altus gradus eſt: dolere pro peccatis manifeſtis. Altior, pro peccatis occultis, quæ homo ſolus ſcit coram Deo. Altiſſimus, dolere pro peccatis, quæ ſolus Deus ſcit ſine ipſo in lumine ſuo. Unde Apoſtolus: Nihil mihi conſcius ſum, &c. *1 Cor. 4*

VI. Item altus gradus eſt, dolere de damno quod ſibi homo per peccatum intulit. Altior, quod communitati intulit. Altiſſimus de contumelia, quam Deo intulit.

VII. Item altus gradus eſt, cum in contritione deletur culpa tantum. Altior, cum deletur culpa, & pars pœnæ. Altiſſimus cum deletur culpa & omnis pœna.

VIII. Item in alto gradu eſt, qui dolorem mentis indicat in ore pure confitendo. In altiori, qui dolorem indicat in oculis lacrymando. In altiſſimo, qui dolorem indicat in opere, jejuniis, vigiliis, & diſciplinis carnem ſuam affligendo.

CAPUT XXIII.

Gradus confeſſionis.

Graduum confeſſionis ſacramentalis, ordo I. *Prov. 24*

Confeſſionis altus gradus, declarare ſecundum præceptum Apoſtolicum, ſemel in anno omnia peccata illius anni. Altior eſt confiteri ſingulis menſibus. Altiſſimus, confiteri ſemel in ſeptimana, cum ſcriptum ſit: Septies in die cadit juſtus, & reſurgit per confeſſionem.

II. Item altus gradus eſt, confiteri tantum uni ſacerdoti, juxta illud: Vade oſtende te Sacerdotibus. Altior eſt, confiteri pluribus ſacerdotibus ſæcularibus, juxta illud: Ite, oſtendite vos
A Sacerdotibus. Altiſſimus, confiteri pluribus Sacerdotibus Religioſis, qui diligentes ſunt circa confeſſionem & confitentes.

III. Item in alto gradu eſt, quem ad confitendum movet horror peccati, & fœtor. In altiori eſt, quem movet ad confitendum deſiderium regni cœleſtis. In altiſſimo quem movet ad confitendum amor unionis Dei.

IV. Item in alto gradu eſt, qui confitetur, ut a maculis emundetur animæ. In altiori, qui ideo confitetur, ut Deo per munditiam aſſimiletur. In altiſſimo eſt, qui ideo confitetur, ut Deo habitaculum in anima per munditiam præparetur.
B Sciendum, quod de ſingulis gradibus, de quibus eſt contritio, de eiſdem debet etiam fieri confeſſio.

CAPUT XXIV.

Gradus ſatisfactionis.

Graduum ſatisfactionis, ut ad pœnam pertinet, ordo I.

Satisfactionis altus gradus eſt, emendare digne peccata propria. Altior, bonorum hominum. Altiſſimus emendare peccata malorum hominum.

Item altus gradus eſt, emendare peccata conſanguineorum. Altior, emendare peccata extraneorum. Altiſſimus, emendare peccata inimicorum.

C

II. Item altus gradus eſt, emendare peccata in propria domo. Altior, emendare peccata in eremo. Altiſſimus, emendate in clauſtro.

III. Item altus gradus eſt, emendare peccata in clauſtro rigido. Altior, emendare in clauſtro rigidiori. Altiſſimus, in rigidiſſimo clauſtro.

IV. Item altus gradus eſt, emendare peccata eleemoſynis. Altior, emendare bonis operibu corporis, jejuniis, orationibus, peregrinationibus, & ſimilibus. Altiſſimus, emendare peccata paſſionibus corporis, ſcilicet lacrymis, diſciplinis, ciliciis, & ſimilibus. Perfectius eſt, adverſa tolerare patienter, quam bonis operibus inſudare.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Gradus contemplationis.

Graduum contemplationis. ordo I. Contemplationis altus gradus eſt, cognoſcere Deum in creaturis. Altior, cognoſcere Deum in ſcripturis. Altiſſimus eſt, cognoſcere Deum in ſua potentia, & ſapientia, & cetera.

II. Item altus gradus eſt, cognoſcere Deum in hominibus, qui ad imaginem ejus ſunt creati. Altior, cognoſcere Deum in Angelis, qui ſunt ſignaculum ſimilitudinis Dei. Altiſſimus, cognoſcere Deum in ſua ſubſtantia.

III. Item altus gradus eſt, cognoſcere Deum in ſuis operibus: Altior cognoſcere in ſuis moribus Deum. Altiſſimus cognoſcere Deum in claritate ſua. Unde in Joanne: Ut videant claritatem quam dediſti mihi. Joan. 17

IV. Item ad altum gradum contemplationis aſcendit, qui abſtrahit animam ſuam ab omnibus tranſitoriis, & colligit eam ad ſeipſam. Ad altiorem tendit, qui cognoſcit, qualis ſit anima in ſe collecta ſuper corpus, & ſine corpore, & ſecundum quem, imaginata. Ad altiſſimum tendit, qui cognoſcit Deum, ad cujus imaginem factus eſt, ut pro poſſe ſuo ſe illi conformet. In omnibus his fuit Chriſtus.

CAPUT XXVI.

Gradus diſcretionis.

Graduum diſcretionis ordo I. Diſcretionis altus gradus eſt, ſecundum ordinem Dei uti donis temporalibus. Altior, ſecundum ordinem Dei, uti donis naturalibus in corpore, & in anima. Altiſſimus, uti ſecundum ordinem Dei donis gratuitis in anima.

II. Item altus Gradus eſt, ſervare præcepta ſcripturæ. Altior ſervare conſilia ſcripturæ. Altiſſimus, ſervare doctrinas Jeſu Chriſti.

III. Item altus gradus eſt, regere ſe ſecundum exempla ſanctorum. Altior, ſecundum exempla Chriſti. Altiſſimus, ſecundum mores Dei.

IV. Item altus eſt cogitare varia beneficia Dei. Altior, de beneficiis collatis gratias agere. Altiſſimus, laudare divinam naturam, & bonitatem, quæ coegit dantibus.

V. Item altus gradus eſt in omnibus cautum eſſe coram ſæcularibus, ne ſcandalizentur. Altior, cautum eſſe coram religioſis, ut ædificentur. Altiſſimus, coram Deo judice cautum eſſe, ne offendatur.

CAPUT XXVII.

Gradus ſpei.

Graduum Chriſtianæ ſpei. ordo I. Spei altus gradus eſt, expectare cœleſtem hereditatem, quam daturum ſe Deus nobis per pignus obligavit, ſcilicet Spiritum ſanctum in baptiſmo, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, ut dicit Apoſtolus. Altior eſt, expectare beatitudinis eandem hereditatem, quam nobis ſe daturum juramento firmavit. Unde. Jusjurandum, &c. Altiſſimus eſt, exſpectare eandem beatitudinem, quam nobis ſe daturum in lege, & Prophetis promiſit. Unde Apoſtolus: Quod oculus non vidit, &c. Epheſ. 1 Luc. 1 1 Cor. 2

II. Item in alto gradu eſt, qui expectat æternam beatitudinem ex operibus miſericordiæ, & juſtitiæ, in quibus ſe diu exercuit. In altiori eſt, qui expectat eam ex paſſione Chriſti, qui nobis eam promeruit. Unde Bernardus: Peccanti mihi peccatum, &c. In altiſſimo, qui expectat eam ex mera bonitate, & miſericordia Dei, qui nos ad ipſam creavit.

III. Item in alto gradu eſt, quem certificat de æterna beatitudine bene diſcuſſa conſcientia. In altiori eſt, quem certificat veteris, & novæ legis ſcriptura. In altiſſimo eſt, quem certificat inſpiratio divina.

IV. Item altum gradum tenet, qui expectat æternam beatitudinem ex multiplici interceſſione in via, & in patria. Altiorem, qui eandem expectat ex diligenti cuſtodia Angelorum.

Altiſſi-

Digitized by Google

Altiſſimum, qui eandem diligentiſſima cuſtodia divina expectat. Unde Auguſtinus. Perfectioribus adeſt ipſe Deus ad cuſtodiam, imperfectioribus vero ipſi Angeli.

CAPUT XXVIII.

Gradus timoris.

Graduum timoris ordo I. Timoris infimus gradus eſt, timemere judicem ſæcularem. Altior eſt, timere judicem ſpiritualem. Altiſſimus timere judicem ſempiternum.

II. Item altus gradus eſt, timere judicem Deum, quia punire poteſt corpus in hoc mundo. Altior, timere eundem, quia punire poteſt animam. Altiſſimus, timere eundem, quia punire poteſt corpus, & animam in inferno.

III. Item in alto gradu eſt, quem timor cogit fugere omnia, quæ elongant a familiaritate Dei ad breve tempus. In altiori eſt, quem cogit timor furere omnia, quæ ſeparant ab unione de longo tempore. In altiſſimo eſt, quem cogit timor fugere omnia, quæ ſeparant a fruitione Dei omni tempore.

IV. Item in alto gradu eſt, cui timor ſemper ſuadet requirere voluntatem Dei, juxta illud: Qui timet Dominum, inquiret, quæ placita ſunt ei. C

Eccleſ. 2 In altiori gradu eſt, cui timor ſuadet ſemper perficere voluntatem Dei,

Eccleſ. 7 juxta illud: Qui timet Deum nihil negligit, & qui timet Deum faciet bona. In altiſſimo eſt, cui timor omnia bona conſervat, juxta illud:

Eccl. 15 Ibidem 15 Timor Domini omnibus ſuperponit quaſi ſignaculum omnia conſervans.

CAPUT XXIX.

Gradus doloris.

Graduum doloris, ut ad virtutem ſpectat ordo I. Doloris altus gradus eſt, triſtari ex corde de omni incommodo proximorum corporali. Altior triſtari de omni incommodo proximorum ſpirituali. Altiſſimus, triſtari de omni contumelia Dei.

Item altus gradus eſt, contriſtari, II. quod animæ continue in peccatis venialibus maculantur. Altior eſt, contriſtari quod animæ frequenter peccatis mortalibus vulnerantur, juxta illud Bernardi: Agnoſce, homo, Bern. de medit. c. 3 ante med. quam aſpera peccatorum vulnera, pro quibus oportebat Dominum Chriſtum vulnerari. Altiſſimus, triſtari, quod vulnera Chriſti quotidie innovantur, cum peccati mortalis vulnere ſauciantur.

Item altus gradus eſt, triſtari proni- III. tate cadendi in malum. Altior, triſtari de tarditate, & raritate ſurgendi B a malo. Altiſſimus eſt, triſtari de difficultate perſeverandi in bono.

Item altus gradus eſt, triſtari de IV. debilitate perficiendi bonum: Altior de debilitate deſiſtendi a malo. Altiſſimus, de fortitudine conſummandi malum.

Item altus gradus eſt, triſtari quod V. tam parum curantur exempla bonorum hominum in terra. Altior, quod tam modicum curantur exempla perfectiora in patria. Altiſſimus, quod tam parum curantur exempla perfectiſſima Jeſu Chriſti, per quatuor Evangeliſtas nobis teſtificata.

CAPUT XXX.

Gradus gaudii.

Gaudii altus gradus eſt, lætari Graduum gaudii ſpiritualis ordo I. hic, & in futuro, de æterna ſocietate Angelorum inferiorum, & ſanctorum. Altior eſt, lætari de æterna ſocietate ſupernorum Angelorum & ſanctorum, & præcipue beatæ Virginis Mariæ, quæ eſt ſuper omnes Angelos & ſanctos. Altiſſimus, lætari de æterna ſocietate Dei.

Item altus gradus eſt, lætari de II. mundiſſima carne Chriſti, quam ſibi aſſumpſit de mundiſſimis ſanguinibus beatæ Virginis Mariæ, quam homo videbit in æternum carnalibus oculis. Altior, lætari de perfectiſſima anima ſua in omnibus virtutibus, &

do.

donis ſpiritualibus, cuius anima non accepit Spiritum ſanctum ad menſuram ſecundum quod alii ſancti. Altiſſimus eſt, lætari de divinitate Chriſti, quam habet communem cum Patre & Spiritu ſancto æternaliter.

III. Item altus gradus eſt, de omnibus voluntatibus meritoriis lætari. Altior lætari de omnibus meritoriis locutionibus. Altiſſimus, lætari de omnibus meritoriis operationibus.

IV. Item altus gradus eſt, lætari hic, & in futuro, de exteriori ſancta converſatione. Altior lætari de interiorum affectionum ordinatione. Altiſſimus, lætari de mentis ſecuritate. Unde illud: Secura mens, quaſi iuge convivium. *Prov. 15*

V. Item altus gradus eſt, lætari de ſanctæ Trinitatis viſione, ſive æterna cognitione. Altior, lætari de eiuſdem æterna viſione. Altiſſimus lætari de eiuſdem æterna fruitione.

Propterea nos hortatur Auguſtinus dicens: O anima mirabilis creatura, quo te deiicis? terram amas, melior es: ſolem miraris, pulchrior es: cœlum contemplaris, altior es: ſolo creatore tuo inferior. Si vis ergo progredi in me, & ego tranſiens in
A te: exi totaliter de te, traham te in me, & introduc me, & ſic nec in te, nec in ulla creaturarum, quidquid amabis, præter me. Idem: Anima inter Deum, & creaturas media poſita eſt, converſione ad Deum illuminatur, melioratur, perficitur: converſione autem ad creaturas obtenebratur, deterioratur, occiditur. Item: Deus intrabit in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior, omni ſecreto interior. Gregorius: eſſe quidem ſine delectatione anima non poteſt, aut enim delectatur in ſummis, *Greg. l. 11 mor. cap. 1. in princ.*
B aut in infimis. Gloſſa ſuper Eccleſiaſticum: Felix anima, quæ quotidie mundat cor ſuum, ut recipiat habitatorem Deum, cuius poſſeſſor nullo eget bono, quia omnium bonorum auctorem in ſe habet. Auguſtinus: Magna Dei pietas, & ineffabilis bonitas, qui hominem ad vitam æternam prædeſtinatum, mori non permittit, niſi in eo ſtatu quo melior futurus non eſt, tollit etiam damnandos, cum noſcit eos peiores futuros, ut ſic minus puniantur, & iuſti eorum exemplo non corrumpantur.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM

DE MODO CONFITENDI, & de puritate conſcientiæ.

Tractatus iſte de puritate conſcientiæ inter Opuſcula S. Bonaventuræ impreſſus fuit Argentinæ anno Domini M. CCCC. XCV. *& etiam in editione Veneta anno* M. CIↃ. LXXIV. *Sed in Opuſculis quoque S. Thomæ recenſetur in editione Romana ſub Pio V. Pontifice : & Joannes Trithemus S. Thomam Aquinatem ejus auctorem agnoſcit. Verum Joannes Gerſo Pariſienſis Cancellarius prim. parte Opuſc. in Opuſculo de pollutione diurna propoſitiones 12 in fine Sancto Bonaventuræ tribuit, his verbis:* Item tractatus, quem adſcribunt aliqui S. Thomæ: ſed magis apparet ex ſtylo, & materia, quod ſit Bonaventuræ. Qui incipit : Quoniam fundamentum, & janua. Et eſt valde utilis. *Hæc Gerſo. Cujuſcumque autem opus ſit, legitimæ confeſſionis conditiones continet docte & breviter expreſſas: necnon quomodo conſcientiæ puritas ſervetur.*

QUoniam fundamentum, & janua virtutum, omniſque gratiæ ſpiritualis conſolationis principium eſt conſcientiæ puritas, ac cordis munditia; ad quam principaliter, & præcipue, per puram, & veram, ac integram & perfectam confeſſionem peccatorum acceditur: nobis qui vocati ſumus ad ſtatum gratiæ, & ad acquirendas virtutes, ac vitanda vitia de ſufficienti confeſſione, ac modo confitendi, ut decet viros ad ſtatum perfectionis electos, cum ſumma diligentia, & ſolicitudine continua, præ ceteris mortalibus principaliter eſt videndum.

CAPUT I.

Quod plena, pura, & integra debeat eſſe confeſſio.

EST igitur primo videndum, quod confeſſio debet eſſe pura, quia peccata debent ſimpliciter dici abſque duplicitate, & excuſatione, ſicut homo credit ea manifeſta eſſe coram Deo: nec debent verba dici pallianția, aut cooperientia, vel minuentia peccatum, ſicut faciunt multi magnas phylacterias, & hiſtorias longas dicentes antequam peccatum explicent, ut ſic per illas oſtendant ſe minus culpabiles de peccato, quod quidem peccatum in fine illorum verborum ſuperfluorum excludant. Vitanda ſunt igitur ſuperflua, & excuſatoria verba: ſed pure dic peccata tua, & ſimpliciter te accuſa. Simi-

militer non debet dici, quod cadat in infamiam alicuius, aut quod poſſit præbere confeſſori occaſionem turbationis contra aliquem, aut materiam contemnendi. Unde ſi expediret nominare peccata alicuius confitendo propria; tunc taliter explicentur, quod confeſſor nullo modo poſſit intelligere perſonam, cum qua peccaſti, nec poſſit venire in notitiam complicis in peccato. Sicut ſi dediſti Petro occaſionem peccandi, cum peccavit, non debes nominare ipſum, ſed ſufficit tibi dicere: Fui cauſa committendi peccatum tale cuidam perſonæ.

Vera. Confeſſio debet eſſe vera, ita quod nulla falſitas dicatur ſcienter, nec aliquod dubium affirmetur: ſed certa, ut certa, dubia, ut dubia ſunt dicenda. Et ideo cum confiteris, non dicas: Dico culpam meam, ſi feci tale quid, aut ſi dedi materiam turturbationis tali, aut feciſſem tale peccatum ſi potuiſſem: ſed dic ſimpliciter: Feci ſic, & ſic, & appetivi ſic, & ſic, & habui voluntatem deliberatam faciendi tale peccatum, & & non dimiſi, niſi quia non potui, vel quia neſcivi, vel quia timui verecundiam, aut pœnam temporalem.

Sunt tamen quidam qui neſcientes, aut verecundantes, aut non curantes ſpecificare peccata; aperte mentiuntur in confeſſione, quam faciunt, dicendo quædam ad quamdam cautelam quibus comprehendant peccata omnia, quæ fecerunt. Dicunt enim: Dico culpam meam de quinque ſenſibus meis male cuſtoditis, ſcilicet viſu, auditu, guſtu, & cetera & tamen ſi interrogarentur de quolibet offendiſſe præmiſſorum, maxime poſtquam confeſſi fuerint. Et ſic dicunt etiam de ſeptem vitiis capitalibus, cum tamen non offenderint in omnibus, ſicut ſonant verba eorum. Talis ergo modus, maxime ab his, aut ſæpe confitentur, eſt vitandus, ſed dicant vera, & neceſſaria, & dimittant falſa, & ſuperflua.

Similiter ante confeſſionem diligenter ſeipſos examinent, & dicant A primo omnia vitioſa, & gravia, quæ pro certo noverint feciſſe, ita quod ſub humilitatis ſpecie, aut cauſa quacumque nullatenus mentiantur ſed poſtea poſſunt dicere generalia, & levia, quæ non poſſunt ſpecialiter explicare, ſicut ſunt cogitationes otioſæ, verba otioſa, negligentia, pigritia circa orationem, amiſſio temporis, diſtractio cordis in dicendo horas, vel orando, ingratitudo beneficiorum Dei, ſuperflua cura de corpore; & de rebus temporalibus, turbationes leves contra proximum, iudicium leve alieni cordis, deſpectio proximi quoad perſonam, mores, ſive vitam, non contentari de omnibus, quæ Deus B fecit, aut facit, aut fieri permittit, & his ſimilia: quæ cum ſint inevitabilia, ab anima infirma non poſſunt in numero declarari, ſed potius expedit ea quotidie delere cum lacrymis, aut per ipſa infirmitatem animæ recognoſcere, & in humilitate debita permanere.

Confeſſio debet eſſe integra, ut omnia peccata, quæ habes in memoria, aut quæ oblitus fueras confiteri, & modo recordaris integre confitearis: nec dicas partem uni confeſſori, & partem alteri, quia nullo modo debes dividere confeſſionem. Hoc faciunt, illi, qui timent deſpici a confeſſore, vel reputari minus boni, plus timen- Integra. C tes humanam verecundiam, quam divinam offenſam, & plus amantes laudem extrinſecam, quam intrinſecam pacem mentis, & conſcientiæ puritatem. Similiter ſi oblitus es, quando confiteris aliqua peccata, & poſtea die ſequenti, vel alia recordaris, ſi potes, debes recurrere ad eumdem confeſſorem, ut confitearis ſi potes habere copiam, aut ad alium, alioquin ſufficit tibi bona voluntas. Quod ſi non ex oblivione, ſed ex malitia, ac verecundia oblitus es, vel omiſiſti confiteri aliquod peccatum, teneris recurrere ad primum confeſſorem. Et ſi vis recurrere ad alium, teneris confiteri omnia peccata prius confeſſa, & illud quod prius omiſeras, & omnia, quæ poſtea commiſiſti a prima con-

ſeſ-

feſſione facta; & teneris confiteri de A mendacio, aut ſimulatione quam commiſiſti: quia dediſti intelligere confeſſori tuo quod primo integre confeſſus fuiſti.

CAPUT II.

De peccatorum circumſtantiis.

Confeſſio debet eſſe plena. Locus. ITem confeſſio debet eſſe plena, quia debet continere circumſtantias aggravantes peccata, quæ ſunt locus in quo peccas, quia gravius eſt peccare in Eccleſia, aut in loco ſacro, quam in domo, & gravius eſt cogitare aliquod inhoneſtum, quando dicis Miſſam, vel officium, vel quando oras, B quam quando ſcribis. Et gravius eſt reſpicere, vel tangere animo impudico corpus hominis ſub pannis, quam manum, vel pedem, quia magis libidinoſa delectatio eſt ibi, & ſic facias differentiam inter locum, & locum.

Tempus. Tempus, in quo peccas, quia gravius eſt caveri a Miſſa, vel otiari in die Dominico, vel feſto ſolemni, quam in die alio ſimplici. Et gravius eſt quodcumque peccatum in magna ſolemnitate, quam alio tempore. Et gravius eſt non vacare orationi, vel eſſe diſſolutum in lingua, vel relaxatum in gula, quando homo debet communicare, & die quo homo communicat, quam in alio tempore.

Coram quo. Gravius eſt dicere, & facere aliquod coram eo, qui poteſt ex hoc ſumere occaſionem peccandi, quam illud dicere, & facere occulte. Et gravius eſt ſimulare ſe eſſe patientem, habendo iram in corde, quam oſtendere ſe eſſe turbatum, ſicut eſt, non dando tamen alicui per hoc turbationis, vel mali exempli occaſionem, ut dicit Gregorius. Et ideo non ſufficit dicere: Fui iratus de verbo mihi dicto; ſed debet dicere, & addere: Simulavi me eſſe patientem in verbis, & ſignis exterioribus, ut reputarer humilis, ubi eram ſuperbus, ita quod cum illa ſimulatione, addidi mendacium ad iram, quam occultavi. Adhuc gravius eſt tangere Bertam oſculando; quam ipſam in eodem loco tangere cum pede: quia iſte modus tangendi eſt magis impudicus. Unde non ſufficit dicere: Tetigi Bertam impudice, ſed oportet dicere locum corporis quem tetigiſti, ſcilicet manum, vel pectus, ſupra pannos, vel ad nudum, & dicas modum, ſcilicet cum ore, manu vel cum pede, &c.

Quoniam ibi majus eſt peccatum, ubi major mora trahitur, ſive ſit delectatio corporalis, ſive mentalis, ſive iram, ſive odium teneas per menſem, aut annum. Et diligenter eſt mora examinanda in peccato cogitationis, quia videndum eſt, ſi in ipſa mora, ratio ſuccumbat ſenſualitati, conſentiendo in opus voluntate deliberata ſi poſſet, & tunc non eſt minor culpa, quam ſi peccatum opere perfeciſſet, quia ſic voluntas pro facto reputatur. Si autem ſuccumbat ratio conſentiendo in delectatione ſenſualitati tantum, ita quod non vult in opus procedere, ſed vult tantum interius in delectatione voluptuari, tunc licet ibi non ſit plenus conſenſus, tamen eſt ibi peccatum mortale, ſicut dicit Auguſtinus, ſed eſt minus grave, quam primum, ubi eſt conſenſus in delectationem, & in opus. Si vero in neutrum conſentit, ſed ibi facit moram C invite, quia ſcilicet neſcivit, vel non poteſt expellere, tunc dicat occaſionem datam. Quamvis hæc ſententia ſatis dura locum habeat in peccatis carnalibus; poteſt etiam notari in homicidio, & in aliis multis peccatis. Quidquid autem ſit, expedit conſcientiæ mundæ facere prædictam examinationem in quibuſcumque cogitationibus vitioſis, moroſe multum protractis. Mora.

Nam gravius eſt facere quodcumque peccatum corde, aut aliquo ſenſu corporis bis quam ſemel. Et ideo ſi potes recordari, debes ſpecificare vices cogitationum malarum, aut motus libidinoſos in carne, & voluntatem faciendi aliquod peccatum, aut quotiens iteraſti reſpicere in faciem Quoties.

A ciem alicujus, propter delectationem viſus, aut quoties turbaſti aliquem, aut murmuraſti, & ſic de aliis. Quod ſi non es memor de numero, dic bona fide, ſecundum quod judicas te totiens iteraſſe peccata. Et attende quod cogitationes leves, & levia verba non ſunt numero explicanda: niſi eſſent occaſiones alicujus gravis peccati, vel vitii, aut eſſent de ſe in aliquo genere ſeptem vitiorum capitalium. Si tamen propter aliquam cogitationem levem haberes nimis longam diſtractionem mentis in oratione, vel pſalmodia, credo quod bonum eſſet explicare ſi eſſes memor propter magnum diſpendium quod facit. Si etiam propter aliquod verbum B ſolatioſum, vel leve aliquem turbaveris, aut orietur aliqua mala ſuſpicio, aut aliquod malum, tunc debet ſpecificari, propter malum ipſius effectus, ſic quod talia otioſa, & levia ſunt ſpecificanda, quando propter ea incurritur aliquod grave vitium, vel delictum, aut datur alicui materia peccandi. Sufficit ergo dicere ſimul omnes diſtractiones mentis habitas in oratione, & in officio propter cogitationes leves: ſic dicendo; Dico meam culpam de nimia diſtractione, & mentis vagatione, quam habui in oratione, audiendo Miſſam, & dicendo horas, propter cogitationes inutiles, & otioſas, in quibus C cor meum nimis occupavi, ſic quod ibi non fui intentus, ut debui & potui. Cogitationes autem vitioſæ procuratæ, & cum delectatione receptæ, omnes ſunt explicandæ quantum poteſt homo, quantum ad qualitatem, moram, & vires, ut ſupra dictum eſt. Cogitationes vero quantumcumque malæ & vitioſæ, quæ non ſunt ſtudioſe procuratæ, nec cum delectatione receptæ, nec cum mora ſervatæ in corde, nec dediſti occaſionem veniendi propter cibi, & potus intemperantiam, aut propter occaſionem, ſed ſubito venerunt, & receſſerunt, & diſplicentiam habuiſti in illis, & ſtatim quando ſenſiſti, ut potuiſti, expuliſti, aut expellere procuraſti, occupando te in lectione, aut in meditatione ſancta, tales dico non ſunt confitendæ, quia non ſolum in iſtis homo non offendit, ſed multum meretur, tamquam pugil, pugnator, & victor. Unde Hieronymus: Ille prædicatur beatus, qui ſtatim, ut cœpit cogitare, cogitatus interficit, & allidit ad petram Chriſtum. Sed hodie quidam tales cogitationes confitentur potius ad laudem, & vanam gloriam, ut confeſſor reputet ipſos ſpirituales. Cum tamen talia eſſent occultanda, & etiam in confeſſione tacenda, quia ſolum confitens debet ſe oſtendere ſimpliciter peccatorem. Unde tales ſunt theſauri Dei latrones, quia vanæ gloriæ appetitores. Et ideo pœna latronum ſunt puniendi. Nam de talibus cogitationibus quibus ſic reſiſtitur, dicit Apoſtolus, quod Deus facit cum tentatione proventum. 1 Cor. 10 Quod dicit, quia homo talibus reſiſtendo meretur, & ideo intelligo, quod digni ſunt ſuſpendio, quia ſub ſpecie charitatis, aut potendi conſilii, aut alterius cauſæ coloratæ, quæ ſoli Deo ſunt aperta manifeſtant, & aperiunt malitioſe, & ſub dolo.

CAPUT III.

De motu vanæ Gloriæ.

QUia gravius eſt habere vanam gloriam de gratia ſpirituali a Deo recepta, quam de opere hominis manuali. *Peccatum vanæ gloriæ caute confitendum.* Unde confiteri habes de vana gloria, aut ſpirituali, aut corpoli. Et gravius eſt dolere de bono ſpirituali alterius, quam de bono corporali ipſius, quia primus dolor eſt de invidia fraternæ gratiæ, quæ eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quod eſt irremiſſibile. Secundus dolor ex ſimplici procedit invidia, & ideo non ſufficit dicere: Dolui de bono alterius propter invidiam: ſed debes ſpecificare ſi de bono ſpirituali, vel temporali. Et eadem ratione, gravius eſt gaudere de ſpirituali damno pro-

ximi, ſicut de peccato quod fecit, aut de ipſius infamia, aut quia amiſit Dei gratiam, quam habebat, quam gaudere de temporali damno hominis. Cavendum tamen eſt, qualiter confitearis peccatum prædictum vanæ gloriæ de gratia ſpirituali, ne forte incurras majorem gloriam vanam, in confitendo primum defectum. Nam dando intelligere confeſſori, quod habuiſti vanam gloriam, quia fuiſti viſus orare, vel in Miſſa plorare, vel laudatus, quod bene prædicaveras, ex hoc potes incurrere vanam gloriam, ſive peccatum vanæ gloriæ, quod confeſſor ex hoc te reputet ſpiritualem. Debes igitur caute explicare tuo confeſſori, gratiam tibi a Deo datam in oratione, lachrymis & hujuſmodi: potes tamen dicere: Dum dicerem, vel audirem Miſſam, vel prædicarem, feci actum aliquem, propter quem perſonæ aliquæ me videntes, cogitavi, quod crederent me habere aliquam ſpiritualem gratiam. Et quia in ipſa cogitatione habui complacentiam, & conſenſum, nec dolui, ideo me accuſo, vel ſic: Appetivi quod aliqui crederent me habere, cum non haberem; & ad hoc credendum, feci aliquos actus ſimulatorie. Et idem intelligas de aliis peccatis. Similiter caute confitearis vanam gloriam, quam habuiſti exercendo aliquos actus virtuoſos. Sufficit enim tibi non explicando dicere: Feci aliquem actum, propter quem appetivi non tantum laudem Dei, ſed potius hominum, quia non ſolum volui reputari ab illo cui feci, vel dixi quoddam bonum, ſed ut aliis publicaretur. Et nota quod cogitationes de vana gloria non ſunt confitendæ, niſi quando eſt ibi complacentia, & conſenſus, & delectatio moroſa. Si autem ſtatim quando veniunt, cognoſcis ea non debere venire, & ex hoc ſtatim diſplicet tibi quod veniunt, ac per hoc ſtatim recurris ad Deum, ut eas expellat, aut ſaltem te conſentire non ſinat, ſis certus, quod in eis non peccas, ſed potius per eas coronam acquiris? Dic ergo

Nota.

A ſtatim in corde tuo, quando ſentis eas: Deus in adjutorium meum intende, vel, Domine vim patior, reſponde pro me. Et caveas ne propter hujuſmodi tempeſtuoſas cogitationes, dimittas aliquod bonum incipere, vel incœptum continuare, ex quo principale motivum eſt bonum, ſicut hodie multi faciunt, credentes ſpiritui diffidentiæ, qui facit eos credere, quod perdunt quidquid agunt, quia in bonis actibus ſuis, cogitationes vanitatis contrahunt. Reſpondeas ergo tali ſpiritui: Nec propter te facio, nec volo facere illud bonum, nec propter te dimittam. Unde quantumcumque habeas in iſtis cogitationibus aliquando complacentiam, & conſenſum, doleas & pure confitearis, nec propter hoc ceſſes a bono, propter Deum principaliter incœpto, ſed pugna viriliter, & conſtanter Deum orando, ut cuſtodiat ſuum opus. Si autem eſſes naturaliter paſſionatus, & ſtimulatus de vana gloria, ſicut ſunt quidam qui nihil boni quaſi faciunt, aut dicunt ſine ea. Tunc conſulo tibi, ut non delecteris in loquendo multum de Deo, aut vita ſpirituali, docendo alios ſub ſpecie charitatis, quia pro certo, ſub hoc velo charitatis latet dulce venenum, ſed puto eſſe ſecurius, & magis expediens, humimiliare ſe, & ſilere a bonis, ne forte curando infirmeris: quia mens tua adhuc eget cuſtodia. Et frenum eſt neceſſarium linguæ tuæ, donec illa peſtis in corde fluctuare non ceſſat; alioquin, ſicut dixi, ſalvando, aut ſanando alios, tuam deſtruis ſanitatem. Experto crede. Nam docere & curare alios, eſt cibus perfectorum. Si vero neceſſitas inevitabilis, vel magna, & rationabilis congruentia loquendi occurrat, tunc loquendum eſt taliter, quod ita te ſicut & alios videaris arguere, & docere. Et quia tibi etiam non deerit ſpiritus vanæ gloriæ cupiens quod per hunc modum loquendi, reputeris humilis, & diſcretus. Si etiam occurrit tibi vana gloria quando taccbis, vel quando de locutione te humiliter excu-

Pſal. 69 *Iſai. 38*

B

C

ſabis, neſcio tibi aliud remedium, A niſi confeſſionem puram, & lacrymas adhibere, contra hanc maledictam peſtilentiam. Eſt autem valde timendum, ne timore deſpectionis humanæ totiens hoc vitium confiteri negligas, quotiens te ab ipſo noveris ſuperari. Nec ut minus verecunderis, mutes ſæpius confeſſorem, immo ut plus confundaris, ſtudeas eidem ſæpius, & clarius ſolito confiteri. Sic enim virtute humilis confeſſionis ſpiritus ille citius expelletur, & ſi etiam tuæ confeſſioni ſe ingerat, ita ut de humili, & pura confeſſione appetas commendari. Certe ſi te ſenſeris vulneratum, non timeas in fine confeſſionis detegere ipſum vulnus. Eſt enim B ſciendum, quod gravius eſt eſſe inobedientem, aut irreverentem patri, vel matri propriæ, quam illi cui non ſic teneris obedientiam, vel reverentiam exhibere. Et gravius eſt turbare unum ſanctum hominem, aut deridere ipſum quam unum hominem, vitioſum. Et gravius eſt, provocare unam perſonam religioſam ad aliquod peccatum, quod eſt contra profeſſionem ejus, quam unam perſonam ſæcularem inducere ad idem peccatum. Et gravius eſt, inſpicere impudice unam juvenem, & religioſam mulierem quam ſæcularem. Secundum beatum Gregorium: Non licet intueri quod non licet concupiſci. Et ideo dico eſſe gravius illud vitioſe reſpicere, quod C eſt gravius concupiſcere vitioſe. Hoc idem intelligo de tactu, & quocumque actu, & verbo impudico. De conditione perſonæ, cum qua peccaſti, ſufficit exemplum jam dictum. Non ſis ergo contentus dicere: Non bene cuſtodivi viſum meum, aut dicere: Iteravi pluries aſpectum in faciem alicujus perſonæ, cum complacentia, & imaginatione impudica, ſed dic qualitatem & conditionem perſonæ. Et ſi de viſu expedit ſic dicere, multo magis de verbo impudico dante provocationem ad peccatum, & de tactu, aut commotione carnis libidinoſa habita ex allocutione, vel appropinquatione ad corpus alicujus.

CAPUT IV.

De intentione habita in peccatis.

Gravius eſt facere quodcumque peccatum, cum intentione provocandi aliquem ad ſimile, aut ad aliquod peccatum, quam ad ſatisfaciendum ſibiipſi tantum, ut ſi noveris defectum alicujus, facias ipſum deſpici, aut minus reputari propter invidiam tuam, vel aliam malitiam, aut ſi feciſti aliquem actum, cum oculis, aut cum manibus verſus aliquam perſonam, ut provocares eam ad malum, & ſic de aliis peccatis ſtudioſe, non tantum in damnum facientis, ſed etiam in proximi detrimentum: quæ quidem peccata non ſufficit confiteri, niſi explicentur intentiones malitioſæ. Tales recte aſſimilantur dæmonibus, & ſunt inimici crucis Chriſti, quia ſtudent animas perdere, pro quarum ſalute Chriſtus ſanguinem ſuum effudit. Item deſcenſus de peccato in peccatum eſt diligenter perſcrutandus. Non eſt ita grave unum peccatum ſimpliciter, ſicut eſt illud, cujus occaſione plura alia peccata ſunt commiſſa. Unde ſi ſtudioſe feciſti aliquem defectum tali modo quod alius fuit culpatus de hoc, & non excuſaſti innocentem, ſed permiſiſti eum injuſte pati. Vel ſi pro defenſione unius mendacii protuliſti verba injurioſa, aut incurriſti plura mendacia, aut pro excuſatione unius mendacii vel peccati commiſiſti perjurium, & ob hoc fuit ſuſpicio de alio, vel facta injuſta punitio ſuper aliquem, aut ortum eſt odium, aut aliqua turbatio inter aliquos. Omnia hæc, & conſimilia, quæ ex pimo peccato ſunt conſecuta, debent cum primo peccato principali plenius explicari.

Intentio prava confitenda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De peccati occaſione.

Occaſiones peccandi explicare oportet.

SImiliter de plenitudine confeſſionis eſt dicere, non ſolum circumſtantias prædictas, vel ſimiles, ſed etiam occaſiones, & cauſas peccatorum, propter quas incurriſti ipſa peccata, videlicet, quia neglexiſti ea vitare ſicut potuiſti, & ſciviſti. Hujuſmodi autem cauſæ ſunt taliter dicendæ, quod te cum ipſis accuſes, & non excuſes, ſicut quidam faciunt, imponentes culpam diabolo, ſicut Eva quæ dixit: Serpens decepit me. (Gen. 3) Dicunt enim. Tantum me tentavit de tali peccato, quod opportuit me conſentire, nec potui me defendere ullo modo. Sed illa non eſt confeſſio, nec expreſſio cauſæ peccati, immo eſt excuſatio tui, & accuſatio diaboli, qui forte non eſt culpabilis ibi. Non enim omne peccatum fit ſemper ex ſuggeſtione diaboli, nec omnis tentatio eſt a dæmone, ſed ſecundum beatum Jacobum. (Jacob. 1) Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua, abſtractus, & illectus. Multi ergo mentiuntur dicentes: Dæmon ſeduxit me ad tale peccatum, quod ſibi conſenſi, quia ſola ſua concupiſcentia tentatus cecidit. Et ideo debet dicere: Cum ſentirem me ſtimulari ad tale peccatum perpetrandum, fui negligens in evitando occaſiones me incitantes ad hoc, ſcilicet locum, tempus, & perſonam, & fui negligens in adjuvando me cum jejunio, cum oratione, & aliis neceſſariis, ſicut ſcivi, & potui. Unde propter negligentiam, & malitiam meam commiſi ipſum peccatum, potius eligens ſervire diabolo, ſuperbiæ, & carni meæ hoc ſuggerenti, quam Spiritui ſancto inſpiranti mihi, quod illud non facerem. Reliqui vero imponunt culpam proximo, ſicut fecit Adam, qui dixit Deo: (Gen. 3) Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Dicunt enim: Quædam perſona tantum inſtitit me rogando,

A & blandiendo, & aliqua dona dando, quod nullus de mundo potuiſſet ſe defendere, ſic quod oportuit me finaliter conſentire: aliqui dicunt: Quidam dixit mihi tantum malum de quodam, quod fecit me murmurare de illo, & illum deſpicere. Sed hæc eſt vitioſa confeſſio. Dic ergo ſic de primo: (Veræ, & ſanctæ confeſſionis praxis) Dum viderem expreſſe, quod locutio, & converſatio cum quadam perſona eſſet mihi inutilis, & periculoſa, & ſentirem affectum cordis mei ad ipſam perſonam, aut ipſius ad me non eſſe purum, nec ſecundum Deum, ſed potius ſecundum carnem, & in aſpectu, & præſentia ejuſdem haberem B nimiam complacentiam ſenſualem, & ex hoc ſemper haberem imaginationes impudicas de illa, cum libidinoſis motibus carnis, quod propter debebam fugere ipſam, nihilominus fui ſecutus voluptatem carnis, intantum quod ad tale peccatum deveni cum ea, unde me, & ipſam illaqueavi. De ſecundo dic ſic: Audiens dici aliqua mala de quadam perſona, facilius ea credidi, quam crediddiſſem bona ſi audiviſſem, propter levitatem cordis mei, & defectum charitatis. Et quando debebam compati murmuranti, & excuſare in corde meo eum, de quo ille murmurabat, ego ſtatim murmuravi cum illo, confirmando malum, de quo C dicebat, vel addendo ad illud quod dicebat, ac per hoc dedi ſibi occaſionem magis murmurandi. Et nota, quod non debet quis murmurantem nominare, nec factum de quo murmuravit, quando, ſcilicet talis nominatio eſſet in excuſationem tui, vel in infamiam proximi. Item ſi te accuſes de turbatione proximi, aut de turbatione habita contra aliquem, propter defectum ejus principaliter non debes exprimere illum defectum, ne per hoc oſtendas te habuiſſe rationabiles cauſas turbationis, & ſic videaris minus peccaſſe, aut motus zelo juſtitiæ. Sunt enim qui dicunt in confeſſione: Vidi fieri talem defectum, vel audivi dice-

Digitized by Google

re tale verbum, & de hoc fui valde turbatus, quia erat contra honorem Dei, & contra bonos mores in malum exemplum aliorum. O ſtulte hypocrita, quid dicis? Nam te ſimpliciter laudas, & nihil penitus confiteris, taces peccatum tuum, quod feciſti videndo alienum defectum, qui forte fuit gravior, quam defectus alterius, quia deſpexiſti peccatum, cui debebas compati, & mentiris dicendo te fuiſſe turbatum propter amorem Dei, & proximi, cum tamen fueris turbatus propter ſuperbiam tuam, & quia non habes charitatem proximi, quæ non permittit aliquem contra proximum turbari. Sic ergo dicas. Videns, vel B audiens fieri, vel dici aliquid quod judicavi eſſe malum, & forte pejus, quam fuit, propter malitiam meam, quæ non permiſit me excuſare defectum, nec intentionem dicentis, vel facientis, ſicut poteram, & debebam, non fui motus ad compatiendum illi, vel ad orandum pro ipſo, ſicut debui ex charitate, ſed magis fui commotus ad iram contra ipſum, contemnendo, & judicando ipſum, & appetendo ſtatim punitionem ejus, vel habere poteſtatem puniendi eum, & hoc accidit mihi propter duritiam cordis mei, & quia non recognoſco patientiam Dei, quæ ſupportavit me in gravioribus peccatis, abſque ulla punitione, & ſic de aliis. Sunt alii, qui ſe clarius laudant in confeſſione dicentes: Per gratiam Dei ſatis bene cuſtodivi me tali tempore, vel citra, a tali, vel tali peccato. Nam bene continuavi officium, Miſſas; & prædicationes, & orationes meas. Faciant, qui volunt male, quia ego intendo bene facere facta mea, & me cuſtodire a peccatis melius, quam facit major pars vicinorum meorum, quia prius me permitterem occidi, quam facere tale peccatum, & in me non ſentio alium defectum, niſi quia ſum ingratus de beneficiis Dei, nec ſum ſufficiens ad grates agendum Deo, qui me liberavit ab his peccatis,

A quæ faciunt multi alii. O Deus. Iſti ſunt ſimiles Phariſæo, qui aſcendit in templum, ut oraret, cujus oratio fuit tota ſui exaltatio ſuper alios. Sic, & iſti, qui debent ſe ſimpliciter accuſare in confeſſione, ſe ſuper alios laudant, narrando bona, quæ faciunt, de ſuperbia autem, & præſumptione, quæ latet interius, nihil dicunt. Sunt alii, qui confitendo peccata ſua, totam culpam imponunt Deo. Sic enim dicunt: Deus dedit mihi naturam, ita perverſam, & promptam ad tale peccatum, quod non poſſum cavere. Iſti dicunt cum Adam, qui dixit: Mulier quam dediſti mihi, & cetera: quaſi dicat: Si non dediſſes mihi, non peccaſſem. Sed iſti aperte mentiuntur. Nam ſecundum beatum Gregorium, diabolus non poteſt vincere niſi volentem, eum tamen de ipſo dicatur, quod non ſit poteſtas ſuper terram, quæ illius poteſtati valeat comparari: ergo multo minus poteſt quis violentari a concupiſcentia naturali. Sunt alii qui dicunt: Fui deceptus a tali tentatione, quia Deus noluit me adjuvare, cum tamen ſæpe jejunarem, & orarem, & ad ipſum recurrerem. Iſti non accuſant pigritiam ſuam, & negligentiam, qua noluerunt vitare occaſionem peccandi, & perſeverare C in oratione. Aſſerunt enim Deum impium, mandacem, qui tamen dicit in Pſalmo: Clamabit ad me: & ego exaudiam eum. Et alibi. Venite ad me omnes, qui laboratis. Et alibi. Petite & accipietis. Et Apoſtolus dicit: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ultra illud, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum. Sciant ergo, quod ideo relinquuntur a Deo, qui inſipide, & ſine fide orant, nec volunt pugnare contra ſeipſos, nec perſeverare patienter poſtulantes auxilium Dei, ſicut decet. Sed volunt habere gratiam ſtatim ſine labore, petentes etiam illam a Deo non humiliter, ſed præſumptuoſe, tamquam non indigni, ac ſi eſſet Deus obligatus eis, orant ipſum

Luc. 18 *Gen. 3* *Greg. lib. 34 mor. c. 17 in ſenſu.* *Job 41* *Pſalm. 90* *Matth. 11* *Joan. 16* *1 Cor. 10*

ſum cum ſecuritate quadam, ut exaudiantur ſtatim, ut ipſi volunt, & non ſicut ipſe vult, ſicque putantes ipſum ducere ad auxiliandum, potius provocant ad derelinquendum, quia ſuperbe, & præſumptuoſe accedunt ad ipſum. Cauſa ergo lapſus eorum eſt ſuperbia, & negligentia ſua, quam debent ſimpliciter accuſare.

CAPUT VI.

De occaſionibus, quæ datur aliis in peccando.

SUnt etiam in confeſſione explicandæ occaſiones datæ aliis ad peccandum; quia omnium peccatorum homo eſt particeps, quibus occaſionem præbuit malitioſe, vel non malitioſe. Unde confiteri debes ſi malitioſe, vel ignoranter dediſti alicui occaſionem peccandi, nec nominare debes directe, vel indirecte perſonam, cui dediſti cauſam, ſed ſola occaſio eſt dicenda. Peccatum vero, quod factum eſt ab alio occaſione tui, poteſt dici explicite, quando eſt notum confeſſori, non illum, qui fecit, alioquin dic ſolum qualitatem delicti, ſic dicendo: Feci fieri quoddam peccatum mortale, vel grave, propter talia verba, quæ dixit, aut propter tale malum exemplum quod dedi. Item ſi habuiſti turbationem cum ſocio in itinere, vel aliquo opere, aut propter ſocium dixiſti male officium, quia male proferebat, non debes dicere ſocius meus me turbavit tali facto, aut dixi male officium meum propter defectum ſocii mei, quia ſic accuſas ſocium, in cujus notitiam confeſſor poſſet venire, dic ergo: Habui turbationem cum aliquo propter meam ſuperbiam, quia ipſi dixi verba iniurioſa, & ipſum provocavi ad dicendum mihi. Et ſi eſt illius culpa dic: habui turbationem cum quodam, propter impatientiam meam, quia nolui ſupportare eum in charitate, propter aliqua verba ab eo dicta, vel dixi male officium cum aliquo in tali hora, & dictante mihi conſcientia, ut redicerem; propter pigritiam meam non redixi.

CAPUT VII.

De pollutione.

SI habuiſti pollutionem carnis vigilando, dic cauſam expreſſe. Si dormiendo, dic cauſam quam dediſſe te credis. Cauſæ poſſunt eſſe cibus, & potus, & intemperantia diei præcedentis, aut alio modo. Et ſic dicendo ipſam, dabis intelligere confeſſori vitium dierum præteritorum, ut ſunt cogitationes inhoneſtæ habitæ ante dormitionem quas explicare debes, potiſſime quando ſomnias ea quæ præcogitaſti. Nec ſunt recitanda ſomnia vitioſa, vel inhoneſta, niſi ante cogitaſſes ea, aut poſt ſomnium cum delectatione, & mora, & motu carnis cogitaſſes, & hæc ſunt dicenda magis, quia cogitata, quam ſomniata. Si vero ſomniaſti, habere aliquem actum impudicum cum perſona ad quam habes ſenſualem affectum, aut quam ante conſpexiſti oculo impudico, hoc debes exprimere, ut cauſam illius ſomnii, & quia homo plus in talibus delectatur, & multi poſt ſomnium gaudent ſe talia ſomniaſſe. Ubi vero non fuerit aliqua ex prædictis cauſis vel ſimilibus, nihil de ſomnio eſt dicendum, quia nulla culpa eſt ibi, & tunc ſufficit dolere in corde, & ad quietandum conſcientiam potes dicere. Habui ſomnium inhoneſtum, cui ſi dediſſem cauſam, quam neſcio, tunc dico culpam meam.

CAPUT VIII.

De cauſis pollutionis.

SEcundum ſanctos Patres, triplex eſt cauſa pollutionis nocturnæ. Prima provenit ex voracitate gulæ, & ſuperabundantia cibi, & potus, quæ eſt diligenter examinanda ab illis, qui

Tres cauſæ contingentis pollutionis nocturnæ.

qui vocati ſunt ad ſpirituale exercitium. Nam quandoque accidit, aliquos relaxari gula nimis aliquo tempore, & poſtea quando abſtinent, polluuntur in ſomnis, credunt quod hoc non accidat ex culpa immoderantiæ, ſed potius ex debilitate, vel neceſſitate naturæ: ſed errant, quia debent judicare, & cavere, ne evenerit ex nimietate ſaturitatis præteritæ. Quod enim per voracitatem, & ingluviem congregatum fuerat in medullis, neceſſe eſt, ut aliquando per pruritum, vel per inſenſibilitatem corporis jejunio afflicti, egeratur. Propter quod, non ſolum abſtinendum eſt a delicatis cibis, verumetiam a vilibus, & cum æquali temperantia continendum eſt, immo panis & aquæ ſatietas eſt timenda, ut poſſit in nobis acquiſita puritas permanere. Iſti ergo, qui nondum æqualis continentiæ, & moderantiæ gratiam ſunt adepti, non minus in præfatam pollutionem incidunt, quæ etiam hominibus abſtinentibus ſic accidit. Secunda cauſa eſt, quando per incuriam, & immunditiam mentis elabitur. Nam mens ſpiritualibus exercitiis vacua, & diſciplinis interioribus non intenta, ſenſu corporis, per vanas, & immundas cogitationes evagatur. Ex quibus merito culpæ eiiciuntur humores, & ideo volentibus obviare, neceſſe eſt privare, & hanc cauſam eradicare, videlicet mentis torporem excutere, & ſenſus refrenare, ne mens ad vana, & noxia diſcurrat, & exceſſibus illis aſſuefacta, ad immundiſſima incitamenta luxuriæ ſomnians perturbetur. Prædicta ergo negligentia acquirendi munditiam, & evitandi immunditiam, in confeſſione pariter explicetur. Tertia cauſa poteſt eſſe, quando illudentis inimici invidia pollutio procuratur. Dum enim videt ſanctum virum, qui per ſolicitam victus moderationem, integram, & perfectam, ac frequentem peccatorum confeſſionem, perpetuam munditiæ puritatem acquirere conatur, eius conſcientiam A perturbare nititur, maxime diebus illis, quibus deſiderat divino aſpectu complacere, fluxus illius emiſſione polluere procurat ut ſic a ſancta communione retrahatur. Quibuſdam vero contingere dicitur ex debilitate naturæ, quæ non eſt ita fortis, & valida ſicut antiquitus dicitur extitiſſe. Hanc cauſam poteſt quis in ſe ipſo advertere, quando in illo turpi, moderamine victus frequentius plus ſolito polluitur abſque turpis ſomni interventu, ſicut ego quoſdam cognovi, hac peſte certis temporibus ter, & quater in hebdomada ſordidari, quamvis non minus prædictæ illuſioni poſſit aſcribi. B

CAPUT IX.

Qualiter poſt pollutionem licet, vel non licet accedere ad divina.

Secundum ſanctorum Patrum ſententiam, vigilanti circumſpectione cavendum eſt, ad communionem ſalutaris convivii accedere, tempore quo ſentimus nos ſomnii illuſione pollutos. Sed ſi hoſtis invidus, taliter menti noſtræ illuſerit, ut nobis cœleſtis remedii ſubtrahat medicinam, dummodo nullus reprehenſibilis interveniat pruritus, aut oblectationis aſſenſus, ſi fluxus iſte fuerit naturali neceſſitate profuſus, aut C impugnatione hoſtis antiqui procuratus, & abſque ſenſu voluptatis adductus, debemus ad gratiam ſalutaris cibi nihilominus accedere confidenter. Quod ſi creditur eveniſſe occaſione vitioſa, die illa debent ſe humiliter ſubtrahere ab altari ne in nobis verificetur ſententia Apoſtoli: Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini; ideſt non faciens differentiam inter perceptionem cibi cœleſtis, & carnalis, nec iudicans ipſum corpus Domini eſſe quod tale non niſi pura mente, & car- 1 Cor. 11

carne liceat manducare. Et ideo ſubinfert idem Apoſtolus: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, quaſi dicat: Multi, ex hac præſumptione, & manducatione indigna ſpiritualiter infirmantur, & ſomno mortali dormiunt multi per peccatum, quod ex ipſa indigna manducatione, & ſumptione incurrunt. Probet ergo, ideſt examinet ſeipſum homo, antequam ſacramentum percipiat, & diligenter ſe videat, utrum ſit mundus, vel immundus, utrum devotus, vel indevotus, utrum reverens, vel irreverens, utrum timens, vel præſumens accedat, etiam ſi certus ſit, vel certum ſe putet, quod non ſit vitioſe pollutus, vel aliquo modo, mortali peccato infectus. Non enim debet volens iſtum cœleſtem panem ſumere, eſſe contentus ſe non habere peccatum mortale, neque præcedenti nocte vitioſa occaſione fuiſſe pollutum, quia licet hæc duo quemlibet reddant ipſo cibo indignum, alia tamen plura ſunt quibus ſe homo debet ab hoc cibo ſubtrahere reverenter, quæ explicare non audeo, quia a ſanctis & doctoribus ipſa expreſſa non reperi, atque illuſtratione gratiæ Dei, ea ſecurius ſimpliciter relinquenda decrevi. Id tamen quod pro me ipſo retineo, eſt verbum illius, qui hoc ſacramentum inſtituit, quem non credo illud fruſtra protuliſſe, dixit enim. Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipſi, quod quoties volo id agere, quod ipſe inſtituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam ſine remorſu conſcientiæ, ac præjudicio animæ ad illud poſſe accedere, niſi præmemorata ipſius inſtituentis charitate, ac ejus paſſione, & morte, in cujus memoriam perpetue recolendam illud ſacramentum debere confici, & percipi ipſe præclare aſſeruit, & injunxit. Conſiderans inſuper circa hujus ſacramenti primordia, lotionem pedum factam, non abſque myſterio, & ſacramento, ibique dictum fuiſſe a Domino. Si non lavero te, non habebis partem mecum. *Joan. 13* Agnoſco per hoc, & judico, non ſine præſumptionis, & gravis offenſæ periculo, aliquem velle habere partem ſecum ipſum ſacramentum ſumendo, non præhabita alicujus ſpiritualis gratiæ lotione, quam non ſolum per compunctionis lacrymas puto fieri, verum etiam per interiorem mentis devotionem, & fidem in qua ipſe Dominus vocat, & invitat animam, & trahit, & quodammodo cogit ad ipſum cibum Angelicum, & cœleſtem. Unde & ipſe dixit illis, *Ibidem 15.* quos laverat: Jam mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Non dixit, propter aquam, qua loti eſtis, ſed propter ſermonem. Hoc autem eſt verbum fidei, quo prædicamus ſecundum Apoſtolum. Unde in actibus Apoſtolorum legitur: Fide purificans corde eorum. *Rom. 10 Act. 15* Hanc autem devotionem, & fidem celebrantis, ſeu ſacramentum ſumentis, credo eſſe illam, quæ celebrat, & quæ facit ipſum ſacramentum percipi cum effectu, ſicut & verba Chriſti ſunt illa quibus conſecratur, & tranſubſtantiatur panis, & vinum, in corpus Chriſtl, & ſanguinem. Quam quidem devotionem, voco Dei gratiam, quæ prævenit, & diſponit, ſubſequitur, & infundit. Ad hoc ergo ſacramentum, cum inſtantia ferventis, & aſſiduæ orationis, procuremus modo prædicto vocari a Domino, videlicet præhabita ipſius memoria, atque compunctionis, & devotionis, & fidei lotione ad quæ præparari nos oportet, per mentis, & corporis munditiam, & per linguæ, ac ſenſuum refrenationem, & per noſtrarum paſſionum continentiam, & moderationem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

De fluxu libidinis.

PRætermittendum quoque non eſt; quod quibuſdam contingit interdum conſcientiæ dubietas, & perturbatio magna, unde ipſis vigilantibus abſque ulla commotione carnis, & cogitatione immunda, humor quidam per membrum ſecretum egreditur ſine delectatione, & quaſi inſenſibiliter, ita ut multi de hoc aliter non perpendunt, niſi cum pannos ſenſerunt madefactos. Cuius cauſa aliqui ignorantes turbantur, & errant, putantes ſe eſſe pollutos. Et ideo ſciendum eſt, quod illius humoris effuſio non eſt pollutio, quia, ut dicunt Medici, ſine libidinoſa delectatione, & carnis motione, nullus poteſt pollui vigilando. Ad ipſius tamen effuſſionem humoris videtur naturalis conditio cauſam exhibere primariam, ſed deinde id quod ad naturam diſponit cauſa vitioſa, & inevitabilis perficit, & conſummat. Quibuſdam hoc provenire agnovi, propter ſolam præſentiam, & allocutionem perſonæ alicujus, in cuius aſpectu habuit complacentiam ſenſualem, & vanam, ſeu ad quam inordinato amore afficitur, aut per tactum impudicum levem, aut imaginando aliquos actus impudicos fortiter, & moroſe. In his enim caſibus & ſimilibus multi inveniuntur habere calefactiones, & commotiones carnis libidinoſas, dictumque humorem emittere, velint, nolint. Sed eas cauſas & ſimiles quæ ſunt evitabiles, debet quilibet fugere, & evitare pro poſſe, maxime, qui ſentit de hoc ſe paſſionatum, ſeu ad hoc naturaliter inclinatum, ſive ex vitio mentis, ſive ex debilitate naturæ, & qui occaſiones huiuſmodi non evitaverit iuxta poſſe, relinquendo amicitiam, & familiaritatem perſonarum, ad quas inordinate afficitur, fugiendo etiam allocutiones, & aſpectum perſonarum, licet non credam ipſum

A per dictam effuſionem peccare mortaliter, niſi forte aliter concupiſceret, aut impudice tangeret perſonam, quæ eſt cauſa illius defectus, tamen credo eum graviter peccare, & magno peccati mortalis periculo ſubiacere. Et ideo conſilium do tibi, vel tali, quod abſque dilatione moroſa ipſe ſibi violentiam faciat in hac parte fugiendo perſonas huiuſmodi, atque cum eis omnem opportunitatem loci, & temporis evitet. Hic itaque prædictus fluxus, qui a quibuſdam vocatur libido, ſi poteſt evitari ipſius occaſio, & ſi ſtudioſe non evitatur, eſt omnino confitendus cum ſuis occaſionibus, & negligentia habita

B circa ipſas. Si vero contingat ex cauſa, quæ vitari non poteſt, ſicut quando audiuntur verba impudica a caſu, vel loquitur cum perſona, vel ſedet iuxta eam, de cuius præſentia habet complacentiam vanam, & ab ea ſeparari non valet. In his & ſimilibus credo ſufficere, quod tam de occaſione habita, & impotentia vitandi, quam de fluxu illius libidinis dolor eſt ſimpliciter habendus. Quia tamen dubitare in talibus, quæ ſpectant ad conſcientiæ puritatem, eſt quandoque valde proficuum, poteris hoc confiteri, propter quietudinem mentis, & pacem, quamvis expedire non

C credam.

CAPUT XI.

De complacentia habita in memoria peccati.

SCiendum eſt, quod quando cogitas de iniuriis receptis, & in illa memoria turbaris intra tecum aliqua mora, & appetis vindictam fieri, aut factam eſſe, aut doles, quod non fuit facta per te, aut per alium, aut imaginaris aliqua facere, aut aliquem motum tenere animo vindicativo. Hæc omnia ſunt confitenda, & alia quæ-

Moroſa cogitatio quando ſit confitenda.

quæcumque ſimilia in mente tua ratione iſtius injuriæ. Si autem rememorando male præterita, quæ feciſti non haberes dolorem, ſed potius delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem, non credo expedire, quod ſpecifices ipſa peccata rememorata; ſi alias integre confeſſus es. Et ſi non habuiſti aliquam delectationem in mente, ſufficit tibi dicere: Mihi venerunt ad memoriam quædam vindictæ, vel injuriæ quas feci, vel quædam peccata gravia quæ commiſi, de quibus non ſolum non habui dolorem in tali cogitatione, ſed de ipſis cum multa complacentia cogitavi. Et ſi aliud tibi occurrit in carne, vel in mente propter dictam complacentiam, quod tibi videtur aggravare peccatum, ipſum etiam debes confiteri. Verbi gratia: Si de peccato luxuriæ per te facto habuiſti memoriam, & de hoc habuiſti motum carnis & pœnitudinem, quia ipſum peccatum non feciſti pluries, vel cum pluribus; tunc enim debes ſic dicere: Ex imaginatione quam habui de quodam peccato luxuriæ, habui motum carnis, & complacentiam in mente, & appetivi illud feciſſe multotiens, & cum multis perſonis. Et ſic non oportet, te indicare confeſſori, te iam feciſſe illud peccatum, niſi forte alias indicaſſes eidem, & niſi pro maiori humilitate, & merito velis ipſum ei ſimpliciter explicare. Si autem recordaris, te habuiſſe opportunitatem faciendi aliquod peccatum, quod non feciſti, & in iſta recordatione non gaudes te evaſiſſe illud peccatum, nec grates agis Deo, quia cuſtodivit te ab ipſo, & abſtulit opportunitatem, & voluntatem faciendi ipſum; omnia iſta ſunt plenius referenda. Videtur enim hæc magna ingratitudo, & peccati commiſſio voluntaria. Sed ſi in prædicta recordatione peccatorum, & maxime carnalium, non poſſes vitare complacentiam, & motus carnis, dum velles eam ſtudioſe recolere, cauſa te ipſum excitandi ad A compunctionem, & dolorem, conſulo tibi, quod non ea ſpecialiter recolas, nec etiam alia peccata, quæ non potes, ſine complacentia recolere ſicut eſt vindicta facta per te, vel per alium de inimico tuo, aut damnum, vel mors, quia aliquem occidiſti. Debes ergo omnia peccata tua, ſi vis confiteri generaliter, ſub duobus ſcilicet ſuperbia, & delectatione carnis confiteri, dicendo ſic corde meditando, & ore proferendo: Dico meam culpam de ſuperbia, quam habui contra Deum, & proximum iraſcendo, invidendo, alios provocando mundi gloriam appetendo, proximos iudicando, Dei B creaturas contemnendo, meipſum bonum reputando, & alios vilificando, de Dei operibus, ac iudiciis, & eius permiſſionibus murmurando, bonas eius inſpirationes, & omnia eius beneficia negligendo, impetus vitioſos ſectando, blaſphemando, & nomen Dei in vanum proferendo, & linguam meam contra veritatem per mendacia, & ſimulationes, per duplicitates, adulationes, per iuramenta, & multa alia verba vitioſa, loquendo otioſe, acedioſe vivendo, de me nimis confidendo, de fide dubitando, de occultis Dei operibus rationem præſumptuoſe quærendo, plus quam oportet ſapere de Deo, & C proximo, & de hoc ſæculo multa ſcire cupiendo, gratiam Dei non humiliter affectando, dona Dei occultando, temerarie propalando, non in veritate, ſed in hypocriſi, & falſitate coram Deo, & hominibus ambulando, & multa alia per ſuperbiam mentaliter, & corporaliter exercendo. Poſtquam confeſſus es, dic animo tuo, maxime, quando vides te morti proximum: O anima mea egreſſus tuus appropinquat, & prope eſt terminus tuæ ſuperbiæ, & prope eſt finis delectationis huius mundi, & miſeriæ carnis tuæ, quas delectationibus carnalibus pertuliſti, plus ipſas amando, quam Deum, plus ſibi complacendo, quam tibi, plus laborando pro ipſa quam pro te,

Compendioſa confeſſio.

Pro moribundis documentum.

plus

plus obediendo ejus concupiſcentiis, quam divinis inſpirationibus & conſiliis, ſcilicet dum contendiſti ſatisfacere ſibi in delectationibus gulæ, & luxuriæ, multis & diverſis modis opere, & voluntate, atque ſatiare ejus viſum, auditum, guſtum, tactum, & adoratum, quantum, & qualiter potuiſti, conſenſiſti amore ipſius carnis, amittere patrem maximam tui temporis ſuperflue dormiendo, & quieſcendo in multis operibus vitioſis, ac occupando in nimia cura, & ſolicitudine rerum temporalium, & corporalium te exercendo, plus propter avaritiam, & delectationem, quam propter neceſſitatem conſenſiſti ejus pigritiei, quam habuit ſemper ad operandum bonum, & ejus ſolicitudini, quam habuit ad peragendum malum quod potuit. In his fuit vita mea. In his expendi tempus meum. Ubi ergo es o vanitas mea, & ſuperbia mea: quo perrexiſtis delectationes carnis meæ, quid mihi attuliſtis, quid mihi reliquiſtis pro ſubjectione, & obedientia, qua vobis tot annis deſurvivi? pro vobis commutavi vitam æternam, amiſi Deum, acquiſivi infernum, perdidi gaudia infinita, & lucratus ſum lamenta æterna, privatus ſum ſocietate ſanctorum, & Angelorum, & merui fieri ſocius civium infernorum. Conſidera ergo o anima mea qualem te fecit Deus, quia ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & modo ſic es denigrata peccatis, nec aliquam virtutem in te agnoſcit. Conſidera in te imaginem tentatoris tui, qui te depinxit colore ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, avaritiæ, vanæ gloriæ, invidiæ, acediæ, & ingratitudinis, negligentiæ, & odii, & vindictæ, tibi ſuaſit contemptum Dei, & appoſuit amorem ſæculi, te induxit contra proximum ad murmurandum, judicandum, decipiendum, deſpiciendum detrahendum, & aliorum defectus ponderandum, & tua gravia vitia non videndum. Non video igitur o anima mea, niſi ut provoceris ad A gemitum, fletum, planctum, triſtitiam, & lamentum, & clames humiliter, & ferventer ad Dominum: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Miſerere mei Deus &c.

CAPUT XII.

Qualiter cogitationes inhoneſtæ ſint confitendæ.

Plerique dubitant, ſi cogitationes inhoneſtæ ſint exterius explicandæ. Credo quod hoc ſit puritatis, & perfectionis, & magni meriti; ſed B non credo eſſe neceſſitatis ſemper, niſi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa homo ſentiret ſe inclinari ad faciendum, & perficiendum cogitatum ſi haberet opportunitatem quam vellet, aut ſi pollueretur ex illa vehementi cogitatione moroſa, aut ſi inordinate afficeretur ad aliquam perſonam, & de ipſa multum moleſtaretur in cogitatione, habendo motus carnis, & imaginando habere aliquos actus impudicos cum ipſa perſona. Hunc enim affectum inordinatum debes exprimere, cum cogitationibus, & motibus carnis procedentibus ex ipſo affectu, dicendo ſic: Habui affectum ſenſualem, & inordinatum ad C quamdam mulierem, vel quamdam juvenem talis conditionis, & hunc affectum concepi ex complacentia habita in aſpectu, vel collocutione, ac præſentia corporali ipſius, de ipſa, vel de ipſo tot vicibus. Habui etiam tot vicibus imaginationes turpes, reſpiciendo oculis corporeis, vel mentalibus, vel faciem, vel aliam partem corporis ejus, & imaginando cum ipſa perſona habere amplexus, & oſcula, vel talem actum impudicum. Et in his feci moram per magnum ſpatium, habendo ibi motus carnis libidinoſos, & ſpecialiter mihi accidit in oratione, aut miſſa, & ſemper fui negligens laborare pro poſſe,

Digitized by Google

ad expellendum talia per potentiam, propter nimiam delectationem quam habebam ibidem, nec curavi quantum potui, refrenare oculos ab aſpectu illius perſonæ, quando fuit præſens. Quicumque igitur tales, vel tali modo, cogitationes, & affectiones exprimeret vitioſas, ab eis cito liberaretur, dummodo cum tali confeſſione continuaret orationem, & cuſtodiam ſenſuum, quia dæmon non poteſt ſuſtinere humilitatem confeſſionis puræ cum ſit ſuperbus, & immundus, & omnis humilitatis, & munditiæ inimicus. Et ideo, non eſt melior, & facilior via ad evadendum tentationes luxuriæ, & ſuperbiæ, quam omnes cogitationes vitioſas, cum ſuis circumſtantiis concurrentibus in carne, vel mente ſæpe, & clare detegere confeſſori, & toties exprimere, quoties renovantur.

CAPUT XIII.

De motibus carnis

Quando tentatio carnis confeſſioni ſit obnoxia.

Sciendum eſt, quod motus carnis, qui non provenit ex cogitatione impudica abſque voluntate, & ſine cauſa, ſcilicet viſus, vel auditus, ſine aliqua cauſa extrinſeca inhoneſta, ſine dubio provenit ex nimia repletione prius facta in cibo, & potu. Quidam tamen putant, quod proveniat ex nimia vigilia, quod poteſt eſſe, maxime quando conſtat eis, quod non provenit eis ex aliqua cauſa prædicta, & ideo oportet hominem eſſe parcum in dieta quoad qualitatem, & quantitatem, quando de talibus moleſtatur contra voluntatem, & diſplicentiam ſuam. Nam intra corpus oritur cauſa. Quia ſecundum Hieronymum. Venter & genitalia proxima ſunt. Et hoc intelligo, quando non ſunt a cauſa exteriori. Et tunc oportet cavere ipſum ab aſpectibus, collocutione, & approximatione perſonarum, in quarum præſentia ſentit ſe ſenſualiter delectari, alioquin ille, qui videtur motus naturalis, fieret vitioſus. Et quamvis A ſit ſecurum non confiteri tales motus procedentes ſine cauſa vitioſa, quorum intemperantia videtur cauſa, dum tamen per ipſos non turbetur amor, & deſiderium puritatis in corde, & corporalis caſtitas non maculetur in corpore. Si vero procedunt a cauſa vitioſa, confitendi ſunt, & cauſæ locus & tempus, & mora contracta in eis, & vices motuum, ſicut ſupra de circumſtantiis peccatorum dictum eſt. Non enim ſufficit generaliter dicere culpam de motibus, ſed debes dicere ſic: Dum eſſem in Eccleſia, vel oratione, vel miſſa, vel ſermone, cogitavi talem actum turpem, aut habui memoriam alicu- B jus perſonæ, in cujus aſpectu jam habui vanam complacentiam, aut inordinatum amorem, aut aſpexi in Eccleſia talem perſonam cum complacentia impudica, cujus cauſa habui motus carnis impudicos toties, & per tantam moram. Et ſi dixiſti illi perſonæ tibi gratioſæ aliqua verba prolixe, aut feciſti aliquod ſervitium malitioſe, ut ſcilicet haberes complacentiam libidinoſam, & motus carnales per majorem moram, totum confiteri debes, niſi de ipſius præſentia delectationem non habuiſſes.

CAPUT XIV.

C *De periculo familiaritatis dominarum.*

Quoniam multi videntur negligere, ut agnoſcant affectiones ſuas vitioſas, & per conſequens non curant confiteri, cum tamen diligenter ſint perſcrutandæ, & cum vitiis orientibus ex ipſis exprimendæ, ideo prætermittere non intendo. Quia multi afficiuntur nimis ad ſeipſos, quidam ad alias perſonas, quidam ad honores, quidam ad divitias temporales. Et quia hæc ſunt ſicut murus inter Deum, & animam, ideo nullus hominum habens aliquid de prædictis, poteſt in via Dei proficere, nec habere puram orationem, & maxime quando eſt carnalis affectio ad perſonam.

Variæ, & noxiæ inclinationes hominum.

nam. Et de hac intendo modo loqui. Nam talis affectio multos ſpirituales ſub ſpecie amicitiæ ſpiritualis, a ſtatu orationis impedit, & impedivit. Hæc eſt inquietudo mentis peſtifera, orationem mentis, & oris inficiens, & diſpergens, & affectus contrarios orationi in mente generat, & exercet. Nam ſicut oratio pura mentem purificat, & illuminat, lætificat, & fortificat, & impinguat, ſic carnalis affectio, & immunda, mentem inficit, & obſcurat, contriſtat, debilitat, & deſiccat, & corpus ejuſdem maledictionibus implicatur.

Spiritualis cautela.

Et quoniam ſpiritualibus loquor, propter quos illa ſcribo, noverint ipſi quod licet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, ipſis tamen magis pernicioſa, maxime quando converſantur cum perſona, quæ ſpiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas, domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas, quanto plus creſcit, tanto plus infirmatur principale motivum, & utriuſque puritas maculatur, non tamen de hoc ſtatim perpendunt, quia ſagittarius ille a principio non mittit ſagittas venenatas, ſed ſolum aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tantum vero in brevi deveniunt, ut jam non velut Angelos, ſicut incœperant, ſe invicem alloquantur, & videant, ſed tamquam carne veſtitos ſe mutuo intueantur, & ſaucient mentes, quibuſdam commendationibus, ac verbis blanditoriis, & adulatoriis, quæ videntur ex prima devotione procedere; exinde, unus incipit alterius appetere præſentiam corporalem, quia forma, vel ſpecies corporum in utriuſque mente concepta, incitat eos ad volendum præſentiam corporalem, quaſi inſit eis præſentia mentalis, ſicque ſpiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem, & carnalem, & ſic ipſorum mentes, quæ ſolebant in oratione cum Deo abſque intermedio loqui, tunc inter ſe, & Deum, alter alterius ponit corporalem effigiem, quam velant, & obtenebrant, ponentes ſibi ipſis faciem Dei cum facie creaturæ. Et non minus horrendum eſt, cum ii proprium errorem percipere & emendare deberent, potius in nutrimentum erroris, totum illud judicant ex maxima charitate procedere, cujus merito, puto, & ſibi invicem mentientes referunt, quod in oratione unus alteri præſentatur, quo oratio reddatur delectabilis, ac ſi pro ſe invicem orare cogantur gratia, & virtute divina, ac per hoc conſolationem ſimpliciter ſenſualem, quam habent in illa præſentatione de ipſis facta in oratione prædicta, æſtimant, & affirmant, ac aſſuerunt, eſſe ſpiritualem gratiam, & divinam. Quales autem illuſiones recipiant a ſagittario ſupradicto, ſpecialiter mulieres, quæ citius fidem adhibent illuſioni mentali, eſſet horribile, & quaſi impoſſibile declarare. Sentiunt namque in oratione prædicta & præſentatione mentali, calorem quemdam ignitum a ſagittario illo jactum, quem credunt, & dicunt, eſſe ignem charitatis a Spiritu ſancto immiſſum volentem conjungere ſpiritum unius ſpiritui alterius vinculo charitatis, cum tamen ſit ignis libidinoſi amoris, prout frequentia exempla manifeſtant, & inde deliberant ſe tamquam ſpiritualiter unitos, poſſe ſecurius, prolixius, & ſæpius ſimul loqui, atque in hoc tempus non perdere, ſed lucrari. Proinde modos mirabiles, & inſolitos, & cautelas adinveniunt, quibus procurant ſimul colloqui & frequenter, allegantes unus alteri cauſas utilitate & neceſſitate depictas, cum tamen in veritate nihil aliud ſit cauſa, niſi onus, cui ratio ſuccumbit. Sic itaque carnali concupiſcentia excæcati, tempus, quod olim in oratione conſueverant expendere, ac ſpiritualiter occupare, tunc in hujuſmodi familiaritatibus, & colloquiis perdunt, & ſic (quod dolendum eſt) allocutiones divinas pro carnalibus commutantes, amodo igi-

Digitized by Google

igitur (nisi mora ſerotina cogente, aut alia inevitabili cauſa) non poſſunt ab invicem diſcedere, & tunc inviti, & triſtes diſcedunt. Hæc autem triſtitia eſt certiſſimum indicium, quod carnis vinculo ſunt alligati, & per hoc viſitationes, & conſolationes divinæ a carnalibus, & diabolicis diſcernuntur. Denique quamvis ſe multis exponant periculis, & multa mala incurrant, dum eorum obtenebratis conſcientiis judicant quædam ſibi tamquam ſpiritualibus eſſe licita, quæ fieri nequeunt abſque periculo, & peccato; putavi tamen melius eſſe non multa de hoc, calamo exarare. Hæc tamen tacere non valeo, quin aliqualiter referam, maxime, quia non longe a temporibus iſtis ſimilia contigerunt. Tandem ſpirituales prædicti, quandoque ſe deduci permittunt, ut ſe invicem familiariter tangant ſub ſpecie charitatis, reſerantes ſibi invicem immenſum cordis amorem, quod impudenter charitatem appellant. Sed in hac reſeratione amoris, eſt ſummum periculum, quia ex hoc fabricantur ſagittæ, quæ mentes eorum vulnerant mortaliter, ac venenant. Et quod ſuper omnia videtur mihi horrendum, Deo, Angelis, hominibus, & dæmonibus, fuerunt jam aliquæ ſpirituales nomine, ſpiritu luxurioſo imbutæ, quæ in excuſationem ſuæ libidinis præſumpſerunt dicere, ſe habuiſſe in illis actibus impudicis magna ſentimenta de Deo, quod nihil aliud judico, niſi quoddam incitamentum, & inductivum ad ſimilia ſecurius iterandum, & pejora perpetrandum. Dic mihi, qui talibus credis, & adhæres, ſi iſti ſunt vere ſpirituales, ut aſſeris, quid aliud loqui, aut facere deberent, niſi quod a Spiritu ſancto procedere poteſt, vel procedit? Ab illo autem nihil procedit noxium, ſed ſolum quod eſt utile & honeſtum. Quid enim ad Spiritum ſanctum de talibus oſculis, aut qualem honorem inde conſequitur Deus, & quæ utilitas, aut quæ neceſſitas tibi ad ſalutem, vel alteri, ut hos tactus facias, vel patiaris? Quæ conventio ſpiritus ad libidinem carnis? Quæ igitur præſumptio tua, ut hanc contumeliam inferas Spiritui ſancto, ſcilicet attribuendo ſibi tuæ impudicitiæ, fœtorem, quem vix dæmones patiuntur? Quæ, inquam, temeritas tua mulier hypocrita, a facie Dei projecta, ut dicas delectationem carnis libidinoſam eſſe gratiam, & conſolationem divinam? Recede ergo fera peſſima de finibus meis, quia dæmones nequeunt tuam præſentiam ſuſtinere. Hæc itaque fratres chariſſimi; non incongrue huic operi ſunt inſerta, ut ſciat unuſquiſque quod hæc venenoſa affectio, ſub colore ſpiritus acquiſita, ſumme impedit puritatem confeſſionis, & cordis munditiam, ut ſic hanc fugiat tamquam vitioſam rubiginem, quæ vix poteſt aboleri de mente, ſi alicui fuerit applicata, præcipue, quia tales perſonæ, quamdiu ſunt hac ſagitta percuſſæ, quaſi nunquam pure, & integre confitentur, eo quod ipſum morbum deſpicabilem in perſona ſpirituali, verecundantur totiens detegere plene, & integre confeſſori, quia verentur exprimere aliquas circumſtantias tali affectioni annexas, quas vel tacent, vel imperfecte exprimunt, utentes verbis operientibus dictum morbum, ſicut ſunt occupatio mentis quaſi continua circa perſonam dilectam, & in oratione, & cunctis actibus ſuis, & imaginationes turpes de ipſa vana complacentia cordis, in memoria & aſpectu mentali ipſius, & negligentia in evitando eius præſentiam, & colloquium, & alia, quæ experiuntur ipſi: propterea ſæpe mutant confeſſorem, aut vellent mutare ſi poſſent. Sicque triſtes ſunt, & acedioſi frequenter, tam ratione affectionis fluctuantis in mente, quam ratione confeſſionis imperfectæ, de qua ipſimet non contentantur, ſed quod peius eſt, cum ipſi deberent quærere medicos ſpirituales cautos, & peritos ac expertos, qui ſcirent illam ægritudinem, & cauſas eius agnoſcere, & congruum

reme-

Digitized by Google

Familiaritas fœminarum ſpiritualium maxime vitanda.

remedium adhibere, non ſolum non faciunt, ſed potius ſi ſemel ad aliquem talem pervenerint, ipſum ex tunc fugiunt, nec revertuntur ad ipſum. Quærunt ergo confeſſores idiotas, & ſimplices, qui nec morbum intelligunt, nec cauſas ejus agnoſcunt, & ideo nec ſciunt congruam adhibere medelam. Tantum de hac materia dixiſſe ſufficiat, ut per hoc confidenter animentur per viam puram, & immaculatam incedere, & fugere periculoſam peſtem, familiaritatem mulierum ſpiritualium, quæ non melius, quam fugiendo vitatur. Satis enim poſſet quis hac ſagitta percuſſus ſe ieiuniis, vigiliis, ac diſciplinis affligere, & orare, quod ſi non fugiat perſonam, & omnem occaſionem deſpiciat, numquam curabitur ab illo morbo, ſed magis augebitur illud vulnus. Propter quod ſequamur conſilium beati Hieronymi dicentis: Fœminam quam vides bene converſantem mente dilige, non frequentia corporali: quia initium libidinis eſt in viſitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non melius vincitur, quam fugiendo, quia cæteris vitiis, & morbis quis poteſt reſiſtere, huic tamen non poteſt, niſi per fugam. Et alibi: Si mulier potuit vincere eum, qui iam erat in paradiſo, non eſt mirum, ſi eos impediat, qui nondum ad paradiſum pervenerunt. Et iterum: Solus cum ſola non ſedeat in ſecreto, abſque arbitro, & teſte. Et idem: Ne ſub eodem tecto ſolus cum muliere manſeris, nec in præterita caſtitate confidas, quia nec tu Samſone fortior, nec Salomone ſapientior. Si forte dicas: Jam corpus emortuum eſt, dico tibi, quoniam diabolus vivit, cuius flatus, prunas extinctas ardere facit. Idem dicit: Omnes virgines Chriſti, & puellas, aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora. Item beatus Auguſtinus dicit: Sermo brevis, & rigidus cum mulieribus eſt habendus, nec tamen quia ſanctiores fuerint, ideo minus cavendæ. Quæ enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis, immiſcent ſe vitiis impiiſſimæ libidinis. Crede mihi, Epiſcopus ſum, in Chriſto loquor, non mentior. Cedros Libani, ideſt, contemplationis altiſſimæ homines, & gregum arietes, ideſt magnos prælatos Eccleſiæ ſub hac ſpecie corruiſſe reperi, de quorum caſu non magis præſumebam, quam Hieronymi, & Ambroſii. Sic ait Bernardus; Quotidie converſari vis cum muliere, & continens putari? Eſto quod ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas. Scandalum mihi es, tolle materiam, & cauſam ſcandali, quia, Væ homini illi per quem ſcandalum venit.

Hier. in ep. ad Oceanum de vita cleric. tom. 9. — *Idem ad Nepot. ep. 2.* — *Ibid. paulo ante.* — *Ibidem.* — *Bern. hom. 65. in Cant.* — *Mat. 18.*

CAPUT XV.

De verbis vitioſis.

De peccatis linguæ.

Sciendum, quod verba vitioſa, & gravia, diſtincte ſunt confitenda ſecundum differentias ſuas, cum circumſtantiis, & occaſionibus earumdem. De murmuratione, quæ fit quando narratur defectus perſonæ abſentis, ſi confiteri habes, dic utrum vere, vel falſe, & propter quam cauſam, ſcilicet propter odium, vel vindictam. Si induxiſti, vel inducere cogitaſti aliquem ad hoc, vel deſpexiſti ex hoc, ſi alicui ex hoc nocuiſti, vel alicui audienti generaſti odium de illo, de quo dixiſti, vel aliquid male accidit, aut accidere deſideraſti. Non ergo ſufficit dicere: Multotiens murmuravi, & de multis, niſi iſta explices. Non tamem dicas defectum, de quo murmuraſti ſi eſt verus, nec nomen perſonæ, ſed dicatur qualitas perſonæ aggravantis peccatum, ſicut ſi de patre tuo, de ſancto viro, de prælato, & propter quam cauſam. Et ſi defectus eſt falſus confitere defectum & perſonam cui falſum impoſuiſti, & debes revocare coram illis, quibus propalaſti, maxime ſi defectus eſſet gravis. Sunt tamen quidam, qui ut minus diſpliceant confeſſori, exprimunt perſonam cui fecerunt iniuriam, vel de qua murmuraverunt, quando ipſa perſona mala reputatur, quaſi

quaſi

Digitized by Google

quaſi ab omnibus, vel præ omnibus odioſa, ut per hoc iudicentur minus peccaſſe. Sed hoc eſt vitioſe dictum, quia debent in cordibus ſuis, reputare, & per confeſſionem oſtendere, ſeipſos eſſe peiores, quam illa perſona ſit, quam in ſui excuſationem nominare præſumunt. Quidam adhuc peius faciunt, qui ut placeant confeſſori, perſonam exprimunt de qua murmuraverunt, vel offenderunt, auferendo rem, vel impediendo ejus bonum, quia ſciunt illam perſonam diſplicibilem confeſſori. Iſti gravius peccant ſic confitendo, quam ſit peccatum confeſſum, quia contra charitatem proximi dupliciter peccant, quia faciunt confeſſorem de peccato gaudere, quod confitentur, & injuriam inferunt alteri, & ſic non dolent de peccato confeſſo, ſed potius gaudent putantes per hoc captare benevolentiam de detractione, quod gravius eſt, licet detractio ſit quaſi quoddam ſpirituale homicidium occultum. Sicut quando aliquis audit aliquem laudari, de aliqua virtute, & ſufficientia, conatur auferre de corde laudantis, aut cujuslibet audientis illam bonam opinionem, quæ habetur de illo, negando illud, & potius defectum iſtius declarando, aut hypocritam appellando, quia dicit, quod quidquid facit, pro humana laude facit. Hoc autem vitium committitur propter invidiam, aut vanam gloriam. Non detractor quærit laudari ſuper alios, & potiſſime ſuper illum cui detrahit, aut timet minus reputari, quam ille, qui laudatur, & inde oritur grave peccatum quia affectat mortem, aut expulſionem, aut tribulationem, aut caſum illius de cuius laude triſtatur, & ſtatim ſunt diſpoſiti ad audiendum hoc de ipſo cum gaudio. Quod vitium nonnullos ſpirituales pulſat, qui nondum Paracletum receperunt. Quidam autem ore non murmurant, nec detrahunt, ne & ipſi deſpiciantur, aut de ipſis murmuretur; appetunt tamen illud fieri ab aliis. Et omnia talia

A cum motivis, & cauſis, ſunt integre confitenda. De duplicitate, quæ mendacium dicitur, quæ eſt quando lingua, & intentio non concordat, quia facit intelligi, & credi quod non eſt. Tales quandoque ſunt duplicitates proditoriæ, ſicut in Juda quando dixit: Ave Rabi: Iſti mel in ore gerunt, & retro pungere quærunt. Nam poſt oſculum fecit capi Chriſtum. De ſimulatione, quæ eſt in verbis, ſignis & operibus exterioribus, cuius contrarium eſt in mente, hoc eſt, proprium hypocritarum. Eſt autem ſimulatio, falſitas veritate depicta. Vel eſt vitium, verbis, & actibus virtuoſis opertum. Simulatio in B verbis eſt quando te dicis inſipientem, & vitioſum, ut per hoc humilis reputeris, & humilia præeligis, ut non credatur, quod virtuoſus, & ſufficiens reputari velis, ſi autem non virtuoſus reputeris, tunc turbaris. Eſt ergo humilitas, in verbo, ſuperbia, in mente. Simulatio in opere eſt, quando fit actus virtuoſus, ut ſolum fama acquiratur. Simulatio in ſigno eſt, quando prætenditur honeſtas in ſenſibus, & cor plenum eſt inhoneſtate, nec trahitur quis ab opere malo, niſi quia caret opportunitate quam vellet. Sic quidam religioſi de die quando videntur, ut reputentur ſancti, & honeſti, ſenſus ſuos valde C componunt, & maxime in officio, & choro inclinationes profundas & ſimilia faciendo, ſed de nocte nulla ſigna devotionis oſtendunt, dum non ſentiunt ſe videri. Sic quidam ſe macerant abſtinendo, ut ſpirituales appareant, & judicentur. Aliqui exterius apparent patientes ſubridendo; qui tamen pleni ira & triſtitia dolent de iniuria eis facta, & ſic omnis hypocrita eſt ſimulator, duplex, & falſus, & per conſequens inimicus, & proditor veritatis. Et ideo quia huic vitio multa ſunt annexa alia, cum diligenti examinatione, debent in confeſſione evomere virus ſuum. Mendacia ſunt ſecundum ſpecies ſuas confitenda, quia quædam ſunt aliis

Varia hypocritarum, ſimulatio.

Digitized by Google

noxia, & hæc ſunt graviora non noxiis, quædam deliberate prolata graviora a caſu prolatis, quædam jocoſa ad gaudium provocantia, quæ tamen a viris perfectis ſunt arcenda. Qui vero dicunt mendacium per quamdam inadvertentiam, ſicut narrantes hiſtorias, aut multum, aut prolixe loquentes, debent confiteri quæ noſcunt falſa. Qui vero in prædicationibus narrant miracula non vera, aut hiſtorias deriſivas, ſeu fabulas, aut textum Scripturæ ſacræ trahunt indebite, ut coaptent verba, male faciunt, & debent confiteri, quia tot veritates ſunt in ſcriptura, quæ poſſunt dici, quod non oportet taliter facere, quoniam mendaciis non eget Deus. Adulatoria, ut ſunt verba blanditoria ad complacendum, vel ut commendetur, vel ut benevolus fiat, vel ſervitium recipiat, ſunt confitenda tanquam mendacia, exprimendo intentionem quam habuit in prædictis, & potiſſime qui adulantur geſtibus corporis, & actibus manuum, & oculorum, ut oſtendant affectionem, & compaſſionem ad aliquem, quia omnes tales ſunt mendaces, & falſi.

Adulatio.

CAPUT XVI.

Eruditio utilis ad omnia ſupradicta.

UT autem ſcias melius confiteri, ſtudeas ſaltem ſemel in die examinare, quomodo tempus expendiſti, & diſcurre per ſingulas horas cogitando loca, in quibus fuiſti, cum quibus perſonis, quid cogitaſti, quid dixiſti, quid audiviſti, quid feciſti, ut cognoſcas relaxationes linguæ, cordis, & ſenſuum, in quibus, & quotiens offendiſti, aut dediſti aliis materiam offendendi, & ſic ordina in mente tua, ſicut ea fueris memor commiſiſſe: quia melius explicabis omnia quorum fueris memor, & illa pluries pertracta, & ordinate repete in mente tua, nec te pigeat in tali examinatione exercere, quia pax, & læ-

A titia mentis, quam inde conſequeris, ſuperexcedit omne gaudium mundanum. Quod ſi abſque difficultate magna, & cum magna tranquillitate animi, iſtum modum volueris obſervare, ſtude in paucis delinquere, ut pauca poſſis recolere, & confiteri. Confeſſorem eligas compaſſivum, probatum in tentationibus, & in via continentiæ ſe exercentem, cui ſæpe confitearis, & aperias omnes defectus clare & lucide, & ſtimulos quibus moleſtaris. Sit ille diſcretus, charitativus, humilis, & intelligens, ſic quod poſſis ad ipſum confidenter recurrere, & ſciat tibi remedium adhibere. Aliter autem ſi cæcus cæco B ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Ad iſta melius obtinenda, neceſſaria eſt tibi ſolitudo, quæ eſt via primaria ad cordis munditiam, & tutela ad cuſtodiam. Unde ſi es religioſus, ſi pacem quæris, hinc minime egredieris. Verſus:

Qualis debeat eſſe confeſſor.

Cella quaſi cœlum ſit tibi, qua cœlica cernas.
Hic legas, hic ores, mediteris, crimina plangas.
Pax eſt in cella, foris autem plurima bella.

Si autem es ſæcularis, fuge conſortium quantum potes, niſi pro evidenti utilitate, aut neceſſitate. Expedit etiam, ut portes, in corde propoſitum tibi cavendi pro poſſe ab C omni offenſa Dei, & proximi, & debes te armare cum oratione dicendo: Deus in adjutorium meum intende, &c. quia ſine auxilio Dei, impoſſibile eſt te a quantumcumque minimo peccato liberari. Et quamvis Deus permittat, quantumcumque ipſum rogaveris in oratione, ut in aliqua peccata incidas, non tamen propter hoc deſiſtas a bono propoſito bene operandi: quia hoc Deus permittit, ut cognoſcas te infirmum, & continue divino auxilio te indigere, nihilque boni per te ipſum poſſe perficere, quantumcumque cupias, & proponas. Propter quod oportet ſemper orare & non deficere. Ille autem

Digitized by Google

autem ſemper orat qui non ceſſat A bene facere, & mala vitare deſiderat. Si autem ab incœpto opere bono deſtiteris, eo quod in oratione non exaudiris, tunc eſt ſignum quod ſpiritualis ædificii, quod eſt conſcientiæ puritas, cares principio, cui eſt annexa cognitio propriæ vilitatis, ad quod conſequitur virtus humilitatis, quæ mentem in bono confirmat, & facit hominem contentari de omnibus judiciis, & permiſſionibus divinis, circa omnes creaturas, & ſe. Dum enim in veritate teipſum agnoſcis, omnibus compateris, nullum odis, nulli inimicaris, plus gaudes de paſſionibus, & pœnis corporalibus, quam de conſolationi- B bus carnalibus, quia te vides iſta meruiſſe, & eſſe utilia, hæc autem eſſe periculoſa. Sic ergo omnia præter peccatum diligas, nihil te præter Deum afficiat, nihil te niſi culpa contriſtet. Et quoniam contritio, & accuſatio ſui ipſius acquiritur per mentis munditiam in ſolitudine & mentali oratione, neceſſe eſt, quiſquis ad hanc puritatem pervenire affectat, ſolitudinem veluti matrem orationis, & munditiæ amplectatur, & ibi in lectione & ſui cordis ſcrutatione ſe quotidie ſic exerceat: quod omni otioſitate vitata, omnique humana verecundia poſtpoſita, & deſpecta, ad veram, & puram, & C integram, & plenam confeſſionem nunc ſe præparet, & diſponat.

CAPUT XVII.

De modo cognoſcendi ſeipſum.

POſtremo qui vult ad ſui perfectam cognitionem cito & faciliter pervenire, ac perfecte pacem conſcientiæ poſſidere. Primo cor ſuum ſpoliet omni amore, & affectione ſenſuali a quacumque perſona, & re temporali, ſic quod inter Deum, & cor tuum nullum ſit medium, & nihil diligas extra Deum, nec præter Deum, & tunc talis affectio non erit medium impediens, ſed adjuvans, & cooperans. Secundo exuat cor ſuum ab amore inordinato ad ſeipſum, videlicet, quod non ſit fur, & latro honoris, & laudis, appetendo aliquid de his quæ debentur ſoli Deo ſimpliciter. Nihil etiam terrenum appetat, niſi pro Dei ſervitio, & utilitate animæ ſuæ, vel proximi, & abneget propriam voluntatem, cupiat alienum velle potius quam ſuum perficere, nec a voluntate Dei, ac ejus permiſſione animus ſuus diſcordet. Tertio ad ſuæ conſcientiæ ſtimulum frequenter ſe exerceat, memorando præterita delicta, ſeipſum arguendo de negligentia, concupiſcentia, & nequitia. De negligentia quidem ſe arguat, ſi cor ſuum non bene cuſtodivit, ſi tempus inutiliter expendit, ſi opera ſua in finem debitum non reduxit. Adhuc ſi fuit negligens in oratione, in lectione, & boni operis executione, quorum unum non ſufficit ſine altero. Adhuc ſi fuit negligens ad agendum pœnitentiam de commiſſis, ad reſiſtendum tentationibus a Deo permiſſis, ad proficiendum in bonis ſibi impenſis. De concupiſcentia autem ſe reprehendat, cogitando ſi in ſe vivit, aut vixit, concupiſcentia, & voluptas, appetendo dulcia, mollia, & cibaria ſapida, veſtimenta delicioſa, & oblectamenta luxurioſa, quæ omnia in primo motu ſunt fugienda. Item ſi vivit in ſe, vel vixit concupiſcentia curioſitatis, appetendo ſcire occulta Dei, aut creaturarum videre pulchra, habere pretioſa, & ſimilia, quæ omnia procedunt ex avaritia. Item ſi in ſe vivit, aut vixit concupiſcentia vanitatis appetendo humanum favorem, vel honorem, laudem, & propriam gloriam. Hæc & omnia quæ faciunt hominem vanum, ſunt fugienda a quocumque, & maxime religioſo, qui debet ambulare in veritate coram Deo, & hominibus, in cunctis bonis operibus ſuis; & ordinare cor, verba, & opera in laudem Dei, & ædificationem proximi, & utilitatem ſui, nihil extra Deum ullatenus appetendo. De nequitia vero ſe arguat cogitando ſi

Digitized by Google

in ſe vivat, aut vixit iracundia in verbo, in animo, vel in exteriori ſigno, & ſi aliquem ad iracundiam provocavit. Hoc autem vitium non poteſt corrigi, niſi per ſpiritum veritatis, ut ſcilicet homo conſideret quid meruit per peccatum mortale, ac per hoc bonitatem Dei attendat, & patientiam quæ ipſum ſuſtinuit uſque nunc. Nec adhuc eum damnare vult, cum iuſte poſſit, ac poterit, quoties mortaliter peccaverit. Cum ergo veritas ingreditur animam, & ibi permanet omne cor impatiens, & furioſum efficitur humile, & manſuetum, & omne cor durum, & impium, efficitur pium, & compaſſivum. Hæc autem virtus ingreditur ſolummodo in cor mundatum. Item cogitet ſi in ſe vivit, aut vixit nequitia invidiæ, quæ de bono alterius contriſtatur, & de malo iucundatur, quod vitium directe contradicit Spiritui ſancto, & ideo ex invidia oritur peccatum in Spiritum ſanctum, quod dicitur invidentia fraternæ gratiæ, contra quod ſcriptum eſt in Matthæo. *Matth. 20* An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Et ideo hoc peccatum non remittitur in hoc ſæculo, nec in futuro. Item cogitet ſi in eo eſt, vel fuit nequitia acediæ, quæ conſurgit ex tædio boni, aut ſi ex otioſitate nimia, aut ex timore, vel dolore alicujus mali. Et ex hoc oriuntur peſſima, videlicet, ſuſpiciones, malignæ cogitationes, blaſphemiæ, diffidentia de Deo & finalis deſperatio. Ad hanc ſæpiſſime deveniunt inſolentiæ dediti, & qui ſe negligunt in bonis exercere, & tempus ſuum utiliter expendere, nec non qui nimis eſt ambitioſus appetendo exceſſive honorem, talis, qui appetit ſupra meritum ſuæ ſufficientiæ, numquam habet quod appetit, ſed quod pejus eſt, juſto Dei iudicio tanto magis ad ima trahuntur, quanto magis ſeipſos elevavaverunt, & procuraverunt per alios trahi ſurſum. Qui ergo hoc vitium vitare deſiderat, ſtudeat otium evitare, ac mentis, & corporis ſuperare pigritiam, eorumque occaſiones præcidere, quæ ſunt amor quietis,

A & immoderantia victus, propter has duas cauſas, peccata peſſima ſunt perpetrata. Ex his occaſionaliter, venit ira Dei ſuper Sodomam, & Gomorrham. Idcirco ſancti Patres fugientes de ſæculo ad deſertum, contra illud vitium acediæ quæ inficit, & diſſipat omne bonum, ſtatim armis temperantiæ, & occupationis, & continentiæ, ut otioſitatem radicem omnis mali inciderent, ſe principaliter muniebant.

CAPUT XVIII.

B *Ee peccatorum origine.*

De ingratitudine ſive elatione.

OMnium vitiorum capitalium unum eſt initium, ſcilicet ingratitudo. Duplex eſt enim radix, ſcilicet timor male humilians, & amor male inflammans. Triplex fomentum eſt, concupiſcentia carnis & oculorum, & ſuperbia vitæ. Septiforme caput eſt, ſuperbia, ira, invidia acedia, avaritia, gula, luxuria. Inter quæ ſunt quinque peccata ſpiritualia, & duo carnalia. Cum tamen peccatum mortale, non aliud quam receſſus a Deo, per ipſius contemptum, in ſe vel in ſuo præcepto. Contemptus autem Dei ſit ſuperbia, igitur C neceſſe eſt, ut omnis peccati mortalis culpa ſumat initium a ſuperbia. Quia vero nullus contemnit Deum, vel ſuum præceptum, niſi quia aliquid ab ipſo timet perdere, aut vellet acquirere, ideo oportet, quod omne actuale peccatum trahat originem ab hac duplici radice, aut amoris, aut timoris. Omnis autem timor habet ortum ab amore, quia nullus timet *Matt. 10* perdere niſi quod amat, ideo amor, & timor ab eodem foventur. Et quia amor inordinatus eſt reſpectu boni temporalis, & illud eſt interius excellentia, & exterius pecunia, inferius laſcivia carnis. Ideo tria ſunt fomenta vitiorum capitalium, & actualium, ad quæ dum anima inordinate fertur, omnia peccata

actua-

Digitized by Google

actualia ordiuntur. Et quia hoc fit A ſecundum ſeptiformem modum, ideo ſunt ſeptem peccata capitalia, ex quibus generatur univerſitas peccatorum.

CAPUT XIX.

De peccato in Spiritum ſanctum.

QUamvis omne peccatum ſit contra Deum trinum & unum, appropriatur tamen aliquod peccatum in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum ſanctum. Peccatum autem in Spiritum ſanctum eſt irremiſſibile in hoc ſæculo, & in futuro, non quia hoc ſæculo non poſ- B ſit remitti, ſed quia non dimittitur niſi raro, aut vix in hoc ſæculo quantum ad culpam, & modicum in futuro quantum ad pœnam. Hujus autem peccati ſunt ſex differentiæ. Invidia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, deſperatio, præſumptio, obſtinatio finalis impœnitentia. Primum eſt contra charitatem Dei inquantum dolet, quod Dominus Deus eſt bonus, qui ex bonitate ſua dat gratiam, & etiam eſt contra charitatem proximi. Secundum eſt contra veritatem fidei, quæ eſt fundamentum noſtræ ſalutis. Tertium eſt contra miſericordiam Dei, quia credit ſe plus peccaſſe, quam C Deus poſſit parcere. Quartum eſt contra juſtitiam Dei, quia tantum præſumit de miſericordia Dei, quod credit, ſe non debere puniri de peccatis, ac per hoc ſe relaxat ad peccandum, & pœnitere non curat. Quintum eſt contra gratiam pœnitentialem, quæ facit reſilire a peccatis commiſſis. Sextum eſt contra gratiam pœnitentialem, quæ facit præcavere a committendis ſecundum quod ipſa finalis impœnitentia dicitur propoſitum non pœnitendi. Sic enim eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum. Secundum autem quod dicit continuationem peccati uſque in finem, ſic eſt ſequela omnium mortalium, quæ in hac vita non remittitur, & maxime omnium ſpecierum peccati in Spiritum ſanctum. Et ſic omne peccatum initium ſumit a ſuperbia, & finem habet a finali impœnitentia, in quam qui devenit, punitur in gehenna, a qua finali impœnitentia nullus peccans mortaliter poteſt liberari, niſi interveniat gratia mediatoris Chriſti.

Peccati in Spiritum ſanctum, ſex differentiæ.

CAPUT XX.

Peccati deſcriptio.

CUm omne peccatum dicat receſſum voluntatis a primo principio, inquantum ipſa voluntas nata eſt agi ab ipſo, & ſecundum ipſum, & propter ipſum, ideo omne peccatum eſt inordinatio mentis, vel voluntatis, circa quam nata ſunt eſſe virtus, & vitium. Peccatum igitur actuale, ſecundum Auguſtinum, eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Vel actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem iſta, aut eſt tanta quod ordinem exterminat juſtitiæ, & ſic dicitur peccatum mortale, quod natum eſt auferre vitam ab anima, ſeparando ipſam a Deo, per quem vivificatur anima juſti: aut eſt tam modica, quod ordinem iſtum non perimit, ſed aliquatulum perturbat, & ſic dicitur veniale peccatum, quia de ipſo cito poſſumus veniam obtinere, pro eo quod ipſum non tollit gratiam, non incurritur inimicitia Dei. Ordo autem juſtitiæ eſt, ut bonum æternum præferatur temporali, & bonum honeſtum utili, & Dei voluntas propriæ, & judicium rationis præſit ſenſualitati humanæ. Et quia lex Dei præcipit hoc, & vetat oppoſitum, ideo quando præfertur temporale æterno, utile honeſto, ſenſualitas rationi, voluntas propria divinæ, tunc committitur peccatum mortale. De quo dicit Ambroſius, quod eſt prævaricatio legis Dei, & cœleſtium inobedientia mandatorum.

Peccatum mortale, & veniale.

Hæc autem committitur, quando omittitur quod lex præcipit, ſive ſit quod lex vetat. Ex quo oritur duplex genus peccati, ſcilicet, delictum, & commiſſum. Quando vero bonum temporale plus debito diligitur, ſed non præfertur æterno: & quando honeſto præfertur utile, & naturalis voluntas plus debito amatur; ſic tamen quod non præfertur divinæ, & caro concupiſcit, non præfertur judicio rationis rectæ, tunc eſt tantum peccatum veniale, quia licet hoc ſit præter legem Dei, non tamen eſt directe contra eam. Senſualis autem appetitus non præfertur rectæ rationi, ſi quando ratio ei conſentit, ideo peccatum mortale non committitur ſine conſenſu. Si autem ſenſualitas inordinate moveatur, cum iſta inordinatio ad malum declinet, & in hoc ratio non conſentiat, non eſt aliquod peccatum, quia nec aliquo modo lædit ordinem juſtitiæ. Et quia in ſtatu innocentiæ non movebatur ſenſualitas, niſi ſecundum motum rationis, ideo ſtante hoc non poterat ibi eſſe veniale peccatum. Nunc autem quia rationi repugnat ſenſualitas, velimus, nolimus, ideo neceſſe habemus, committere veniale peccatum aliquod per primos motus. Et licet particulariter ac ſingillatim poſſint devitari, omnia tamen nullo modo poſſunt caveri, quia ſicut peccata ſunt, ita & pœnæ peccati originalis, vel actualis. Et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipſo digna ſunt venia. Verum quia ratio his conſentire non compellitur, ſi poſt conſenſum delectationis conſentiatur in opus, tunc eſt plenus conſenſus, ac per hoc eſt peccati conſummatio, quæ pervenit uſque ad ſupremam portionem rationis, ex qua pendet plenitudo conſenſus. Quia vero non ſolum conſenſus in opus, verum etiam in delectationem, eſt, in quo inferior pars ſequitur ſenſualitatem, ideo ſi in delectationem ſenſualem ratio ſenſualitati conſentiat, & ſuccumbat, propterea ſit ſubverſio ordinis recti & juſtitiæ, propter quod committitur peccatum mortale, quamvis minus grave, quia non ſolum imputatur inferiori parti rationis, ſed etiam ſuperiori, qua debuit compeſcere, & cohibere inferiorem, ne conſentiat.

CAPUT XXI.

Confeſſio ſive humiliatio ſui ipſius.

Recognitio modeſtiſſima auctoris.

ECce deſcripſi cor mundum, & conſcientiam puram, vir ergo immundus & maculatus, multum me oſtendere ſciens, & meipſum neſciens, alienos defectus diiudicans, & meos non inſpiciens, vitia & occaſiones vitiorum vobis aperiens, & ipſa vitia in meipſo corrigere negligens, feſtucam in oculo alieno perſpiciens, & in meo trabem non conſiderans, alienæ vitæ dux eſſe præſumens, & moderamina vitæ propriæ non tenens, omnium mores diſcutiens, & meos non deſerens, erga me ipſum cæcus permanens, & circa alios oculatus exiſtens, fraterna tamen charitate coactus, quia omnium fratrum animos ſincere amplector, eo maxime quo eos ſentio perfectam cordis affectare munditiam, mundumque cor ſolicite ac ſtudioſe perquirere, quo ipſam attingere valeatis (ut ſupra ſcriptum eſt) veſtra charitativa dilectio humiliter, & benigne ſuſcipiat, ubi ſicut in ſpeculo & exemplo veriſſimo viam & januam, per quam ingreditur anima in atrium domus Domini, quod eſt conſcientiæ puritas, diligentiſſime ſpeculetur, firmiter attendentes, quod ad dictum atrium nullus umquam in hac vita pervenit, niſi modo prædicto ſeipſum agnoſcere ſtudeat ſecundum notitiam ſibi datam a Domino, ſuamque conſcientiam mundam, & immaculatam ſervare, & hoc per confeſſionem puram, veram & integram ſuperius memoratam. Ipſe namque modus confitendi ſuper humilitate perfecta fundatur,

Digitized by Google

datur, procedens ex filiali Dei timore, qui non patitur in corde habitare peccatum, nec circumſtantias peccati, quibus putet Deum eſſe offenſum, dummodo ſtatim evomat per confeſſionem, ſecundum ſui poſſibilitatem, & notitiam habitam de peccato. Et hujuſmodi ſolicitudo ſervandi cor mundum, & conſcientiam puram, eſt ſignum congruum & evidens, quod quis inter electos Dei filios computetur. Unde talis anima A ſecure poteſt dicere: Domine dilexi decorem domus tuæ, id eſt, munditiam animæ meæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, id eſt, puritatem conſcientiæ meæ. Pſal. 25 Et ratio: Quia in voluntate tua præſtitiſti decori puritatis meæ virtutem, & in juſtitia apparebo purus & mundus in conſpectu tuo, & ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Ad quam nos perducat ipſe Deus, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS.

OPUSCULUM.

QUOD DIÆTA SALUTIS INSCRIBITUR.

Diætæ nomen ſignificationes varias ſortitur. Nam habitationem in hortis amœnitatis & voluptatis cauſam extructam ſignificat, & cœnaculum in ædibus. Unde quidam diætas affirmant dictas, eo quod in eis per diem ederetur, idque Varronis auctoritate fulciunt. Diæta quoque vocatur victus ratio, & illa pars medicinæ, quæ victu medetur, diætetica nuncupatur. Poſtremo diæta, unius diei iter ſignificat, ut legitur in c. Nonnulli, & de reſcr. in c. Quamvis, §. 1. de offic. ord. l. 6. Ex hac ſignificatione S. Bonaventura huic opuſculo nomen dedit Diætæ ſalutis, diætamque pro via uſurpat, ut ex ipſo proœmio patet. Dividitur autem hoc Opuſculum in novem diætas, & decem titulos cum appendice quadam. Ratio autem quare plures ſint tituli, quam diætæ, hæc eſt: quia novem viis ab Auctore conſtitutis ad ultimum terminum pervenitur, extra quem non eſt ulterius progrediendum. Ideoque tituli novem ſunt pro diætarum ratione, de peccatis, de pœnitentia, &c. Titulus vero decimus de gloria paradiſi, & de pœnis inferni tractat: quia poſt judicium generale, electi ad cœleſtem paradiſi patriam æternis afficiendi præmiis convolabunt: reprobi vero in inferni baratrum æternis affligendi cruciatibus detrudentur. Has omnes vias Sanctiſſimus David complexus eſt brevi illo verſu Pſ. 36. Declina a malo & fac bonum. Nam primæ diætæ initium ſeu terminus, a quo ad pœnitentiam pervenitur, peccatum eſt, ab eoque ſtatim declinare oportet; nihilque in eo immorari. Beatus enim vir ille eſt, ut idem Propheta Pſ. 1. teſtatur, qui in via peccatorum non ſtetit. Itaque ſtatim hac via declinata, per alias diætas ſive vias, quæ ad bonum faciendum ſpectant, progrediendum eſt, quouſque ad æternam patriam perveniamus. Appendix vero applicationem materiarum diætæ ſalutis continet, quibus in Dominicis, & feſtivitatibus Sanctorum per annum occurrentibus, quodam tibi propoſito themate, concionatores utantur. Eſt ſane Opuſculum hoc, miro artificio compoſitum, ſacræ ſcripturæ locis totum refertum: pulchris etiam ſimilitudinibus ornatum: quibus res de qua agitur confirmari, & veluti imago ad vivum expreſſa ob oculos poni poſſit. Ideoque omnibus legentibus non mediocrem utilitatem præſtat, iis vero maximam, qui in prædicationis verbi Dei munere verſantur.

PRO-

Digitized by Google

PROOEMIUM.

HÆc eſt via ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram neque ad ſiniſtram ait Iſaias. Magnam miſericordiam facit, qui erranti viam oſtendit, maxime de nocte in terra hoſtium, & tempore guerrarum. Errantes ſunt peccatores, juxta illud quod dicitur: Omnes enim peccaverunt, & egent gratia Dei. Et Joannes dicit: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Cum igitur omnes ſumus errantes, ſicut dicitur; Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit. Non eſt peccatum inſtar nivis frigidum, ideſt infrigidans dilectionem: obſcurum, id eſt obſcurans rationem: ineptum faciens ad bonam operationem. Venit (inquit) nox, quando nemo poterit operari. Terra hoſtium, eſt mundus, in quo principatur diabolus, ut teſtatur Dominus, dicens: Nunc princeps mundi hujus eiicietur foras. Tempus guerræ, eſt tempus præſentis vitæ: quia nunc caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut dicit Apoſtolus: Quia igitur omnes peccatores & errantes ſumus, per conſequens extra viam veritatis imus, & in nocte, & in terra hoſtili, & in tempore guerræ mortales ſumus & exiſtimus. Ideo prædicator verbi divini, maximam miſericordiam facit errantibus, in tantis periculis conſtitutis, quando viam ſalutis eis oſtendit. Unde magnum meritum apud Deum & coronam acquirit. Ideo dicitur: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum. Officium enim prædicantis verbum Dei, eſt proprie errantes dirigere, & ad viam ſalutis revocare. In cujus perſona verbum Dei promiſſum peccatoribus errantibus, eſt authentice proclamatum, cum dicitur: *Hæc eſt via, ambulate in ea*.

[Margin: Iſa. 30; Rom. 3; 1 Joan. 1; Iſa. 53; Joan. 9; Joan. 12; Gal. 5; Jacob. 5; Officium prædicatoris.]

A Quoniam autem peccatores tripliciter poſſunt errare, ſcilicet malam viam eligendo, & in via errando, & a via divertendo: ideo prædicator in verbis iſtis propoſitis, docet nos ſpecialiter tria de via iſta ſalutis, ſcilicet ſalubriter eligere, viriliter incedere, & viæ ſalutis inſiſtere. Primo igitur docet nos viam ſalutis ſubtiliter eligere, cum dicit: *Hæc eſt via*, ſcilicet & nulla alia ad ſalutem eligenda. Secundo docet nos per viam ſalutis viriliter incedere, cum dicit: *Ambulate in ea*, quaſi diceret, ſtudete remanere in illa. Tertio docet nos, viæ ſalutis inſiſtere, cum infertur. *Nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram*, B quaſi diceret nolite divertere ab ea. Primo ergo docet nos prædicator viam ſalutis eligere, cum dicit: *Hæc eſt via*, id eſt, non erroris, ſed veritatis: non periclitationis, ſed ſalutis, non ad infernum, ſed ad cœlum. Et nota, quod hæc via ſalutis habet ſpecialiter novem diætas. Prima eſt a peccato ad pœnitentiam, tamquam ad medicinam & remedium peccatorum. Secunda a pœnitentia ad præcepta. Tertia eſt a præceptis ad conſilia. Quarta eſt a conſiliis ad virtutes, tamquam ad inſtrumenta quæ docent operari recte. Quinta eſt a virtutibus ad dona Spiritus ſancti, quæ docent operari faciliter & expedite. Sexta C eſt a donis ad beatitudines, quæ docent operari perfecte. Septima eſt a beatitudinibus ad fructus ſpiritus, qui docent operari delectabiliter, & deliciose. Octava eſt a fructibus ad iudicium. Nona eſt a judicio ad cœlum. Et ſecundum hoc in præſenti opere, quod dicitur via vel diæta ſalutis, ſunt decem tituli.

[Margin: Peccatores tripliciter errare poſſunt.]

In primo agitur de vitiis, a quibus eſt removendum, & recedendum.
In ſecundo agitur de pœnitentia.
In tertio de præceptis moralibus, a Deo hominibus datis.
In quarto de conſiliis Evangelicis.
In quinto de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus.
In ſexto de ſeptem donis Spiritus ſancti.

In

In ſeptimo de beatitudinibus Evangelicis.
In octavo de duodecim fructibus ſpiritus.
In nono de judicio generali.
In decimo de inferno, & pœnis, necnon & de gloria paradiſi.

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS PRIMUS

De peccatis.

TITULI HUJUS CAPITA.

De peccato in communi.	*Cap. I.*
De peccato in ſpeciali.	*Cap. II.*
De ſuperbia.	*Cap. III.*
De invidia.	*Cap. IV.*
De ira.	*Cap. V.*
De Avaritia.	*Cap. VI.*
De Acedia.	*Cap. VII.*
De Gula.	*Cap. VIII.*
De Luxuria.	*Cap. IX.*

CAPUT I.

De peccato in communi.

Diffinitio peccati. PRimo igitur nota de peccato, vel vitio in communi. Et eſt ſciendum, quod peccatum, eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, ut dicit Auguſtin. *Aug. li. 22 cont. Fauſt. Manich. c. 27 tom. 6* Et eſt ſciendum, quod eſt vitandum ſpecialiter & præcipue propter tria. Primo, quia eſt deformitas, quam Deus deteſtatur: iniquitas, quam dæmon amplexatur: & infirmitas, qua mundus diſſipatur. Primo, peccatum eſt deteſtandum, quia eſt deformitas, quam Deus ſumme deteſtatur. Unde nota, quod nihil poſſet cogitari, quin Deus fecerit propter odium peccati, ipſe enim propter peccatum ſemel fere diſſipavit omnia opera ſua, ſcilicet totum mundum per diluvium, ut patet in Geneſi. Alii autem reges & potentes in præjudicium inimicorum depopulantur terras eorum: Deus autem diſſipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram ſuam. Item non ſolum habet peccatum odio, ſed & quidquid peccatum tangit. Alii autem homines propter vinum corruptum, non proiiciunt in mari vaſa aurea, vel argenta, ſed ſervant vaſa, & vinum effundunt: Deus autem non ſolum peccatum, ſed etiam vaſa peccati, id eſt, creaturas rationales, ſcilicet animas ad ſuam imaginem factas, & ſuo pretioſo ſanguine redemptas, in odium peccati proiicit in oceano infernali: quia ut dicitur. Odio eſt Deo impius, & impietas ejus. *Gen. 7* *Sap. 14* Deus inſuper in tantum peccatum odit, quod propter peccata mundi innocentem unigenitum interfecit. Unde dicitur: Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. *Iſa. 53* Et ipſemet Dei filius ut peccatum interficeret, vel occideret, tradidit in mortem animam ſuam, ut dicitur ſimiliter ibidem. *Ibidem.* Nullus autem invenitur, qui tam odiat inimicum, quod in ejus odium vellet interficere unigenitum proprium, vel etiam ſemetipſum. Item Deus perſecutus eſt peccatum ab initio, intantum, quod proiecit ipſum de cœlo, & videns quod remanſerat in mundo, ipſe in propria perſona deſcendit in mundum, ut de ipſo fugaret peccatum, & tandem in iudicio proiiciet, & includet ipſum in inferno, quia dicitur: Proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. *Mich. 7*

Secundo peccatum eſt iniquitas, quam dæmon amplexatur. Et nota quod triplex eſt ſignum, quod peccatum placet diabolo. Primum ſignum eſt, quia in nullo alio delectatur, quia ipſe non vult aliud balneum, non quærit aurum, non amat argentum, quia in perſona ejus dicitur: Da mihi animas, cetera tolle tibi. *Gen. 14* Sicut enim avis rapax amat cor prædæ: ſic ipſe cor hominis, ut patet de illo qui interrogavit diabolum quid plus amabat, & diabolus reſpondit, quod tria præcipue, ſcilicet lunam primam, rotam ſolis, & ferrum molle. Hoc eſt

cor,

cor, quod componitur ex tribus litteris, quæ habent illas tres figuras. Secundum ſignum quod Diabolus amat peccatum, eſt: quia in procurando peccatum numquam fatigatur. Etenim ſex millia annorum ſunt, & amplius, quod nihil aliud fecit, quam procurare peccata. Unde quando Dominus interrogavit eum. Unde venis? reſpondit: Circuivi terram, & perambulavi eam, &c. Non licet enim ſibi capere cibum nec ſomnum, tantum eſt occupatus in negotio peccatorum, iuxta illud: Qui me comedunt, non dormiunt. Tertium ſignum, quod Diabolus amat peccatum, eſt: quia numquam potuit nec poterit peccato ſaturari. Jam enim non poſſunt numerari illa infinita millia hominum peccatorum, quos abſorbuit, & devoravit, & tamen eſt adhuc famelicus, & ſicut leo circuit quærens quem devoret ut habetur in prima Petri. Adhuc etiam eſt inſatiabilis peccato non ſolum famelicus, ſed etiam ſitibundus. Unde dicitur: Abſorbebit fluvium & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os eius. Peccatores cum impetu currentes in os eius, id eſt, in infernum, vocantur hic fluvius quem abſorbet Diabolus, & non miratur: iuſti vero quieti & pacifici dicuntur Jordanis, qui interpretatur humilis deſcenſus, & tales ſumme diabolus deſiderat abſorbere. Exemplum in vitis patrum de capitulo dæmonum, & ſingulis dæmonibus, de peccatis & malis quæ procuraverant reddentibus rationem, & de illo qui ſpecialiter fuit laudatus & honoratus 'a principe eorum, & in cathedra collocatus, quia fecerat fornicari unum monachum, quem in quadraginta annis vix traxerat ad peccatum.

Job 1 *Job 30* *1 Pet. 5* *Job 40*

Tertio, peccatum eſt infirmitas qua mundus diſſipatur. Et nota, quod peccatum eſt febris tertiana propter triplicem concupiſcentiam, ſcilicet divitiarum, deliciarum, & honorum, de qua dicitur: Omne quod eſt in mundo aut eſt concupiſcentia carnis aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Quartana etiam eſt propter quadruplicem gradum peccati, ſc. cordis, oris, operis, & conſuetudinis, contra quæ dicitur: Revertere revertere Sunamitis, ideſt, anima miſera, quater dicit revertere, propter illa quatuor prædicta. Eſt etiam febris quotidiana propter peccatum ſuperbiæ, quod eſt in omni peccato: & continue, vel continua eſt, quia eſt valde periculoſa. Nam ſicut febris continua aliquando aufert vitam temporalem, vel corporalem, & confert mortem corporalem: ſic peccati infirmitas aufert vitam, non ſolum temporalem, ſed & aliquando ſpiritualem, quia confert mortem infernalem, vel æternalem. Podagra pedum vel gutta eſt, propter peccatum acediæ. Paralyſis manuum eſt, propter peccatum invidiæ, vel iræ. Hydropiſis eſt propter peccatum avaritiæ. Dolor viſcerum vel tortiones propter peccatum iracundiæ. Squinantia propter peccatum gulæ. Lepra propter peccatum luxuriæ. Et propter hæc omnia dicitur de peccatore: A planta pedis uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.

1 Joan. 2 *Cant. 6* *Iſa. 1*

CAPUT II.

De peccato in ſpeciali.

Secundo, nota de vitiis in ſpeciali. Et eſt ſciendum, quod ſeptem ſunt vitia principalia & capitalia. Quinque dicuntur ſpiritualia, ſcilicet ſuperbia, invidia, avaritia, ira, & acedia: duo vero dicuntur carnalia, ſcilicet luxuria, & gula. Unde verſus.

Dat ſeptem vitia dictio ſaligia.

In qua ſcilicet ſunt tot litteræ, quot ſunt vitia capitalia, licet non ſit in vitiis, & litteris idem ordo. De quolibet vitio nota præcipue tria, ſcilicet typum quem præfert, fœtum quem profert, & damnum quod infert.

Primo enim notandæ ſunt adaptationes peccati in communi. Et nota, quod peccatum eſt ſicut putredo in pomo.

Similitudinis peccati in communi.

pomo. Sicut enim putredo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem & ſaporem: ſic peccatum aufert animæ decorem vitæ, & odorem famæ, valorem gratiæ, & ſaporem gloriæ. Unde dicitur: Quaſi putredo conſumendus ſum. *Job 13*

Secundo peccatum eſt ſicut vulnus in corpore humano, nam recenter vulneratus, permittit ſe tangi, & vulnus premi & inveſtigari, ſed poſt tertium diem, non ſine magno dolore tangitur in vulnere: ſic peccatum in ſua recentia cito curatur, & poſt tertium diem eſt graviſſimus dolor vulnerum. Unde dicitur: Die tertio quando graviſſimus dolor vulnerum erat, acceptis gladiis duo filii Jacob Simeon & Levi fratres Dinæ, ingreſſi ſunt urbem confidenter, & Emor, & Sichem pariter necaverunt; quia ſcilicet quaſi intolerabilis eſt correctio, vel ſanatio peccati poſt tres dies. Tres dies iſti ſunt peccati perpetratio, peccandi conſuetudo, & peccati obſtinatio. Nam poſt iſtum tertium diem, peccator permittit ſe tangi per correctionem, juxta illud: Peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Dicunt enim illud: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores: excæcavit enim eos malitia eorum: Unde etiam odio habuerunt corripientem in porta, ut habetur in Amos. *Gen. 34* *Prov. 18* *Iſa. 30* *Amos 5*

Tertio peccatum eſt, ſicut falſitas in panno. Nam ſicut mercator de falſo panno non oſtendit emptori medium, neque finem, ſed tamen caput, ſic Diabolus qui eſt mercator peccati, oſtendit fatuo emptori ſolum caput panni, id eſt, delectationem culpæ, non medium, id eſt, remorſum conſcientiæ, vel finem, id eſt pœnam gehennæ. De hac mercantia dicitur: Sicut emens, ſic ille qui vendit: quia ſcilicet tam peccator quam Diabolus in mercatura peccati eſt deceptus. *Iſa. 24*

Quarto peccatum eſt ſicut taberna Diaboli, in qua vendit vinum voluptatis in mundo pro pretio animæ: & ſicut tabernarius ponit tres taxillos in taberna, quibus occupantur ribaldi: ſic diabolus in taberna peccati ponit pro ribaldis, id eſt, pro amatoribus voluptatis, tres taxillos, id eſt, tres concupiſcentias mundanas, de quibus habetur in Joanne: Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. *1 Joan. 2*

Quinto, peccatum eſt ſicut ludus aleatoris, qui vulgo dicitur ludus corrigiæ. Nam ſicut ille falſus aleator, id eſt, corrigiator permittit illos homines in principio aliquid lucrari, & finaliter aufert & recuperat totum, quod amiſerat, & cum hoc lucratur ab eis quidquid habent, etiam quandoque veſtes: ſic Diabolus tamquam falſus aleator permittit peccatorem in aliquo temporali proſperari, ſed finaliter aufert animam, & corpus, gratiam, & gloriam temporalem, & ſubſtantiam. Contra quod Sara gloriabatur, dicens: Numquam cum ludentibus miſcui me, id eſt, cum dæmonibus ſive aleatoribus. *Tob. 3*

Sexto, peccatum eſt ſicut rete & ſicut virga inviſcata, nam ſicut piſcis in retibus ſe agitando, ſe plus involvit, & avis plus ambulans per virgam inviſcatam fortius ſe capit: ſic peccator magis elongatur a Deo, & ſtrictius illaqueatur a Diabolo, quia de tali dicitur: Tenebitur planta illius laqueo. *Job 18*

Septimo, peccatum eſt ſicut vinculum, quo ducitur porcus ad macellum, & bos ad victimam, & quo ligatur falco ad perticam, & ſimia ad truncum. Sicut enim carnifex ducens porcum, non ſtringit nimis pedem ejus, ne clamet: ſic Diabolus non ſtringit nimis peccatorem per temporalem adverſitatem, ne clamet per confeſſionem vel orationem, ut ſic ducat eum liberius ad macellum infernale. Unde dicitur: Ignorat, quod ad vincula ſtultus trahitur. Item, ſicut bos ligatus, non ſentit ſe eſſe ligatum, quando ducitur ad macellum, niſi quando vult fugere. Item ſicut ſimia non ſentit ſe eſſe ligatam, niſi cum vult pilotam a ſe removere, nec falco, niſi cum vult de pertica volare: *Prov. 7*

ſic

ſic peccator non ſentit vinculum peccati, dum perpetrat & in peccato perſevarat, ſed tunc vincula ſentit, cum anima infelix a corpore recedit.

CAPUT III.

De ſuperbia.

Ex Aug. de Gen. ad litt. c. 14 tom. 3 & lib. 14 de Civ. Dei c. 13 t. 5

SUperbia eſt libido dominandi, vel appetitus propriæ excellentiæ. De qua nota tria: Typum quem præfert, fœtum quem profert, & damnum quod infert. Superbia igitur, quæ eſt primum & principale, ac capitale vitium, habet multiplicem typum in natura, & in Scriptura, cui congrue comparatur.

Novem comparationes Superbiæ.

Comparatur primo vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, & exſiccat rorem, & exſufflat pulverem: ſic ſuperbia extinguit lucem ſapientiæ, exſiccat rorem gratiæ, exſiccat, vel exſufflat pulverem vanitatis mundanæ, & ideo cum homo ſit pulvis ex ſua conditione, juxta illud: Pulvis es, & in pulverem reverteris: magis timendus eſt ventus ſuperbiæ in alto quam in baſſo, id eſt, in ſtatu prælationis, quam ſubjectionis: quia ventus ſi in alto pulverem inveniret, citius exſufflaret, quia *perflant altiſſima venti*, ut dicit Poeta. *Gen. 3*

Secundo comparatur ſuperbia fumo, quia ſicut fumus magis aſcendendo deficit: ſic ſuperbus plus exaltatus plus evaneſcit, juxta illud: Mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. *Pſal. 36*

Tertio, comparatur paleæ propter levitatem, & inconſtantiam, & defectum valoris, quia ſicut torrens trahit paleas & iſta levia ad oceanum: ſic torrens tentationis trahit ſecum vanos, non humiles, ad oceanum inferni.

Quarto, comparatur ſtillæ aquoſæ, quæ inflat, & ſtatim adnihilatur, & veſicæ, quæ mox deficit, dum tamen acu pungatur: ſic ſuperbus mox

A

inflando deficit, & punctus modica febre, vel tribulatione adnihilatur.

Quinto, comparatur araneæ, quia ſicut aranea, ſe eviſcerat texendo telam, ut muſcas capiat: ſic ſuperbus perdit animam, ut capiat laudem humanam. Unde dicitur: Telas araneæ texuerunt. *Iſa. 59*

Sexto, comparatur feretro, quia ſicut feretrum tunc ſolum ornatur, cum mortuus in eo ponitur: ſic viri, & mulieres præcipue tunc ornant feretrum corporis ſui per exteriorum veſtium paraturam, cum anima intus eſt mortua per ſuperbiam.

B

Septimo, comparatur ſuperbus luctatori incauto. Nam ſi in lucta unus de luctatoribus poſſit levare pedem alterius, deiicit ipſum: ſic ſi dæmon poſſit levare pedem, id eſt, hominis affectionem per ſuperbiam, deiicit eum in damnationem æternam. Unde dicitur: Dejeciſti eos, dum allevarentur. *Pſal. 72*

Octavo, comparatur gallinæ, quia ſicut gallina ſtatim cantat, cum poſuerit ovum: ſic ſuperbus ſtatim vult videri, cum fecerit aliquod opus bonum.

Nono, comparatur lupo. Dicitur enim quod lupus uno menſe vivit de vento: ſic ſuperbus uno menſe, id eſt menſura vitæ ſuæ, vivit, vel paſcitur vento gloriæ mundanæ, juxta illud: Ephraim paſcit ventum, *Oſee 12*

C

id eſt, gloriam mundanam, ſequitur æſtum tota die, id eſt, ſuperbus eſt ſemper famelicus laudis humanæ.

Superbia damna quinque homini infert.

Damna vero, quæ ſuperbia facit in homine, ſunt ſpecialiter quinque. Primum enim hominem arefacit, ut melius accendatur, id eſt, illum ſine humore gratiæ & ſine compaſſione efficit. Unde dicitur: Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, & ſequitur: ut non derelinquaris ut lignum aridum in eremo, id eſt, in inferno, ubi concremabuntur arbores infructuoſæ, id eſt, peccatores. Secundo, hominem conſumit, id eſt, *Eccl. 6*

omne

Digitized by Google

omne bonum hominis adnihilat & perdit, juxta illud: Conſumit brachia ipſius, id eſt, hominis ſuperbi, primogenita mors, id eſt, ſuperbia, quæ eſt primogenita filia peccati, vel diaboli. Tertio, homines infatuat & decipit, cujus ſignum eſt, quia ſuperbus pretioſa vilipendit, id eſt, gratiam & gloriam, & vilia care emit, id eſt, gloriam tranſitoriam, juxta illud: Arrogantia, & ſuperbia cordis tui decepit te. Quarto hominem præcipitat, & ideo hominem ad alia levat, ut maior & gravior ſit ruina, de qua dicitur: Qui ſe exaltat, humiliabitur. Quinto hominem penitus facit infelicem. Superbus enim ab eo eſt infelix, quia de bono ſemine malam meſſem colligit: quæ enim ſunt bona aliis, in malum convertit. De ſanitate enim infirmatur de vita moritur, de medicamine vulneratur, a victo vincitur, a mortuo ſuperatur, atque occiditur. Hæc omnia eveniunt ſuperbo, quia de dono ſuo gloriatur, & ſic de bono efficitur malus, & de virtute efficitur vitioſus juxta illud: Contritio & infelicitas in viis eorum, id eſt, ſuperborum.

Job 18 *Hier. 49* *Luc. 14.* *Pſ. 13*

Superbiæ filiæ ſeptem.

Filiæ vero ſuperbiæ ſunt ſeptem, ſcilicet præſumptio, ambitio, inobedientia, irreverentia, erubeſcentia boni, & irriſio bonorum, vel ſimplicium, vana gloria & hypocriſis. Hæc autem peccata, quæ a ſuperbia naſcuntur, figurantur per ſeptem annos, quibus filii Iſrael ſervierunt Chuſanraſathaim Regi Meſopotamiæ, Cuſanraſathaim interpretatur tenebroſa iniquitas, per quam figuratur diabolus, qui ex iniquitate tenebroſus eſt, qui bene dicitur rex Meſopotamiæ, quæ dicitur elevata per ſuperbiam: quia ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ut dicitur in Job.

Judith. 3 *Job 41*

CAPUT IV.

De invidia.

Ex Aug. Enar. in Pſ. 104 tom. 8

INvidia eſt triſtitia alienæ felicitatis, & in adverſitate lætitia. De invidia nota ſpecialiter tria, ſcilicet typum quem gerit, actum quem facit, & fœtum quem parit.

Novem ſimilitudines Invidiæ aptatæ.

Invidia enim habet multas ſimilitudines otioſas, eſt enim ſicut vermis in ligno, rubigo in ferro, tinea in veſtimento. Nam ſicut iſta rodunt proprium ſubiectum, & conſumunt illud pluſquam alia: ſic invidia rodit invidum, & plus invidus nocet ſibi, quam aliis.

Secundo eſt ſicut draco, ſicut enim draco inſidiatur elephantis partui, ut ipſum pungat, & mordeat, vel comedat: ſic invidus bono alieno inſidiatur judicio pravæ ſuſpicionis, & poſtea mordet vel pungit aculeo murmurationis, & inficit veneno detractionis. Unde de invido dicitur: Fratres fui draconum, & ſocius ſtruthionum. *Job 30*

Tertio ſimilis eſt leproſo, Judæ proditori, & diabolo. Leproſus enim vellet quod nullus eſſet ſanus, & diabolus quam nullus eſſet bonus. Unde dicitur: Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum. Judas contriſtatus fuit de effuſione unguenti ſuper Chriſtum, ut habetur in Mattheo: Sic invidus inſtar leproſi, & diaboli, dolet de bono proximi, etiam ad modum Judæ proditoris triſtatur de bona fama fratris, & odore virtutis. Unde magnam iniuriam faceret Dominus invido, ſi eum poneret in paradiſo, moreretur enim præ dolore, ubi videret alios gaudere.

Sap. 2 *Matth. 26*

Quarto ſimilis eſt invidus oculo menſtruatæ. Nam ſicut illa inficit ſpeculum cum reſpicit eum: ſic invidus inficit proximum, cum reſpicit ejus bonum, quoniam omni ſtudio laborat ponere aliquam maculam in proximo. Unde dicitur: Bona in mala *Eccleſ. 11*

la

la convertit inſidiator, & in electis A ponit maculam.

Quinto, ſimilis eſt invidus noctuæ & igni Græco. Noctua enim de nocte videt, de die excæcatur, & ignis Græcus in aqua fortius inardeſcit, ſive ſuccenditur: ſic invidia in aquis gratiarum fortius exardeſcit, unde deberet extingui, & ad modum noctuæ a luce excæcatur, unde deberet illuminari, ſicut Heli, qui non poterat, videre lucernam, donec extingueretur, ut dicitur in libro Regum. *1 Reg. 3*

Sexto, invidus ſimilis eſt aquæ, & navi, & candelæ ſerpentinæ. Nam in aqua virga recta apparet tortuoſa: & in navi exiſtentibus cum ipſi fortiter deſcendunt, videtur quod montes currant velociter: & ad lucem candelæ ſerpentinæ, omnes paleæ videntur eſſe ſerpentes. Fit aut candela ſerpentina de cera temperata in aqua, in qua ſerpens coctus eſt, & poſt cum candela illa facta de tali cera ardet, videtur hominibus quod omnes paleæ & omnes aliæ candelæ quæ ibi ardent, ſint ſerpentes: ſic invidus ad modum aquæ recta facit tortuoſa: & inſtar exiſtentium in navi, quia cum ipſi invidi ad infernum deſcendunt, videtur eis quod montes, id eſt, viri ſancti & ſtabiles ad damnationem currant: & ad lucem candelæ ſerpentinæ, ſcilicet invidiæ, innocentes & bonos exiſtimant ſerpentinos. Omnia enim in malum convertunt, ut dicitur in Eccleſiaſtico: Bonum in malum convertit inſidiator. *Eccl. 11*

Septimo comparatur invidus Cain, de quo dicitur: Quicumque invenerit me, occidet me: ſic invidum interficit omnis homo, quia aut videt bonum in homine, & tunc dolet: aut malum, & ſic gaudet, & ſic in omni homine peccat, vel moritur per peccatum. *Gen. 4*

Octavo, invidus comparatur acriſiæ Sodomorum, id eſt, cæcitati, qua percuſſit Dominus Sodomitas, ut dicitur in Geneſi. Acriſia autem eſt paſſio, quæ aufert iudicium, & dicitur ab *a*, quod eſt ſine, & *criſis*, quod eſt iudicium, quia invidus non iudicat illa, quæ oportet videre & iudicare. *Gen. 19*

Nono, invidus ſimilis eſt nihilo, pro eo, quod diſſimilis eſt tamen creatori, quam omni creaturæ, ſive bono creato: creator enim communicat bona ſua liberaliter, & creatura ſimiliter. Nam videmus in ſole, quod lumen ſuum communicat omnibus creaturis, & ignis calorem ſuum, & ſic de aliis; ſed invidus non ſolum non communicat bona ſua, ſed etiam, quantum in ſe eſt, adnihilat aliena quia ſibi valde diſplicent, & etiam cum ſolus invidus ſit nihil, ita vellet, quod nihil niſi invidia eſſet.

B Damna invidiæ ſunt ſpecialiter quinque. Primum eſt, quia claudit viam ſalutis, & aditum paradiſi, eſt enim blaſphemia in Spiritum ſanctum quæ non remittitur in hoc ſæculo, neque in futuro, ut dicitur in Matthæo: Sunt autem ſex peccata in Spiritum ſanctum, quorum invidia eſt unum ſcilicet invidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, præſumptio de impunitate, obſtinatio mentis, deſperatio, & finalis impœnitentia. Dicuntur enim peccata in Spiritum ſanctum, ſcilicet quia impugnant gratiam Spiritus ſancti. Secundum eſt: quod implet hominem omni malo. Unde ut plenum dolium, C vino, quod vulgo dicitur, eſt plenum uſque ad oculum: ſic invidus, cuius ſignum eſt, quia malitia invidi per oculum exit. Nam dicitur in Eccleſiaſtico: Nequam eſt oculus invidi, & in Matthæo: An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Tertium eſt, quod ſpoliat hominem omni bono & cauſa eſt quia odit & impugnat omne bonum. Alia namque vitia opponuntur uni virtuti, ut ſuperbia humilitati, luxuria caſtitati, avaritia largitati, & ſic de aliis: invidia vero, ut dictum eſt opponitur omni bono, unde non tantum dicitur mala ſed peſſima. Hæc eſt enim fera peſſima, quæ devoravit Joſeph, ſicut dicitur in Geneſi. Quartum eſt, quit facit hominem penitus immiſericor.

Invidiæ damna quinque. *Matth. 12* *Peccata in Spiritum ſanctum.* *Eccli. 14* *Matt. 20* *Gen. 37*

Digitized by Google

Gen. 4 ricordem, ſicut patet in Cain, qui ex invidia non pepercit Abel fratri ſuo innocenti. Sicut patuit etiam in
Gen. 37 filiis Jacob qui invidia ſtimulante, non pepercerunt Joſeph innocenti. Sicut patuit etiam in Judæis, qui non pepercerunt Chriſto innocentiſſimo, immo innocentiæ Domino: cujus cauſa fuit invidia, ut patet in Matth.
Matt. 27 Quia Pilatus ſciebat, quod per invidiam tradidiſſent eum. Quintum eſt, quia facit hominem penitus infelicem: invidus enim de bonis aliorum affligitur, & de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine macreſcit, de ſanitate infirmatur, de vita moritur, & ipſe amittere ſe putat, quod alii lucran-
Rom. 8 tur. Et ſicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita invido omnia cooperantur in malum. Unde quidam pulcherrime deſcribens invidum, ait:

Ovid. 1 Metamor. l. 2 fab. 12

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes:
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt: niſi quem viſi movere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum: carpitque, & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt.

Filiæ invidiæ duæ. Duæ ſunt filiæ invidiæ, ſcilicet triſtitia in proſperis proximi, & exultatio in adverſis: quæ contrariantur ſpecialiter charitati, cujus officium eſt, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, ut dicitur ad Ro-
Rom. 12 manos. Iſtæ duæ filiæ figurantur per Oola, & Ooliba, quod interpretatur tabernaculum meum, quia in perſona diaboli dicitur, quod aſſumpſit
Matth. 12 ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, ſcilicet in invido. De iſtis filiabus dicitur alibi:
Ezec. 23 Duæ mulieres filiæ unius matris fuerunt, ſcilicet invidiæ, quæ ipſas ex

A diabolo concepit. Unde illæ duæ filiæ poſſunt valde proprie dici diabolicæ, imitantur enim diabolum patrem ſuum, qui de bono dolet, & de malo gaudet. Ideo dicitur: Invidia diaboli, mors intravit in orbem Sap. 2
terrarum. Imitantur autem illum quia ſunt ex parte illius.

CAPUT V.

De ira.

IRa, eſt libido vel appetitus vindictæ. De ira nota ſpecialiter tria, ſcilicet odioſam ejus effigiem, ejus ruinoſam perniciem, ejus vitioſam propaginem.

B Ira plures habet adaptationes & figuras, iter quas primo comparatur igni: nam ſicut ignis domum ligneam, & omnem materiam aridam accendit: ſic ira accendit præcipue aridos, id eſt, homines iracundos, qui carent humore gratiæ. Unde homo iracundus eſt ſicut homo habens domum ligneam, qui mane eſt dives, & in veſpere nihil habet: quia ignis iræ combuſſit ſibi domum, id eſt, conſcientiam, & per conſequens, abſtulit ſibi quidquid habebat. Octo ſimilitudines, quibus ira ſignificatur.

Secundo, iracundus eſt ſimilis ollæ bullienti: ſicut enim olla bulliendo emittit aquam, & omnia alia: C ſic iracundus ebulliendo per iram, emittit ſtultitiam & verba inordinata, juxta illud: Os futurorum ebullit Prov. 15
ſtultitiam.

Tertio, iracundus ſimilis eſt apro: nam, ſicut aper ex furore impingit, & currit contra gladium: ſic iracundus currit ad peccatum, ſcilicet contentionem, injuriam, & homicidium. De talibus dicitur: pedes eorum ad Prov. 1
malum currunt. Et Gregorius in Paſtorali: Mentem impellit furor, quo non trahit deſiderium, & agit incommoda velut neſciens, quæ poſtea dolet ſciens. Greg. Paſt. cu. p. 3 c. 1 adm. 10 ſtatim à princ.

Quarto, iracundus ſimilis eſt inſano, vel arreptitio, qui præcipitat ſe in ignem vel aquam: ſic iracundus in quamcunque malitiam. Unde

dici-

Digitized by Google

Luc. 9 dicitur de illo arreptitio, quod ubicumque apprehendit eum, allidit eum: ſic ira iracundum allidit, per impatientiam moleſtando: & ſpumat per clamores contendendo vel contemnendo: & ſtridet dentibus malitiam machinando: & areſcit, odium & rancorem concipiendo. Hæc enim ſunt ſigna iræ & opera iracundiæ.

Quinto, iracundus ſimilis eſt calculo emittenti ignem. Nam ſicut calculus percuſſus malleo, emittit ſcintillam: ſic iracundus tactus verbo, oſtendit impatientiam ſuam. Et ſicut calculus non emittit ignem, niſi tangatur aliquo duro: ſic multi reputantur patientes, qui tamen exardeſcunt in iram, tacti aliquo verbo contumelioſo. *Job 28* Dicitur enim quod lapis calore ſolutus, in æs convertitur. Lapis, animus durus & lapideus, qui quando ſolvitur calore iracundiæ, ſtatim ad modum æris reddit ſonum indignationis & contumeliæ.

Sexto, iracundus ſimilitudinis eſt rhamno. Rhamnus enim eſt quidam frutex ſpinoſiſſimus, habens ita duras ſpinas quod ad impetum venti emittit ſcintillas, ut dicit Joſephus: *Joſeph. Antiq. Jud. l. 5 c. 9 non longe a pr.* ſic iratus propter ventum indignationis emittit ſcintillas ſpinoſiſſimæ contentionis. *Jud. 9* Unde dicitur: Egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros libani, id eſt, ſuperbos & potentes hujus ſæculi, quia ſpecialiter conſueverunt eſſe iracundi.

Septimo, iracundus ſimilis eſt vaſi vacuo, poſito juxta ignem. Videmus enim quod ſi vas vacuum & terreum ponatur ad ignem, frangitur, ſi autem ſit plenum aquæ, in nullo læditur: ſic homo qui eſt de ſua conditione terreus, ſi ponatur ad ignem adverſitatis, vel tribulationis, ſtatim frangitur per impatientiam, ſi ſit gratia vacuus, ſi autem ſit gratia plenus non læditur. Et ideo dicitur: *Eccli. 27* Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.

Damna iræ quinq. Damna iræ ſunt ſpecialiter quinque. Primo enim excæcat rationis oculum, nam dicitur: *Pſalm. 6* Turbatus eſt a furore oculus meus, id eſt, rationis: & per conſequens non poteſt videre iratus quid juſtum, vel injuſtum. Unde dicitur: Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. *Iacob. 1* Et Seneca dicit, quod duo impediunt conſilium, ſcil. feſtinantia, & ira. Secundo, ira facit hominem pronum ad quodcumque peccatum. Vulgo namque dicitur de homine valde irato vel accenſo, quod omnia faceret. Et ideo dicitur: Qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivior. *Prov. 29* Tertio reddit hominem ſtultum & quaſi rabidum. Unde eo tempore, quo homo eſt iratus, perit ratio & humanitas in homine, & ſic per conſequens mutatur homo, & efficitur beſtia. Nam homo eſt animal manſuetum natura, ut dicit Philoſoph. De ſtultitia hominis iracundi dicitur: Virum ſtultum interficit iracundia. *Job 5* Quarto, aufert homini ſeipſum, ſicut vulgo dicitur, quod homo turbatus vel iratus, non eſt in ſeipſo. Satis autem damnificatur, qui perdit ſeipſum. De tali damno dicitur: Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum, ſcilicet ſui ipſius. *Prov. 19* Sic econtrario patientia ſervat hominem ſibi ipſi. Nam dicitur: In patientia veſtra, poſſidebitis animas veſtras. *Luc. 21* Quinto aufert homini omnem miſericordiam & compaſſionem. Ideo dicitur. Ira non habet miſericordiam nec erumpens furor. *Prov. 27* Unde homo iratus fugiendus eſt, ſicut canis rabidus, & leo concitatus.

Filiæ iræ ſex. Filiæ ſunt ſex, ſcilicet odium, lis, guerra, incendium, homicidium, & rapina. Iſta ſex figurantur in Ezechiele cum dicit: *Ezech. 9* Ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, id eſt, de ſuperbia quæ eſt porta ad iram: quæ reſpicit ad aquilonem, id eſt, adverſitatem, qui generat iram, vel turbationem, & unuſquiſque vas interius in manu ejus, quia iſti filii, & filiæ iracundiæ ſunt quaſi ſex vaſa interitus, vel mortis æternæ.

CAPUT VI.

De Avaritia.

AVaritia eſt immoderatus amor pecuniæ acquirendæ vel retinendæ. De qua nota ſpecialiter tria, ſcilicet typum ridiculoſum, & damnum periculoſum, & partum pernicioſum.

Novem ſimilitudinibus avaritia oſtenditur. Avaritia multas habet comparationes. Primo enim comparatur avaritia mari, morti, & inferno. Nam ſicut mare numquam redundat, ut dicitur in Eccleſiaſte, *Eccl. 1* ſic avarus numquam redundat dando eleemoſinam, vel faciendo reſtitutionem: licet ad modum maris omnes fluvios mundi bibat, id eſt, abſorbeat omnes divitias per cupiditatem. Unde ratione hujus inſatiabilitatis comparatur mari, & eodem modo morti, vel inferno, quia numquam ſatiatur illa occidendo, & ille deglutiendo. Unde de avaro dicitur: *Abac. 2* Dilatavit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors & non adimplebitur.

Secundo avarus ſimilis eſt talpæ, in quatuor. Avarus enim ad modum talpæ eſt niger per nequitiam, cæcus per ignorantiam, quot habet poſſeſſiones, tot habet tumulos in quibus ſepelit ſeipſum per continuam ſolicitudinem, quidquid fodit, ponit ſupra ſe, quia de omnibus facit Deum.

Tertio, comparatur ſterquilinio, quia ſicut ſterquilinium congregatum corrumpitur & fœtet, diſperſum vero facit agros fructificare: ſic divitiæ avari quamdiu ſunt congregatæ, animam corrumpunt, ſed diſperſæ pauperibus, ipſos nutriunt & divitum peccata redimunt, juxta illud: *Luc. 11* facite vobis amicos de mammona iniquitatis. De hoc ſterquilinio dicitur: *Ezec. 7* Aurum eorum in ſterquilinium erit.

Quarto, avarus ſimilis eſt rotæ molendini, quantumcumque enim, & quotieſcumque vertatur, ſemper tamen in eodem loco invenitur: ſic avarus, qui nudus in mundum venit, quantumcumque laboret, nudus tamen de mundo recedit ſolum. Unde dicitur: Nudus egreſſus ſum de *Job 1* utero matris meæ, & nudus revertar illuc.

Quinto, avarus ſimilis eſt porco, porcus enim nihil valet dum vivit, ſed quando moritur, valere incipit: ſic avarus non valet aliquid in vita quia vivens non vult reſtituere, nec eleemoſynam dare, ſed moriens quandoque incipit liberalis eſſe, de hoc quod non poteſt ſecum portare: quia Diaboli habent animam, vermes corpus, amici divitias, quia divitiæ deſerunt eum, non ipſe divitias: ſicut canis ſequens duos homines, in capite viarum oſtendit, quis ſit Dominus ejus, quia tunc ſequitur Dominum ſuum proprium, & dimittit extraneum: ſic divitiæ in capite mortis ſequuntur mundum, & dimittunt avarum. Nam dicit Apoſtolus: Nihil enim intulimus in hunc mundum, nec *1 Tim. 6* dubium, quia nec auferre quid poſſumus.

Sexto, ſimilis eſt avarus pixidi perforatæ ſuperius, quæ recipit pecuniam, quam numquam poteſt reddere, niſi frangatur: ſic avarus, & præcipue uſurarius, pecunias & divitias haurit & congregat, ſed numquam, niſi morte frangatur, eas reſtituere curat. Ideo dicitur de avaro: Comminuetur, ſicut conteritur *Iſa. 30* lagena figuli, contritione pervalida.

Septimo, avarus ſimilis eſt trunco arboris. Nam ſicut Dominus, qui habet truncum in horto, poteſt inſerere ramum cujuſcumque generis voluerit: ſic diabolus, quando poteſt in corde hominis inſerere avaritiam vel cupiditatem, omnia vitia inſerit: quia jam habet omnium malorum radicem & principium. Juxta illud Apoſtoli: Radix omnium malorum eſt cupidi- *1 Tim. 6.* tas.

Octavo, avarus ſimilis eſt gallinæ, nam gallina naturaliter ſurda eſt in Auguſto vel æſtate, ſic avarus in æſtate, id eſt, in ſtatu meriti, vel in tempore gratiæ, quando debet colligere

gere bonorum operum meſſem, ad A modum gallinæ ſurdus eſt, quia non vul audire prædicatores. Unde avarus dicitur in perſona Domini: Vocavi, & renuiſtis, &c. Prov. 1

Nono, avarus ſimilis eſt apoſtemati, quod eſt proximum cordi, & rei, quæ ponitur immediate ſuper pupillam oculi. Apoſtema enim tunc eſt periculoſum, quando eſt juxta cor: ſic divitiæ tunc ſunt mortiferæ, quando diliguntur nimio amore. Unde dicitur in Pſalmo: Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Ps. 1 Per eamdem etiam rationem comparatur rei, quæ ponitur immediate ſuper pupillam oculi. Numquam enim res bene poteſt videri, quæ nimis eſt propinqua oculo, ideo avarus malus videt divitias, quia nimis prope apponit mentis oculum, & nimis diligit eas, ideo dicit idem Pſalmiſta. Pſalm. 16 Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Damna avaritiæ ſunt præcipue novem. Primo enim facit hominem nudum. Unde dicitur in Apocalypſi: Apoc. 3 Dicis, quia dives ſum & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Nota hic quinque infortunia avari. Eſt enim miſer, quia divitias cum labore acquirit: miſerabilis, quia cum timore cuſtodit: pauper, quia cum dolore perdit: cæcus, quia nihil aliud reſpicit: & nudus, quia nullum aliud bonum facit. Secundo avaritia facit hominem ſervum: nam divitiæ non ſunt avarorum, ſed ſunt avari divitiarum. Ideo ſignanter dicit Propheta in Pſalmo: Pſalm. 75 Viri divitiarum non virorum divitiæ. Tertio avaritia facit hominem ſtultum, nam ſtultus non præcavet periculo, quamvis ſit propinquum; ſic avarus non fugit periculum inferni, cum ſit etiam morti propinquus. Ideo dicitur avaro in Luca: Luc. 12 Stulte hac nocte animam tuam repetent a te, ſcilicet dæmones. Hæc autem quæ paraſti, id eſt, congregaſti, Pſalm. 38 cujus erunt? quia theſaurizat impius, & ignorat cui congregabit ea. Quarto avaritia facit hominem abominabilem. Unde dicitur in Oſea: Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt. Oſee 9 Non enim mirum eſt, ſi Deus abominatur avarum, cum ipſe tantum Deum contemnat, quia plus diligit nummum, vel obolum quam Deum. Cujus ſignum eſt, quia pro obolo aliquando non veretur mentiri, nec vult dare obolum pauperi pro amore Dei. Quinto facit inſatiabilem. Unde avarus comparatur hydropico, qui bibit & numquam ſatiatur. Unde dicit Eccleſ. Eccleſ. 5 Avarus non implebitur pecunia. Sexto facit hominem inſatiabilem, vel ſolitarium, ſicut aves rapaces volant non congregatim, ſed ſolitariæ: ſic avarus B ſemper eſt ſolitarius, quia numquam vult ſocium in pecunia. Unde de avaro dicitur in Eccleſiaſte. Eccl. 4 Unus eſt, & ſecundum non habet. Et ideo ſua eſt hæc maledictio, quæ ibidem ſcribitur: Væ ſoli, quia ſi ceciderit, & cetera. Septimo facit hominem obliviosum propriæ ſalutis, & in ſignum hujus Manaſſes & Ephraim fuerunt fratres, ut habetur in Geneſi. Gen. 41 Manaſſes interpretatur oblivio: Ephraim fructificans, vel creſcens, & figurat avarum, qui eſt creſcens Ephraim, id eſt, in divitiis, & eſt Manaſſes, quia ſcilicet obliviſcitur propriæ ſalutis. Octavo facit hominem anguſtioſum, nam dicitur in Eccleſiaſte: Eccl. 10 Labor ſtultorum affligens eos. C Ideo divitiæ dicuntur ſpinæ in Luca, Luc. 8 quia cruciant poſſidentes, ſicut videmus quod ſpina in pede non ſinit hominem quiete dormire. Nono facit hominem tempeſtuoſum; numquam enim cupidus, vel avarus poteſt habere, nec in conſcientia, nec in domo propria pacem. Unde dicitur in Proverbiis: Prov. 15 Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam. Eſt enim talis ſicut canis, qui dum rodit os iraſcitur omni appropinquanti ſibi, ſive ſit extraneus ſive notus: quia vulgo dicitur, quod canis non vult ſocium in coquina.

Filiæ autem avaritiæ ſunt duodecim, Filiæ Avaritiæ ſunt duodecim. ſcilicet uſura, rapina latrocinium, talliæ injuſtæ, fraus negotiatorum, deceptio advocatorum, acceptio mu-

 nerum,

nerum, ſimonia pro promotione conſanguineorum, peccata Anachoritarum, id eſt, illorum, qui promoventur favore & potentia principum, fraus mercatorum, avaritia ſcientiæ, & iniquitas luſorum. Iſta enim peccata quæ generat avaritia, figurantur per *Gen. 17* duodecim duces, quos Iſmael generavit. Iſmael enim erat idololatra, & figurat avarum. De quo dicitur ad *Epheſ. 5* Epheſios: Avaritia eſt idolorum ſervitus. Filii ejus recte dicuntur duces, quia fere totus mundus regitur, & ducitur iſtis duodecim peccatis, quæ ex avaritia naſcuntur. Nam di- *Iſa. 56* cit Iſaias: Omnes in viam ſuam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam a ſummo uſque ad noviſſimum. Et in *Hier. 6* Hieremia dicitur: quod a minori uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent.

CAPUT VII.

De Acedia.

Acedia eſt parvus amor boni, cum tædio & inordinata animi triſtitia, & impatientia rei divinæ. De acedia nota ſpecialiter tria, ſcilicet typum turpiſſimum, damnum graviſſimum, & partum viliſſimum.

Sex Acediæ comparationes Acedia habet multas figuras, & ſimilitudines deteſtandas. Primo comparatur acedia ſalicibus; quæ ſunt arbores infructuoſæ, & ſolum faciunt umbram: ſic acedioſi & otioſi nullum faciunt fructum, ſed ſolum umbram diabolo, & refrigerium. Unde dici- *Job 40* tur de diabolo in Job: Circumdant eum ſcilicet diabolum, ſalices infructuoſæ. Secundo comparatur acedia febri hecticæ, vel phtiſicæ, vel laſſæ, vel paralyſi. Febris hectica vel phtiſica, fit ex conſumptione humoris naturalis: ſic acedia fit, quia deficit humor divinæ dilectionis, & devotionis. Similiter febri laſſæ comparatur, nam febris hujuſmodi, vix, aut numquam curatur: ſic piger vel otioſus, cum ſit ſemimortuus, vix corrigitur. Eſt enim languor, de quo *Eccl. 10* dicitur in Eccleſiaſtico: Languor pro- A lixior gravat medicum. Comparatur etiam paralyſi, quæ facit membra arida & impotentia: ſic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, & membra omnia ad laborem pœnitentiæ ſuſtinendum. Unde de talibus dicitur in Pſalmo: Manus habet, & non palpabunt *Pſal. 113* pedes habent, & non ambulabunt. Tertio comparatur Adonibezech, de quo dicitur: quod amputavit manus & pedes ſeptuaginta regibus. Adonibezech enim interpretatur dominator *Judith. 1* egeſtatis, & ſignificat acediam, quæ facit ſubditos ſuos egentes & inopes: nam dicitur in Proverbiis: Egeſtatem *Prov. 10* operata eſt manus remiſſa, id eſt pi- B gra. Iſte Adonibezech amputat manus & pedes regibus, quia ad litteram, reges & prælati volunt vivere nunc otioſi. Vel reges dicuntur viri religioſi, iuxta illud Eccleſiaſtici; Qui *Eccl. 48* ungis reges ad pœnitentiam. Religioſi quidem deberent ſe, & alios regere per vitam & doctrinam, ſed aliqui habent manus & pedes amputatos per acediam. Quarto comparatur otioſus cani famelico, huiuſmodi enim piger, & otioſus ad modum canis eſurit, & omnes ſeorſus univerſalem famem patiuntur, iuxta illud Pſal. Fa- *Pſal. 58* mem patientur ut canes: os enim eius eſurit cibaria delicata, lingua verba vana, manus vilia, cor honores, auris rumores, & oculi vanitates. C Ideo dicitur in Proverbiis: Deſideria occidunt pigrum. Quinto comparatur *Prov. 21* otioſus vel piger ferro, terræ, & aquæ, & veſti, ſcholari negligenti homini ſtanti & non ambulanti: iſtis enim ſex eadem ratione adaptatur: Ferrum quidem, quod non tractatur, cito rubiginatur. Terra quæ non colitur, malas herbas generat. Aqua quæ non movetur, cito corrumpitur. Veſtis quæ non portatur, de facili a tinea corroditur. Scholaris negligens, qui non addiſcit, de neceſſitate nihil ſcit Homo ſtans qui non vadit, facilius cadit, quam ille qui ſemper incedit Sic acedioſus, quia non exercet ſe in aliquo bono opere, ideo ſuccumbit vitiis, & vincitur tentatione. Unde dicit

Hiero. ep. 4 ad Ruſt. Monach. circa med. dicit Hier. ad Ruſticum monachum: Semper aliquid boni facito, ut te diabolus non inveniat otioſum. Facilius enim diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos. Nam immundus ſpiritus cum invenit domum vacantem, ſcil. per acediam, aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, id eſt univerſa vitia, & ingreſſi habitant ibi, ut dicitur in Matth. *Matt. 12* Sexto comparatur otioſus, & piger Letargico, qui moritur dormiendo, ſicut Siſara, de quo dicitur: *Jud. 4* quod ſoporem morti ſocians, defecit, & mortuus eſt. Et ſicut vulgo dicitur, quod nimis fortiter & profunde dormit, qui culcitram ſibi furari permittit: ſic piger nimis oppreſſus eſt ſomno acediæ, qui permittit ſibi furari culcitram, id eſt quietem bonæ conſcientiæ.

Damna, quæ infert Acedia ſeptem. Damna acediæ ſunt ſpecialiter ſeptem. Primum eſt paupertas, quæ facit hominem egentem tam corporaliter, quam ſpiritualiter. Ideo dicitur in Proverbiis: *Prov. 10* Egeſtatem operata eſt manus remiſſa. Et in Matt. *Matt. 25* dicitur de ſervo pigro: Tollite ab eo talentum. Quia vere talentum gratiæ meretur amittere, qui illud negligit multiplicare. Secundum eſt vilitas, facit enim acedia hominem vilem, unde dicitur in Eccli. *Eccli. 22* In lapide luteo lapidabitur piger. Lapis luteus poteſt dici peccatum immundum, ad quod acedia facit hominem pronum. Tertium eſt timor, vel puſillanimitas: facit enim hominem pavidum & puſillanimem ad modum leporis. Unde dicitur in Proverbiis: *Prov. 21* Timor deiicit pigrum, ſcilicet de cacumine virtutis. Quartum eſt ſpiritualis corruptio. Corrumpitur enim ad inſtar aquæ non motæ. Ideo dicit Hieremias: *Hier. 48* Moab non eſt transfuſus de vaſe in vas. Moab interpretatur acedioſus, qui de vaſe in vas non eſt transfuſus, quia in bonis operibus non eſt occupatus. Quintum eſt vitiorum accumulatio: replet enim acedia hominem univerſis vitiis. Nam dicitur in Proverbiis: *Prov. 24* Per agrum hominis pigri tranſivi; & ecce totum A repleverant urticæ. Urtica recte figurat acediam: nam urtica habet molle folium, ſed in folio habet aculeum pungitivum: ſic acedia ad modum urticæ, habet in mollitie remiſſionis aculeum pungitivæ tentationis. Sicut aſinus libenter paſcitur hujuſmodi pungitivis, id eſt cardonibus: ſic piger libenter paſcitur huiuſmodi pungitivis, id eſt delectationibus perverſis, quaſi aculeatis. Sextum eſt exprobrabilis accuſatio: facit enim acedia hominem exprobratione dignum. Unde dicitur in Proverbiis: *Ibidem.* Uſquequo piger dormies? Et ideo ad confuſionem ſuæ negligentiæ, immittitur otioſus in ſchola formicæ ad diſcendum. Juxta B illud quod ſcribitur in Proverbiis: *Prov. 6* Vade ad formicam, o piger. Et ſatis eſt homini magna confuſio, quod oporteat eum addiſcere a tam parvo & deſpecto magiſtro.

Pigritia in decem caſibus eſt reprehenſibilis. Et nota, quod pigritia vel negligentia eſt præcipue reprehenſibilis in decem caſibus. Primo quando eſt magnum iter, & tempus breve: ſic nos habemus magnum iter, ſcilicet uſque ad cœlum. Juxta quod dictum eſt Eliæ: *3 Reg. 19* Grandis enim reſtat tibi via, & tempus eſt valde breve, ſcilicet via noſtra, quæ eſt quaſi tranſitus umbræ, ut dicitur in libro Sapientiæ. *Sap. 2* Secundo eſt reprehenſibilis negligentia, quando quis expectatur a magiſtris, & pigritat venire: C ſic nos periculoſe pigritamus, qui expectamur ab angelis, & ſanctis. Tertio quando quis vocatur ad magna ſic pigritari eſt periculoſum, quia vocamur ad magna, ſcilicet ad regnum cœlorum. Quarto quando multa impedimenta ſunt in via: ſic nos nullo modo debemus pigri eſſe, quia viam noſtram impediunt tentationes diverſæ. Quinto quando res impignorata non redimitur in termino: ſic nobis periculoſum eſt ſi negligamus animam redimere, quæ eſt impignorata diabolo per peccati delectationem. Sexto quando præſcriptio eſt prope terminum ſuum: ſic nobis eſt valde periculoſum, cum diabolus præſcripſerit hominem ſeu animam per peccata multo tempore, ſi

Digitized by Google

non inquiratur eius præſcriptio, ſcilicet lacryma, confeſſione, & oratione, & hoc ante terminum præſcriptionis, ſcilicet ante diem mortis; quia dicitur in Eccleſiaſtico: Ante mortem confitere. Et iterum: Viuus & ſanus confiteberis. Septimo quando qui cecidit in turpem locum. Turpis enim locus in quem cecidimus eſt peccatum, quod eſt quid turpiſſimum, & ideo non debemus eſſe pigri ad ſurgendum. Octavo quando magnum donum offertur. Hoc donum eſt divina gratia, & ſi illud negligimus accipere, hæc negligentia eſt valde periculoſa. Nono, quando quis eſt in magno periculo, niſi ei ſuccurratur, eſt valde periculoſum ei: ſic negligentia valde periculoſa eſt homini pigro, niſi cito animæ ſuccurrat, quæ eſt in periculo infernalis præcipitii. Decimo quando tempus eſt plantandi arbores, & non plantantur: putandi vineas, & non putantur: ſeminando agros, & non ſeminantur: metendi meſſes, & non metuntur: domandi animalia, & non domantur: curandi vulnera, & non curantur: lavandi veſtes, & non lavantur: ſaliendi carnes, & non ſaliuntur. In omnibus iſtis valde periculoſa pigri negligentia, & merito ſunt reprehenſibiles, qui in iſtis ſpecialiter, ſunt negligentes: Eſt enim modo tempus ad omnia prædicta ſpecialiter facienda: nunc enim eſt tempus plantandi per charitatis radicationem; putandi per peccatorum confeſſionem, ſerendi per eleemoſynarum largitionem, metendi per bonorum operum accumulationem, domandi animalia per carnis mortificationem, curandi vulnera per pœnitentiæ medicationem, lavandi veſtes per lacrymarum effuſionem, ſaliendi carnes per continentiæ ſatisfactionem. Hæc enim decem prædicta ſunt quæ oportet fieri cito, ut dicitur in Apoc.

Eccl. 17

Apoc. 2

Filiæ acediæ quindecim.

Filiæ acediæ ſunt quindecim. Tepiditas, mollities, ſomnolentia, otioſitas, dilatio, tarditas, negligentia, imperſeverantia, remiſſio, diſſolutio, ignavia, indevotio, triſtitia, tædium vitæ, deſperatio. Hæc quindecim peccata quæ naſcuntur ex acedia, figurantur per quindecim cubitos, quibus aſcendit aqua diluvii ſuper montes univerſos. Sicut enim aqua diluvii ſubmerſit mundum, ſic acedia ſuffocat otioſum. Et ſicut tunc quindecim cubitis ſuper omnes montes effluxit aqua: ſic ex acedia quindecim generantur peccata. Ideo nota quod contra prædicta peccata, ſummum remedium eſt diverſitas occupationum.

Gal. 7

Remedium contra acediam.

CAPUT VIII.

De Gulæ.

Gula eſt immoderatus appetitus edendi, & potandi. De gula nota ſpecialiter tria, ſc. typum reprobandum, damnum lamentandum, & partum deteſtandum.

Gula multis rebus deteſtabilibus comparatur. Primo eſt ſquinantiæ ſimilis, nam ſquinantia eſt morbus gutturis, & cito ſuffocat hominem: ſic gula, quæ ad litteram eſt gutturis vitium, faciliter ſtrangulat hominem per peccatum. Unde dicitur in Eccl. Propter crapulam multi obierunt: morte quadruplici, ſcilicet morte naturæ, culpæ, infamiæ, & gehennæ. Secundo, comparatur morbo regio, nam ille morbus requirit magnas expenſas, & inde dicitur regius, quia ſoli reges & homines potentes, poſſunt ſpecialiter ſufficere ad expenſas tam grandes: ſic gulæ vitium eſt tam magnarum expenſarum, quod vix poteſt ei aliquid ſufficere. Nam dicitur in Eccl. Omnis labor hominis eſt in ore ſuo, id eſt, quidquid ex labore acquirit, ore ſuo guloſe conſumit. Tertio comparatur boliſmo, nam boliſmus eſt caninus appetitus, qui interficit hominem guloſum, quia non poteſt ſatiari: ſic gula maledicta, ad modum appetitus canini interficit guloſum, qui numquam poteſt ſatiari. Unde dicitur in Proverbiis: Venter impiorum inſaturabilis. Quarto comparatur guloſus ſacco pertuſo

Gulæ comparationes octo.

Eccl. 37

Eccli. 6

Prov. 13

tuſo vel perforato in fundo, qui quantumcumque ex una parte accipit, tantum ex altera parte perdit: talis ſaccus eſt guloſus homo, qui ex una parte habet coquinam ad implendum ventrem, & ex altera latrinam ad evacuandum. Et ſatis miſer eſt homo, qui ſemper eſt deditus tam vili officio. Unde dicitur: Qui mercedes congregavit, & miſit eas in ſacco pertuſo. *Aggai 1* Quinto guloſus comparatur porco, nam porcus eſt animal deditum gulæ, diabolus autem nutrit & impinguat porcos & Bachones ſuos, ſcilicet guloſos, & poſtea ad fumum inferni ponit eos, ut in æternum devoret & paſcatur. Unde dicitur in Matthæo: Si eiicis nos hinc, mitte nos in porcos, id eſt, in guloſos. *Matth. 8* Sexto comparatur gula freno, nam ſicut ſeſſor ducit equum quocumque voluerit, poſtquam ipſum infrenavit: ſic gula ducit guloſum ad omne peccatum ex quo homo vitio gulæ infrenari ſe permittit: Ideo de guloſo dicitur in Pſalm. In chamo & freno maxillas eorum conſtringe. *Pſal. 31* Septimo guloſus comparatur Eſau, qui pro cibo lenticulæ vendidit primogenita ſua: *Gen. 25* ſic guloſi pro gula vendunt præmia æterna. Nam dicitur in Threnis: Dederunt quæque pretioſa pro cibo. *Thren. 1* Octavo comparatur piſci & avi, nam ſicut piſcis per guttur capitur cum hamo, & avis per collum cum laqueo tenetur: ſic guloſus per guttur, & collum capitur gulæ vitio. Et præcipue inter aves, guloſus ſimilis eſt avibus pinguibus propter tria ſpecialiter. Primo quippe quia avis pinguis non poteſt multum alte volare: ſic guloſus, nec cœleſtia deſiderare. Item avis pinguis, ſicut ſunt coturnices in vindemiis, quando ſunt bene pingues, de facili capiuntur ab accipitre: ſic homines dediti gulæ, facile vincuntur a tentatione. Item ſicut avis pinguis, ſcilicet accipiter, quando eſt bene ſatur, non vult venire ad manum Domini, quantumcumque ſibi oſtendantur carnes: ſic guloſi fugiunt manus Dei quantumcumque oſtendat eis carnes

A

rubeas, ſcilicet benedictæ paſſionis Chriſti. Nam in Deuteronomio dicitur de guloſo: Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum. *Deut. 3* Comparatur guloſus cani, qui ducit cæcum in lutum. Nam canis ducens cœcum: propter id quod videt in luto, ducit cæcum in lutum: ſic gula ducit guloſum in lutum, ſcilicet in immunditiam peccati. Et ideo ſuadet ſapiens: Poſt concupiſcentias tuas non eas. *Eccli. 18*

Damna gulæ ſunt ſpecialiter ſex. *Damna gulæ ſex.* Primum eſt mentis brutalitas quantum ad rationis defectum. Nam dicit Petrus: Hi ſcilicet guloſi, ſunt velut irrationabilia pecora, *2 Pet. 2* & etiam

B

quantum ad defectum compaſſionis; nulla enim compaſſione movetur guloſus ad pauperem, & afflictum, ac ſi eſſet animal brutum. Unde dicitur in Amos; Bibentes vinum in phiala, nihil compatiebantur ſuper contritione Joſeph, id eſt pauperis. *Amos 6* Exemplum de divite Epulone, qui non eſt compaſſus Lazaro, cui tamen compatiebantur canes, ejus ulcera lingendo; *Luc. 16* Secundum eſt corporis infirmitas. Nam dicitur in Eccleſiaſtico: In multis eſcis non deerit infirmitas, & etiam mors triplex, ſcil. naturæ, culpæ, & gehennæ. *Eccli. 37* Tertium eſt oris loquacitas, ſicut patet de Herode, qui in convivio temere promiſit, & juravit

C

ſaltatrici puellæ, ſe daturum quidquid peteret, & ad petitionem ejus præcepit amputari caput Joannis Baptiſtæ, ut dicitur in Marco. *Marc. 6* Quartum eſt inopia rerum, exemplum de filio prodigo, qui diſſipavit omnia bona ſua, quouſque fuit ita pauper, quod cupiebat de ſiliquis porcorum ſatiari, quæ idem ſunt, quod furfur ſecundum aliquos, & ſecundum alios cortices fabarum. Quintum eſt carnis luxuria, nam ex vicinitate membrorum, ſcilic. ventris, & genitalium, intelligitur confœderatio vitiorum. Ideo dicit Jeremias: Saturavi eos, & mœchati ſunt. *Hier. 5* Sextum eſt cordis ſtultitia. Unde dicitur in Proverbiis: Quicumque bis delectatur, non erit ſapiens, *Prov. 20* & Oſeas *Oſea 4* dicit,

dicit quod vinum & ebrietas auferunt cor.

Filiæ gulæ ſunt duæ, ſcilicet caſtrimargia, & ebrietas. Caſtrimargia eſt exceſſus in cibo: & dicitur a Caſtro & mergo, ideo quod omnia mergit in Caſtro ventris. Ebrietas eſt exceſſus in potu: & dicitur ebrietas quaſi extra briam. Nam bria dicebatur antiquitus calix vel poculum, qui erat menſura potus, nam vinum dabatur ad menſuram. Et iſtæ duæ filiæ ſunt illæ filiæ, de quibus dicitur in Proverbiis: Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, affer. Sanguiſuga dicitur venter, quia ad modum ſanguiſugæ citius obruitur quam ſatiatur, ut dicit Bern. Hujuſmodi ergo ſanguiſugæ, ſcilicet ventris duæ ſunt filiæ, ſcilicet gaſtrimargia & ebrietas, dicentes, Affer. Nam gaſtrimargia dicit affer cibum: ebrietas dicit affer potum. Una vult aliquantulum comedere poſt potum: & alia aliquantulum bibere poſt cibum. Et ſic in infinitum.

Prov. 30

Bern. in Apol. ad Gulielm. abb. poſt med.

CAPUT IX.

De Luxuria.

LUxuria eſt immoderatus appetitus ſecundum tactum. De luxuria nota ſpecialiter tria, ſcilicet quod habet typum odioſum, damnum remorſivum, partum pernicioſum.

Luxuria habet multas figuras deteſtabiles, & ſimilitudines odioſas. Primo enim comparatur gehennæ: nam in gehenna ſunt ſpecialiter tria, ſcilicet ignis ardens, vermis rodens, & ſulphur fœtens: ſic in peccato luxuriæ eſt ignis concupiſcentiæ, vermis, ſcilicet remorſus conſcientiæ, & ſulphur, ſcilicet fumus infamiæ. Et ideo qui eſt in peccato luxuriæ, jam quodammodo eſt in ſupplicio gehennæ. Unde dicitur in Matthæo: Expedit tibi ſcilicet o luxurioſe, ut pereat unum membrum, ſcilicet illud viliſſimum, & innominandum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Secundo comparatur luxurioſus fatuo

Luxuriæ comparationes novem.

Matt. 5

A mercatori, qui rem pretioſam dat pro vili pretio: ſic luxurioſus dat pro vili pretio, ſcilicet pro peccato. Unde dicitur in Proverbiis: Pretium ſcorti vix eſt unius panis, mulier autem pretioſam animam viri rapit: & facit magnam injuriam iſte fatuus mercator Chriſto, qui cariſſime emerat animam ejus. Debuiſſet enim dixiſſe diabolo, qui emit animas ad tam vile pretium: Non poſſum tibi vendere animam meam, quia alius, ſcilicet Chriſtus ſatis majori pretio emit eam. Juxta illud quod dicit Apoſtolus: Empti enim eſtis pretio magno. Iſte enim fatuus mercator, ſcilicet luxurioſus, qui tam magnum forum fecit de mercibus ſuis, non eſt mirum ſi cito amiſit capitale ſuum. Et ideo inter omnes peccatores, luxurioſus veniet ad judicium pauperrimus. Nam ipſe vendidit & deſtruxit quidquid habebat, ſcilic. Deum & ſanctos, animam, famam, gloriam, ſubſtantiam, & gratiam. Tertio comparatur luxurioſus corvo, qui cadaveribus adhæſit, ut dicitur in Geneſi: ſic facit luxurioſus, quia dimiſſa arca continentiæ, & caſtitatis, adhæret cadaveribus, id eſt delectationibus immundis. Quarto luxurioſus comparatur fatuo bellatori, ſcilicet inermi, qui vix cavet hoſtem ſuum, quando ipſum melius videt armatum. Arma namque diaboli ſunt mulieres, illæ enim ſunt baliſtæ diaboli de longe inſigentes. Tunc enim fatuus eſt luxurioſus, qui non curat hoſtem ſuum fugere, ſed attendit pulchritudinem baliſtæ. Similiter mulier compta & pulchra cum ſuis ornamentis, eſt gladius diaboli bene ſcindens & bene limatus. Luxurioſus eſt tantum infatuatus, & attentus circa pulchritudinem iſtius gladii, quod non curat fugere ictum inimici ſui. Similiter mulieres ſunt caſtra in quibus diabolus ponit vexilla, id eſt diverſa paramenta. Luxurioſus nimis appropinquat ad caſtrum, ubi videt arma diaboli, quia non cavet, percutitur & jaculatur, tantum tactus eſt pulchritudine vexillorum. Unde bene figu-

Prov. 6

1 Cor. 6

Gen. 8

ſiguratur luxurioſus per Abimelech, de quo dicitur: Quod veniens ad oppidum Abimelech appropinquavit ad turrim, & ecce una mulier fragmen molæ deſuper caput ejus jaciens, confregit caput ejus, cerebrumque effudit. Abimelech iſte nimis appropinquans ad turrim, eſt homo luxurioſus, incaute appropinquans ad mulierem. Fragmen molæ quod mulier iecit, & Abimelech interfecit, eſt tentatio quæ a muliere procedit, & miſerum luxurioſum interficit. Quinto comparatur luxuria ſagenæ, nam ſagena omne genus piſcium capit, nec facit aliquam differentiam, ſed quidquid invenit, apprehendit: ſic peccatum luxuriæ fere totum mundum involvit. Nam dicitur de diabolo, qui piſcatur, cum hac ſagena. Totum in hamo ſublevavit, totum traxit in ſagena ſua. Sexto comparatur luxuria igni Græco. Ignis enim Græcus horribiliter ardet & aquas comburit, & vix poteſt extingui: ſic ignis luxuriæ, etiam in frigidis & mortificatis ardet, & fere omnia devorat. Nam dicitur de luxuria: ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans. Et in Joel: Ignis, ſcilicet luxuriæ, comedit ſpecioſa deſerti, id eſt pulchros viros & mulieres huius mundi. Et nota, quod ignis iſte Græcus conſuevit extingui cum duobus ſcilicet cum arena, & cum aceto: quia luxuria habet iſta duo magna remedia, arenam, ideſt, conſiderationem infructuoſitatis huius mundi, & acetum, id eſt, acrimoniam, & auſteritatem pœnitentiæ. Septimo comparatur luxurioſus equo: nam equus nihil valet ſine calcaribus & freno: ſic homo niſi habeat frenum continentiæ cum calcaribus pœnitentiæ, efficitur inutilis ad modum equi non frenati, propter luxuriæ laſciviam. Ideo dicitur in Pſalmo: Nolite fieri ſicut equus & mulus, &c. Octavo comparatur luxurioſus navi, quæ a nauta ſine ullo gubernatore ducitur, ſed ſolum aquæ fluxum ſequi permittitur. Juxta illud quod vulgo dicitur: Qui vadit ad votum ſuum, vadit ad dolorem ſuum. Navis enim

Jud. 9 — *Abac. 1* — *Job 31* — *Joel. 1* — *Pſal. 31*

A numquam per ſe ad portum ducitur, niſi recte a nauta ducatur, vel regatur. Caro noſtra eſt navis, & ſpiritus eſt nauta: ſed numquam caro veniet ad potum ſalutis, niſi a ſpiritu ducatur gubernaculo virtutis: immo ſequeretur fluxum aquæ, id eſt, impetum luxuriæ, & tandem præcipitaret hominem in mare oceanum damnationis æternæ. In figura huius dicitur in Mattheo, quod navicula operiebatur fluctibus: quia vere caro noſtra mergeretur fluctibus tentationis, niſi adeſſet auxilium divinæ virtutis. Nono comparatur luxuria ſtercori, & luto propter vilitatem, nam ſicut porcus fovetur in luto, & equus iacet in B proprio fimo: ſic luxurioſi perſeverantes interdum moriuntur in proprio peccato. Et ideo dicitur in Joele: Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Super quo dicit beatus Greg. Jumenta in ſtercore ſuo putreſcere eſt luxurioſum in fœtore luxuriæ vitam finire.

Damna luxuriæ ſunt ſex. Primo enim hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert ſiquidem gloriam & gratiam, & propriam ſubſtantiam. Unde dicitur, quod filius Prodigus, per quem luxurioſus figuratur, diſſipavit ſubſtantiam ſuam in meretricibus, vivendo luxurioſe. Secundo deiicit in peſſimam ſervitutem, facit enim quod turpior & vilior pars quæ eſt in homine, dominatur ei. Hæc ſervitus C figuratur per ſervitutem Ægypti, quæ erat ſervitus luti & lateris, ut dicitur in Exodo: per quam bene intelligitur luxuria, quæ eſt ſervitus lutoſæ delectationis. Tertio proiicit hominem in maximam vilitatem: quia hominem, qui ſimilis eſt Deo & Angelis, facit eſſe parem brutis. Unde dicit in Pſalmo: Homo cum in honore eſſet, non intellexerit, ſc. quod ad imaginem Dei creatus ſit: comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Quarto luxuria privat hominem omni ratione, ſicut animalia bruta turpiter infatuat: ſicut patet in Salomone, qui tantæ fuit ſapientiæ, & tamen de ipſo dicitur, quod depravatum eſt cor eius propter mulie-

Matth. 8 — *Joel. 1* — *Greg. ho. 10 in Ev. poſt med. & in Pſ. 4 pœn. exp. verb. Pſal. Benigne fac Domine, &c.* — *Luc. 15* — *Exod. 1* — *Pſal. 48* — *3 Reg. 11*

Digitized by Google

lieres. Quinto hominem acriter mortificat, occidit enim triplici morte, ſcilicet morte culpæ, morte infamiæ, morte gehennæ. Et ideo dicitur in Eccleſiaſte: Inveni amariorem morte mulierem. Mors enim naturæ ſimplex eſt, & tranſitoria: ſed mors luxuriæ multiplex eſt & ſempiterna. Sexto hominem fortiter illaqueat, unde dicitur etiam in Eccleſiaſte de muliere: Laqueus venatorum eſt, id eſt dæmonum, qui venantur animas peccatorum: ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius. Et nota hic de muliere triplex genus capturæ, ſcilicet laqueum, quo capiuntur volatilia, ſagenam qua capiuntur natatilia, & vincula quibus capiuntur animalia ſilveſtria & terreſtria. Luxuria vero capit volatilia, ideſt ſuperbos, natatilia, ideſt delicioſos: & animalia terreſtria, ideſt avaros, & ſic fere nihil ſibi evadit.

Eccl. 7 *Ibidem.*

Filiæ luxuriæ quinque. Filiæ luxuriæ ſunt quinque, ſcilicet fornicatio, quæ eſt cum muliere ſoluta: adulterium, quod fit cum coniugata: ſtuprum, quod eſt cum virgine, vel religioſa: & inceſtus, qui eſt cum affine, vel conſanguinea: & peccata contra naturam. De iſtis quinque filiabus habetur in figura in quarto Regum: ubi dicitur quod quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis vendebatur. Stercus columbæ quæ eſt avis luxurioſa, figurat immunditiam luxuriæ. Quinque argentei quibus ſtercus emitur, vel venditur, ſunt iſta quinque peccata, quibus delectatio luxuriæ procreatur. Et bene quarta pars ſtercoris emitur quinque argenteis, quia cum quatuor ſint in peccato luxuriæ, ſcil. cogitatio, delectatio, conſenſus, & operatio, unum ſolum de iſtis, ſc. delectationem, id eſt, quartam partem peccati præcipue emit, & procurat luxurioſus. Ab his omnibus vitiis ſupradictis nos clementer abſolvat, & potenter eripiat, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus Amen.

4 Reg. 6

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS SECUNDUS

De Pœnitentia, & ejus partibus.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Pœnitentia in communi. Cap I.
De Contritione. Cap. II.
De Confeſſione. Cap. III.
De Satisfactione. Cap. IV.
De Oratione. Cap. V.
De Jejunio. Cap. VI.
De Eleemoſyna. Cap. VII.

CAPUT I.

De Pœnitentia in genere.

POſt tractatum de vitiis, ſequitur tractatus, de pœnitentia, quæ eſt prima diæta ſalutis, ſcilicet a peccatis ad pœnitentiam pervenire. Et nota primo de pœnitentia ſpecialiter tria, ſcilicet laudes multifarias, partes neceſſarias, & partes meritorias. Vel per alia verba: laudes eius figurales, eius partes integrales, & virtuales. Laudes eius monſtrat multiplex eius figura & comparatio. Partes eius integrales ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Partes eius virtuales ſunt ieiunium, eleemoſyna, & oratio.

Pœnitentiæ laudes & triplex ejus comparatio. Habet igitur pœnitentia laudes multiplices, ſecundum diverſas ipſius figuras, & comparationes. Comparatur autem primo ſpecialiter tribus. Eſt enim pœnitentia ſicut aqua calida contra canes, ſicut clamor contra fures, ſicut arma contra hoſtes. Et itaque pœnitentia ſicut aqua calida contra canes, & maxime quantum ad contritionem. Sicut enim aqua calida eiicitur canis de coquina: ſic cum aqua lacrymarum ferventium, eiicitur diabolus & peccatum de anima. cuius figura dicitur in Geneſi: Anna invenit aquas calidas primo in deſer- *Gen. 36*

deſerto Anna qui interpretatur donatus, vel ſanctificatus, ſignat pœnitentem: aquæ calidæ, id eſt lacrymæ, monſtrant pœnitentis contritionem: ſolitudo vero in qua aquæ calidæ inveniuntur, deſignat vitam ſolitariam pœnitentis ſeu mundificationem, vel meditationem. De qua *Ambr. l. 10 com. in Luca c. 22 verſ. fi. t. 3 & ſer. in fer. 3 hebdom. Sanctæ, qui eſt 48 de temp. tom. 5* Ambroſius: Lacrymæ lavant delictum quod voce pudor eſt confiteri. Iſte eſt Anna, qui invenit aquam calidam, cum paſceret aſinos patris ſui ſacerdotis. Comparatur autem pœnitens arbori, cujus radix eſt contritio, frondes confeſſio, & flores ſancta devotio, fructus bona opera, humor gratiæ diffuſio. Vel dicuntur pœnitens radicati in Chriſto per humilitatem, extenſi per charitatem, operti cortice per auſteritatem, dantes umbram aliis per bona exempla, & conſilia. Unde dicitur in Apocalypſi: *Apoc. 7* Nolite nocere terræ, & mari neque arboribus. Hæ arbores ſunt oliva, vitis, & ficus. Oliva, activi miſericordes: ficus contemplativi clauſtrales: vitis ſancti Prædicatores. Et in libro Judicum dicitur, *Iudic. 9* quod ficus noluit regnare ſuper ligna ſilvarum, id eſt ſuper homines infructuoſos. Eſt etiam pœnitentia ſicut clamor contra fures quantum ad confeſſionem. Nam ſicut ad clamorem fugiunt fures, ſic pœnitentis clamoſa confeſſio, vel oratio, fugat dæmones. Unde in figura hujus dicitur in libro primo *1 Mach. 4* Machabæorum, quod timore Judæ, qui interpretatur confeſſio, repulſi ſunt inimici ejus. Eſt inſuper pœnitentia ſicut arma contra hoſtes, maxime quantum ad ſatisfactionem: nam ſatisfactio pœnitentis ſicut ieiunium, & eleemoſina ſunt quædam pœnitentis arma. Nam dicit Apoſtolus: *2 Cor. 10* Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſupple, carnem macerantia. De eleemoſyna dicitur in *Eccli. 29* Eccleſiaſtico: Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam pugnabis adverſus inimicum tuum. Item pœnitentia eſt turbativa inſtar maris, accenſiva inſtar ignis, & concluſiva inſtar ſepis. Eſt itaque pœnitentia ſicut quædam

A maris turbatio. Nam ſicut mare non emittit immunditias niſi ſit turbatum: ſic anima mea non emittit peccatum, niſi in ſe habeat pœnitentiæ, & contritionis conturbationem & motum. Unde de pœnitentia dicitur in Threnis: *Thren. 2* Magna eſt velut mare contritio tua. Eſt etiam pœnitentia ſicut quædam ignis accenſio. Nam ſicut ignis producit fumum de viridibus lignis, ſic virtus pœnitentiæ de peccatoribus educit fumum contritionis: & ſicut ligna viridia reddunt aliquem humorem per virtutem ignis, ſic peccatorum oculi, eructant virtute pœnitentiæ humorem lacrymoſæ compunctionis. Nam dicitur in B Pſalmo: *Pſalm. 118* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Et ſicut ligna viridia, quæ ſunt bene accenſa, fortius ardent, vel caleſiunt: ſic peccatores pœnitentes qui ſunt igne pœnitentiæ vehementer accenſi, fortius diligunt, ſicut patet in Luca, ubi dicit Salvator: *Luc. 7* Cui multum dimittitur, multum diligit. Sed ſunt multi qui non inveniunt ignem, ſed aquam craſſam, ut dicitur in ſecundo Machabæorum. *2 Mach. 1* Tales ſunt qui cogitant vitam ſuam præteritam, non ad contritionem. Eſt item pœnitentia ſicut quædam ſepis concluſio. Nam agricola cum eiſdem ſpinis quas extrahit de vinea, claudit vineam contra C porcos, & beſtias: ſic pœnitens cogitando peccata ſua, debet claudere & munire cor ſuum contra tentationes beſtiales & immundas. Hæc eſt ſepes, de qua dicit ſapiens: Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio: *Eccl. 36* Quia vere ubi non eſt ſepes pœnitentiæ, quæ animam claudit contra recidivum, facile dirumpitur poſſeſſio virtutum.

Pœnitentia imponenda diſcrete, aſſumenda devote, & implenda perfecte.

Item pœnitentia eſt diſcere imponenda, devote aſſumenda & perfecte adimplenda. Eſt enim pœnitentia diſcrete imponenda. Nam ſicut virus ſerpenti vitam conſervat, ſed homini mortem propinat: & ſicut ignis aurum probat, & virgulta incinerat: & ſicut talpa moritur in luce, & ſub terra vivit: & ſicut ignis, quem cetera

tera animalia timent, ſalamandram A nutrit: & ſicut homo ſub aqua moritur, ubi piſcis delectatur. Sic eadem pœnitentia non omnibus eſt imponenda, vel injungenda, nec contra omnia peccata, ſed diverſis diverſa. Nam ſacerdos debet diſcernere inter pœnitentiam, & pœnitentiam, & culpam, & culpam: ſicut ex lege Domini debebat ſacerdos, ex mandato Domini diſcernere inter lepram & lepram, ut dicitur in Levitico. Eſt etiam pœnitentia devote aſſumenda. Sicut enim miles non recuſat onus, vel pondus armorum: ſic pœnitens non debet recuſares onus pœnitentiarum. Et ſicut avis non recuſat onus pennarum, nec peregrinus onus baculi, nec equus B onus quadrigæ: ſic pœnitens non debet recuſare onus pœnitentiæ. Unde ille bonus pœnitens David comparat ſe jumento, cum dicit in Pſalmo: Ut jumentum factus ſum apud te. Eſt inſuper pœnitentia perfecte adimplenda, ut non ſolum pœnitens peccatum vitet, ſed peccati recidivum, & importunitates omnes, quaſi quaſdam radices & germina peccatorum. Sicut enim herba falcata reviviſcit, ſed eradicata non: ita peccata de facili pullulant, ſi non fuerint radicitus evulſa. Ideo dicit Aug. Pœnitentia eſt cauſas peccatorum excidere, & eis aditum non indulgere. Item bonus & perfectus pœnitens fugit diabolum, ſequitur Chriſtum, ſpernit mundum, & appetit cœlum. Pœnitens itaque perfectus fugit diabolum, & currit ad latibulum pœnitentiæ. Sicut enim avicula ponit ſe inter ſpinas, ut poſſit accipitrem evadere; & eadem ratione, ſicut lilium inter ſpinas creſcit valde bene, ut dicitur in Canticis: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias ſpinæ. Spinæ ſiquidem quibus lilium clauditur, prohibent ne lilium tangatur. Per hunc modum ſpinæ pœnitentiæ cuſtodiunt animam inſtar aviculæ a prædali accipitre: inſtar lilii ab omni tactu delectationis immundæ. Bonus pœnitens ſequitur Chriſtum, & imitatur. Nam certe pœnitentia fuit via, qua Chriſtus ambulavit. Unde poſt baptiſmum ſtatim intravit deſertum, ut dicitur in Luca. Pœnitentia etiam fuit prima doctrina, quam Chriſtus prædicavit, ut habetur in Matthæo. Pœnitens igitur ſi eſt bonus diſcipulus, libenter intrat cum Chriſto pœnitentiæ deſertum, contra ſimulatos pœnitentes, qui ad modum uſurarii volunt eſſe diſcipuli Chriſti. Sicut enim uſurarius vult eſſe illius ſocius, cui mutuat pecuniam in lucro, & non in damno: ſic multi vellent ſequi Chriſtum in proſperis & non in adverſis: vellent cum Chriſto regnare in cœlo, ſicut filii Zebedæi, & non cum ipſo certare in ſtadio. Unde dictum eſt eis illud: Neſcitis quid petatis. Pœnitens nihilominus ſpernit mundi proſpera, contra aliquos, qui ſunt quaſi ſimia, quando invenit nuces novas, & recentes, propter exterioris corticis amaritudinem, judicat nucem eſſe amaram & ſpernit nucleum interiorem: ſic a multis repudiatur pœnitentia, quia videtur carni amara. Ideo dicitur: Omnis diſciplina in præſenti non eſt gaudii ſed mœroris. Pœnitens inſuper appetit cœlum, & ſicut puer rumpit veſtem veterem, ut citius habeat novam: ſic bonus pœnitens lacerat ſecum carnes, ut citius animæ ſuæ acquirat ſtolam felicitatis æternæ. Unde dicitur: Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. C

[Margin notes: Documenta pro confeſſoribus, & pœnitentibus. — Lev. 13 & 14 — Pſalm. 72 — Aug. lib. de Eccleſ. dog. c. 54 tom. 3 — Cant. 2 — Luc. 4 — Matt. 4 — Matth. 20 — Heb. 12 — Pſal. 29]

CAPUT II.

De contritione.

NOta partes pœnitentiæ integrales, & nota quod pœnitentia habet tres partes ipſam virtualiter integrantes, ſcilicet contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis.

Nota de pœnitentia, primo quantum ad contritionem, quæ eſt pars prima pœnitentiæ. Nota quod contritio de peccatis ſpecialiter debet eſſe ſeptiformis. Nam debet eſſe moroſa & intenta non perfunctoria, ſolitaria non publica, integra non dimi-

[Margin note: Conditiones ſeptem veræ contritionis.]

Digitized by Google

diminuta, ordinata non confuſa, propria non aliena, gemebunda non delicioſa, & iuſta non ſimulata. Et hæc ſeptem ſunt in verſu: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et iſte verſiculus debet eſſe perpetuæ memoriæ illorum ſeptem, quæ vera contritio debet habere: *Iſa. 38*

Primo enim ut dictum eſt, debet eſſe intenta, non perfunctoria, ideo dicit: *Recogitabo*, contra illos, qui veniunt ad confeſſionem incogitati de peccatis, quia nullam, vel modicam videntur habere ſolicitudinem, cum tamen ſint maiora debita & maiora negotia, hæc quæ homo habet, vel habere poſſit in hac vita. Iſta enim debita ſunt decem millium talentorum, ut dicitur in Matthæo. Iſta enim ſunt negotia, pro quibus filius Dei mortuus eſt, & pro quibus congregabit Angelos de cœlo, & ſanctos etiam homines de mundo, & omnes dæmones de inferno ut dicitur in Matthæo. Bene autem eſt fatuus, qui de his maximis debitis & negotiis, numquam eſt ſolicitus, ut dicit bonus pœnitens David: Cogitabo pro peccato meo, non dicit pro nummo ut avarus, nec de cibo, ut guloſus, nec de luto ut immundus, nec de vento ut ſuperbus, nec de mendacio, ut verboſus: ſed de peccatis meis ero dolens, & ſolicitus, quia vulgo dicitur: *Matth. 18* *Matt. 25* *Pſalm. 37*

Quo dolor eſt dentis, verſatur lingua dolentis.

Secundo, contritio debet eſſe ſolitaria, non publica: ideo dicit, *Tibi*, quia debet eſſe ſolum in conſpectu Dei, iuxta illud: Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Infirmus non conſuevit ſtare in platea, ſed in camera clauſa, & conſilia ardui negotii, non tractantur in publico, ſed in loco ſecreto, ideo dicitur: Tu autem cum oraveris pro peccatis tuis intra cubiculum, ſcilicet cordis tui. *Pſal. 18* *Matth. 6*

Tertio debet eſſe integra, non dimidia. Ideo dicitur: *Omnes*, modicum enim de liquore corrupto inficeret

A vas, ſi remaneret in illo. Ideo dicitur: Effunde ſicut aquam cor tuum. Bene autem dicit ſicut aquam, quia alius liquor vix poteſt bene effundi, quin ibi remaneat aliquid de colore, vel de odore, vel ſapore. Videmus enim quod poſt effuſionem lactis remanet in vaſe color: poſt effuſionem vini, odor: poſt effuſionem mellis ſapor. Debet igitur pœnitens effundere non ſicut lac, ne ſcilicet maneat color priſtinæ converſationis: nec ſicut vinum ne remaneat odor pravæ imaginationis: nec ſicut mel, ne remaneat ſapor immundæ delectationis, ſed ſicut aquam perfectæ & integræ contritionis. *Thren. 2*

B Quarto debet eſſe contritio ordinata, non confuſa. Ideo dicit, *Annos*. Annus namque diſtinguitur per quatuor tempora, ſcilicet hiemem, ver, æſtatem, & autumnum. Debet igitur pœnitens annos, vel circulum vitæ ſuæ diſtinguere per tempora, ut ſua melius poſſit invenire peccata, & præcipue debet inveſtigare peccator, ſi in vita ſua inveniat hiemem, & frigiditatem temporis, id eſt, torporis, & acediæ: ver autem, id eſt, humiditatem corporalis laſciviæ: & æſtatem, id eſt, caliditatem indignationis & iracundiæ: & autumnum, id eſt ſiccitatem cupiditatis & avaritiæ. Hæc ſunt tempora, quibus diſtinguuntur anni peccatorum. De quibus dicitur. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Aranea ſi quidem meditatur, & totum ſtudium ſuum ponit, ut ordinet telam vilem, & fragilem ad capiendum muſcas: talis eſt vita hominis fragilis & vilis, & ſolum muſcas capit, id eſt, delectationes immundas. Unde dicitur: Ipſi telas araneæ texuerunt. C *Pſalm. 89* *Iſa. 59*

Quinto, debet eſſe contritio propria, non aliena, id eſt, de peccatis propriis, non alienis, propter hoc dicit, *Meos*. Vix enim homo proſperatur, qui dimiſſis negotiis propriis, ſolicitus eſt de alienis. Unde dicit Salvator: Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me: ſed ſuper vos ipſas flete. Et ſic vult Chriſtus, quod numquam *Luc. 23*

quam

Digitized by Google

quam fleamus, vel plangamus, mortem ſuam benedictam, quouſque luxerimus culpam propriam, nihilominus non habet gratum, quod nos iudicemus culpam alienam, ſed ſicut vulgo dicitur: Quilibet plangit talam ſuam, id eſt, damnum proprium. Juxta illud Apoſtoli: Unuſquiſque onus ſuum portabit. Gal. 6

Sexto, debet eſſe contritio gemebunda. Ideo dicit, *In amaritudine*, non in riſu. Riſus ſignum eſt mortis, quando infirmus ridet fervore infirmitatis, & maxime quando ægrotus affligitur & anxiatur, & vivaciter ſentit ægritudinem, ſicut criſim & terminum ſubſequentem. Unde dicitur: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Contritio namque amare pro incurſu divinæ offenſæ: amarior, pro damno ſupernæ patriæ: amariſſima, pro reatu pœnæ æternæ: Facit infirmum quieſcere, & cruciatum terminare, & ægrotam facit animam creticare. Iſa. 38

Septimo, & ultimo, contritio debet eſſe intima, non ficta, vel ſimulata. Ideo dicit. *Animæ meæ*. Emplaſtrum enim debet poni ſuper locum doloris infirmi, ſicut collyrium ponitur ſuper oculum, non in calcaneo: & ideo quia peccatum eſt morbus animæ; ipſa præcipue debet contritionem peccati ſentire. Unde dicitur: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; contra illos, quorum pœnitentia eſt in vultu, non in ſpiritu; in veſte, non in corde; cum Hypocrates noſter medicus Chriſtus animarum noſtrarum, doceat pœnitentem faciem lavare, veſtes componere, capur ungere, & cor pungere, ut dicitur in Matthæo. Joel. 2 Matth. 6

CAPUT III.

De confeſſione.

SEcundo, nota de pœnitentia quantum ad confeſſionem, quæ eſt ſecunda pars, eam virtualiter integrans.

Septem conditiores confeſſionis.

Et eſt ſciendum, quod ſeptem ſunt in confeſſione attendenda. Primo enim debet eſſe feſtina, non tarda, contra aliquos, qui quando plus poſſunt, differunt conſiteri, niſi in infirmitate graviſſima, & tales ſunt ſimiles latronibus, quorum confeſſio aculeo, & quæſtionibus extorquetur; quia talium confeſſionem torquet Deus per aculeum febris acutæ, vel gravis infirmitatis, cum tamen dicat Propheta: Præoccupemus faciem ejus in confeſſione, ſicut ille, qui diffidit de jure ſuo, debet ante judicium de pace; & compoſitione tractare, & diem ſuum prævenire. Pſal. 94

Secundo, confeſſio debet eſſe humilis & verecunda, juxta illud Apoſtoli: Quem fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Latrones enim demiſſo capite, & rubore perfuſi, ſcelera confitentur, contra aliquos, quorum ſunt horrenda facinora, qui nec timent Deum nec homines verentur. Latrones timent patibulum, cum ſit tamen breve ſupplicium, & tranſitorium: & tales non timent infernum, & interminabilem cruciatum. Latrones verecundantur, & tamen parum, aut nihil prodeſt eorum verecundia: iſti autem non erubeſcunt, cum tamen pars pœnitentiæ ſit ipſa erubeſcentia. De talibus dicitur: Confuſi ſunt, quia abominationem Deo fecerunt, qui poſt confeſſionem non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt, quia tales habent utique erubeſcentiæ cauſam, & meritum, & tamen non habent utique, erubeſcentiæ ſignum. Rom. 6 Jerem. 6

Tertio, confeſſio debet eſſe aperta, non palliata: & dicitur aperta confeſſio in qua peccator ſe accuſat, exprimendo omnes peccati differentias, & præcipue aggravantes circumſtantias, quia dicitur: Juſtus prior eſt accuſator ſui. Sic confitebatur David, qui dicebat: Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, non dicit pro me, ſe laudando, vel adulando, ſicut faciebat Phariſæus: ſed adverſum me, ſe accuſando, ſicut faciebat Publicanus, ſicut dicitur in Luca. Prov. 18 Pſal. 31 Luc. 18

Quar-

Digitized by Google

Quarto, debet eſſe confeſſio vera, non ficta, & dicitur vera confeſſio, quæ eſt cum propoſito emendandi, non ſolum oris ſed etiam cordis. De qua dicit David: Confitebor tibi Domine in toto corde meo: contra aliquos, quorum confeſſio eſt lupi, de quo narrat fabula, quod ſemel confitebatur iniquitates ſuas, & interim erat multum ſolicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit confeſſori ſuo quod cito eum abſolveret, ut ſcilicet poſſet ſequi oves: ſic confitentur aliqui in Quadrageſima, proponentes ad peccatum redire poſt Paſcha. *Pſal. 110*

Quinto, debet eſſe confeſſio integra, non dimidia, parum enim valeret, ſi infirmus, medico febrem revelaret, & peſtem febris celaret, & ſi nauta aliqua navis foramina obſtrueret, & aliqua non. Debet igitur pœnitens, Deo integram offerre confeſſionem. Deus enim eſt rex nobilis & in menſa regia poni debent panes integri, non fragmenta. Deus enim non conſuevit dimidiare veniam. Ideo totum hominum ſanum facit in ſabbato, ut dicitur in Joan. Et ſicut magni mercatores, in groſſo non obolatam, non denariatam vendunt, ſicut pauperes mercatores: præ ceteris, quia mercatura Dei, ſcilicet gratia & venia eſt res indiviſibilis, cum ipſe ſit ſummus mercator. Iſta duo erunt indiviſibilia, inſtar margaritæ, vel alterius lapidis pretioſi, qui totus emitur, vel totus dimittitur. Ipſe autem eſt negotiator margaritarum, qui quærit bonas margaritas, ut dicitur in Matthæo. *Joan. 7* *Matt. 13*

Sexto, confeſſio debet eſſe flebilis & lacrymoſa, ſicut Petri, & Magdalenæ, quia miſericordia & lacrymæ, ad invicem ſunt valde amicæ, & ideo ubi eſt lacryma, ibi eſt ſtatim amica ſua miſericordia: Hæc eſt enim aqua, quam Chriſtus valde ſitit, & nullus fons tantum eum delectat, quantum puteus lacrymarum. In cujus figura, quievit juxta puteum Samariæ, & petiit aquam Samaritanæ, ſcilicet lacrymarum, a muliere Samaritana, id eſt, a peccatrice anima ut habetur in Joanne. *Joan. 4*

Septimo, & ultimo confeſſio debet eſſe obediens, & prompta, ut ſcilicet pœnitens ſtudeat ſuſcipere & obſervare ſacerdotis mandata. Infirmus, qui nihil vult facere pro medico, vix aut numquam curatur a morbo. Unde obedire debet pœnitens non contendere, ſicut David qui dicebat: Ut jumentum factus ſum apud te: ad jumentum namque non pertinet ſibi onera taxare, vel imponere, ſed taxata & impoſita portare. *Pſal. 72*

Nota quod triplex eſt confeſſio. Prima eſt confeſſio peccati. De qua dicitur: Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. In hoc autem verbo tanguntur ſex, quæ debet vera confeſſio habere. Primum eſt præmeditatio, quod notatur cum dicitur: *Dixi*. Secundum eſt compunctio cordis, & oris ut ore ſimul & corde fiat, quod notatur per, *Confitebor*. Tertium eſt quod ſit accuſans non excuſans quod notatur per, *Adverſum me*. Quartum, quod de malis, non de bonis, quod notatur per, *Injuſtitiam*. Quintum, quod ſit propria, id eſt, de peccatis propriis, non alienis, quod notatur per, *Meam*. Sextum quod ſit ad honorem Dei, & honeſtatem ſui quod notatur per, *Domino*, & talis confeſſio eſt utilis. Unde ſequitur: *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Secunda eſt confeſſio laudis, de qua in Eccli. dicitur: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo, & de his duobus dicit Pſal. Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi. Tertia eſt confeſſio fidei. De qua dicit Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, &c. Et nota, quod confeſſio in qua ſunt ſeptem conditiones prædictæ, comparatur vielæ, in aqua ſunt ſeptem chordæ. Unde viela confeſſionis, quæ habet iſtam ſeptuplicem chordam, reddit in auribus Dei ſuaviſſimam & dulciſſimam melodiam: nec eſt aliquod organum muſicum quod ita libenter Deus audiat, ſicut veram confeſſionem peccatorum: & ideo manus quæ ſic tangit vielam confeſſionis coram *Confeſſio triplex.* *Pſal. 31* *Eccli. 51* *Pſalm. 74* *Rom. 10*

coram Deo, ſtatim reportat ſalarium id eſt veniam de omnibus peccatis. Unde dicitur: Narra ſi quod habes, ut juſtificeris. Et David conſulit omnibus nimis, id eſt peccatoribus, pœnitentibus, qui volunt in curia regis æterni introire, ut tangant eo modo vielam confeſſionis, ut ſupra dictum eſt. Dicit enim Pſalmiſta. Introite portas ejus in confeſſione.

Iſa. 43

Pſal. 99

CAPUT IV.

De ſatisfactione.

TErtio nota de pœnitentia, quantum ad ſatisfactionem. Et ſunt præcipue ſeptem notanda, ad hoc neceſſaria, ut ſit perfecta pœnitentia, & peccati medicina.

Satisfactionis conditiones ſeptem

Primo enim ad ſatisfactionem requiritur abſtinentia a peccato. Sicut enim prima lex quam medicus ponit infirmo, eſt abſtinentia a cibo: ita primum, quod eſt neceſſarium pœnitenti, eſt diæta, ſcilicet abſtinentia a peccato. Hanc legem imponebat Hypocrates noſter Chriſtus ægrotis ſuis, quos habebat in cura, ſicut patet in adultera, cui Chriſtus dixit: vade & amplius noli peccare.

Joan. 8

Secundo requiritur ad ſatisfactionem pœnitentiæ reſtitutio rei alienæ & hæc eſt ſicut quædam minutio, vel fleubotomia: minuit enim ſanguinis ſubſtantiam, ſed aufert febris materiam, & conſervat vitam. Sic qui aliena reſtituit, pecuniam minuit: ſed aufert cupiditatis & mortis æternæ materiam, & conſervat gratiam, & animæ vitam. Et ſicut ſunt quædam infirmitates, quæ non poſſunt ſine fleubotomia curari: ſic quædam ſunt peccata, a quibus non poteſt quis ſine reſtitutione curari, aut juſtificari: ſicut furtum, uſura, ſimonia, rapina, & hujuſmodi: quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ut dicit Auguſtin. Hanc fleubotomiam faciebat ſibi Zachæus qui dicebat: Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum: ſed utinam uſurarii modo redderent ſimplum.

Aug. ep. 54 ad Maced. poſt med. tom. 2

Luc. 19

Tertio requiritur ad ſatisfactionem cinis humilitatis: cinis enim & aqua calida faciunt bonum lixivium: ſic cinis veræ humilitatis, & aqua calida lacrymarum faciunt pœnitentiam purgativam. Et ſicut aqua, quantumcumque calida, niſi tranſeat per cinerem, non bene purgat ſordes veſtium: ſic lacrimæ quamvis calidæ, niſi tranſeant per cinerem humilitatis, non lavant ſordes vitiorum. Ideo dicebat Job: Ago pœnitentiam in favilla, & cinere, in favilla devotionis, & cinere humilitatis.

Job 42

Quarto requiritur ad ſatisfactionem pœnitentis, cilicium mortificationis. Hoc eſt proprium & ſpeciale malagma, & emplaſtrum carnalis repreſſivum luxuriæ, & carnalis laſciviæ, & ſicut emplaſtrum temperat & reprimit dolorem lateris: ſic cilicium mortificationis reprimit libidinem. Hoc emplaſtrum ponebat directe ſupra locum doloris Judith. De qua dicitur quod habens ſupra lumbos ſuos cilicium, jejunabat: cilicium, contra luxuriam, & jejunium contra gulam.

Judith. 8

Quinto requiritur ad ſatisfactionem pœnitentis jejunium afflictivum: quia ad litteram, panis & aqua eſt cibus, & vita infirmi, & præcipue prohibetur vinum infirmis. Unde ille bonus medicus Paulus dicit: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Sed nota, quod omnia conceduntur infirmis, de quorum ſalute dubitatur, & deſperatur, ſed aliis, de quibus habetur ſpes, quod curentur, ſubtrahuntur nociva, quantumcumque delectabilia, ut dicitur in Joel: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu. Et ſequitur tibi: Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus? quaſi diceret, ex quo Deus, qui eſt ſummus medicus, ieiunare nos præcipit, nequaquam de noſtra ſalute diffidit.

Epheſ. 5

Joel. 2

Sexto requiritur ad ſatisfactionem pœnitentis eleemoſyna & hoc eſt quaſi ſalarium medici: Fidelius enim laborat

rat medicus quando ſperat bene ſe A remunerari. Et nota quod ſalarium eſt taxandum medico, ſecundum quod plus, vel minus laboravit circa infirmum & quanto a majori & periculoſiori morbo liberavit ægrotum. Bene eſt igitur remunerandus medicus noſter Chriſtus, qui tantum circa nos laboravit, immo propter infirmitatem noſtram animam ſuam morti tradidit, ut dicitur in Iſaia. *Iſa. 53* Et etiam qui a tam gravi & multiplici infirmitate nos liberavit. Ipſe enim, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, & redimit de interitu vitam noſtram, ut dicitur in Pſalm. Si *Pſalm. 102* enim bene remuneretur iſte medicus, nequaquam de morte timeat æ- B grotus. Debet enim remunerari, non in ſe, quia bonorum noſtrorum non eget, ſed in heredibus ſuis, ſcilicet pauperibus. Reputat enim ſibimet factum, quod fit pauperibus amore *Matth. 25* ipſius. Unde ipſa veritas dicit: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. De iſto ſalario eleemoſynæ dicitur in Tobia: Eleemoſyna *Tob. 4* ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Septimo & ultimo requiritur ad ſatisfactionem pœnitentis oratio devota. Sicut enim mater pro filio ægroto facit candelam, & emittit votum, cum nullum conſilium, vel au- C xilium ſupereſt medicorum: ſic quando videmus ſpiritum noſtrum periclitari gravi morbo peccati, debemus Deo facere candelam bonæ operationis juxta illud: Lucernæ ardentes in *Luc. 12* manibus veſtris, & emittere votum devotæ orationis. Et hoc genus dæmoniorum, ſcilicet peccatum non eiicietur, niſi in oratione, & jejunio, ut dicitur in Matthæo. Oratio *Matt. 17* namque peſtes mentis curat, & jejunium peſtes corporis.

CAPUT V.

De Oratione.

Tertio nota partes pœnitentiæ virtuales, quæ ſunt tres, ſcilicet oratio, jejunium, & Eleemoſyna: Primo ſpecialiter de oratione eſt dicendum, quid eſt. Oratio eſt petitio *Damaſc. lib. 3 Orth. fid. c. 24* decentium, in Deo, vel a Deo. Vel oratio eſt mentis elevatio in Deum, Damaſceno auctore.

De oratione nota ſpecialiter quinque ſcilicet typus decens, virtus ingens, modus competens, locus congruens, & tempus conveniens. Habet igitur oratio typum decentem, & figuram elegantem. Comparatur *Orationis comparationes.* autem ſpecialiter tribus. Eſt enim oratio ſicut incenſum divinæ miſerationi offerendum, ſicut ſcutum divinæ indignationi opponendum, ſicut tributum divinæ dominationi perſolvendum. Eſt ergo oratio primo ſimilis thuri vel incenſo, quod divinæ miſerationi debemus offerre. Sicut enim thus vel incenſum ſuper carbones poſitum, ſpirat ſuavem & redolentem odorem, vel fumum: ſic oratio incenſa ſuper carbone devotionis multum fragrat in conſpectu divinæ majeſtatis. Et ideo dicitur; Dirigatur oratio mea ſicut incenſum *Pſal. 140* in conſpectu tuo. Secundo, eſt oratio ſimilis ſcuto, quod divinæ indignationi debemus opponere. Nam ſicut ſcutum prohibet ictum lanceæ, vel ſagittæ: ſic oratio ſervat hominem a lancea, vel a ſagitta ſententiæ & iræ Dei. Unde dicitur de Aaron, quod proferens ſcutum oratio- *Sap. 18* nis reſtitit iræ. Tertio, oratio eſt ſimilis tributo, quod divinæ dominationi debemus perſolvere. Sicut enim emphiteuta, vel feudatarius ſolvit tributum regi, pro emphiteuſi, vel feudo, quod tenet ab ipſo, ſic tributum laudis & orationis ſolvendum eſt Deo pro emphiteuſi corporis & animæ quam accepimus in feudo, juxta illud: Reddite quæ ſunt *Matth. 22* Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

Item oratio habet triplicem figuram aliam valde pulchram. Eſt enim vir orans ſicut homo regi portans encœnium, ſicut a rege petens judicium, ſicut a rege petens ſuccurſum. Eſt itaque homo qui orat, ſicut ille, qui præſentat regi magnum encœnium & nobile, ut homo magnus, vel nobilis domicellus: ſic oratio eſt encœnium adeo nobile & magnum, quod ſolum debet præſentari Deo per hominem magnum, ſcilicet juſtum. Hoc eſt enim officium Chriſti hominis & meditatoris noſtri, qui orationes noſtras, & opera noſtra præſentat Deo patri. Quod figurat diaconus in Eccleſia, vel in Miſſa, cum offert thuribulum ſacerdoti. Hoc eſt officium Angeli, qui noſtras orationes ſimiliter offert in conſpectu Dei, ſicut dixit Angelus ad Tobiam: Quando orabas cum lacrymis, & ſequitur ibidem: Ego orationem tuam offerebam Domino. Et ſicut regi non offert, qui ſibi miniſtrat ferculum coopertum cum muſcis: ſic qui orat, non debet regi regum offerre ferculum cum muſcis, id eſt cogitationibus vanis & immundis. Eſt etiam homo qui orat, ſicut ille qui a rege petit judicium: ſicut enim ille qui in judicio loquitur, debet habere teſtes de his quæ proponit, alioquin non crederetur ſibi, vel audiretur, immo a judice puniretur: ſic oratio vocalis debet habere teſtimonium cordis: ſed tamen cavendum eſt, ne cor orantis ſit falſus vel corruptus teſtis, corruptione ſcilicet iniquitatis, quia dicitur: Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, &c. Sed ſi conſcientia bona, & teſtimonium fidele ferat, orans judicium pro ſe reportat. Nam dicit Apoſt. Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Eſt inſuper orans, ſicut ille, qui a rege in obſidione quærit, vel petit ſuccurſum. Nam ſicut ille qui tenet caſtrum regis, ſi obſideretur ab inimicis reputaretur infidelis, niſi caſtrum regi denuntiaret obſeſſum, vel peteret ſuccurſum, vel niſi expectaret a rege auxilium, vel ſi poſt auxilium redderet hoſtibus caſtrum: ſic cum hoſtes viſibiles & inviſibiles obſident animam tentationibus, ſtatim debemus regi regum nuntium orationis mittere, & obſidionem denuntiare, ſicut Propheta, qui dicebat. Conſilium malignantium obſedit me. Deus enim non differt auxilium mittere: quia fidelis, & ſtatim faciet ſuccurſum, cum ad tentationem fuerit perventum, ut dicit Apoſtolus ad Corinthios.

Ritus. Tob. 11 Pſalm. 65 2 Cor. 1 Pſalm. 11 1 Cor. 10

Item qui orat, debet clamare ſicut clamat parvulus, qui vult ubera: ſicut clamat catulus, cum ſentit verbera; & ſicut clamat populus, cum videt pericula. Eſt itaque homo qui orat, ſicut parvulus volens ubera. Nam ſicut parvulus clamat pro deſiderio lactis: ſic viri ſpirituales debent emittere ululatum orationis devotæ pro uberius conſolationis divinæ, juxta illud quod dicitur: Meliora ſunt ubera tuo vino. Eſt etiam homo qui orat, ſicut catulus ſentiens verbera. Nam ſicut catulus ſentiens verbera, clamat plus, cum plus percutitur: ſic plus debet clamare orando, qui a Domino tribulationis verbere caſtigatur. Nam dicitur: Ad Dominum cum tribularer &c. Eſt inſuper homo qui orat, ſicut populus videns pericula, ſicut enim conſuevit populus clamare præcipue propter tria, ſcilicet contra aquam, ignem, & hoſtes: ſic homo debet emittere clamorem contra triplex genus tentationis, ſcilicet contra carnalem concupiſcentiam, quæ per ignem figuratur: contra concupiſcentiam terrenam ſeu mundanam, quæ per aquam effluentem intelligitur: contra diabolicam guerram, quæ proprie hoſtis appellatur. Hæc pericula timebat David, qui dicebat: Pericula inferni invenerunt me.

Cant. 1 Pſalm. 119 Pſal. 114

Item in oratione debemus os cordis aperire, ſicut reumaticus aeri, ſicut pullicus matri, & ſicut infantulus nutrici. Eſt itaque orans, ſicut homo reumaticus, qui nares habet ſtrictas, neceſſaria eſt enim ad reſpirandum apertio oris: ſic qui habet

imper-

Digitized by Google

imperfectum odoratum, ſcilicet deſiderii cœleſtis debet aperire os, & mittere vocem orationis. Nam dicit Propheta: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. *Pſal. 118* Eſt etiam os aperiendum orationi, ſicut infans aperit nutrici. Sicut enim nutrix paſcere infantem non poſſet, ſi puer os non aperiret: ſic ſi volumus nutrimentum vitæ ſuſcipere orando aperiamus os noſtrum ad nutrimentum vitæ æternæ, ſcilicet gratiæ divinæ, ut dicitur in libro Sapientiæ. *Sap. 16* Eſt inſuper homo qui orat, ſicut pulliculus, qui quando ſentit venire matrem, aperit roſtrum verſus cœlum, ſic cum frequenter viſitet nos Deus per inſpirationem ſuam, quaſi ſemper debemus habere os opertum per orationem devotam, ſicut dicit Apoſtolus: Sine intermiſſione orate. *1 Theſſ. 5* Et de viro juſto dicitur: Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. *Eccl. 39*

B

Item oratio eſt, ſicut armatura militem ornans, ſicut lucerna viam demonſtrans, & ſicut columba olivam portans. Eſt itaque oratio ſicut armatura. Nam ſicut miles non exit ſine armis ad bellum, ita ſine armis orationis nullo modo debemus intrare tentationis conflictum. In cujus figura dicitur, quod Moyſe elevante manus ad orationem, vincebat Iſrael, & cum remittebat manus ſuperabat Amalech, id eſt diabolus. *Exod. 17* Eſt autem oratio, ſicut lucerna viam demonſtrans. Nam ſicut lucerna eſt neceſſaria in tenebris: ſic oratio in rebus dubiis. In cujus figura mulier illa Evangelica, id eſt anima devota, accendit lucernam, & invenit drachmam, ut dicitur in Luca. *Luc. 15* Lucerna eſt orationis inſtantia, drachma vero eſt gratia divina, quæ quaſi perdita fuerit, reperitur cum oratione devota. Et ſicut lucerna dirigit greſſus, ſic oratio dirigit omne bonum opus. Unde dicit Hieron. ad Paulam: In principio cujuslibet operis boni, præmitte ſignum crucis in fronte cum oratione Dominica. *Eſt ſimile apud Hier. epiſt. 22 ad Euſtoch. poſt med.* Eſt inſuper oratio, ſicut columba, quæ reverſa eſt ad *Gen. 8* A arcam, cum oliva, ut habetur in Geneſi. Nam ſicut illa denuntiavit pacem, & jam ceſſaſſe diluvium: ſic oratio denuntiat pœnitentiam, reconciliationem, & veniam peccatorum. Et ſicut columba illa portavit ramum olivæ: ſic oratio ramum divinæ gratiæ. Et ſicut columba habet duplicem alam: ſic oratio habet duplices alas, ſcil. jejunium & eleemoſynam. Unde dicitur: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo per orationem, & requieſcam per devotionem. *Pſal. 54*

CAPUT VI.

De Jejunio.

DE jejunio nota ſpecialiter tria, quibus jejunium comparatur, quid in jejunio reprobatur, & quale jejunium commendatur. *Jejunii comparationes.*

Primo enim comparatur jejunium pluribus & ſpecialiter tribus. Eſt enim ſicut parcitas ignis, vel lignorum ſub olla, ſicut agilitas in navicula, & ſicut concavitas in viela. Eſt itaque jejunium ſicut parcitas ignis, vel lignorum ſub olla: ſicut enim ſubtrahendo ligna, vel ignem de ſub olla, ceſſat ejus bullitio: ſic corpori ſubtrahendo cibaria, ceſſat tentatio carnis. Unde verſus:

Luxuriat raro, non bene paſta caro.

C

Unde nota, quod ancilla provida tripliciter impedit ebullitionem ollæ, ſcilicet ligna ſubtrahendo, aquam infundendo, & quæ ſunt in olla movendo: ſic anima pœnitens, inſtar ancillæ, contra ebullitionem carnalis concupiſcentiæ, debet ligna ſubtrahere parce comedendo. Unde verſus.

Subtrahe ligna foco ſi vis extinguere flammam.

Debet aquam infundere, ad litteram aquam, bibendo vinum bene lymphatum. Debet ollam movere ſe utiliter occupando. Unde dicit Apoſt. In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, ſcilicet occupemus nos. *2 Cor. 11* Non caro noſtra ad flatum diaboli, ſicut carbo

Digitized by Google

ignis accenditur, & ſicut ollæ ſuccenſæ, atque ferventes. Unde dicitur: *Job 41* Halitus ejus prunas ardere facit. Eſt etiam jejunium, ſicut agilitas in avicula. Nam ſicut avis macilenta eſt agilis ad fugiendum accipitrem, ad volatum ſublimem, ſic mens hominis jejunantis & abſtinentis eſt habilis ad fugiendum accipitrem, id eſt hoſtis tentationem, ad ſublimem volatum contemplationis. De tali dicitur: *Pſalm. 17* Volavit ſuper pennas ventorum. Volavit fugiendo tentationem, & volavit ſe elevando ad contemplationem. Econtrario vero eſt de gravi, & pingui, ſicut de coturnice tempore vindemiarum, quæ non poteſt accipitrem fugere, nec alte volare: ſic homines carni dediti, nec bene poſſunt tentationem diaboli vitare, nec bene cœleſtia contemplari. Unde in figura iſtorum *3 Reg. 19* Elias jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut ſcilicet perſecutionem Jezabel evaderet, & ad montem Dei Oreb celeriter perveniret, ut legitur in libris Regum: Elias in figura ſignat animam hominis abſtinentis: perſecutio Jezabel deſignat tentationem carnis: & mons Dei Oreb ſignificat ſublimitatem contemplationis. Eſt etiam jejunium, ſicut concavitas in viela. Nam ſicut viela, niſi eſſet concava, & chordæ ſuperextenſæ, non eſſet ſonoroſa: ſic homo niſi vacuus per abſtinentiam, & extenſus per rigidam pœnitentiam, non reddit ſonoroſam divinæ laudis melodiam. Unde in figura hujus dixit *Exod. 38* Dominus Moyſi, quod faceret altare concavum, non ſolidum, ſed inane. Concavum altare eſt cor pœnitentis, ubi debet immolari ſacrificium contritionis, & ſacrificium laudis, quod quidem non debet eſſe ſolidum, id eſt, deliciis plenum, ſed inane, & concavum, id eſt pœnitentia & jejunio attenuatum.

Eſt etiam jejunium remedium ad expiandum morbum, bonum conſilium ad effugiendum lupum, & certum ingenium ad impugnandum caſtrum. Eſt itaque ieiunium remedium valde ſanum ad curandum morbum. Nam ſicut lex prima medicorum infirmantibus corporaliter eſt diæta: ſic primum auxilium vexati febribus tentationis, eſt ieiunium & abſtinentia. Unde ieiunium ponitur primo inter opera pœnitentiæ, quæ ſuadet ſummus ille Hypocrates Deus in ſuis *Joel. 2* aphoriſmis, dicens: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, &c. Eſt etiam ieiunium valde bonum conſilium ad fugandum lupum, ſicut enim vulgo dicitur: Fames eiicit lupum de nemore: ſic abſtinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine. *Marc. 9* Unde dicitur: Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi in ieiunio & oratione. Nam oratio fugat peſtes cordis, & ieiunium peſtes corporis, ut dicit Aug. In figura etiam huius Judith ieiunans occidit Holofernem, *Judith. 13* ut dicitur in Judith: quæ confitens interpretatur, ſignat pœnitentem, qui peccata ſua confitetur. Holofernes, quem Judith ieiunans occidit, ſignat diabolum, qui confeſſione, & abſtinentia ſuperatur. Eſt inſuper ieiunium valde certum ingenium, ad expugnandum caſtrum: ſicut enim non eſt adeo forte caſtrum, quod non poſſit expugnari, ſi poſſent ei victualia ſubtrahi, ſic non eſt adeo rebellis caro ſpiritui, quin ſubtrahendo cibaria non valeat a ſpiritu ſubiugari. Caro ſiquidem noſtra, caſtrum diaboli eſt, quæ ſemper rebellat ſe contra ſpiritum. *Luc. 11* De hoc caſtro dicitur: Cum fortis armatus, ſcilicet cuſtodit atrium ſuum. Atrium diaboli, eſt caſtrorum corporis immundi, tunc in pace, ſunt omnia, quæ poſſidet, habens, ſcilicet turres ſuperbiæ, foſſatum avaritiæ, rupes invidiæ, habens pro muro defenſionem culpæ propriæ, habens etiam portas converſationis indiſciplinatæ, habens pacem perverſam intrinſecus delectationis immundæ, ſed tamen quantumcumque muniatur, per ieiunium, ut dictum eſt, ſubtrahendo cibaria expugnatur.

Quatuor in jejunio reprobantur.

Idem nota quod quatuor in ieiunio reprobatur; ſcilicet cum ieiunans vacat clpæ, cum ieiunans inhiat famæ

mæ

Digitized by Google

mæ, cum ieiunans parcit burſæ, & A
cum jejunans ſervit gulæ. Eſt igitur reprobandum in jejunio, cum ieiunans vacat peccato. Qui enim ieiunat a cibo & non abſtinet a peccato, ſimilis eſt diabolo, cui eſca non eſt, & malitia ſemper ineſt, ut dicit Iſid. De hoc ieiunio dicitur: Hoc eſt ieiunium, quod elegi. Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faciculos deprimentes. Sed in eodem capitulo dicitur: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. Eſt etiam in ieiunio reprobandum, quando ieiunans quærit ex hoc laudem humanam, & gloriæ tranſitoriæ famam. Nam qui ieiunat propter humanam laudem, de hoc, quod ſubtrahit uni hoſti, paſcit duplicem B hoſtem; quod enim unico adverſario, ſcilicet carni ſubtrahitur per ieiunium, de hoc paſcit alios duos, ſcilicet diabolum & mundum. Tale erat ieiunium Phariſæorum, de quibus dicitur: Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunantes, &c. Eſt tertio reprobandum valde in ieiunio quando ieiunans, ideo ieiunat, ut parcat burſæ; talis enim nihil aliud videtur facere niſi quod ſubtrahit ſibi, & ponit in ore diaboli, id eſt in burſa, quæ eſt os diaboli. Unde avarus videtur multum diligere diabolum, quando ſubtrahit ori proprio, unde paſcat & impinguet C ipſum. Tale ieiunium reputat ſapiens infeliciſſimum, dicens: Vir cui dederit Deus divitias, ſubſtantiam & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat, nec tribuit ei Deus poteſtatem, ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas & magna miſeria eſt. Eſt inſuper reprobandum in ieiunio, quando ieiunans, ideo ieiunat ut Deo ſuo, ſcilicet gulæ ſerviat & ventri, quod fit præcipue tribus modis. Quidam enim ſunt, qui ideo ieiunant, ut poſtea melius comedant: tales nihil aliud faciunt, niſi quod ſolemnitatem Dei ſui, ſcilicet ventris, præveniunt vigilia ieiunii deteſtabilis. Sunt etiam alii, qui tempore ieiunii quærunt magis delicata cibaria, & tunc volunt comedere ſplendidius & lautius, & tantum una vice comedunt, quantum in duabus, quando non ieiunant; & tales talem gratiam ſolum faciunt Deo, ſcilicet quod duos obolos dent ſibi pro uno denario, & eandem gratiam facerant Judæo vel Saraceno. Sunt nihilominus aliqui, qui tribus diebus plus manducant pro uno miſerrimo ieiunio, quod ieiunant. Nam die præcedenti dicunt, cras ieiunabimus. Die ſequenti dicunt, heri ieiunavimus. Die ipſius ieiunii dicunt, hodie ieiunamus. Et ita defraudant Deum, quia pro tribus obolis non ſolvunt, niſi unum denarium. De talibus conqueritur Dominus: Circumvenit me in negotiatione ſua Ephraim. De tali ieiunio poteſt intelligi illud: Nolite ieiunare, ſicut ad hanc diem.

Iſid. de ſum. bono lib. 2 c. 44 ſent. 8
Iſa. 8
Matth. 6
Eccli. 6
Oſee 11
Iſa. 58

Jejunium triplex commendatur in ſcriptura.

Item triplex ieiunium in ſacro eloquio commendatur, ſcilicet bonum, melius, & optimum. Bonum eſt, quando quis ieiunat pro ſatisfactione peccati. Melius quando quis ieiunat ad honorem Dei. Optimum quando quis ieiunat cum exercitio boni operis. Bonum igitur dicitur, quando quis jam poſt mortem peccati, per contritionem & confeſſionem reſurrexit, & in charitate exiſtit, & ieiunat pro peccatis, quæ fecit, ſi autem charitatem non habet bonum amittit, quod habet, quia dicitur: Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt, & offert quaſi cadaver mortuum Deo, qui ieiunat in peccato mortali, cum debeamus Deo offerre copora noſtra hoſtias viventes, ut dicit Apoſt. ad Romanos. Melius vero ieiunium vocatur quod ad Dei honorem & ſanctorum ſuorum gratis & cum devotione celebratur. De quo intelligitur illud: Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, ſc. oleo unctuoſæ compaſſionis: & faciem tuam lava, aqua lacrymoſæ contritionis, ut dicit Gloſ. Deo ieiunat, qui pro eius amore ſe macerat, & qui, quod ſibi ſubtrahit, pauperibus elargitur. Optimum ieiunium dicitur, quando homo exterior ieiu-

1 Cor. 13
Rom. 12
Matt. 6

ieiunat, & homo interior orat, ut dicit Iſid. & quando quis ieiunat, ex una parte ieiunando macerat corpus, & ex altera parte bona agere non ceſſat, contra aliquos, qui nihil poſſunt facere, cum ieiunant: immo tunc ludunt ad ſcacos, ut ieiunium non ſentiant, & ſic otiando, otium vitant, contra hoc, quod dicit Boet. quod pro otio vitando, otia ſectari ridiculoſum eſt. Jeiunium bonum ſignificatur per ieiunium Moyſi, ut habetur in Exodo. Jeiunium melius ſignificatur per ieiunium Eliæ, ſicut dicitur in libris Regum. Jeiunium optimum ſignificatur per ieiunium Chriſti, ut habetur in Matthæo.

Iſid. de ſum. bon. lib. 2 c. 44 ſent. 1

Exod. 24

3 Reg. 19

Matth. 4

CAPUT VII.

De Eleemoſyna.

DE eleemoſyna quatuor ſunt ſpecialiter notanda, ſcilicet typus elegans, motus ſtimulans, modus regulans, & fructus abundans.

Eleemoſynæ ſimilia.

Habet ergo eleemoſyna typum vel ſimilitudinem elegantem, & ſpecialiter triplicem, eſt enim eleemoſyna, ſicut lumen radioſum, ſicut lumen copioſum, & ſicut ſemen fructuoſum. Eſt itaque eleemoſyna, ſicut lumen radioſum. Nam ſicut lumen ſerenat aerem: ſic eleemoſyna ſerenat mentem. Et ſicut lumen fugat omnem tenebram: ſic eleemoſyna fugat omnem culpam. Et ſicut lumen debet portari non poteſt, ſed ante hominem: ſic homo prudens facit eleemoſynam in vita ſua, non poſt mortem. Qui autem eleemoſynam non facit in vita ſua, ſed poſt mortem ſuam: ſimilis eſt homini, qui poſt tergum vult portare lumen, id eſt lucernam. Dicit enim ſapiens: Ante mortem benefac amico tuo, id eſt animæ tuæ, vel Chriſto in ſuis membris. Eſt etiam eleemoſyna ſicut flumen. Nam ſicut flumen manat ex influentia fontis: ſic eleemoſyna ex influentia pietatis. Et ſicut fons, unde manat fluvius, per occultos meatus, procedit a mari: ſic pietas hominis,

Eccl. 14

A unde manat eleemoſyna, per occultam inſpirationem venit ex gratia Dei, & ſic eleemoſyna venit a Deo & datur Deo. Nam dicit Sapiens: Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant. Et ſicut flumen quandoque exit extra ripas, nec eſt contentum propriis alveis: ita interdum eleemoſyna danda eſt bonis indifferenter & malis, maxime tempore neceſſitatis. Sicut pater cæleſtis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, ut dicitur in Matth. Eſt inſuper eleemoſyna ſicut ſemen. Et nota quod ſex ſunt quibus eleemoſyna bene ſemini comparatur. Primo, quia ſicut ſemen debet abſcondi, ita eleemoſyna debet occulte dari. Nam dicitur: Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis. Secundo, quia ſicut ſemen videtur perdi, cum tamen potius renovetur: ſic eleemoſyna videtur amitti, cum datur, quæ tamen tunc optime ſervatur, & theſaurizatur in theſauro Paradiſi. Unde dicitur ſic: Perde pecuniam propter fratrem. Tertio, ſemen cum fœnore ſurgit: ſic qui dat eleemoſynam a Deo centuplum accipiet. Unde ſuper illud: Fœneratur Domino, qui miſeretur proximo, dicit Gloſ. centuplum accepturus. Quarto ſemen, quod eſt pretioſum, ſicut triticum in uno anno ſeritur, & in alio metitur, vile vero, ſicut hordeum & milium, in eodem anno metitur, & ſeminatur: ſic eleemoſyna pretioſa eſt, quæ hic in anno gratiæ ſeritur, ſed fructus eius in alio anno, ſc. gloriæ, expectatur. Vilis vero reſpectu huius videtur eleemoſyna illa, quæ in præſenti remuneratur, quia dicit Salvator: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Pretioſa vero non ſolum in præſenti, & temporaliter, ſed etiam remuneratur æternaliter, quia dicit Apoſt. Quod pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Quinto ſicut ſeſemen gelu preſſum, & retardatum profert uberiorem fructum: ſic eleemoſyna, quam quis facit, dum ſuſtinet tri-

Eccl. 1 *Matt. 5* B *Eccl. 29* *Ibidem.* *Prov. 19* C *Matt. 6* *1 Tim. 4*

tribulationem, uberiorem eſt habitura repromiſſionem, ſeu fructum, vel remunerationem. Unde dicitur: *Pſalm. 125* Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes, autem &c. Sexto, ſemen ſuſtinet moleſtias multas, ſicut gelu, grandines & pluvias: ſic homo, qui libens eleemoſynam dat, cum cor habeat compaſſione plenum, talis ſuſtinet omnes neceſſitates pauperum, & miſerias afflictorum. In cujus perſona dicit Apoſt. *2 Cor. 11* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Item eleemoſynarius eſt, ſicut arbor, quæ fructum facit, ſicut nutrix quæ puerum nutrit, & ſicut mercator, qui merces vendit. Eſt itaque bonus eleemoſynarius ut arbor: ſicut enim arbor melius fecit, & fructificat, cum ab ea reſecantur ſuperflua: ſic divites melius proficiunt in gratia reſecantes divitias ſuas, ſcil. dando eleemoſynam, quæ eſt de ſuperfluis danda, vel facienda, ſicut dicitur: *Luc. 11* Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Et ſicut agricola tolerat in vinea aliquas infructuoſas arbores, quæ ſuſtinent vites, ſic ſummus agricola Deus in vinea ſua, ſc. in Eccleſia tolerat multos divites, qui cum eorum eleemoſyna ſuſtentant pauperes. Unde dicitur: *Marc. 12* Vineam paſtinavit homo. In vinea ſiquidem non ſolum ſunt vites, quæ fructificant, immo & paxilli aridi: ſic in eccleſia Dei ſunt peccatores & iniuſti, qui vites fructificantes, id eſt iuſtos, ſuis eleemoſynis ſuſtentant. Homo etiam eleemoſynarius eſt ſicut nutrix, quæ lactat puerum. Nam ſicut nutrices conſueverunt impinguari, ut abundent in lacte, & bene nutriant pueros: ſic Dominus impinguat divites bonis temporalibus, ut abundent in lacte compaſſionis, & nutriant filios, id eſt pauperes ſuos. Unde dicitur: *Pſalm. 22* Impinguaſti in oleo caput meum. Tunc enim Dominus oleo caput impinguat, quando mentem ad pauperes, oleo compaſſionis humectat. Eſt inſuper homo eleemoſynarius ſicut mercator induſtrius. Nam ſicut mercatores pecuniam ſuam non tradunt eis, qui reddere non poſſunt, vel eis, qui ad nundi-

A nas, venturi non ſunt: ſic homo prudens non dat eleemoſynam hiſtrionibus, qui nihil habent, ſc. de gratia Dei, & qui venturi non ſunt ad nundinas paradiſi. Ideo dicitur: Benefac humili, & ne dederis impio. *Eccli. 12.* Hoc vero in duobus caſibus intelligitur, unus quando datur hiſtrionibus, non intuitu pietatis, ſed ratione hiſtrionatus: Alius eſt ſi credas, quod propter eleemoſynam tuam, impius negligat juſtitiam. Et ſicut pedagium non petitur ab illis, qui tranſeunt vacui, ſed ab aliis, qui ſunt onerati: ſic Dominus pedagium eleemoſynæ non petit a pauperibus, qui ſunt vacui rebus tranſitoriis: ſed a divitibus, qui ſunt one-

B rati divitiis, & pleni temporalibus bonis. Unde dicit Apoſtolus: Divitibus *1 Tim. 6* hujus ſæculi præcipe, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum in futurum. Et ſicut Dominus terrenus mercatoribus, qui furantur pedagium, aufer quandoque totum capitale: ſic illis divitibus, qui pedagio eleemoſynæ defraudant pauperem, aufert Dominus non ſolum gratiam, immo interdum temporalem ſubſtantiam. De tali dicitur: Tollite *Matth. 25* ab eo talentum & date illi, qui decem talenta habet. Avaro ſiquidem tollenda eſt temporalis ſubſtantia, & danda illi, qui miſerando pauperibus, implet mandata Domini.

C Secundo eleemoſyna habet motum ſtimulantem & ſpecialiter triplicem. *Eleemoſyna triplicem motum ſtimulantem habet.* Unde nota, quod ille, a quo petitur eleemoſyna, debet præcipue conſiderare tria, ſcilicet. Quis petit, pro quo petit, & ad quid petit. Primo igitur, quando pauper petit eleemoſynam, debet dives conſiderare quis eam petit: quia Dominus, pro cujus amore petit eam mendicus. Debet enim adeo diligere pauperes, quod quidquid fit eis, propter amorem ſuum, reputat ſibi factum. Nam dicitur: Quod uni ex minimis meis *Matth. 25.* feciſtis mihi feciſtis. Petit ergo eleemoſynam per pauperem ſuum ille, a quo dives petit quandoque regnum: Et ideo cum pauperi negat dives modicum fruſtum panis, time-

Digitized by Google

re debet, quod Deus non audiat eum, A cum petit ab eo regnum æternæ felicitatis, quia dicitur: Qui obturat aures ſuas ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, & non audietur. Debet ſecundo conſiderare dives, quid petit Deus, quando eleemoſynam petit in ſuis pauperibus. Petit enim Deus non noſtrum ſed ſuum. Ideo valde ingratus eſt Deo, qui pauperi negat modicam eleemoſynam, cum de bonis Dei habeat abundanter ad menſam ſuam. Hoc conſideravit David qui dicit: Tua ſunt Domine, omnia, & quæ de tua manu accepimus, dedimus tibi. Tertio, debet conſiderare dives homo, ad quid petit Deus. Deus enim petit non ad dandum, ſed ad mutuandum, nec tantum ad triplas, immo ad centuplas uſuras. Unde dicit Aug. Homo quod fœneras homini, fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis. Et ideo nimis ingratus eſt, qui ad tales uſuras non vult commodare Deo: ad quales mutuaret Judæo, vel Saraceno.

Prov. 21

Paralip. 29

Eleemoſyna habet triplicem modum regulantem.

Tertio, eleemoſyna habet modum regulantem, & ſpecialiter triplicem. Unde nota, quod in dando eleemoſynam, debet eſſe modus juſtus, modus gratus, & modus pius. Juſtus ſine injuria, gratus ſine triſtitia, & pius ſine ſuperbia. Primo igitur, qui dat eleemoſynam, debet habere modum juſtum, ut ſcilicet det ſuum, & non alienum. Sicut enim aqua munda lavat, & immunda coinquinat: ſic eleemoſyna munda, quæ ſc. eſt ſine peccato uſuræ, vel rapinæ, dantem mundat, pauperem lavat, & Deum placat. Unde dicitur: Honora Dominum de tua ſubſtantia, non de aliena: quia eleemoſyna de alieno, ut de rapina, uſura, vel de furto, dantem inficit: proximum lædit, & Deum offendit. Unde in figura hujus dicitur. Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermento erit, ſcilicet uſuræ, furti, vel rapinæ, vel cujuſcumque acquiſitionis injuſtæ. Secundo, qui dat eleemoſynam debet habere modum gratum, ut ſcilicet

Prov. 3

Levit. 2

oſtendat pauperi lætum vultum, dulce verbum, & promptam manum. Nam de læto vultu dicit Apoſtol. Hilarem enim datorem diligit Deus. De dulci verbo, dicitur. Reſponde illi, ſcilicet pauperi, pacifice in manſuetudine. De prompta manu dicitur: Ne dicas amico tuo vade & revertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſit dare. Tertio, qui dat eleemoſynam debet habere modum pium, & ſine omni ſuperbia, vel præſumptione, ut ſcilicet dando eleemoſynam, laudem non quærat, pauperem ne deſpiciat, ſeipſum ſine eleemoſyna non dimittat. Qui enim dat eleemoſynam, laudem vitet humanam. B Nam dicitur: Te autem faciente eleemoſynam, neſciat, &c. Debet etiam, qui dat eleemoſynam, non propter hoc pauperem deſpicere, quia dicitur: Et carnem tuam ne deſpexeris. Nec debet ſeipſum ſine eleemoſyna dimittere, qui vult aliis miſericors eſſe. Dicitur enim: Miſerere animæ tuæ, placens Deo. Et Auguſtinus in Enchiridion: Qui vult eleemoſynam ordinate dare, a ſeipſo debet incipere. Sicut enim non deberet dici miſericors, qui extraneis faceret miſericordiam, & matri propriæ crudelis & immiſericors eſſet, ſic multo minus dicenda eſt miſericordia, vel eleemoſyna, quam quis faceret aliis, anima ſua neglecta, & in peccato C dimiſſa. Unde dicitur: Qui ſibi nequam eſt, cui bonus? Et Auguſtinus: Quid eſt miſerius miſero non miſerante ſibi ipſi?

2 Cor. 9

Eccli. 4

Prov. 3

Matt. 6

Iſa. 58

Eccl. 30

Auguſt. in Enchir. c. 76 tom. 3

Eccli. 14

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS TERTIUS

De Pæceptis divinis.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Præceptis in communi. *Cap.* I.
De Præceptis primæ tabulæ. *Cap.* II.

De

De Præceptis ſecundæ tabulæ. Et de honore parentum. *Cap. III.*
De non lædendo proximo, vel occidendo. *Cap. IV.*
De prohibitione concubitus illiciti. *Cap. V.*
De Prohibitione furti. *Cap. VI.*
De non dicendo falſo teſtimonio, & de peccatis linguæ. *Cap. VII.*
De Prohibitione concupiſcentiæ. *Cap. VIII.*
De præceptorum editione, ac promulgatione. *Cap. IX.*
Quod tranſgreſſores præceptorum inſtar Pharaonis decem mulctantur. *Cap. X.*

CAPUT I.

De præceptis in communi.

Tria de præceptis Divinis conſideranda.

POſtquam dictum eſt de pœnitentia, dicendum eſt de præceptis, quia hæc eſt ſecunda diæta ſalutis, ſcilicet a pœnitentia venire ad præcepta. Et ideo nota de præceptis divinis ſpecialiter tria, ſcilicet qualiter ſunt deſcripta indelebiliter, diſtincta rationabiliter, edita univerſaliter.

Circa præceptorum deſcriptionem eſt notandum quod ad obſervandum præcepta divina, debet nos monere præceptorum ſcriptura tripliciter, ſi attendamus, quis ſcripſit, ubi ſcripſit, & quo modo ſcripſit. Primo enim ſi quæris, quis ſcripſit? dicitur quod digitus Dei, ſc. Spiritus ſanctus. Scriptura enim magis eſt authentica & plus obſervanda, quando per manum publici tabellionis eſt confecta. Iſte tabellio eſt Spiritus ſanctus, ſc. qui ex nihilo fecit cœlum & terram, & omnia elementa, & corpus Chriſti formavit in virginali utero, & de pulvere formavit corpora noſtra. Item idem ſcripſit decem præcepta. Ille enim eſt notarius publicus, qui fecit inſtrumentum de matrimonio quod coniunxit Dei filium in virgine Eccleſia, & in noſtra carne. Et ipſe ſcripſit teſtamentum, quod condidit Chriſtus in Cruce, in quo legavit ſpiritum Deo Patri, matrem Joanni, & Paradiſum latroni. Iſte tabellio ſcribet in die judicii æquitatem divinæ ſententiæ. Iſte A ſcribet electos in libro vitæ. Et breviter, iſte ſcribet omnes chartas & ſcripturas & inſtrumenta divina. Bene igitur obſervanda eſt præceptorum ſcriptura. Unde dicitur: Deus dedit Moyſi tabulas ſcriptas, utraſque digito Dei vivi. *Deut.* 9

Secundo, ſi quæras ubi ſcripſit? dico, quod in tribus locis, ſcilicet in lapidibus marmoreis, in profundo pectoris, & in pergameno humani cordis. De ſcriptura marmoris, nota quod duo fuerunt paria tabularum: primæ poſt ſcripturam fuerunt fractæ, inſtar illarum fuerunt aliæ renovatæ. Primæ ſignificant innocentiam, ſecundæ pœnitentiam. Et ideo ſi contingat tabulas innocentiæ frangi, B debent ſaltem præcepta in tabulis pœnitentiæ tranſcribi. Eſt enim mire cautum quod ſi inſtrumenta vetuſtate, vel aliquo caſu conſumpta fuit, per manum notarii exemplanda, eandem auctoritatem cum originalibus habitura ſint: quia pœnitentia reducit in gradum priſtinum, & omnes defectus revocat ad perfectum, ut dicit Aug. in Hypognoſticon. Unde dicit Dominus Moyſi: Præcide duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti. De ſcriptura præceptorum in corde, nota, quod in hac ſcriptura ſcriptor, ut diximus, eſt digitus Dei ſcribentis: calamus, lingua C prædicantis, juxta illud: Lingua mea calamus ſcribæ, & Spiritus ſanctus ſcribens: pergamenum eſt munditia cordis: nam in pergameno lutoſo vel immundo, littera non bene formatur, nec apparet ſcriptura immo oportet, quod ſit album & mundum. Unde dicebat Propheta: Cor mundum crea in me Deus. Incauſtum hujus ſcripturæ eſt gratia Spiritus ſancti. Rubrica ornans totam ſcripturam, eſt ſanguis Chriſti. Continentia ſcripturæ eſt dilectio Dei, & proximi: quia finis præcepti eſt charitas, ut dicit Apoſtolus ſcribens ad Timotheum. Hæc ſcriptura, quia tam chara fuit, ideo intima, & ſecreta eſt. Ideo ſicut jocalia chara & pretioſa reponuntur

Auguſt. in Hypogn. lib. 3 paulo poſt med. tom. 7
Exod. 34
Pſal. 44
Pſal. 50
1 *Tim.* 1

Digitized by Google

tur cum magno ſtudio, in loco ſecreto & ſcrinio pretioſo, ideo, &c. Et de hac ſcriptura chara & intima *Hier. 31.* dicitur: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. De ſcriptura præceptorum in corde, nota, quod in triplici parte corporis noſtri, quodam modo ſcripta ſunt præcepta Dei, quaſi pro ſempiterno, & continuo memoriali. Scripta enim ſunt in manibus, ubi ſunt decem digiti: in pedibus, ubi ſunt decem articuli: & in quinque ſenſibus, ubi ſunt organa: ſicut duo oculi ad videndum, duæ aures ad audiendum, duæ nares ad odorandum, duæ fauces ad guſtandum, duæ manus ad tangendum. Per quod patet, quod præcepta divina debent in nobis dirigere greſſus affectionis: ideo ſunt decem articuli pedum, quaſi memoriale decem præceptorum. Debent etiam regere ſenſus affectionis, actus operationis: propter quod ſunt decem digiti manuum ad deſignandum decem præcepta, ſeu præceptorum mandata. Debent nihilominus moderari ſenſus noſtræ converſationis, propter hoc in ſenſibus ſunt decem organa ad deſignandum decem præcepta. Hic eſt liber ſcriptus intus & foris, ut dicitur in Ezechiele, *Ezec. 2.* quia præcepta, ut dictum eſt, debent eſſe ſcripta intus, ſcilic. in corde per dilectionem, & foris per operationem, ſcil. in corpore.

Tertio, ſi quæras quo modo ſcripſit? dico, indelebiliter. Et nota quod tria ſunt, quæ conſueverunt delere ſcripturam, aqua, ignis, ſcilicet & vetuſtas: ſic ſpiritualiter aqua tranſitoriæ delectationis, ignis afflictivæ perſecutionis, vetuſtas defectivæ converſationis. In aqua ſignificatur tentatio carnis inficientis, in igne tentatio hoſtis decipientis, in vetuſtate tentatio mundi deficientis. In quibuſdam enim delet præcepta aqua, vel liquor carnalis delectationis, in quibuſdam ignis, vel fervor hoſtilis perſecutionis, in quibuſdam vetuſtas mundialis converſationis. Et ideo contra iſta tria, Deus voluit præce- A pta ſua indelebiliter in lapide ſcribere, ut numquam delerentur, nec carnali beſtialitate, nec mundiali proſperitate, nec hoſtili adverſitate. Unde dicitur: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. *Matt. 24.* Item nota, quod tres ſcripturæ ſunt ſpecialiter indelebiles, & immobiles, ſcilicet leges Imperatorum, donatio inter vivos, & ultimum teſtamentum. Præcepta autem Dei, ſunt leges Imperatoris ſummi, editæ in conſiſtorio Trinitatis: quæ leguntur a Doctoribus per Catholicam prædicationem, repetuntur a ſcholaribus per bonam operationem. Unde dicitur. *Baruc. 3.* Hic eſt liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum. B Sunt enim præcepta divina æterna, ſicut donatio inter vivos, & irrevocabiliter donatur vita æterna illis, qui inter vivos, id eſt in ſtatu gratiæ obſervant mandata divina. Ideo dicitur: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Matth. 19.* Bene autem dicitur donatio inter vivos, & non inter mortuos: quia in ſtatu culpæ non poteſt quis divina præcepta obſervare. Sunt nihilominus præcepta divina ſicut ultimum teſtamentum. Nam primum teſtamentum fuit Judæorum, qui præcepta obſervabant ex timore: & illud fuit revocatum. Secundum teſtamentum fuit Chriſti, ſcilicet tempore gratiæ, C in quo obſervantur præcepta ex charitate: & illud fuit in morte Chriſti confirmatum. Unde Chriſtus dixit in ſuo ultimo teſtamento; Hoc eſt præceptum meum, *Joan. 15.* ut habetur in Joanne.

CAPUT II.

De præceptis primæ tabulæ.

Circa præceptorum ſecundam diſtinctionem, notandum eſt primo in generali de omnibus. Et nota ſecundum Joſephum, qui fuit Doctor hiſtoricus, *Joſeph. Antiq. li. 3. cap. 4.* quod præcepta divina fuerunt per æquas partes in duas tabulas, diſtincta, quia quinque fuerunt in una tabula, & quinque in alia. Sed ſecundum

Orig. hom. 8 in Exo. 20 Aug. q. in Exod. lib. 2 q. 71 tom. 4 cundum Origenem, & beatum Auguſtinum, & alios doctores myſticos & morales prima tabula dicitur continere tantum illa præcepta, quæ ordinant hominem ad Deum, vel ad vitam contemplativam, quæ ſunt tria, ſc. Non habebis Deos alienos, &c. Secunda autem tabula continet tantum illa præcepta, quæ ordinant hominem ad proximum, quæ ſunt ſeptem, ſcil. Honora patrem tuum & matrem tuam, &c. Et hæc breviter fuerunt, ſicut Joſephus narrat ad literam. Et nota hic quod Deus habitat in cœlo, & proximus in mundo. Peccator igitur, qui non obſervat præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, non meretur habitare in cœlo, ubi Deus eſt: & qui non obſervat præcepta ſecundæ tabulæ, quæ ordinant ad proximum, non eſt dignus habitare in terra vel in mundo, ubi eſt proximus: & ſic per conſequens relinquitur, quod habitet in inferno, ubi eſt diabolus, juxta illud: Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. (Matth. 22) Prima tabula dicitur tantum continere illa præcepta, quæ ordinant hominem ad Deum, vel ad vitam contemplativam. Secunda, quæ ordinant hominem ad proximum, vel ad vitam activam.

Primæ tabulæ præcepta tria. Secundo notandum eſt in ſpeciali, quod in prima tabula ſunt tria præcepta, hominem ad Deum ordinantia in vitam contemplativam. Primum eſt: Non habebis Deos alienos. Secundum eſt: Non aſſumes nomen Dei in vanum. Et tertium eſt: Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices.

Primum igitur præceptum primæ tabulæ eſt: (Præcept. I) Non habebis Deos alienos, ſed unum ſolum ſcilicet Deum vivum & verum, juxta illud: (Deut. 6) Audi Iſrael Dominus Deus veſter Deus unus eſt. In hoc igitur præcepto prohibetur omnis idololatria, & contra hoc faciunt, non ſolum infideles, pagani & hæretici, verumetiam omnis homo, qui amorem præcipuum, quem debet ponere in Deo, ponit in quocumque bono creato, ſicut ambitioſus, qui ſumme diligit nummum: & guloſus qui ſumme diligit ventrem ſuum. Et ideo nota, quod triplex eſt idololatria, ſcilicet paganorum, avarorum, & guloſorum. (*Idololatria triplex.*) Idololatria paganorum eſt mala, quia colunt aurum & argentum, juxta illud: (Pſal. 113) Simulacra gentium argentum & aurum. Idololatria avarorum eſt pejor, quia quaſi Deum adorant nummum. Nam avaritia eſt idolorum ſervitus ſecundum Apoſtolum. (Epheſ. 5) Idololatria guloſorum eſt peſſima, quia guloſi colunt Deum viliſſimum, ſcilicet ventrem ſuum, qui eſt latrina & immunditia de quibus dicit Apoſtolus: (Phil. 3) Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum. Pagani comparant Deum auro pretioſo: avari nummo rubiginoſo: guloſi ventri ignominioſo.

Secundum præceptum eſt: (Præcept. II) Non aſſumes nomen Dei in vanum. In quo prohibetur perjurium, & blaſphemia & omne peccatum, vel inordinatio linguæ, maxime contra Deum. Et nota tria hic ſpecialiter de perjurio, vel blaſphemia. Primo, quia perjurus, vel blaſphemus peſſimus deſtruit animam ſuam. Provocat enim contra ſe tres perſonas, quarum favor valde eſt neceſſarius in judicio, ad ſententiam obtinendam, ſcilicet judicem, teſtes & advocatos. Qui enim falſe jurat per Deum, habet contra ſe judicem, ſc. Deum, qui eſt juſtus, ut dicitur in Pſalmo. (Pſal. 8) Qui jurat falſe per ſanctos, habet contra ſe advocatos, ſc. ſanctos, qui ſunt advocati noſtri, & ſpecialiter qui jurat per Virginem matrem Dei. Nam de illa cantat Eccleſia: Eja ergo advocata noſtra, &c. Summum advocatum provocat contra ſe, qui falſe jurat per Chriſtum, vel per corpus ſuum, vel altare ſacrum, quia ipſe eſt præcipuus advocatus noſter, juxta illud: (1 Joan. 2) Advocatum habemus apud patrem Jeſum, &c. Qui vero falſe jurat, per ſancta Dei Evangelia, fidem vel conſcientiam ſuam habet contra teſtes. Nam ſancta Dei Evangelia ſunt teſtimonia veritatis: & fides, & conſcientia noſtra ſunt teſtes

noſtri,

2 Cor. 1

noſtri, juxta illud: Gloria noſtra hæc eſt, &c. Quo modo ergo blaſphemus, vel periurus faciet, qui veritatem, iudicem, advocatum & teſtes contra ſe habet? Per quam viam incedet in extremo, & iuſto iudicio Dei, ubi vix iuſtus ſalvabitur, qui quando credit pro ſe ſententiam habere; habet contra ſe? De talibus conqueritur Dominus, dicens: Jugiter tota die nomen meum blaſphematur. Non mireris ergo ſi periurus & blaſphemus damnentur, qui nomen Dei glorioſum aſſumunt in vanum, Virginem glorioſam, fidem ſuam, & conſcientiam ſuam, ſancta Evangelia, & Chriſtum, & omnes ſanctos, & omne bonum aſſumunt in vanum, & omnia, ut videtur, habent pro nihilo. Non erit, inquam, mirum, ſi a Deo, & Virgine, & ſanctis omnibus in iudicio illo tremendo procul repellentur.

Iſa. 52

Præcept. III.

Tertium præceptum eſt: Memento ut diem ſabbathi ſanctifices. Et nota, quod transgreſſores huius præcepti videntur ſpecialiter memoriam amiſiſſe. Unde iſtis ſolum dicitur: Memento, &c. Primo igitur, tales videntur memoriam amiſiſſe, quia non reminiſcuntur eorum, quæ vident in natura, nec eorum, quæ legunt, vel audiunt in ſcriptura. Videmus enim in natura quod omnia quietem appetunt poſt laborem. Herbæ namque & plantæ, ſegetes & arbores fructificant, & ſuo modo laborant ſcil. in vere, autumno, & æſtate, & quieſcunt in hieme, & quodammodo ſomniant. Legimus autem in ſcriptura, quod Deus fecit cœlum, terram, & omnia, quæ in eis ſunt in ſex diebus: tamen in die ſeptima requievit. Apoſtoli & martyres & alii ſancti laboraverunt in hoc mundo, & tamen nunc requieſcunt in cœlo. Solus vero diabolus numquam quieſcit, nec illi qui ſunt in inferno. Tranſgreſſores ergo huius præcepti, ſunt illi, qui laborant per totam illam ſeptimanam, nec quieſcunt, nec ceſſant in diebus Dominicis, nec in aliis feſtis. Non enim ſunt, ut patet, ſimiles Deo,

Gen. 2

A quievit ſeptima die, nec creaturis, quæ requieſcunt, in hieme, nec ſanctis, qui requieſcunt in cœlo: ſed ſunt ſimiles diabolo, & damnatis, quia numquam requieſcunt, ſed ſemper laborant, & laborabunt in inferno. Nam de damnato dicitur: Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. Secundo tales videntur memoriam amiſiſſe; quia intentio fuit Dei, ut in die feſto vacaremus divino cultui: tales autem faciunt totum contrarium. Nam diebus feſtivis vadunt ad mercata & nundinas & ſimilia, & dimittunt ſermones & miſſas & fugiunt a Deo, & vacant mundo, & quod peius eſt, peccato. Tales enim ſunt ſimiles cancro, qui ſemper vadit, & ſerpit ex tranſverſo retrogradiendo. Tertio tales videntur perdidiſſe memoriam, quia Dominus mandat ſanctificari ſabbathum, & illi polluunt ſabbathum, & quod peius eſt, quaſi ſanctificant ſeptimanam: vacant enim in ſeptimana operibus licitis, in ſabbatho, vel die feſto ebrietatibus & immunditiis, ſordibus & peccatis, per totam ſeptimanam dant corpus victui miſero, & in die feſto dant animam diabolo. De his conqueritur Dominus, dicens; Sanctuaria mea ſpreviſtis, & ſabbatha mea polluiſtis.

Pſalm. 48

B

Ezech. 22

CAPUT III.

C *De præceptis ſecundæ tabulæ, & primo de honore parentum.*

Secundæ tabulæ præcepta VII.

DE præceptis ſecundæ tabulæ, eſt notandum, quod ſeptem ſunt in univerſo. Primum eſt: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Secundum, Non occides. Tertium, Non mœchaberis. Quartum, Non furtum facies. Quintum, Non falſum teſtimonium dices. Sextum, Non concupiſces rem proximi tui. Septimum, Non deſiderabis uxorem proximi tui. Et de iſtis ſeptem, primum eſt affirmativum, & alia ſunt negativa. Præcepta autem affirmativa ligant ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro loco, & tempore; negativa vero ligant ſemper & pro ſemper.

Primum

Digitized by Google

Præcept. I. Primum ergo præceptum ſecundæ tabulæ eſt: Honora patrem tuum, & matrem tuam, & eſt affirmativum. Et nota, quod triplex eſt ratio, quare honorandi ſunt parentes, ſcilicet quia nos genuerunt, nutrierunt, & inſtruxerunt. Quia per ipſos ſumus geniti, debemus eis corporale obſequium: quia per ipſos, ſumus nutriti, debemus eis temporale nutrimentum, vel ſubſidium: & quia per ipſos ſumus inſtructi, debemus eis imitationis exemplum. Prima ergo ratio honorandi parentes, eſt: quia ipſi nos genuerunt. Unde dicitur: Honora patrem tuum & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris, meditando, quia niſi per illos non fuiſſes. Et propter hoc, ut dictum eſt, debemus eis corporale obſequium, ſcilicet. Corde debemus eos diligere, contra illos qui eos contemnunt, & deſiderant mortem eorum, maxime quando ſeneſcunt. Lingua debemus eis reverenter loqui & benedicere, contra illos, qui non benedicunt, ſed maledicunt. Auribus debemus eis obedire, contra illos, qui eorum præcepta parvipendunt. Manibus debemus eis ſervire, contra illos, qui eos percutiunt.

Triplex ratio, ob quam ſunt honorandi parentes.

Eccli. 7

Secunda ratio honorandi parentes eſt, quia ipſi nos nutrierunt, & propter hoc debemus eis temporale nutrimentum, vel ſubſidium.

Tertia ratio honorandi parentes eſt, quia ipſi nos inſtruxerunt. Unde debemus eis imitationis exemplum, ſcilicet in bonum, quia dicitur: Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Unde vide ſalarium. Filius bonus eſt benedictio patris & matris, quia in eo benedicuntur pater, & mater; ſicut vulgo dicitur de bono filio, Benedicatur pater tuus, & mater tua. Sicut illa bona mulier dixit Salvatori noſtro: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Et econverſo pro ſalario mali filii, patris, & matris, dicitur de malo filio. Maledicatur pater, qui te genuit, & mater quæ te lactavit. Exemplum de Linetio, de quo narrat Boetius in libro de diſciplina ſcholarium.

Prov. 1

Luc. 11

Item nota, quod triplex eſt pœna eorum, qui non honorant parentes ſuos. Prima eſt filiorum ſuorum inobedientia, nam eandem ſalſam dabunt eis filii ſui, quam ipſi dederunt parentibus, juxta illud: Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.

Triplex pœna eorum, qui parentes non honorant.

Luc. 6

Secunda pœna eſt infamia. Nam ſecundum canonicas & legitimas ſanctiones, maligni parentibus infames ſunt, & ex eorum malignitate poteſt teſtamentum & donatio revocari, & poſſunt omni facultate & hereditate privari paterna, & ultra hoc tales frequenter mala morte moriuntur in hac vita, & interdum horribiliter puniuntur vel perimuntur. Tertia pœna eſt brevis vita, ſicut præmium honorantium eſt vita longa, ut dicitur: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. Nec eſt mirum ſi tales reputantur indigni vita æterna, qui etiam repatantur indigni, vel judicantur in hac vita miſera tranſitoria: & iſtis vita ſubtrahatur, cum aliis peccatoribus conceditur ad pœnitentiam faciendam.

Exod. 20

CAPUT IV.

De Non lædendo proximo, vel occidendo.

SEcundum præceptum, ſecundæ tabulæ eſt: Non occides, ſcilicet injuſte. Nam iſtis tribus modis vel actu mortem inferendo, vel lingua mortem procurando, vel corde proximum odiendo, homicidium perpetratur. De ultimo enim, de quo minus videtur, dicitur: Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.

Præcep. II

1 Joan. 3

Item nota ſpecialiter quod tria ſunt homicidarum genera. Sunt enim quidam qui interficiunt ſeipſos pro peccatis, & ſecundum Auguſtinum illi inter omnes ſceleratiſſimi homicidæ ſunt. De his dicitur: Qui facit peccatum & iniquitatem, hoſtis eſt animæ

Aug. lib. 1 de Civ. Dei c. 17 t. 5

Tob. 12

mæ ſuæ. Sunt alii qui ſpiritualiter interficiunt proximum per ſcandalum & malum exemplum, quod figuratur in morte primogenitorum Ægypti, ut habetur in Exodo. Tunc enim moriuntur primogenita in Ægypto, quando maiores præſtant minoribus materiam peccati vel ruinæ, ſuo malo exemplo. Sunt etiam alii qui procurant abortum, ſcilicet quando bonum propoſitum in ſe extinguunt, quod eis miſericorditer inſpiratur, ex quo per gratiam impræguantur, ſicut in perſona ipſorum dicitur: A facie tua Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Mali vero concipiunt, ſed non parturiunt, quia ſuffocant conceptum. De his dicitur: Venerunt filii, uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.

Iſa. 26. *Iſa. 37*

Pœna triplex homicidarum

Item nota, quod triplex eſt homicidarum pœna, ſcilicet exilium, patibulum, & irregularitatis impedimentum. Homicidæ enim exulantur, quando autem poſſunt capi, ſuſpenduntur: ſic qui occidunt ſe vel alios per peccatum, exules ſunt a gratia, & patria. Homicidæ autem ſuſpenduntur, quando poſſunt tangi, in patibulo iudicis: ſic ſpiritualiter homicida ſuſpenditur in patibulo inferni, quando moritur. Homicidæ etiam non poſſunt ad ſacros ordines promoveri: ſic animæ homicidarum non promovebuntur ad ordines angelorum, ſed erunt in inferno. Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ut habetur in Job.

Job 10

CAPUT V.

De prohibitione concubitus illiciti.

Præcept. III.

Tertium præceptum ſecundæ tabulæ eſt: Non mœchaberis, ubi prohibetur omnis concubitus illicitus, & actus carnis inordinatus, tam contra ordinem naturæ, quam contra ordinem ſcripturæ & gratiæ.

Luxuria ob triplicem cauſam prohibetur.

Et notandum quod triplex eſt ratio, quare prohibetur mœchia vel luxuria. Primo igitur mœchia eſt huiuſmodi mundi quaſi vilis infirmitas, quia fere totus mundus tabeſcit & ægrotat, vel moritur in peccato, & eſt morbus ita contagioſus, quod ſolo aſpectu inficit hominem. Unde Salvator noſter, prohibuit aſpectum illicitum, dicens: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Mulier namque adultera, ſicut baſilicus, ſolo aſpectu interficit hominem: propter quod nos non debemus nimis propinquare, vel familiares eſſe eis: ſicut nec infirmis qui laborant morbo contagioſo; quia dicitur: De veſtimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.

Matth. 5 *Eccli. 42*

Secundo, quia mœchia eſt maior mercatura diaboli. In aliis enim peccatis lucratur diabolus unum peccatorem, pro uno peccato: ſed in Mœchia, ut vulgo dicitur, lucratur pro peccato duos, immo, tres & interdum plures, ſcilicet adulterum, & adulteram, & vetulam, quæ procurat peccatum. Quia etiam diabolus in hoc magis multiplicat uſuras ſuas, ideo huic mercaturæ, vel negotio plus intendit, immo non curat dormire, vel comedere, tantum eſt intentus huic peſſimæ mercaturæ. Dicitur enim: Qui me comedunt, ſcilicet, tentando, non dormiunt, ſcilicet a tentatione ceſſando.

Job 30

Tertio quia etiam mœchia eſt communior via inferni, hoc eſt ſtrata publica magis lata, quia plures ambulant per eam. Alia peccata vendicant ſibi ſpecialia hominum genera, ſed luxuria nulli parcit, & fere ad omne genus hominum ſe extendit. Exemplum de diabolo, qui ſecundum fabulam habuit uxorem, & ex illa habuit ſeptem filias, & maritavit eas. Superbiam dedit mulieribus quæ totum ſtudium ſuum ponunt in vanitate, & ſpeculo, pectine, & crinibus, & monilibus, & ornatu capitum, &c. Uſuram dedit Burgenſibus: rapinam Militibus & Magnatibus: ſimoniam Clericis & Prælatis: hypocriſim religioſis, & luxuriam univerſis. De hac via dicitur: Lata eſt porta & ſpatioſa via, quæ ducit ad

Matth. 7

ad perditionem, & multi ſunt, qui A intrant per eam.

CAPUT VI.

De prohibitione furti.

Præcept. IV. QUartum præceptum ſecundæ tabulæ eſt: Non furtum facies. In quo prohibetur furtum, rapina, & ſimonia, & omnis illicita contractio rei alienæ.

Furtum eſt contra triplicem legem. Et nota, quod furtum cum ſuis comitibus eſt contra triplicem legem. Eſt enim primo contra legem naturæ, ſecundum quam omnia debent eſſe communia. *Tob. 4* Fures autem & ſui comites non ſolum retinent ſua propria, B immo uſurpant aliena, contra illud præceptum naturæ, quod ſcriptum eſt: Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu alteri aliquando facias. Eſt contra legem ſcripturæ, ut dicitur: Non furtum facies. *Exod. 20* Eſt etiam contra legem gratiæ. Nam charitas, quæ eſt ſecundum præceptum legis gratiæ, non quærit ſua, ſed aliena. Charitas præcipit dare dicens: *Luc. 6* Date & dabitur vobis, communicando. Hæc autem potius nititur auferre. Charitas autem communicata, facit nos ſimiles Deo, qui non ſolum, & ſua æterna, ſed etiam ſeipſum pro nobis dedit, ut habetur ad Epheſios. Fures, raptores, & uſurarii auferendo *Ephes. 5* aliis, ſunt ſimiles morti & diabolo. C Nam mors nititur furari & auferre corpus, diabolus autem animam. De *Iſa. 28* talibus dicitur: Percuſſimus fœdus cum morte & cum inferno, id eſt, diabolo fecimus pactum, qui furatur animam. Et præcipue uſurarii, fures, vel raptores, qui auferunt ſua pauperibus, ſunt ſimiles morti: qui auferunt pauperibus victum ſuum neceſſarium, & per conſequens vitam ſuam. Nam dicitur: *Eccli. 34* Panis egentium vita pauperis eſt qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.

CAPUT VII.

De non dicendo falſo teſtimonio, & de peccatis linguæ.

QUintum præceptum ſecundæ tabulæ eſt: Non falſum teſtimonium dices. Præcept. V In quo prohibetur omne peccatum & omnis inordinatio linguæ, & ſpecialiter contra proximum.

Sunt autem, ſecundum Doctores, Linguæ peccata 22 viginti duo peccata, vel deordinationes linguæ, & omnes prohibentur, ſcilicet blaſphemia, murmur, defenſio peccati, perjurium, mendacium, detractio, accuſatio, multiloquium, verbum otioſum, ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, indiſcretio, convicium, contentio, bonorum deriſio, pravum conſilium, ſeminare diſcordias, maledictio, adulatio, peccatum bilinguium, rumor, jactantia, & ſecreti revelatio ſpecialiter.

Et nota, quod falſus teſtis tribus Falſus teſtis. perſonis eſt obnoxius, ut dicit Iſidorus de ſummo bono: *Iſid. de ſum. bono l. 3 c. 59 ſent. 2* eſt enim obnoxius Deo, quem contemnit, & judici quem decipit, & proximo, quem lædit. Mendax eſt ſicut denarius falſus, vel potius ſicut falſus monetarius, qui fabricat falſam monetam: & talis de iure punitur morte æterna, iuxta illud: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Pſal. 5* Detractor ſimilis eſt cani, qui lambit in homine, non carnem ſuam, ſed ulcera & ſaniem. Murmurans autem, ſimilis eſt rotæ deteriori carri quæ plus eſt quam aliæ garruloſa, quia ſcilicet non eſt uncta oleo: ſic iſti deficit unctio Spiritus ſancti. Jactans ſimilis eſt cuculo, qui neſcit nuntiare niſi de ſeipſo. Adulatores ſimiles ſunt canibus, qui, cum obviant ſibi invicem, oſculantur ſe in loco immundo. Bilinguis, vel reportator verborum, ſimilis eſt ſerpenti, qui habet linguam bifurcatam, ſic tales loquuntur ad duas partes. Qui ſtulte promittit, ſimilis eſt arbori, quæ habet lata folia, ſicut vitis, quæ ci-

Digitized by Google

to folia defluit, ut dicitur in Pſalmo: Qui loquitur ſcurriliter, ſimilis eſt porco, qui ubicumque ponit pedem, non veretur ponere os. Qui peccatum defendit vel excuſat, ſimilis eſt Adæ, qui retorſit culpam ſuam in Deum, dicens: Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi, &c. Qui maledicit, ſimilis eſt hiſtrioni viliori, immo viliſſimus eſt inter omnes, qui vulgo dicitur ioculator, ſic de maledicente, qui multis eſt odioſus. Qui multum loquitur, eſt ſicut fatuus mercator, qui ſine numero, pondere, & menſura vendit merces ſuas, & ideo non eſt mirum ſi interdum defraudetur. Qui indiſcrete comminatur, ſimilis eſt cani, qui plus latrat & minus facit; nobilis enim canis ſicut leporarius, vix latat. Qui convitiatur, eſt ſicut canis macelli, qui ſemper os portat ſanguinolentum. Qui contendit vel contentionem incipit, eſt ſicut ille, qui diabolo mutuum recipit, qui in contentione recontendit, diabolo uſuras ſolvit. Qui prave conſulit, eſt ſicut ſerpens, qui inficit quidquid lingua eius tangit. Qui rumores multos narrat, ſimilis eſt lupo, qui, ut dicunt, uno menſe vivit de vento. Qui loquitur verba otioſa, eſt ſicut ulmus & aliæ arbores, quæ nullum fructum ferunt, ſed folia tantum. Qui bonos deridet, eſt ſicut cæcus, qui ſpuit & neſcit ubi, ſed ſpuit aliquando ſuper vultum alicuius, quando credit ſpuere ſuper terram vel lutum. Qui ſeminat diſcordias, eſt ſicut ſerpens ignominioſus, quia talis vomit ignem & incendit rancorem. Qui ſecreta revelat, eſt ſicut ſaccus ſine fundo, & ſicut vas ſine opertorio. De blaſphemo & periuro dictum eſt ſupra. Et propter hoc per talia, quæ a lingua procedunt, vocatur univerſitas iniquitatum in Zacharia.

Gen. 3 — *Sup. c. 2 hujus tituli.* — *Zach. 5*

CAPUT VIII.

De prohibitione Concupiſcentiæ.

SExtum præceptum ſecundæ tabulæ eſt: Non concupiſces rem proximi tui. Septimum præceptum eſt. Non deſiderabis uxorem eius. In primo prohibetur concupiſcentia oculorum. In ſecundo concupiſcentia carnis. *Præcept. VI. & VII*

Et nota quod triplex eſt ratio, quare ſpecialis iſta concupiſcentia carnis duplex prohibetur, tum quia eſt quædam animæ labes, quæ cito maculat, & vix poteſt tergi: tum quia eſt quidam animæ ignis, qui ſubito inflammat, & vix poteſt extingui: tum quia eſt quædam animæ ſitis, quæ ſemper cruciat, & vix poteſt ſatiari. Primo igitur hæc duplex concupiſcentia eſt animæ labes, quæ vix poteſt tergi. Una iſtarum, id eſt, concupiſcentia carnis, eſt ſicut aqua propter labilitatem tranſitoriæ delectationis. Altera ſcilicet concupiſcentia oculorum, eſt ſicut terra, propter ariditatem, terrenæ affectionis. Sicut ergo ex aqua & terra fit lutum materiale, ita ex hac dupplici concupiſcentia fit lutum ſpirituale, quo anima ſordidatur, & per conſequens fœtet, & diſplicet in conſpectu Dei ad modum viliſſimi luti. Unde dicitur in Pſalmo: Ut lutum platearum delebo eos. *Triplex ratio, ob quam duplex concupiſcentia carnis prohibetur* — *Pſal. 17*

Secundo iſta duplex concupiſcentia eſt animæ ignis, quæ vix poteſt extingui. De quo dicitur in Job: Ignis eſt uſque ad perditionem devorans. Inflammat enim animam, & inflammando incinerat, & tunc tertia ſoror earum, ſcilicet ſuperbia vitæ, quæ eſt ſicut ventus, inſufflat in animam ſic redactam in cineres, & diſpergit eam in ventum, & per conſequens annihilat. Et ideo dicitur in Pſalmo: Quod impius eſt ſicut pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ. *Job 31* — *Pſal. 1*

Tertio iſta duplex concupiſcentia eſt animæ ſitis, quæ vix poteſt ſatiari, cuius duæ ſunt ſanguiſugæ filiæ, dicen-

Digitized by Google

dicentes, Affer, affer, ſicut dicitur in
Prov. 20 Proverbiis. Concupiſcentia oculorum dicit, affer divitias: concupiſcentia carnis dicit, affer delicias. Una non ceſſat congregare, alia non ceſſat ef-
Aggæi 1 fundere. Unde dicit Aggæus: Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſaccum pertuſum. Homo mundanus divitiarum & delitiarum ſitibundus, ſaccus dicitur pertuſus; & ideo non eſt mirum, ſi numquam poteſt ſatiari: quia numquam poteſt impleri ad modum ſacci pertuſi.

CAPUT IX.

De præceptorum editione, ac promulgatione.

DE præceptorum editione, vel promulgatione notandum, quod ſunt utiliter edita, & ſub triplici pœna, & primo ſub pœna corporis, & animæ. Lex enim Imperatoris editur ſub pœna corporis tantum, ſed lex Creatoris ſub pœna animæ & corpo-
Matt. 10 ris, ut dicitur in Matthæo: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Secundo, præcepta divina edicuntur, vel mandantur ſub pœna bonorum mobilium & immobilium. Bona mobilia dicuntur bona gratiæ, quia poſſunt perdi & recuperari: bona immobilia dicuntur bona gloriæ, quia ſemel habita numquam poſſunt amitti. Tranſgreſſores ergo præceptorum divinorum, bonis gratiæ & gloriæ privantur. Ideo obſervantibus datur gratia in præſenti, & gloria in futu-
Pſalm. 83 ro, juxta illud Pſalmi: Gratiam & gloriam dabit nobis Dominus. Tertio, præcepta divina edicuntur ſub pœna patibuli infernalis; tranſgreſſor ergo divini præcepti jam eſt in via, qua ducitur a diabolo ad patibulum inferni. Et nota, quod tria ſunt quæ fiunt latroni, quando ducitur ad patibulum. Oculis velatur, manibus ligatur, & veſte nudatur: ſic peccatori qui dicitur ad infernum, velantur oculi rationis, ligantur manus bonæ operationis, denudatur veſte

A honeſtæ converſationis. Sic ergo præcepta divina edicuntur ſub multiplici pœna. Ideo dicitur in Pſalmo: Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri Pſalm. 118
nimis.

CAPUT X.

Quod transgreſſores præceptorum, inſtar Pharaonis, decem mulctantur.

NOta, quod ſicut decalogus eſt decem præceptorum Dei, ſic ſunt decem tranſgreſſores decalogi, qui figurantur per decem plagas Ægypti, quæ fuerunt ſanguis, rana, cinifes, & muſcæ, animalium peſtis, & veſica, grando, & locuſta, tenebræ, & mors primogenitorum. Et per iſtas decem plagas Ægypti figurantur, ut dictum eſt, tranſgreſſores decalogi, nam ſicut plagæ illæ vaſtaverunt Ægyptum: ſic plagæ peccatorum corrumpunt mundum iſtum. Prima ergo plaga Ægypti fuit ſanguis, omnes enim aquæ Ægypti verſæ fuerunt in ſanguinem, & hoc ſignat ſanguinem, & corruptionem luxuriæ. Secunda plaga fuit rana, tota enim Ægyptus bullivit ranis, & ſignificat loquacitatem & peccata linguæ. Tertia plaga fuit cinifes: cujus aculeus amarus quaſi inviſibiliter pungit, & ſignificat aculeum invidiæ. Quarta plaga fuit muſca graviſſima, & hæc ſignificat indignationem, & peccatum iræ. Quinta plaga fuit peſtis animalium, & hæc ſignificat languorem, vel peccatum acediæ. Sexta plaga fuit veſica turgens & ampuloſa, & hæc ſignificat inflationem, & peccatum ſuperbiæ. Septima fuit grando, & hæc ſignificat perſecutionem, & peccatum injuriæ; quia ex ſuperfluitate naſcitur injuria vel malitia. Octava fuit locuſta, quæ devoravit quidquid reſiduum fuit in grandine, & ſignificat voracitatem, & peccatum gulæ. Nona plaga fuit palpabilis tenebra, & hæc ſignificat cæcitatem ignorantiæ. Decima, & ultima fuit mors primogenitorum, & hæc ſignificat ſcandalum, vel notam infamiæ, quando ſcili-

Tranſgreſſores decalogi decem.

ſcilicet majorès præbent occaſionem peccandi, vel materiam ruinæ. Hæ fuerunt plagæ Ægyptiorum ad litteram, & iſtæ ſunt myſticæ plagæ peccatorum transgreſſionis decem præceptorum. Unde ſicut Ægyptii poſt plagas iſtas fuerunt ſubmerſi in mari rubro: ſic homines mundani poſt plagas iſtorum peccatorum, ſi non fuerunt per pœnitentiam loti, vel ſanati, ſubmergentur in inferno cum Pharaone, & ſuis curribus, id eſt, cum diabolo & Angelis ſuis. Qui autem fuerit transgreſſor divini præcepti, non erit immunis a plagis peccatorum, & a gutture tormentorum, quia dicitur in Eccleſiaſte: Qui cuſtodit præcepta, non experietur quidquam mali. *Eccl. 8*

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS QUARTUS.

De Conſiliis Evangelicis.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Religione.	*Cap. I.*
De Obedientia.	*Cap. II.*
De Paupertate.	*Cap. III.*
De Caſtitate.	*Cap. IV.*

CAPUT I.

De Religione.

POſt tractatum de præceptis, dicendum eſt de Conſiliis Evangelicis. Hæc eſt enim tertia diæta ſalutis, ſcilicet de pæceptis ad conſilia Evangelica, ſicut a minus perfectis ad magis perfecta pervenire. Et quoniam iſtam diætam ambulant viri perfecti ſicut religioſi, ideo dicendum eſt hic de religione in communi.

Tria de religione notanda. Unde in nomine Domini de religione, vel congregatione nota ſpecialiter tria, ſcilicet typum, cui compa-

A ratur, ortum unde derivatur, votum quo ligatur. Habet ergo religio typum multiplicem, qui ipſam reddit commendabilem. Unde nota, quod tria commendantur in religione vel religioſis, ſcilicet pondus maturitatis, amor communitatis, & fuga proprietatis. Religioſus ergo debet habere pondus maturitatis, ſicut verus trapezita, vel campſor, cognoſcit meliores denarios ad pondus: ſic abſque dubio, in pondere maturitatis cognoſcitur religioſus. Nam in Pſalmo dicitur: In populo gravi laudabo te. *Pſal. 34.* Religioſus debet amare communitatem, & hoc multiplici exemplo. Videmus enim quod plures homines,

B quando ſunt congregati incedunt ſecurius, reſiſtunt fortius, ſolatiantur jucundius. Unde dicitur in Eccleſiaſte: Melius eſt duos eſſe ſimul quam unum. *Eccl. 4* Videmus inſuper econtrario, quod avis ſola ſingularis, vel eſt rapax, ut accipiter, vel amiſit ſocium ut turtur: ſic religioſus ſingularis vel eſt rapax detrahendo, vel judicando patrem vel proximum, vel amiſit ſocium, id eſt, Chriſtum: quia dicitur etiam in Eccleſiaſte: Væ ſoli. *Ibidem.* Ideo in oblatione Domini in templo, fuit par turturum, non ſola turtur, ut dicitur in Luca. *Luc. 2* Videmus enim quod ſola candela per ventum extinguitur, ſed non ita de facili, quando

C cum aliis ardet: ſic plures congregati vinculo charitatis, juncti melius lucent per exemplum, vehementius ardent per deſiderium divinum. Unde dicitur in Pſalm. Congregate illi ſanctos ejus. *Pſalm. 49* Videmus enim prætera, quod non ſolus denarius, ſed plures faciunt theſaurum: non unus miles, ſed plures faciunt exercitum: non unus ſcholaris, ſed plures faciunt ſtudium: non unus bos, ſed plures trahunt jugum: non unum membrum, ſed plura faciunt corpus unum: non una apis, ſed plures componunt favum: non unum granum, ſed plura faciunt acervum: non una ſpecies, ſed plures faciunt electuarium: ſic cum plures ſunt uniti per amoris vinculum, eſt in eis

abſque

Digitized by Google

abſque dubio major abundantia me- A ritorum. Unde in figura hujus non unus ſolus diſcipulus, ſed plures diſcipuli receperunt Spiritum ſanctum, ut dicitur in Actis. *Act. 2* Religioſus debet inſuper fugere & cavere proprietatem. Sicut enim veſpertilio bibit oleum in Eccleſia, ubi laudant alii Deum: ſic religioſus proprietarius, inſtar veſpertilionis, bibit, & furatur bona monaſterii, ubi alii vacant laudibus, & Dei & ſervitio, ſicut Judas, qui ſolus inter Apoſtolus pecuniam furatus eſt, ut dicitur in Joanne. *Joan. 12*

Item nota, quod tria ſunt reprobata ſpecialiter in quolibet religioſo, ſc. indevotio, diſſolutio, & vagatio. Nam religioſus indevotus, eſt ſicut ſcirpus, B vel juncus, aut mergus, qui interius eſt aridus, quod tamen ſtat in aqua vel loco aquoſo. Item ſicut piſcis, qui ſemper bibit aquam, & cum aperitur venter invenitur vacuus, talis juxta panem moritur fame, juxta fontem moritur ſiti, juxta ignem moritur frigore. Et de talibus dicitur in Pſal. *Pſal. 33* Divites eguerunt, & eſurierunt. Eſt etiam reprobanda in religione diſſolutio vitæ, & inhoneſtas in converſatione. Nam ſæcularis inhoneſte vivens, ſolum infamat ſeipſum: religioſus vero inhoneſtus, & diſſolutus, infamat totum monaſterium, & ordinem ſuum. Nam ſicut quando vinum proclamatur in villa, per vinum quod portatur in ſcypho judicant homines de toto vino, quod eſt in dolio: ſic mundus per converſationem, quam videt in uno religioſo, judicat omnes alios qui ſunt in monaſterio, vel in ordine ſuo, & hoc tam in bono, quam in malo. Unde dicit Apoſtolus: Spectaculum facti ſumus mundo. *2 Cor. 4* Eſt inſuper in religioſo valde reprobanda vagatio. Sicut enim piſcis non diu vivit extra aquam: ſic religioſus vagabundus cito moritur per culpam. Unde dicit Hieronymus: Otium mihi carcer eſt & ſolitudo paradiſus.

Tria præſtanda religioſo. Item nota, quod religioſus debet ſe caſtigare, non interficere, prælato obedire, non contradicere, & ſemper in bono proficere, non retrocedere. Religioſus itaque debet corpus proprium non occidere, ſed diſciplinare & diſciplinam cum ratione regulare, & interdum diſciplinam remittere. Sicut aquila retrahit alas, ut melius extendat, & baliſtarius remittit, vel diſtendit arcum, ut fortius poſtmodum trahat: ſic interdum remittenda & temperanda eſt diſciplina, ut poſtea convaleſcat. Nam dicit Apoſtolus: Rationabile ſit obſequium veſtrum. *Rom. 12* Religioſus etiam ſuo prælato debet obedire humiliter, & non reſiſtere. Sicut enim membra judicantur paralytica, quæ non moventur ad imperium capitis: ſic perverſus eſt religioſus ſubditus, qui non ſentit motum, & imperium patris ſpiritualis. De talibus dicitur in Exodo: Fiant *Exod. 15* immobiles quaſi lapis. Et ſicut omne humidum, ſicut dicit Philoſophus, male terminatur termino proprio, & bene alieno: *Ariſt. 2 de gener. tex. com. 9* ſic religioſus bene regitur, ſi obſervet prælati præceptum, male vero ſi ſequatur propriæ voluntatis votum. Nam dicit Bernardus: Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit tibi. *Bern. ſer. 3 de reſur. Dom. ante med.* Religioſus inſuper debet ſemper proficere & non retrocedere, & ideo a latioribus incipere debet, ut proficiendo ad altiora valeat pervenire. Nam dicit Gregorius: In via Dei non proficere, deficere eſt. Sicut enim ædificium in fundamento C fit latius, & poſtmodum conſtruendo fit ſtrictius: ſic religioſus talem perfectionem debet accipere, quod ad illam valeat addere, & in ea perſeverare, ne dicatur illud Evangelicum verbum contra ipſum: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare, ut dicitur in Luca. *Luc. 14* Debet autem ſuper omnia in religione perſeverare, quia dicit Salvator: Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt regno Dei. *Idem 9* Sicut enim ſtultus eſt, qui tempore tempeſtatis exit de navi, & proiicit ſe in mari: ita ſumma ſtultitia eſt, tempore tentationis navem religionis dimittere, & ad ſubmergendum ſe in mare ſæculi præcipitare. De tali-

 bus

Digitized by Google

bus autem dicitur in Actis: Niſi in navi manſeritis, peribitis. *Act. 27*

Item nota, quod religioſus debet in diſciplina nutriri, & informari tripliciter, ſcilicet ſicut parvulus in domo, ſicut plantula in horto, & ſicut virgula in virgulto. Debet itaque religioſus ad modum pueri in diſciplina diligenter nutriri & educari. Unde nota, quod debet habere duas obſtetrices in proceſſu, duas nutrices in progreſſu, & duas conſiliatrices in perfectione, vel ſtatu. Debet igitur habere duas obſtetrices, ſcilicet obedientiam, quæ liget ſibi manus & pedes, & involvat eum in panniculo paupertatis, & humilitatem, quæ inclinet eum in præſepio & in cunabulo clauſtri, cum fræno temperantiæ & capiſtro cilicii. Iſtæ ſunt duæ obſtetrices Hebræorum, id eſt, Religioſorum, quæ conſervabant mares, id eſt perfectos religioſos & perfecte vivere volentes, ut habetur in Exodo. *Exod. 1* Debet etiam habere duas nutrices in progreſſu, ſcilicet veritatem, quæ doceat eum loqui, juxta illud Petri: *1 Pet. 4* Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, & honeſtatem, quæ doceat eum ambulare, juxta illud quod dicit Apoſtolus ad Theſſalonicenſes: *1 Theſſ. 3* Præcipimus vobis, ut honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt. Debet nihilominus habere duas conſiliatrices in perfectione & ſtatu, ſcilicet charitatem ad Deum, & ad proximum. Nam dicit Apoſtolus: *Heb. 13* Charitas fraternitatis maneat in vobis, & auſteritatem ad ſeipſum: juxta illud ejuſdem Apoſtoli: *2 Cor. 9* Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Religioſus inſtar plantulæ, debet nutriri in diſciplina, vel in religione. *Religioſus inſtar plantæ novellæ nutriendus.* Unde notandum eſt, quod hortulanus fodit ſæpe circa plantulas quæ ſunt in horto ſuo, quæ ſpiritualiter debent fieri: novo religioſo. Plantulæ vero de uno loco eradicantur, & in alio tranſplantatur, clauduntur, rigantur, purgantur, fodiuntur, & coluntur: ſic novitius debet inſtar plantulæ, de mundo radicitus evelli, & in religione tranſplantari, & in ſancto propoſito radicari, circumſpectione claudi, devotione rigari, confeſſione purgari, exercitio & occupatione fodi, & excoli, & tales ſunt ſicut novellæ plantationes in juventute ſua, ut dicitur in Pſal. *Pſ. 143* Religioſus inſuper, ſicut virgula in virgulto, debet educari in diſciplina. Unde nota, quod agricola, quando habet virgulam vel ſurculum generoſæ vel fructuoſæ arboris, providet ei in multis, ſcilicet quod habeat radicem, ſtipitem, frondes, & folia, flores & fructus: ſic virgula ſpiritualiter, ſcilicet neophytus, vel novitius in virgulto religionis, debet habere iſta ſex, ſcilicet radicem profundæ humilitatis, ſtipitem rectæ intentionis, frondes ſinceræ dilectionis, folia honeſtæ locutionis, flores pulchræ converſationis, & tandem ſuper omnia fructus bonæ operationis: quia per fructus eorum cognoſcit eos Deus, ſicut dicit Salvator in Matt. *Matt. 7* De talibus virgulis generoſis, & fructuoſis dicitur in Pſalm. *Pſal. 127* Filii tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ, id eſt, religionis ſanctæ.

Religionis ortus. Habet etiam religio ortum primordialem valde laudabilem. Unde nota, quod omnis religio & omnis ſpiritualis congregatio, vel fraternitas, habuit primo ortum a Samuele, qui congregavit cuneum Prophetarum, ut dicitur in primo Regum. *1 Reg. 10* Et ita dicit ibidem Magiſter hiſtoriarum. Secundo habuit ortum, ab Heliſæo, cum quo habitaverunt filii prophetarum, ut dicitur in quarto Regum. *4 Reg. 4* Tertio habuit ortum a Joanne Baptiſta, qui congregavit diſcipulos, ut dicitur in Joanne: *Joan. 1* Quarto habuit ortum a Chriſto, qui congregavit diſcipulos & Apoſtolos, ut dicitur in Matth. *Matt. 4* Quinto habuit ortum ab Apoſtolis, quibus adhæſerunt multi diſcipuli, ſimul habitantes poſt miſſionem Spiritus ſancti, ſicut dicitur in Actis. *Act. 4* Quia nemo quidquam eorum, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed omnia illis erant communia. Sexto habuit ortum a Marco Evangeliſta, quia apud Alexandriam

driam diſcipulos vitæ mirabilis habuit, ut habetur in Eccleſiaſtica hiſtoria. Inde proceſſerunt Monachi, quorum fuerunt tria genera, ſcilicet cœnobitarum, qui in communi vivebant: aliorum, qui dicebantur Remoboth, qui bini & trini habitabant: & Anachoretarum, qui ſoli in deſerto vivebant, quorum auctor fuit Paulus, illuſtrator Antonius, princeps Joan. Baptiſta, ut dicit Hieronymus.

Hier. ep. 41 ad Euſtoch. poſt med. to. 3

Nodus ſive votum quo religio ligatur.

Habet inſuper religio nodum regulantem valde notabilem, qui ipſam facit valde laudabilem. Eſt enim in ipſa triplex nodus valde laudabilis, ſcilicet nomen religionis obedientiæ ſubjugantis, paupertatis allevia ntis, & caſtitatis decorantis. Obedientia aufert religioſo propriam voluntatem, & per conſequens infernum, juxta illud Bernardi: Tolle propriam voluntatem, & infernus non erit tibi. Paupertas aufert ipſi terrenam cupiditatem, & per conſequens omne malum, juxta illud verbum Apoſtoli: Radix omnium malorum, eſt cupiditas. Caſtitas aufert homini carnalem fœditatem, & per conſequens facit eum Angelum, juxta illud Matthæi. Neque nubent neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo. De hoc triplici nodo per ordinem eſt dicendum. Et primo de obedientia.

Bern. ſer. 3 de reſurr. Dom. ante med.

1 Tim. 6

Matth. 22

CAPUT II.

De Obedientia.

De obedientia tria præcipue notanda.

DE obedientia nota ſpecialiter tria, ſcilicet præconia quibus commendatur, auxilia quibus adjuvatur, & officia quibus occupatur.

Obedientiæ præconia.

Habet ergo obedientia multa præconia, quæ ipſam laudant. Unde nota, quod obedientia eſt Schola Salvatoris, nobile genus martyrii, palma triumphalis, & ſcala paradiſi. Primo ergo obedientia eſt Schola Salvatoris: Unde nota, quod Salvator exemplo ſuo docuit obedientiam tripliciter, ſc. ad mundum veniens, in mundo manens, & de mundo tranſiens. Ad mundum veniens obedientiam docuit, ut dicitur in Joanne: Deſcendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me, patris. Obedientiam docuit in mundo manens, ut dicit Paulus: Factus eſt obediens uſque ad mortem. Obedientiam docuit de mundo tranſiens. Nam in paſſione dixit patri: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Eſt etiam obedientia quoddam nobile genus martyrii & palma triumphalis, quia decollat hominem, & amputat ei propriæ voluntatis caput. De hoc martyrio dicitur in primo Regum: Melior eſt obedientia, quam victimæ. Eſt autem obedientia ſcala paradiſi, cujus ſeptem ſunt gradus quos aſſignat Bernar. Primus gradus obedientiæ, eſt obedire libenter ſine recalcitratione. Exemplum de Paulo qui dicit in Actis: Domine quid me vis facere? Secundus gradus eſt obedire ſimpliciter ſine ſimulatione, exemplum de David, qui dixit in Pſal. Ut jumentum factus ſum apud te. Tertius gradus obedire hilariter ſine murmuratione, exemplum de Simone Cyrenæo, qui portavit in angaria, id eſt, in dolore crucem Chriſti, ut habetur in Matt. Quartus gradus eſt obedire velociter, ſine recraſtinatione, exemplum de Petro & Andrea, qui ad unam Domini vocem, relictis retibus omnibus, ſecuti ſunt eum, ſicut etiam dicitur in eodem Matth. Quintus gradus eſt obedire viriliter, ſine æſtimatione, exemplum de Petro, qui dixit: Domine paratus ſum tecum in carcerem, & in mortem ire. Sextus gradus eſt obedire humiliter, ſine elatione, exemplum de diſcipulis, quibus dixit Salvator: Dum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite; quia ſervi inutiles ſumus, in eodem Luca. Septimus gradus eſt obedire perſeveranter, ſine diſcontinuatione, exemplum de Chriſto, de quo dicit Apoſtolus: Factus eſt obediens uſque ad mortem. Iſti ſeptem gradus erant ſpiritualiter in ſcala Jacob, de qua habe-

Joan. 6 · *Philip. 2* · *Matt. 26* · *1 Reg. 15* · *Bern. ſer. de virt. obed. & ejus gradus.* · *Act. 9* · *Pſal. 72* · *Matth. 27* · *Matt. 4* · *Luc. 22* · *Luc. 17* · *Philip. 2*

Gen. 28 habetur in Geneſi: quæ ſignificat obedientiam, tum qua Angeli deſcendebant & aſcendebant, per illam, per quod intelligitur, quod obedientia eſt vita angelica: tum quia ſcala iſta tangebat cœlos, in quo innuitur, quod vera obedientia eſt cœleſtis vita. Item nota, quod obedientia eſt navis ad cœlum tranſiens, clavis cœlum aperiens, & avis ad cælum aſcendens. Eſt itaque obedientia ſicut navis, nam ſicut qui eſt in navi ſemper procedit, & tamen ipſe quieſcit: ſic qui eſt in navi obedientiæ, ſemper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abſtinendo, ambulando, quieſcendo: quia inſtar nautæ non movetur motu proprio, ſed alieno. De hac navi habetur in Proverbiis:
Prov. ult. Facta eſt quaſi navis inſtitoris, id eſt, mercatoris. Per eamdem rationem obediens comparatur equitanti; Nam ſicut equitans quieſcendo procedit, quia non movetur motu proprio, ſed equi: ſic bonus obediens quando pauſat, meretur, quia non innititur motui voluntatis ſuæ, ſed majoris ſui.
Cant. 1 Unde dicitur in Canticis: Equitatui meo aſſimilavi te amica mea. Eſt etiam obedientia ſicut calvis paradiſi: ſicut enim inobedientia clauſit paradiſum, ut habetur ex Geneſi: ſic obe-
Gen. 3 dientia paradiſum aperuit. Et in figura hujus Chriſtus dedit Simoni, qui interpretatur obediens, claves regni
Matth. 16 cœlorum, ut dicitur in Matthæo. Et ſicut Dominus maledixit primo homi-
Gen. 3 ni inobedienti, dicens: Maledicta terra in opere tuo: ſic benedixit obedienti Simoni Dominus, dicens: Beatus es Simon Bar-iona. Eſt etiam obedientia, ſicut avis ad cœlum aſcendens. Nam ſicut avis cum duabus alis volat ad ſublimia: ſic obediens cum duabus alis, ſcilicet cum ala paupertatis, & cum ala caſtitatis ſcandit ad cœleſtia. Hoc eſt quod dicitur in
Apoc. 12 Apocalypſi: Datæ ſunt mulieri duæ alæ, ut volaret in deſertum locum. Mulier iſta poteſt dici obedientia. Duæ alæ poſſunt dici duo illa vota, ſimul conjuncta, ſcilicet caſtitatis, & paupertatis voluntariæ. Item no-

A ta, quod obedientia eſt ſumma in merito, vicina Deo, & proxima cœlo. Eſt itaque inobedientia in merito ſuprema, & in figura hujus Chriſtus Apoſtolis præpoſuit, Simonem obedientem. Vult enim Creator, quod omnia obediant obedienti: nec mirum ſi vult, quod obedienti obediant ceteræ creaturæ: quia etiam ipſe Deus voluit obedienti obedire. Exemplum de Joſue, de quo dicitur: Non fuit ante & poſtea tam longa Joſ. 10
dies, obediente Domino voci hominis. Eſt etiam obedientia Deo vicina, in cujus figura Dominus recubuit in domo Simonis, ut dicitur in Luca. Et Luc. 7
omnes qui erant in Bethania diligebat; ut dicitur in Joanne: Bethania
B quippe domus obedientiæ dicitur. Eſt Joan. 11
etiam obedientia ſcala cœli, & Deo proxima, & in figura hujus, Dominus aſcendit in cœlum de Bethania, ſicut habetur in Luca. Luc. 24

Habet etiam obedientia auxilia, Auxilia obedientiam juvantia.
quæ ipſam juvant. Unde notandum eſt, quod ſex ſunt, quæ juvant obedientiam, ſcilicet humilitas flectens, conſuetendo frequens, dilectio fervens, effectus terrena contemnens, gratia interius ungens, & prælatus modeſte præcipiens. Obedientia igitur juvat, & facit hominem obedientem. Humilitas reddit hominem flexibilem, ſicut enim gracilitas & ſubtilitas vir-
C gæ facit virgam faciliter inclinare: ſic gracilitas humilitatis facit homines faciliter obedire. Ideo dicit Apoſt. Phil. 2
de Chriſto: Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem. Juvat etiam obedientiam conſuetudo, nam ſicut equus aſſueſcit circumvolutionibus, ut ſciat ſe ad omnem partem flectere: ſic aſſuefactio obedientiæ facit homines ad nutum obedire. De tali equo bene ductibili dicitur in Proverbiis: Equus paratur ad diem Prov. 21
belli: Dominus autem ſalutem tribuit. Juvat tertio obedientiam dilectio Dei. Nam ſicut ignis facit ceram mollem & tractabilem: ſic amor Dei ignitus facit hominem obedire. Unde dicitur in Luca: Ignem veni Luc. 12.
mittere in terram, id eſt, animam devo-

Luc. 12 devotam. Juvat nihilominus obedientiam contemptus mundi, & ſeparatio voluntatis ab omni re corporali. Sicut enim pellis eſt tractabilis a ligno ſeparata, quæ tamen eſt rigida, quamdiu eſt ligno affixa: ſic anima cum inſtar pellis a terrenis ſejungitur, ad obediendum facile inclinatur. In cujus perſona dicit Pſalmiſta: *Pſal. 118* Paratus ſum, & non ſum turbatus. Juvat etiam obedientiam unctio gratiæ interius. Sicut enim corium unctum fit molle & tractabile, quod tamen ante unctionem erat durum & rebelle: ſic homo facilis eſt ad obedientiam, quando anima intus eſt uncta per gratiam. Hæc eſt unctio, de qua dicit Joannes: *1 Joan. 2* Unctionem quam accepiſtis maneat in vobis. Tandem juvat obedientiam modeſtia præcipientis. Exemplum de Deo, qui unum ſolum lignum prohibuit, & omnia alia conceſſit dicens: *Gen. 2* De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.

Officia, quæ occupant obedientiam. Habet etiam obedientia officia, quæ ipſam occupant, ſcil. tria genera præceptorum. Unde nota, quod debet quilibet obedire præceptis judicis per naturam, quæ ſcripta ſunt a Tobia dicente: *Tob. 4* Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facies; & in Matthæo: *Matth. 7* Omnia quæcumque vultis ne faciant vobis homines, ea nolite facere eis. Vel debemus obedire præceptis injunctis per ſcripturam, quæ ſcripta ſunt in Exodo. *Exod. 20* Ubi ponuntur decem præcepta: Non habebis deos alienos, &c. Debemus etiam obedire præceptis inſpiratis per gratiam, ut de dilectione Dei & proximi, quæ ſcripta ſunt in Matthæo. *Matth. 22* Horum expoſitionem quære ſupra in materia de præceptis, & in materia de charitate.

CAPUT III.

De Paupertate.

De paupertate nota tria. DE paupertate nota ſpecialiter tria, ſcilicet quod paupertas eſt cœleſte pretium, cum quo pauperes mercatur: cœleſte prandium, ad quod pauperes invitantur: & cœleſte ſolium, in quo pauperes locantur.

Primo igitur paupertas eſt cœleſte pretium, a quo pauperibus emitur cœlum, ſicut dicit Auguſtin. Regnum, inquit cœlorum paupertate emitur. *Simile eſt apud Aug. de Verb. Dom. ſec. Luc. ſer. 28 circa med. tom. 10* Et nota quod regnum cœlorum jure emptionis convenit pauperibus, quia ipſi proprie ſolvunt pretium, quod taxavit Chriſtus dicens: Omnis qui reliquerit domum, aut agros, & cetera. *Matth. 19*

Paupertas cœleſte prandium. Secundo paupertas eſt cœleſte prandium, quo pauperes reficiuntur. Sicut enim videmus, quod quando clamatur ad eleemoſynam, vel paradiſum, ſoli pauperes veniunt & accelerant: ſic ad prandium cœli, ad quod Chriſtus invitat, ſoli pauperes intrant, quod figuratur in Luca; *Luc. 14* ubi dicitur, quod homo quidam fecit cœnam magnam &c. Et nota quod tria genera hominum ad illam cœnam venire noluerunt, ſed excuſationes frivolas allegaverunt, ſcilicet avari divitiis incraſſati, immundi impinguati, ſuperbi dilatati honoribus juxta illud Deuteronomii: *Deut. 32* Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum. Avari figurantur per illum, qui quinque iuga bonum emerat. Immundi per illum, qui uxorem duxerat. Superbi, per illum, qui villam comparaverat. Et ideo omnes iſti a cœna illa proprie ſunt excluſi & ſoli pauperes intromiſſi. Nam dicitur ibidem: *Luc. 14* Voca pauperes & debiles, & introduc, &c.

Paupertas cœleſte ſolium. Tertio, paupertas eſt cœleſte ſolium, in quo pauperes ſedent, ſicut dicitur in Matt. *Matt. 19* Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c. & ſequitur: Sedebitis & vos ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſrael. Sed nota, quod ſicut qui eſſet ſupra cœlum, totam terram reputaret quaſi centrum: ſic pauperes totam terram reputant rem minimam, & vilem, quia in cœlo, ut dictum eſt, habent ſedem & manſionem ſuam. Nam

 dicit

dicit Apoſtolus in perſona eorum: A Noſtra converſatio in cœlis eſt.

Phil. 3

Pauperta-tis tria bona.

Item nota, quod pauper habet tria bona, ſcilicet vitam ſecuriſſimam, mentem quietiſſimam, & veſtem nobiliſſimam. Primo igitur pauperes ſunt in vita ſecuriſſima ſecuri, quia per paupertatem non moventur lites, non timentur fures, non formidantur rerum tempeſtates: ſed divites hujus mundi ſuſtinent omnes iſtas tribulationes. Unde in figura huius, Cain, qui interpretatur poſſeſſio, habebat caput tremulum, & ſignificat divitum curam, & ſolicitudinem avarorum. Secundo pauperes mente ſunt quieti; & a ſpinis divitiarum minime lacerati, & ab earum pondere liberi, & ab earum inquinatione mundi. Nam divitiæ faciunt iſta tria mala, bona ſiquidem temporalia poſſeſſa onerant, amata inquinant, & amiſſa cruciant, ut dicit a Bernardus. Unde in figura ſpiritualis quietis, quam habent pauperes & anxietates, quæ communicant divitias, Iſrael a Deo, accepit ſabbathum, id eſt, quietem, & Ægyptii anxietates, & curas, ut dicit Greg. Propter hoc dicitur ad Hebræos: Relinquitur ſabbathiſmus populo Dei. Tertio ſunt pauperes veſte decori, id eſt, honeſtate conſpicui. Ideo Sapiens iungit iſta duo: Paupertas, inquit, & honeſtas a Deo ſunt: quia in ſemitis pauperum relucet ſpiritualiter Chriſti ſignum, de quo dicitur in Luca: Et in ſignum cui contradicetur. Et nota, quod triplex fuit ſignum Chriſti, cui contradicitur a diverſis amatoribus mundi. Primum fuit paupertas, cui contradicitur ab avaris: ſecundum fuit caſtitas, cui contradicitur ab immundis: & tertium fuit humilitas, cui contradicitur a ſuperbis.

Bern. ſer. de conver. ad cleric. c. 12 & ſerm. de quinque negotiat. & quinque regio. ante med.

Greg. li. 18 mor. c. 25 ante med.

Heb. 4

Eccl. 11

Luc. 2

Tria alia paupertatis bona.

Item nota, quod paupertas alia tria bona habet; eſt enim paupertas ſumme Chriſto copulata, bonis ſumme cumulata, & cœlis ſumme coæquata. Primo ergo paupertas eſt ſumme Chriſto copulata, habet enim Deus pauperes quaſi familiares & domeſticos, & divites quaſi ignotos & extraneos. Unde in figura huius Chriſtus in ortu ſuo prius vocavit pauperes, quam divites, piſcatores, quam mercatores paſtores, quam reges, pauperes de prope, & divites magos ab oriente. Secundo paupertas eſt ſumme coæquata cœlo: & cauſa eſt, quia eſt ſumme elongata a mundo. Pauper enim ſumme cœlum appropinquat quia omnia mundana conculcat. Sicut videmus, quod ille qui vult alte attingere, ſcabellum conſuevit ſub pedibus locare: ſic pauper manu tangit cœlum, quia de omnibus terrenis contemnendo & conculcando facit ſibi quaſi ſub pedibus ſcabellum, B iuxta illud Deuteronomii: Omnis locus quem calcaverit pes veſter, veſter erit. Tertio paupertas eſt ſumme cumulata omni bono, optime enim ſcit theſaurizare. Propterea enim dimittit terram talpis, id eſt avaris, fimum porcis, id eſt immundis, pulverem ſerpentibus, id eſt, ſuperbis, iuxta illud Iſaiæ: Serpenti pulvis panis eius. Ipſa enim dedignatur fimum ſtabuli habere loco theſauri. Fimus ſtabuli ſunt divitiæ huius mundi: quia mundus eſt ſtabulum, id eſt locus iumentorum, & hominum beſtialium. Ipſa enim bona immobilia retinet, id eſt cœleſtia, & diſpergit bona mobilia, id eſt, omnia terrena, quod figuratur in Ge- C neſi. Ubi dicitur, quod Abraham dedit Iſaac omnia, quæ poſſidebat, & filiis concubinarum largitus eſt munera.

Deuter. 11

Iſa. 65

Gen. 25

CAPUT IV.

De Caſtitate.

De Caſti-tate tria notanda præcipue.

DE Caſtitate nota ſpecialiter tria. Caſtitas enim eſt florens, ſicut lilium inter ſpinas, habet lilium incorruptibile, habet pretium inpretiabile, habet folium inſuperabile, habet pretium inter gemmas, & tenet ſolium ſuper ſtellas.

Primo ergo caſtitas eſt florens ſicut lilium, nam dicitur in canticis:

Sicut

Cant. 2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica A mea inter filias. Et nota, quod in lilio ſunt ſex folia nivei coloris, & ſex grana aurei coloris: ſex folia nivea, ſignificant carnis pudicitiam: & ſex grana aurea, ſignificant mentis munditiam. Primo ergo in lilio ſunt ſex folia, in quibus figurantur ſex ad pudicitiam neceſſaria.

Sex ad pudicitiam neceſſaria.

Primum folium eſt cibi & potus ſobrietas, unde dicit Hieronym. Virgo fugiat vinum, ut venenum. Nam vinum & adoleſcentia, eſt duplex incendium voluptatis. (*Hier. ep.* 22 *ad Euſtoc. longe ante med. to.* 1) Unde in Proverb. dicitur: Luxurioſa res eſt vinum; (*Prov.* 20) & in Geneſi dicitur, quod Loth propter vinum perpetravit inceſtum. (*Gen.* 19) Secundum folium, eſt habitus aſperitas. Unde B dicit Bern. Memento, quod aſperior cardo pannum facit leniorem, ſicut aſper habitus facit carnem caſtiorem. Et per contrarium filii Iſrael fornicati ſunt cum mulieribus Moab, quia ornatæ erant veſtibus delicatis, ut dicitur in Numeris. (*Num.* 25) Tertium folium, eſt laboris ſtrenuitas, & per contrarium ignavia & otium ſunt ſummum luxuriæ nutrimentum; quia ut dicitur in Ezech. (*Ezec.* 16) Hæc fuit Sodomæ iniquitas ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas, abundantia panis, & otium. David in domo otians, commiſit adulterium, ut habetur in ſecundo Regum. (2 *Reg.* 11) Quartum folium, eſt cuſtodia ſenſuum, & maxime quoad viſum & auditum: C quia curioſitas videndi & audiendi, via eſt ad peccatum. Cujus exemplum patet in Dina filia Jacob, quæ ad videndum mulieres religionis illius egreſſa, a Sichem filio Emor fuit corrupta, ut dicitur in Geneſi. (*Gen.* 34) Quintum folium eſt modeſtia verborum, & maxime immundorum: quia maxime excitatur luxuria, per verba diſſoluta, & inhoneſta. Nam dicit Apoſt. Nolite ſeduci inanibus verbis. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava. (2 *Cor.* 15) Sit, inquit Hieron. ſermo virginis prudens, modeſtus, & tardus vel rarus, nec tam eloquentia pretioſus, quam pudore. (*Hier. ep.* 1 *ad Demet. poſt med. tom.* 9) Idem ſit vitæ novæ gravitas, honeſtas admirabilis, & ſtupenda verecundia, (*Idem ep.* 14 *ad Mauritii filiam*) mira patientia, virginalis inceſſus, & veræ pudicitiæ habitus, ſermo ſemper modeſtus, & ſuo in tempore proferendus. (*poſt med. tom. eod.*) Hæc ille. Sextum folium, eſt fuga occaſionum, opportunitatum, & maxime mulierum. Dicitur enim in Geneſi: Ne ſtes in omni loco circa regionem. (*Gen.* 19) Videmus enim, quod animalia ſilveſtria pulchriorem pellem habent, quam domeſtica. Legimus enim in ſecundo Regum, quod Thamar ab Amon fratre ſuo fuit corrupta: Quia in thalamo fuit ſola cum ſolo. (2 *Reg.* 13) Unde Bernardus dicit: Virgines quæ vere virgines ſunt, ſemper debent eſſe pavidæ, & numquam ſecuræ, ut & non timenda ſecuræ etiam pertimeſcant. (*Bern. ho.* 3 *ſuper Miſſus eſt circ. med.*)

Sunt etiam in lilio ſex grana aurea, in quibus figuratur triplex modus diligendi Deum, & triplex cauſa dilectionis.

Animus caſtus triplicem debet habere dilectionis modum.

Primo ergo eſt triplex modus dilectionis, quem debet habere animus caſtus: eſt enim diligendus Deus prudenter, ne decepti, ab amore ejus diſcedamus: dulciter, ne elati ab amore ejus abſcindamur: fortiter ne oppreſſi, ab amore Dei evellamur, ut dicit Bernardus. (*Bern. ſup. Cant. ſer.* 20 *ante med.*) Sunt autem tres cauſæ præcipuæ, in quibus debemus Deum diligere. Eſt enim diligendus toto corde, quia Creator: tota anima, quia Redemptor: tota mente, quia remunerator, ut dicitur in Matthæo. (*Matth.* 22)

Secundo caſtitas habet ingens pretium ſuper omnes gemmas, quia dicitur: Non eſt digna ponderatio continentis animæ. (*Eccl.* 26) Et nota, quod caſtitas eſt theſaurus cum valore charitatis, ideo ſumme amandus, & ideo dicitur: Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito &c. (*Matt.* 13) Eſt theſaurus in vaſe fragiliſſimo, & ideo ſumme conſervandus. Nam dicit Apoſtolus: Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. (2 *Cor.* 4) Unde majoris virtutis eſt in carne corruptibili ſervare caſtitatem. Eſt theſaurus cum maligniſſimo hoſte, & ideo ſumme timendus, ſicut videmus, quod valde eſt laudabile, caſtrum debile defendere contra hoſtem fortiſſimum.

Ter-

Tertio, caſtitas habet excellens ſo-A lium ſuper omnes ſtellas, quod figuratur per thronum de ebore grandem, ut dicitur in libris Regum. Et nota quod ebur eſt frigidum, & ſolidum & candidum. Frigidum contra concupiſcentiam: ſolidum per firmam perſeverantiam: candidum per meram innocentiam. Item nota, quod quando ebur in uno panno lineo mundo involvatur, ſervat pannum ne incendatur: in quo ſignatur, quod interior caſtitas mentis, ſervat corpus exterius, ab incendio libidinis.

3 Reg. 12

Item nota, quod caſtitas habet fructum uberrimum, curſum celerrimum, & ſertum pulcherrimum. Primo ergo caſtitas habet uberrimum fructum; & nota quod triplex eſt fructus Evangelicus, ſcilicet triceſimus, quem habet caſtitas conjugalis: ſexageſimus, quem habet caſtitas vidualis: centeſimus, quem habet caſtitas virginalis, ut dicitur in Matthæo. Secundo caſtitas habet celerrimum motum: caſtitas enim conſequitur Deum tripliciter, ſcilicet currendo, natando, & volando. Currit enim caſtus per bonam operationem: natat per internam devotionem: volat per ſupernam contemplationem; & ſic ſequitur agnum quocumque ierit, ut dicitur in Apocalypſi. Tertio, caſtitas habet pulcherrimum ſertum. Non enim ſolum habet aureolam præmii accidentalis, ſed etiam aureolam præmii eſſentialis.

Matt. 13

Apoc. 14

Aureola triplex.

Et nota, quod triplex eſt aureola, ſcilicet virginum, martyrum & doctorum. Virginum florea: martyrum gemmea: doctorum aurea. Aureola igitur virginum eſt florea, de qua dicitur: Veni de Libano ſponſa mea: veni coronaberis, ſcil. aureola caſtitatis; quia in Scriptura caſtitas flos dicitur, merito caſtis corona de floribus datur. Et nota quod caſtitas inſtar floris ſolo tactu marceſcit: quia tactus impudicæ delectationis, caſtitatem omnino corrumpit. Sicut enim flos ſole præſente, decorem ſuum oſtendit, nam flos, ut videmus, de nocte clauditur, & oriente Sole rurſum expanditur: ſic homo vere caſtus de caſtitate tantum coram Deo, non coram hominibus, gloriatur, dicente Apoſtolo: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Aureola vero martyrum eſt gemmea nam dicitur: Poſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo. Aureola doctorum eſt aurea, de qua dicitur: Corona aurea ſuper caput ejus. Item nota, quod caſtitas indiget ſtudioſa clauſura: caſtitatem decet pretioſa cinctura: & in ea lucet ſpecioſa pictura. Primo ergo caſtitas debet habere clauſuram ſtudioſam, nam dicitur: Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa. Et B nota, quod in horto bene clauſo, non poteſt quis intrare, niſi de alto: ſic in homine caſto, qui habet clauſuram continentiæ, nullum deſiderium debet intrare, niſi cœleſte tantum. Si tamen hortus concluſus beſtiis eſſet plenus, clauſura parum proficeret, immo plus noceret, quam prodeſſet, ita quando beſtiales motus libidinis ſtrepunt in mente, parum aut nihil valet clauſura caſtitatis in carne. Et ideo ſponſæ dicitur: Non ſolum hortus concluſus, ſed fons ſignatus. Hortus concluſus, propter caſtitatem carnis, fons ſignatus propter puritatem mentis.

Cant. 4

2 Cor. 1

Pſalm. 20

Eccli. 45

Cant. 4

Ibidem.

Secundo caſtitas debet habere cin-C cturam pretioſam, quia dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et nota, quod Daniel vidit virum accinctum renibus, auro obrizo, quod eſt aurum pretioſum valde, ut dicitur in Daniele, & Joannes vidit filium hominis, præcinctum ad mamillas zona aurea, ut dicitur in Apocalypſi, quod ſcilicet ad duplicem caſtitatem refertur. Nam zona aurea vel cinctura renum, ſignificat corpus caſtum: zona vero aurea inter mamillas, ſignificat cor mundum: quia ut dicit Philoſophus libro de animalibus, cor hominis eſt inter mamillas, aliquantulum declinans ad partem ſiniſtram.

Luc. 12

Dan. 10

Apoc. 1

Ariſt. de hiſt. ani. lib. 1 c. 17

Tertio caſtitas debet habere picturam ſpecioſam. Sicut enim candor

mate.

materialis, vel albedo, eſt caput & fundamentum aliorum colorum, ut dicit Philoſophus: ſic caſtitas eſt quaſi caput & fundamentum aliarum virtutum, & bonorum operum. Unde dicit Gregorius: Quod non eſt opus bonum ſine caſtitate.

Greg. hom. 13 in Ev. ante med.

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS QUINTUS

De Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Virtute in communi.	*Cap. I.*
De Charitate.	*Cap. II.*
De Fide.	*Cap. III.*
De Spe.	*Cap. IV.*
De Prudentia.	*Cap. V.*
De Temperantia.	*Cap. VI.*
De Fortitudine.	*Cap. VII.*
De Juſtitia.	*Cap. VIII.*

CAPUT I.

De Virtute in communi.

POſt tractatum de præceptis, & conſiliis dicendum eſt de virtutibus, donis, beatitudinibus & fructibus. Iſta quatuor ſunt quædam ſpecialia incentiva ad operandum divina præcepta, & conſilia Evangelica. Differunt autem iſta quatuor per hunc modum, quia virtutes faciunt operari recte: dona faciunt operari fideliter, & faciliter expedire: beatitudines faciunt operari perfecte: fructus faciunt operari delectabiliter, ſeu delicioſe.

Virtutes ſeptem. Et nota, quod virtutes ſunt ſeptem, ſcilicet quatuor Cardinales, & tres Theologicæ. Theologicæ ſunt Fides, Spes, & Charitas. Cardinales ſunt, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & Juſtitia. Differunt autem, quia Theologicæ habent Deum, vel bonum increatum pro fine, vel pro objecto. Virtutes Cardinales habent bonum creatum pro objecto. Præterea virtutes Theologicæ reſpiciunt magis vitam contemplativam, & ordinant hominem ad Deum. Cardinales vero pertinent ad vitam activam & ordinant hominem ad proximum, & ideo illæ dicuntur Theologicæ, id eſt, divinæ, a theos, quod eſt Deus, & logos quod eſt ſermo, quia principaliter ſunt ad Deum: ſed Cardinales dicuntur a cardine, in quo vertitur oſtium, quia principaliter reſpiciunt vitam activam, quæ tota eſt mobilis ſuper Cardinales virtutes. Unde tres virtutes Teologicæ pertinent ad Mariam, quæ intendit circa unum id eſt, circa bonum increatum, quod non aufertur ab ea, nec mutatur: quatuor vero Cardinales pertinent ad Martham, quæ intendit circa multa, & turbatur erga plurima, ſcilicet bona creata. Sunt vero loca ſcripturæ, ubi reperiuntur virtutes, dona, beatitudines, & fructus: Virtutes Theologicæ ponuntur, juxta illud: Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc. Quatuor vero virtutes Cardinales, ponuntur ſecundum illud: Sobrietatem, prudentiam, juſtitiam & fortitudinem: quibus nihil utilius eſt in hac vita hominibus: Dona vero Spiritus ſancti ſunt ſeptem, ſcil. donum ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, pietatis, ſcientiæ, & donum timoris. Iſta autem dona ponuntur juxta illud: Et requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus fortitudinis, & conſilii, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Beatitudines autem ſunt octo, ſcilicet paupertas, mititas vel manſuetudo, luctus, eſuries, miſericordia, munditia cordis, pax, & juſtitia. Iſtæ ponuntur in Matthæo. Fructus Spir. ſancti ſunt duodecim, ſcilicet charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas. Iſti ponuntur ad Galatas.

Luc. 10 *1 Cor. 13* *Sap. 8* *Iſa. 11* *Matth. 5*

Virtus

Aug. de ſpir. & an. c. 4 apud Aug. tom. 3 Virtus ſic diffinitur in libro de ſpiritu & anima: Virtus eſt habitus mentis bene inſtitutæ. De virtute in communi nota ſpecialiter tria, ſcilicet, ejus pretioſam comparationem, virtuoſam operationem, & gratioſam procreationem. Comparatur ergo virtus tribus ſpecialiter, ſcilicet ligno fructuoſo, lapidi pretioſo, & cœleſti paradiſo. Primo comparatur ligno fructuoſo: homo enim abſque virtute, eſt ſicut arbor ſilveſtris, vel vinea, quæ profert labruſcas, id eſt, delectationes carnales, vel glandes, quæ ſunt cibaria porcorum, id eſt, hominum immundorum. Sed ſi ramus virtutis, tali arbori fuerit inſertus, totam arborem trahit ad naturam ſuam, & facit eam ferre fructus optimos, quæ lætificant Deum *Luc. 15* & Angelos Dei juxta illud: Gaudium eſt Angelis Dei, ſuper uno peccatore, &c. Hæc eſt illa arbor pulcherrima, cujus fructus nimius, & eſca *Dan. 4* univerſorum in ea, ut habetur in Daniele.

Secundo comparatur lapidi pretioſo. Virtus enim quæ eſt in viro juſto, facit eum prævalere multis pec- *Eccl. 16* catoribus: nam dicitur: Melior eſt unus timens Deum, quam mille filii impii. De hoc lapide pretioſo di- *Eccl. 6* citur: Quaſi lapidis virtus probatio erit in eis, ſcilicet operibus bonis: tamen hodie multum vilipenditur, in tanatum, quod ſi eſſet venialis, a paucis emeretur. Sicut gallus, qui invenit in ſterquilinio margaritam, & granum putridum, inſpecta margarita, elegit granum putridum: ſic homo mundans ſpreta virtute, appetit bonum temporale tranſitorium. Et ratio eſt, quare vilipenditur virtus, quia neſcit homo pretium ejus, ut *Job 28* dicitur in Job. Et propter hoc dicit *Matth. 7* Salvator: Ne mittatis margaritas ante porcos, id eſt, homines immundos & mundanos, quia plus volunt furfur, carnalis, & immundæ delectationis, quam margaritas gratiæ, vel virtutis.

Tertio comparatur paradiſo tam cœ- A leſti, quam terreſtri. Terreſtri comparatur in tribus, ſc. in ſitus eminentia, in fructus opulentia, & in fontis affluentia. Eſt enim primo paradiſus locus altiſſimus, ita, quod aquæ diluvii, uſque ad illum locum non pervenerunt: ſic viri religioſi, vel virtuoſi, vitam habent eminentem, inſtar paradiſi, ita quod numquam ſubmerguntur diluvio peccati. Unde dicit Sapiens in perſona viri juſti: Exal- *Eccli. 25* taſti ſuper terram habitationem meam. Eſt ſecundo paradiſus locus fructibus opulentus: producit enim omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, ut dicitur in Geneſi. Sic vir *Gen. 2* juſtus vel virtuoſus, omne lignum B pulchrum viſu producit, per honeſtam converſationem: ad veſcendum ſuave, per bonam operationem & internam devotionem. Unde dicitur in perſona viri virtuoſi: Flores mei fru- *Eccli. 24* ctus honoris & honeſtatis. Eſt nihilominus paradiſus terreſtris locus aquis irriguus: nam dicitur, quod fluvius *Gen. 2* egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. Qui inde dividitur in quatuor capita. Paradiſi fluvius virtus eſt vel gratia, quia de fonte divinitatis oritur. Quattuor capita ſunt quattuor principales virtutes, vel cardinales, quæ a gratia derivantur, ſcilicet juſtitia, temperantia, prudentia, & fortitudo. Juſti- C tia habet locum in rebus certis, non enim poteſt eſſe juſtitia, vel juſta ſententia, niſi in rebus certis: prudentia habet locum in dubiis: temperantia habet locum in proſperis: & fortitudo in adverſis. Comparatur autem virtus paradiſo cœleſti in quatuor, eſt enim paradiſus cœleſtis habitatio Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris. Talis eſt anima viri juſti & virtuoſi: nam ibi eſt habitatio divinæ gratiæ, ibi eſt gaudium bonæ conſcientiæ, ibi eſt lux veritatis, ibi eſt amor charitatis. De tali paradiſo dicitur: Gratia ſicut paradiſus in benedictio- *Eccl. 40* nibus. E converſo anima peccatoris non dicitur paradiſus, ſed potius infernus:

Digitized by Google

ſernus: habet enim quatuor mala op- A poſita bonis ſupradictis. Ipſa enim eſt habitatio, non Dei, ſed dæmonum: ipſa namque loco gaudii habet remorſum conſcientiæ: loco lucis habet tenebras ignorantiæ: loco amoris ordinati, habet ignem concupiſcentiæ. Unde de tali inferno dici- *Iſa.* 28 tur: Quia non infernus confitebitur tibi, id eſt, anima peccatoris, quæ eſt quaſi locus infernalis.

Item virtus vel gratia comparatur aliis tribus, ſcilicet ſigno vel charactери, pretio vel pignori, oleo vel unctioni. Virtus enim eſt ſignum, vel character prædeſtinationis. Sicut enim paſtor ſignat oves ſigno, quo diſtinguit oves proprias ab extraneis: B ſic Deus, qui eſt paſtor animarum noſtrarum, ut habetur in Joanne, *Joan.* 10 ponit in ovibus ſuis ſignum gratiæ & virtutis, quo diſtinguit oves ab hœdis. De hoc ſigno dicitur: Nolite *Epheſ.* 4 contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis ſcilicet gratiæ, virtutis, & veritatis.

Signa quibus Deus electos ſuos ſignat

Et debemus conſiderare quatuor ſigna, quibus electos ſuos ſignat Deus. Eſt enim virtus pignus vel pretium ſalvationis. Sicut enim qui habet pretium, rem poteſt emere, & ſicut qui habet arrham vel pignus ſufficiens, certus eſt de ſolutione ſic qui habet virtutem, vel gratiam gratuitam, ſecurus eſt de æterna ſalvatio- C ne. De hoc pignore habetur: Signati *Epheſ.* 1 eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, ſcil. gratiæ, qui eſt pignus hereditatis noſtræ. Eſt nihilominus virtus gratuita unctio regalis promotionis. Sicut enim Reges, qui promoventur, & ad regna terrena unguntur: ſic Deus electos ſuos ungit unctione gratiæ ad obtinenda regna cæleſtia, & terrena. De hac unctione dicitur: Un- 1 *Joan.* 2 ctionem habetis a ſancto, & noſtis omnia. Nota, quod electi, qui habent unctiones virtutis, vel gratiæ, reges debent dici triplici ratione, tum quia Deus regnat in eis per gratiam: tum quia futuri ſunt reges per gloriam: tum quia eis in hoc mundo ſerviunt omnia per obedientiam.

Omnia namque eis cooperantur in *Rom.* 8 bonum, ſcilicet tam bona, quam adverſa, vel perverſa, ut dicit Apoſtolus.

Item virtus, vel gratia tribus aliis comparatur, ſcilicet armaturæ forti, præbendæ nobili, & optimæ poſſeſſioni. Virtus enim eſt armatura tam fortis, quod omnia vincit, & numquam vincitur, vel ſuperatur. Homo autem ſine virtute, eſt ſicut homo inermis in medio hoſtium ſuorum, id eſt, inter proſpera & adverſa, & ab utriſque læditur, & ſuperatur: nam ipſum decipiunt proſpera & adverſa, propter quod monet Apoſtolus, dicens: Induamur arma lucis, *Rom.* 13 id eſt, arma virtutis, ut dicit Gloſſa. Virtus eſt præbenda nobilis, quod patet ex duobus, ſcilicet ex parte dantium, & ex parte recipientium, ſeu ex parte dantis & ex parte recipientis. Sicut autem Papa & alii prælati conſueverunt ſibi retinere collationem pinguem, vel præbendam nobilem vel nobilium: ita Deus collationem hujus nobilis præbendæ, ſcilicet, virtutis vel gratiæ retinuit ad manum ſuam, juxta illud: Gratiam *Pſal.* 83 & gloriam dabit Dominus; nullus enim alius habet duas præbendas conferre. Ex parte recipientis patet nobilitas hujus nobilis præbendæ, quia præbendæ virtutis vel gratiæ, numquam conferuntur niſi amicis & charis. Alia namque bona naturalia & temporalia quaſi viles præbendæ, vel communes, dantur indifferenter inimicis & amicis. Unde dicit Auguſt. *Auguſt. lib.* de civitate Dei; Interdum abundant *de Civ. Dei* plus in talibus inimici quam amici, *c.* 8 *tom.* 5 id eſt, peccatores, quam juſti. Et nihilominus virtus vel gratia quaſi poſſeſſio optima. Sicut enim bene ſedet poſſeſſio, quæ eſt prope civitatem, melius, quæ eſt juxta muros civitatis, ſed optime, quæ eſt intra muros, propter ſecuritatem clauſuræ, vel habitationis: ſic peroptime ſedet virtus, quæ eſt in ſecreto cordis. Unde narrat Seneca de quodam Philoſopho, quod uxore capta & liberis, cum ſolus ex incendio evaſiſſet, inter-

ter-

terrogatus a Tyranno, quid amiſiſſet? Nihil inquit, perdidi: nam bona mea mecum ſunt. Bona namque interiora, ſicut ſunt virtutes vel gratia, non poſſunt auferri, ut vulgo dicitur, nec vento, nec gelu, & ideo dicitur in Pſalmo: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. Filiæ regis eſt anima fidelis, cujus tota gloria eſt de interiori poſſeſſione virtutis.

Pſalm. 44

CAPUT II.

De Charitate.

Charitas eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum, vel in Deo, ut habetur in libro tertio ſententiarum. De charitate nota ſpecialiter tria, ſcilicet ejus typum figuralem, ejus actum virtualem, ejus fructum finalem.

Mag. lib. 3 ſent. diſt. 27

Charitas multis ſimilitudinibus oſtenditur.

Circa primum ſciendum, quod multiplex eſt typus, vel figura, cui charitas comparatur. Primo enim comparatur auro probato, ferro ignito, & vino condito. Nam ſicut aurum in valore excedit omnia metalla: ſic charitas excedit omnes virtutes, & omnia bona opera. Major autem horum eſt charitas. De hoc autem auro pretioſo dicitur: Suadeo tibi emere aurum ignitum & probatum, ut locuples fias. Charitas autem eſt ſic. ut ferrum ignitum, quod eſt molle & ductile, frigidum vero, durum & rebelle: ſic anima, ſine charitate eſt dura & rebellis per malitiam, ignita vero charitate, eſt ductilis per obedientiam, & mollis per miſericordiam. Unde charitas de corde lapideo, facit cor carneum id eſt, dulce, & pium, ut dicitur in Ezechiele. Charitas nihilominus eſt ſicut vinum conditum, quod dicitur nectar: nam vinum nectaricum vel conditum eſt dulce, acutum, & forte. In his tribus, quæ habet vinum conditum, innuitur triplex modus diligendi Deum. Diligendus eſt enim fortiter, prudenter, & perſeveranter, ut dicit Bern. In hoc autem excedit charitas

2 Cor. 13
Apoc. 3
Ezec. 36

A vinum, quantumcumque dulce, vel conditum: quia charitas eſt adeo dulcis, quod omne amarum dulceſcit cum vino charitatis: hoc eſt vinum, de quo dicitur: Dabo tibi poculum ex vino condito. Deus enim potat animam condito vino charitatis, & inebriat eam nectare ſui dulcis amoris. Item charitas comparatur aliis tribus, ſcilic. avi prædam rapienti, navi in mari naviganti, & morti carnem perimenti. Charitas enim eſt ſicut avis generoſa, quæ vivit de præda, ſicut accipiter, & falco, & aquila. Iſtæ namque aves nobiles, vix vel numquam tangunt terram niſi quando rapiunt prædam: ſic homines

Bern. ſup. Cant. ſer. 10 ante med.
Cant. 8

B charitatem habentes, bona iſta tranſitoria non tangunt, vel terrena per affectum, niſi quærendo ſolummodo ſimplicem victum. In quorum perſona dicit Apoſtolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Sicut etiam aquilam nulla avis effugit, ſic charitatem nullum bonum opus evadit. Hæc eſt aquila grandis magnarum alarum, de qua dicitur in Ezechiele Alæ ejus ſunt duæ, ſc. dilectio Dei & proximi. Charitas etiam eſt ſicut navis maris. Nam ſicut illa non vadit, niſi quo ducit eam flatus venti: ſic qui habet charitatem navigando per mare hujus mundi, ſolum ducitur

1 Tim. 6
Ezech. 19

C flatu Spiritus ſancti: ſicut illa cæleſtia animalia, de quibus dicitur, quod ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur. Hæc eſt navis de qua dicitur. Facta eſt quaſi navis inſtitoris, id eſt, mercatoris, ut dicit Papias. Charitas nihilominus eſt ſicut mors, ut dicitur: Fortis eſt ut mors dilectio. Nam ſicut mors perimit carnem, ſic charitas carnalitatem. Et ſicut mors aufert ſenſum mortuo, ſic charitas facit hominem inſenſibilem mundo. Et ſicut mors facit ut pulvis, id eſt corpus revertatur in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Dominum ſuum, qui fecit illum, ut dicitur in Eccleſiaſte: ſic charitas facit conſiderare propriæ carnis fragilitatem, & facit deſiderare ſempiternam

Ezech. 1
Prov. 31
Cant. 8
Eccli. 12

nam ſpiritus felicitatem.
Item nota quod charitas tribus a-
liis comparatur. Eſt enim charitas
ſicut funis bene tortus, ſicut canis
bene doctus, & ſicut later bene co-
ctus. Charitas comparatur funi bene
torto. Nam ſicut funis bene tortus,
eſt valde fortis: ſic charitas eſt in-
diſſolubilis, quia dicit Apoſtolus:
Rom. 8 Qui nos ſeparabit a charitate Dei?
quaſi dicat, nihil. Et hæc charitas
fortior eſt omni fune, non eſt enim
aliquis alius funis, quem non valeat
rumpere ignis, vel gladius: charitas
autem numquam poteſt rumpi, nec
igne tribulationis, nec gladio mor-
tis. Iſte funis charitatis indiſſolubilis
componitur ex tribus funiculis, ſcil.
de corde puro, & conſcientia bona,
& fide non ficta, ut dicitur ad Ti-
1 Tim. 1 motheum. Hic eſt enim ille funicu-
lus triplex, qui difficile rumpitur,
Eccl. 4 ut dicitur in Eccleſiaſte. Charitas
etiam comparatur cani bene docto
ad venationem. Sicut enim canis ſe-
quens prædam, non ſentit ſpinam:
ſic qui charitatem habet, & ſentit
odorem paradiſi, quaſi non ſentit ſpi-
nam, id eſt, tribulationem hujus
mundi. In perſona talis poteſt dici
Prov. 23 illud Proverbiorum: Verberaverunt
me, ſed non dolui: traxerunt me,
& ego non ſenſi. Comparatur nihi-
lominus lateri bene cocto. Sicut enim
later bene coctus, facit ſolidum fun-
damentum, & ſi male ſit coctus, fa-
cit ruinoſum: ſic homo bene coctus
per charitatis incendium habet opti-
mum & virtuoſum fundamentum, de
Ephes. 3 quo dicit Apoſtolus: In charitate ra-
dicati & fundati. Sed later male co-
ctus, id eſt, homo tepidus, & cha-
ritatis modicæ, cito diſſolvitur, &
convertitur in lutum carnalis concu-
piſcentiæ: tales lateres male cocti
ſunt lateres Ægypti, qui ſola palea
dicuntur eſſe cocti, ut legitur in
Exod. 5 Exodo.

Item charitas aliis tribus compa-
ratur, ſcilicet arbori vel ligno, one-
ri vel iugo, glutino vel cæmento.
Charitas enim eſt ſicut arbor vel li-
gnum fructuoſum, in quo pendent fru-
A ctus pietatis, flores honeſtatis, folia
veritatis. Et ſicut de arbore reſecan-
tur ramuſculi, ut arbor melius cre-
ſcat & proficiat: ſic reſecandi ſunt
amores inordinati, ut amor Dei for-
tius invaleſcat. Unde bonus agrico-
la vel hortulanus, purgat palmitem
ferentem fructum, ut fructum plus
afferat, ut habetur in Joanne. Cha- *Joan. 15*
ritas etiam eſt ſicut onus leve, &
iugum ſuave. Eſt enim onus leve &
allevians, ſicut in avibus ala, & ſi-
cut in equis quadriga. Nam ſicut
avis cum onere alarum volat velo-
cius, & equus cum onere quadrigæ
portat duplum facilius: ſic onus pœ-
nitentiæ, & tribulationis facilius eſt,
B & per duplum portatur, cum allevia-
tur in onere charitatis. Ipſa enim
eſt iugum ſuave: & cauſa huius ſua-
vitatis eſt, quia Chriſtus in Cruce
ſubiit illud iugum, & adhuc ſub eo
vult eſſe nobiſcum. Unde ipſe por-
tat quaſi totum pondus, vel maio-
rem partem ponderis, & ideo non
eſt mirum ſi iugum charitatis eſt ſua-
ve. Propter quod dicitur: Jugum e- *Matth. 11*
nim meum ſuave eſt, & onus meum
leve. Charitas nihilominus eſt ſicut
glutinum, vel cæmentum. Nam ſi-
cut glutino iunguntur aſſeres, vel
cæmento lapides, ſic charitate uniun-
tur fideles. Hoc glutino vel bitumi-
ne linita fuit ſpecialiter arca Noe,
C ut habetur in Geneſi: Unde ſi arca *Gen. 6*
Eccleſiæ non uniretur virtute huius
glutinis, eſſet in periculo ſubmer-
gendi. Hoc enim virtuoſo cæmento
uniuntur lapides in ſpirituali ædifi-
cio, & cum iſto cæmento fit murus
Eccleſiæ fortiſſimus, ſine quo eſſet
Eccleſia quaſi acervus lapidum, rui-
næ propinquus, ſicut dicitur: Hieru- *Hier. 26*
ſalem in acervum lapidum erit. Item
charitas eleganter & proprie tribus
aliis comparatur, ſcilicet fonti natu-
rali, veſti nuptiali, igni virtuali.
Charitas quidem eſt ſicut fons natu-
ralis. Sicut enim aqua fontis natura-
lis, in hyeme eſt calida: ſic chari-
tas fervet in tribulatione. Et ſicut
aqua fontis eſt frigida, vel frigeſcit
interius, cum calor invaleſcit exte-
rius:

Digitized by Google

rius: ſic etiam interius tepeſcit amor Dei cum invaleſcit exterius amor mundi. De hac aqua fontis mundani *Joan. 4* dicitur: Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: quia ut vulgo dicitur, talis aqua inflat & non ſatiat: Sed de aqua fontis divini dicitur ibidem: Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis, in vitam æ- *Matth. 42* ternam. Charitas enim eſt ſicut veſtis nuptialis, de qua habetur, quod ille, qui ea caruit, fuit ejectus de nuptiis: ſic qui non habet charitatis tunicam, non venit ad cœnam æternam. Et nota, quod charitas dicitur veſtis nuptialis, quia tegit turpitudinem peccatorum, quia protegit a frigore tentationum, quia ornat munere donorum, juxta illud: *Pſalm. 4* Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, &c. Quia in malitia ſatiati ſunt, vidit hominem id eſt, totum cœtum malorum: non veſtitum veſte nuptiali, id eſt, fidem non habentem, ſive charitatem.

Charitatis veſtis.

Et nota, quod veſtis charitatis a quatuor præcipue commendatur, a quibus conſuevit commendari veſtis nuptialis, ſcilicet ab artificio, a materia, a calore, a fragrantia. Commendatur ergo veſtis charitatis ab artificio, quia magno ſtudio componitur a *Pſal. 9* Deo, juxta illud: Annuntiate inter gentes ſtudia ejus. Hæc enim ſunt ſtudia divina, ut componat in nobis charitatis indumenta. Commendatur etiam hæc veſtis a materia. Nam aliæ veſtes ſunt vel de velleribus animalium, ut veſtis lanea: vel de corticibus herbarum, ut veſtis linea: vel de viſceribus vermium, ut veſtis ſerica. Veſtis autem charitatis fit ex gratia Spiritus ſancti, & de viſceribus *Rom. 13* Chriſti. Unde ſignanter dicit Apoſtolus: Induimini Dominum Jeſum Chriſtum. Commendatur autem hæc veſtis a colore. Eſt autem duplex color hujus veſtis, ſcilicet byſſinus, & purpureus. Et ſicut rubeus color, optime ſedet ſuper byſſinum, vel candidum: ſic charitas optime ſtat ſuper homi- *Prov. 31* nem caſtum. Unde dicitur: Byſſus & purpura indumentum ejus. Commendatur autem hæc veſtis a fragrantia, juxta illud. Odor veſtimentorum tuo- *Cant. 4* rum, ſicut odor thuris, & ideo qui portat hanc veſtem meretur benedictionem, ſicut Jacob. Unde dicitur: Statim, ut Iſaac ſenſit veſtimentorum *Gen. 27* ejus fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni. Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuperat, omnia ſuſtinet. Cha- *1 Cor. 13* ritas numquam, excidit, ut dicit Apoſtolus.

Item veſtis charitatis habet duas petias, quatuor ſagittas, & ſexdecim fimbrias vel crepas. Eſt enim partita ſicut tunica nobilis domicelli, duæ petiæ ejus ſunt dilectio Dei & proximi. In parte dextera eſt petia dilectionis Dei; in parte ſiniſtra, eſt petia dilectionis proximi. Una eſt de byſſo, alia de purpura. In indumento ejus quatuor ſagittæ ponuntur, juxta illud: Diliges Dominum Deum tuum *Luc. 10* ex toto corde, &c. Sexdecim fimbriæ, vel crepæ ponuntur ſicut ſupra dictum eſt: Charitas patiens eſt, & cetera.

Charitas igni comparatur.

Charitas comparatur igni in decem: Nam primo ignis eſt virtuoſior omnibus elementis: ſic inter omnes virtutes efficacior eſt virtus charitatis. Unde dicitur: Ignem veni mit- *Luc. 12* tere in terram. In hoc autem charitas excellit ignem, quia aqua extinguit ignem naturalem: ſed aquæ mul- *Cant. 8* tæ non poterunt extinguere charitatem, ut dicitur in Canticis. Secundo ignis ardet & lucet: ſic charitas in homine ardet per affectum, & lucet per exemplum, ſicut Joannes Ba- *Joan. 5* ptiſta de quo dicitur: Ille enim erat lucerna ardens & lucens. Tertio ignis frigidum ferrum accendit, & etiam carbonem extinctum: ſic incendium charitatis expellit ab homine gelu avaritiæ, & etiam mortem culpæ, & facit vivere ſicut carbonem extin-

ctum

ctum, ut dicitur: Tranſlati ſumus A de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Quarto ignis incinerat: ſic virtus & incendium charitatis redigit hominem in cinerem humilitatis. Unde dicebat Abraham: Loquar ad Deum meum, cum ſim pulvis, & cinis. Quinto ignis ſemper tendit ſurſum: ſic charitas facit aſcendere ſurſum vel ad cœlum per deſiderium. Unde dicebat Apoſtolus: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Sexto ignis ſemper in motu: ſic charitas ſemper eſt in aliquo bono actu. Nam ſicut dicit Gregorius: Amor Dei numquam eſt otioſus. Operatur enim magna ſi eſt, ſi autem operari renuerit, amor non eſt: Septimo ignis aufert B rubiginem a ferro: ſic charitas tollit rubiginem peccati. Unde dicitur: Deus autem ignis eſt, uſque ad conſumptionem devorans, ſcilicet peccati rubiginem, per ſuam ignitam dilectionem: Octavo ignis ſcintillas emittit, ſic charitas mentem devotam ſcintillas cæleſtium deſideriorum emittere facit, ſicut legitur in Daniele: Vir deſideriorum es. Nono ignis facit ollam fervere, & ollæ ferventi non incidunt muſcæ: ſic mens, quæ per charitatem fervet, muſcas tentationis non timet. Diabolus autem propter infeſtationem tentationum, inter alia nomina ſua vocatur Beelzebub, qui interpretatur Deus, vel pater muſcarum, ut habetur in C Luca: Decimo ignis ſervat lampades a mure: mus namque cum lampadem extinctam conſpicit, mox bibit oleum, ſed ipſum non audet ſugere, quamdiu conſpicit lampadem ardere: ſic charitas ardens in animo, oleum gratiæ cuſtodit à ſpiritu maligno. Hoc oleum volunt prudentes virgines in ſuis lampadibus habere, ut cum ſponſo valeant ad nuptias intrare, ſicut dicitur in Matthæo.

Gen. 18 · *Phil. 1* · *Greg. hom. 30 in Ev. ante med.* · *Deut. 4* · *Dan. 10* · *Luc. 11* · *Matt. 26*

CAPUT III.

De Fide.

Fides eſt virtus, qua ea quæ ad fundamentum religionis pertinent firmiter creduntur, ut habetur in tertio ſententiarum. De fide nota ſpecialiter tria, ſcilicet ejus typum ſpecioſum, ejus actum virtuoſum, & ejus fructum generoſum,

Mag. 3 ſent. d. 23 §. Fides eſt virtu.

Primo dico, quod fides habet typum ſpecioſum, vel figuram multiplicem, cui eleganter, vel ſtrenue, vel congrue comparatur. Et primo comparatur tribus, ſcilicet arcæ teſtamenti, ſtellæ firmamenti, & petræ fundamenti. Fides quidem eſt ſicut arca teſtamenti. Nam dicitur: Propitiatorium non excedit arcam, ſed arca propitiatorium: ſic per fidem, & numquam ſine fide habetur propitiatio peccatorum. Fides etiam eſt ſicut ſtella armamenti, & præcipue dicitur ſtella maris, quia navigantibus oſtendit portum gratiæ ſive ſalutis. Dicitur etiam ſtella matutinalis, quia prævenit Solem juſtitiæ. Dicitur nihilominus ſtella orientalis, quia ducit Reges ſpirituales, & facit eos Chriſtum adorare, ſicut illa, de qua ſcribit Matthæus. Fides etiam eſt ſicut petra fundamenti. Nam ſicut ædificium eſt ſolidum, quod eſt ſupra petram fundatum, vel locatum: ſic ſtructura virtutum & omne ſpirituale ædificium optime locatur ſupra fidei fundamentum. Unde dicit Dominus Petro: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Fides multis comparatur. · *Exod. 25* · *Matth. 2* · *Matth. 16*

Item fides aliis tribus bene & congrue comparatur. Figuratur enim per mundum ſpeculum, per dexterum oculum, & per perſonæ annulum. Fides namque comparatur ſpeculo mundo. Quia ſicut turris magna in modico ſpeculo cernitur: ſic majeſtas, & magnitudo divina in ſpeculo fidei repræſentatur. Bene ipſa eſt ſpeculum ſine macula, ut dicitur in libro Sapientiæ. Fides etiam comparatur oculo dextero. Siniſter oculus eſt ratio,

Sap. 7

Digitized by Google

quæ ſolum de naturalibus judicat : A dexter vero fides, quæ omnia tam naturalia, quam miracula determinat & intellectum in obſequium Chriſti captivat, ut dicit Apoſtolus. Et ſicut qui amiſit oculum dextrum, inutilis eſt ad bella, quia ſcutum operit ſiniſtrum, & ſic nullum habet oculum, quo videat ferire vel cavere adverſarium : ſic qui non habet fidem inutilis eſt ad pugnam ſpiritualem. Unde Naas dicit hominibus vel viris Jabez Galaad: In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros, ut habetur in libris Regum. Naas interpretatur ſerpens, vel coluber, & ſignat ſerpentem antiquum, id eſt, diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id eſt, fidem, ut ad bellum ſpirituale hominem reddat inutilem. Ipſe enim eſt corvus infernalis, qui cum cadavera invenit, primum oculum invadit. Fides inſuper comparatur annulo: quia ſicut in ſubarrhatione ſponſæ, annulus in digito ponitur ad ordinationem : ſic fides ornat rationem quæ per digitum intelligitur, quia diſcernit, & ſic a Deo ſpiritualiter deſponſatur. Nam dicitur: Sponſabo te mihi in fide. Anulus iſte argenteus poteſt dici, eo quod fides inſtar argenti, luceat per veram cognitionem, & reſonet per perfectam confeſſionem: quia dicit Apoſtolus: Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

2 Cor. 10 · *1 Reg. 11* · *Oſee 2* · *Rom. 10*

Item fides comparatur aliis tribus, ſcilicet ſigno vexillari, ſcuto militari, & radio ſolari: Fides enim eſt ſicut vexillum regis. Nam ſicut vexillum regis monſtrat, quod res eſt præſens in acie; maxime ut terreantur hoſtes: ſic fides eſt ſignum, quod Rex regum, ſcilicet Deus præſens eſt in pugna, vel tentatione, ut fugiant dæmones. Et ideo dicitur: Cui reſiſtite fortes in fide: Sicut enim vexillum regis in ſignum Domini ponitur in arcem urbis: ſic fides locatur in arce mentis, id eſt, in eminentia rationis. De hoc vexillari ſigno dicitur: Levavit Dominus ſignum in nationes, id eſt fidem ſub credentes. Fides etiam eſt ſicut militare ſcutum. Nam ſicut ſcutum ponitur ad ſiniſtram partem; ſic fides præcipue armat hominem contra adverſitatem. Et ſicut ſcutum portatur à parte cordis, quod eſt in ſiniſtra parte hominis: ſic fides eſt armatura mentis. Et ſicut ſcutum eſt triangulum, ita fides credit Deum trinum & unum. De ſcuto dicit Apoſtolus; In omnibus ſumentes ſcutum fidei. Fides nihilominus eſt ſicut Sol, vel Solis radius. Nam ſicut Sol videtur ſolum propriis radiis non torchiis, vel candelis: ſic Deus videtur ſolum radio fidei, qui ſolum innititur luci primæ veritatis, non torchiis, id eſt, lumi- B ne naturalis rationis. Unde dicit Ambroſius; In his quæ fidei ſunt, piſcatoribus creditur, non dialecticis. De hoc lumine, vel radio fidei poteſt intelligi, quod dicitur: Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem. Tamen nota, quod Sol non videtur in propria rota, niſi ab aquila: ſic Deus non videtur in propria eſſentia, niſi ab anima valde devota, & pennis contemplationis elevata. Item cœcus non videt Solem, ſed tamen credit videnti; non videt viam, & tamen credit cani ducenti; nec videt locum profundum, & tamen credit baculo tangenti, & tentanti; ita ſimpli- C ces quia per ſe ſacramenta non vident, videntibus id eſt, prælatis, & paſtoribus ſuis ſe commitere debent, ſicut cæcus committit ſe ductori, & ſicus ovis committit ſe paſtori. Tamen ſummum periculum eſt, quando ipſi paſtores vel ductores cæci ſunt & ignorantes, quia dicit veritas; Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.

1 Pet. 5 · *Iſa. 11* · *Epheſ. 6* · *Ambr. l. 1 de fide c. 5 circ. fin. tom. 4* · *Eccl. 11* · *Matth. 15*

Item fides tribus aliis comparatur, ſcilicet columnæ ſacramentali, auroræ ſpirituali & luci primordiali. Fides namque eſt ſicut columna illa, quæ præcedebat populum Iſral in exitu de Ægypto. Nam illa ex parte Iſrael erat lucida, & ex parte Ægyptiorum tenebroſa; ſic fides credentibus lucet, & infidelibus eſt obſcura:

Exod. 13

ra: quia ipſi ſunt rebelles lumini, ut dicitur in Job. Fides etiam eſt ſicut aurora. Nam ſicut illa eſt exoſa latronibus: ſic fides odioſa eſt dæmonibus, qui ſunt latrones animarum. De ipſis enim dicitur: Si ſubito apparit aurora, arbitrantur umbram mortis. Fides autem nihilominus eſt ſicut lux primo creata. Nam ſicut illa primum opus in majori mundo: ſic fides prima virtus in minori mundo, hoc eſt in corde humano: & ideo cum ſit primogenita, ſpecialiter benedici meretur, ſicut antiqui primogenita benedicebant. Unde dicitur de talibus: Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Job 24

Ibidem.

Gal. 3

Item nota, quod fides ad hoc, quod ſit commendabilis debet habere tria, ſcilicet veridicam confeſſionem, magnificam devotionem, & catholicam probationem. Primo ergo fides debet habere veridicam confeſſionem, ſcilicet, ut verum dicat, ne aliud dicat, aliud credat, aliter vivat. Ut ſcilicet fides ſit viva non mortua: vera non ficta. Res enim mortua, proprie non eſt res, niſi æquivoce: ſicut homo mortuus non eſt homo. Res etiam ficta, non eſt proprie dicenda res, ſicut leo pictus, non eſt leo verus, nec denarius falſus, ſicut ille qui eſt de aurichalco, qui debet eſſe da auro, non eſt verus denarius, tales ſunt falſi, & ficti Chriſtiani, de quibus dicitur: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Tales ſunt ſicut chimæra, quæ eſt res tantum ficta, & tamen nihil eſt in rerum natura. Fides veridica eſt, quæ verum dicit, ſic vivendo ſicut credit, ſic credendo, ſicut dicit. Talis eſt moneta vera ad producendum paradiſum, & vera arbor, & generoſa ad producendum frondes divinæ dilectionis, folia ſalutiferæ confeſſionis, flores honeſtæ converſationis, & fructus bonæ operationis.

Tit. 1

Fides tribus magnifica oſtenditur.

Secundo debet habere devotionem magnificam, & eſt notandum, quod fides oſtenditur eſſe magnifica in tribus. Primo ut in ſolo Deo confidat, etiam ſi naturalis ratio contradicat.

A Talem fidem habuit Abraham, qui vetulus de vetula & ſterili, contra omnem rationem credidit Deo promittenti, quod haberet ſemen, in quo benedicerentur omnes gentes, ut dicitur: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Talem fidem non habuit Thomas, qui noluit credere, quod Chriſtus reſurrexiſſet a mortuis, niſi oculis videret, & manibus contrectaret. Tales ſunt illi, qui nolunt credere vel mutuare, niſi ſub bono pignore. De tali modica fide, dicit Gregorius: Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum. Secundo fides eſt magna, ſi in adverſitate non deficiat, ſed tunc plus invaleſcat, de qua dicit Salvator: Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, &c. Granum ſinapis quanto plus teritur, tanto fortius viget: talis fuit fides Martyrum, qui per fidem vicerunt regna, ludibria, verbera, inſuper vincula, & carceres. De hac fide dicitur: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Talem fidem non habuit Petrus, qui videns ventum validum timuit, & ſtatim veritus fuit, cui dixit Salvator: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Sic multi infideles ventum validum tribulationis videntes, ſtatim titubant, & merguntur in mari tentationis, vel deſperationis, quod eſt mare mortuum, in quo nihil poteſt vivere. Tertia fides eſt magna, ſi homo propter dilationem, petere non deſiſtat, quouſque obtineat. Talem fidem habuit mulier Chananæa, quæ quantumcumque fuiſſet a Chriſto repulſa, non quievit a prece, quouſque fuit exaudita. Unde dicit ei Salvator: Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti, quia, ut vulgo dicitur: Quod differtur, non aufertur.

Cant. 15

Greg. h. 20 in Ev. non longe a pr.

Matt. 17

1 Joan. 5

Matth. 14

Matth. 15

Item fides debet habere profeſſionem catholicam. Et notandum, quod catholica profeſſio Chriſtiana, continet duodecim articulos fidei, qui in ſymbolo Apoſtolico continentur, ſcilicet Credo in Deum, &c. Sunt autem duodecim articuli, quia duodecim

 ſunt

ſunt Apoſtoli. Quilibet autem duodecim Apoſtolorum, poſuit in ſymbolo ſuum articulum.

Idem hab. apud Auct. ſerm. 8 in Hexaem. tom. 2 & ſup. cent. p. 3 ſect. 38 hoc tom. mutuatum ex S. Aug. ſer. 115 de temp. t. 10 facit etiam pro hoc Leo ep. 96.

PETRUS autem dixit: *Credo in Deum Patrem &c.* Iſte articulus pertinet ad patrem. Et eſt ſciendum, quod aliud eſt credere in Deum, & aliud credere Deo. Credere Deo, eſt credere, quod vera ſunt, quæ dicuntur de Deo, & ſic poſſumus credere, & credimus Petro, & Paulo. Sed credere in Deum, ut dicit Auguſtinus eſt credendo amare, credendo in eum per amorem ire, in eum, vel ejus membris incorporari. Nota de iſto articulo cum dicitur: Patrem omnipotentem, quia ipſe eſt Deus Pater, non deeſt ſibi bona voluntas: quia Omnipotens, non deeſt ſibi poteſtas implendi, quod promittit, quia dicitur. Omnia quæcumque voluit, fecit.

Pſal. 13

ANDREAS dixit: *Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum.* Iſte articulus pertinet ad divinitatem Filii. Et nota quod ſpecialiter Chriſtus dicitur Dominus noſter, quia proprie dominatur nobis dupliei jure, ſcilicet jure creationis, quia nos creavit & fecit: & jure redemptionis, quia nos magno pretio ſcilicet ſanguine ſuo redemit, ut ait Apoſtolus: Empti enim eſtis pretio magno.

1 Cor. 6

JACOBUS major dixit; *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.* Iſte articulus eſt primus, qui pertinet ad humanitatem. Et nota, quod Maria mater Dei caruit in conceptione culpa. Et ideo dicitur Chriſtus de Spiritu ſancto conceptus, quia ſine culpa fuit, quod Spiritus ſanctus fecit in nativitate Filii. Caruit etiam pœna. Et ideo dicitur Chriſtus de Virgine natus, quia nullam pœnam ſenſit, nec damnum ſuſtinuit: quia virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit. Et in hoc Chriſtus dedit exemplum filiis omnibus, ut nullum damnum nutricibus, vel progenitoribus ſuis inferrent.

JOANNES dixit; *Paſſus ſub Pontio*

A *Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Iſte articulus pertinet ad humanitatem. Et nota quatuor in hoc articulo, pro quibus, & in quibus, non ſolum grati eſſe debemus Redemptori noſtro, ſed etiam ſpecialiter, in his quatuor ipſum imitari. Chriſtus enim eſt paſſus, ut nos patiamur, ſcilicet habendo patientiam in adverſitatibus, & tribulationibus noſtris. Chriſtus etiam crucifixus eſt, ut nos per pœnitentiam crucifigamus carnem noſtram, cum vitiis, & concupiſcentiis. Chriſtus etiam mortuus eſt, ſcilicet in cruce, ut in cruce pœnitentiæ, uſque ad mortem perſeveremus. Chriſtus nihilominus ſepultus

B eſt, ut nos terram noſtræ mortalitatis conſideremus, & cum cinere noſtræ mortalitatis, ad modum carnis ſalſæ ſuperbiam condiamus: quia carnes cito putreſcunt & corrumpuntur, niſi ſale condiantur.

THOMAS dixit; *Deſcendit ad inferna.* Iſte enim articulus & tertius pertinent ad humanitatem. Deſcendit autem Chriſtus ad inferos ſecundum animam, ut extraheret ſuos de limbo. Nota etiam magnam perverſitatem noſtram, quia nos vix volumus ſequi Chriſtum ad Cœlum, quantumcumque ſciamus, quod Chriſtus ſecutus eſt hominem uſque ad infernum, ſcilicet ad eum liberandum.

C JACOBUS minor dixit: *Tertia die reſurrexit a mortuis.* Iſte eſt quartus articulus, pertinens ad humanitatem. Et nota quod Chriſtus reſurrexit tertia die, ut nos a peccato reſurgamus, in tertia die, ſcilicet pœnitentia, confeſſione, contritione & ſatisfactione.

PHILIPPUS dixit: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Iſte articulus eſt quintus, pertinens ad humanitatem. Et nota, quod hæc duo quæ ſunt in iſto articulo ſc. aſcenſus Chriſti ad cœlos & adventus ad judicium, magnam fiduciam nobis ingerunt, quia ſcimus, quod cauſam noſtram frater noſter judicabit.

BAR-

Bartholomæus dixit; *Credo in Spiritum ſanctum, & ſanctam Eccleſiam.* Id eſt, credo, quod Spiritus ſanctus eſt in ſe, & in electis ſuis: & quod non ſolum eſt ſanctus, ſed etiam Eccleſiam facit ſanctam. Et iſte eſt primus articulus, qui pertinet ad Spiritum ſanctum. Et ſunt tria in præſenti pertinentia ad Spiritum ſanctum, & duo in futuro. Primum, quod ad ipſum pertinet in præſenti, eſt ſanctificatio. Nam Primus ejus articulus, ut diximus, *Credo in Spiritum ſanctum, & ſanctam Eccleſiam.* Credo, quod Spiritus ſanctus, qui in ſe ſanctus eſt, ipſe ſanctificat Eccleſiam, per gratiam & bonitatem ſuam, quia ipſe bonitas eſt.

Matthæus dixit. *Sanctorum communionem.* Iſte articulus pertinet in præſenti ad Spiritum ſanctum: quia Spiritus ſanctus pertinet ad Sanctorum communionem, id eſt, unionem membrorum in corpore Eccleſiæ ad caput ſcilicet ad Chriſtum, & alia membra in corpore naturali, id eſt, fidelium adinvicem. Sicut ſpiritus bonus unit membra in corpore naturali: ſic Spiritus ſanctus unit membra ſpiritualia, ſcilicet fideles in corpore myſtico, quod eſt Eccleſia. Unde ſenſus hujus articuli eſt: Credo Sanctorum communionem, id eſt, credo quod ſancti, id eſt, fideles tamquam unius corporis Eccleſiæ membra, communicant, id eſt, uniuntur ſibi, & capiti ſuo, & hoc per Spiritum ſanctum. Et nota quod triplex eſt communio, quam fideles debent habere adinvicem ſcilicet communionem unius corporis: quia faciunt unum corpus. Et communionem ſocietatis: ex qua ſocietate venit, quodquilibet, qui eſt de corpore Eccleſiæ, partem habet in omnibus bonis, quæ fiunt in Eccleſia. Tertia communio eſt mutuæ ſupportationis: quia unus debet ſupportare onus alterius, ſcilicet mala, per patientiam: & bona communicare per eleemoſynarum largitionem. Unde Gal. 9 dicitur: Alter alterius onera portate.

Simon dixit: *Remiſſionem peccatorum,* A ſcilicet credo. Iſte eſt tertius articulus, pertinens ad Spiritum ſanctum. Per Spiritum ſanctum enim, qui eſt benignitas ipſa, in baptiſmo, & in pœnitentia remittuntur peccata. Et nota, quod peccata remittuntur, lavantur, & tolluntur. Remittuntur, quantum ad culpam, lavantur, quantum ad maculam: tolluntur, quantum ad pœnam.

Judas Thaddæus dixit: *Carnis reſurrectionem.* Iſte eſt quartus articulus, pertinens ad Spiritum ſanctum in futuro, quantum ad remunerationem corporis. Et nota, quod in ſervitio regis, qui poteſt reddere, vel reſtituere equum, ſi continget eum mori in bel- B lo, poteſt miles ſecure exponere eum, pro ipſo rege, & duce ſuo: ſic nos equum noſtrum, id eſt, corpus proprium, ſecure poſſumus exponere pro Chriſto: quia ipſe poteſt equum reddere, id eſt, corpus reſtituere, id eſt, reſuſcitare.

Matthias dixit: *Vitam æternam. Amen.* Iſte enim eſt quintus, & ultimus articulus, pertinens ad Spiritum ſanctum in futuro, quantum ad remunerationem animæ, vel etiam utriuſque. Et nota, quod quia ſi ſolicitus eſt homo, ad providendum huic miſeræ vitæ tranſitoriæ: multo magis debet eſſe ſolicitus ad providendum illi vitæ, quæ numquam poterit finem C habere. Unde ſciendum eſt, quod tribus modis providetur huic temporali vitæ, ſcilicet mendicando, laborando, & mutuum accipiendo. Ibi enim non eſt locus mendicandi, ſicut patet de divite epulone, qui voluit mendicare guttam aquæ, & non potuit obtinere, ut habetur in Luca. Ibi etiam Luc. 16 non eſt locus laborandi. Ideo dicitur. Joan. 9 Venit nox, quando nemo poteſt operari. Ibi nihilominus non eſt locus mutuum accipiendi, vel emendi, ut patet de fatuis virginibus, quæ voluerunt mutuo habere, vel emere oleum, & non potuerunt habere. Et Matt. 25 ita, qui non vult hic providere per bona opera, egeſtatem æternam patietur in illa vita æterna. Ideo dicit Salvator: Primum quærite regnum Matt. 6 Dei,

Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis, &c.

CAPUT IV.

De Spe.

Magiſt. l. 3 ſent. d. 26 in princ. SPes eſt futuræ beatitudinis certa exſpectatio, ex Dei gratia, & ex meritis proveniens, ut habetur in libro tertio Sententiarum. De ſpe nota præcipue tria, ſcilicet typum comparationis, fœtum generationis, & fructum operationis.

Spei comparationes. Primo ergo ſpes comparatur tribus, eſt enim ſicut columna domum firmas, ſicut galea caput armans, & ſicut anchora navem ſervans. Spes itaque eſt ſicut columna, quæ domum ſuſtentat. Nam columna debet eſſe ſolida, & de forti ligno, non fragilis, & vacua, ut arundo: ſic ſpes, quæ eſt in Deo, quia eſt ſolida, eſt quaſi de forti ligno, & facit ædificium ſolidum: ſed ſpes, quæ eſt in mundo, eſt fragilis & vacua, & quaſi de arundine, & ideo facit ædificium ruinoſum. Nam dicitur: Qui confidit in divitiis ſuis, corruet. Sic ſupervacua & fragilis ſpes, & fiducia annorum, *Prov. 11* & amicorum: quia dicitur: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem ſuam, id eſt, carnalem *Hier. 17* hominem, brachium ſuum, id eſt, fiduciam vel auxilium, quod eſt in ſolo Deo collocandum. Spes etiam eſt ſicut galea. Nam ſicut galea eſt munimentum capitis: ſic ſpes eſt armatura intentionis. Unde dicit Apoſtolus: *1 Theſſ. 5* Induite galeam ſpem ſalutis. Spes nihilominus eſt ſicut anchora. Nam ſicut anchora ſervat navem contra procellas fluctuum: ſic ſpes mentem contra tentationis impulſum. Et ideo dicitur. Confugiamus ad tenendam *Heb. 6* propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram animæ habemus tutam & firmam.

Item ſpes tribus aliis comparatur. Eſt enim ſicut arbor fructuoſa, ſicut gemma pretioſa, & ſicut mola virtuoſa. Spes ergo eſt ſicut arbor fructuoſa. Nam ſicut arbor profert uberes fructus, quæ habet irriguum aquarum viventium: ſic ſpes profert fructus bonorum operum, quæ ſita eſt, & plantata juxta irriguum aquarum. Unde dicitur: Ego autem ſicut oliva *Pſalm. 51* fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei mei. Spes enim eſt ſicut margarita, vel gemma. Nam ſicut gemma eſt grata: ſic ſpes eſt Deo placita. Sicut gemma habet valorem magnum: ſic ſpes facit hominem pretioſum. Et ſicut gemma eſt perlucida: ſic ſpes eſt quodammodo diaphana, quia per eam videntur, & ſperantur loca cœleſtia. De ipſa dicitur: Gemma gratiſſima expectatio *Prov. 17* præſtolantis. Spes nihilominus eſt ſicut mola. Et nota, quod duæ ſunt molæ ſpirituales ſcilicet timor ſupplicii, & ſpes præmii. Timor eſt mola ſuperior, quæ premit animam, ne evaneſcat per elationem. Spes eſt mola inferior, quæ animam ſuſtinet, ne deficiat per deſperationem. Iſtas duas molas debet pœnitens conjungere, ſicut David, qui dicebat: *Pſalm. 55* Ab altitudine diei, ſcilicet a die judicii timebo, ecce mola ſuperior. Ego vero in te ſperabo, ecce mola inferior. Unde una ſine altera non valet. Et ideo in figura hujus dicitur: Non ac- *Deuter. 24* cipies loco pignoris, inferiorem & ſuperiorem molam, id eſt, ſpem & timorem non ſubtrahas peccatori, & inter iſtas duas molas, fit optima molitura tritici, id eſt perfecta contritio peccati.

CAPUT V.

De Prudentia.

PRudentia eſt appetendarum rerum, fugiendarumque ſcientia, ut dicit Tullius in libro de officiis. De Prudentia nota ſpecialiter tria, ſc. typum decentiſſimum, actum utiliſſimum, partum nobiliſſimum.

Habet autem Prudentia typum multiplicem, & elegantem. *Prudentia tribus comparatur.* Comparatur autem ſpecialiter tribus, ſcilicet aſſeſſori judicis, quatuor etiam minimis, & aſtutiæ ſerpentis. Prudentia

qui-

quidem, eſt ſicut aſſeſſor judicis, A vel regis. Nam ſicut aſſeſſor judicando dirigit judicem, vel regem: ſic prudentia rationem. Sicut aſſeſſore abſente, interdum pervertitur judicium regis: ſic cum abeſt prudentia, pervertitur judicium rationis. *Prov. 28* Unde dicitur in Proverbiis: Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam. Prudentia etiam comparatur quatuor minimis terræ. De *Prov. 30* quibus dicitur: Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus, ſcilicet formica, lepuſculus, ſtellio, vel lacertus, & locuſta. Nam & prudens dicitur formica, ratione prudentiæ. Et nota, quod *Formicæ prudentia.* formica habet decem laudabilia, & B a viris prudentibus imitanda. Formica eſt animal parvum, vel modicum in quo laudatur humilitas. Grano paſcitur, in quo docetur honeſtas. Socios adjuvat, in quo laudatur charitas. Solicita eſt, in quo laudatur prudentia. Numquam eſt otioſa, in quo commendatur occupatio. Grana detruncat, ne germinent, vel putreſcant, in quo monſtratur carnis afflictio. Tempore imbris grana abſcondit, in quo docetur fuga tentationis. Tempore ſereno granum ſoli exponit, in quo laudatur virtus orationis. Pondus portat majus quam ipſa ſit, in quo monſtratur zelus compaſſionis. De ipſa dicitur prover- C *Prov. 6* bium: O piger, vade ad formicam, & diſce ſapientiam, quæ cum non habet ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate, & congregat in meſſe cibum ſibi, ſcilicet in meſſe gratiæ, cibum gloriæ ſempiternæ. Item prudentia comparatur lepuſculo ratione confidentiæ quam homo prudens habet ſolum in Deo. Sicut lepuſculus locat in petra cubile ſuum, ut dicitur in Proverbiis: *Prov. 30* ita homo in Chriſto. Petra autem erat Chriſtus, ut dicit Apoſtolus. *1 Cor. 10* Prudentia etiam comparatur ſtellioni. Nam ſtellio, vel lacertus, quia alas non habet, unguibus, vel manibus utitur, qui diligentia operationis laudatur. Nam in viro prudente, diligentia in operatione, ſupplet defectum naturæ. Prudens nihilominus comparatur locuſtæ. Nam ſicut locuſta habet volatum recidivum, volat enim ad alta, & ſtatim cadit in ima: ſic prudens volat ad alta per deſiderium patriæ cœleſtis, & cadit ad ima per conſiderationem propriæ fragilitatis, juxta illud: Aſcendit uſque ad cœlos, deſcendit uſque *Pſal. 110* ad abyſſos. Prudentia tertio comparatur aſtutiæ ſerpentis. Et nota, quod quinque aſtutiis utitur ſerpens, quas vir prudens imitatur. Prima aſtutia ſapientis, eſt cuſtodia capitis: nam caput ſumme cuſtodit, pro quo ſervando, totum corpus exponit, ſic ſancti Chriſtum, qui eſt caput noſtrum, ſumme cuſtodiunt, & pro ipſo omnia alia exponunt, ſicut Apoſtolus, qui dicebat: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chri- *Philip. 3* ſtum detrimenta. Secunda aſtutia ſerpentis, eſt depoſitio pellis, ponit enim ſe in arcto foramine, ubi renovatur depoſita veteri pelle: ſic ſancti in arcto pœnitentiæ, ſeipſos incarcerant, ut veterem converſationem deponant, ſicut monet Apoſtolus: Deponite vos ſecundum priſti- *Epheſ. 4* nam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Tertia aſtutia ſerpentis, eſt deluſio incantatoris: Deludit enim incantatorem, obturando unam aurem cum terra, & aliam cum cauda, ut dicitur: Sicut aſpidis ſurdæ, et obturantis aures ſuas: *Pſal. 57* ſic viri ſancti & prudentes, deludunt incantatorem, id eſt, tentationem diaboli: quia unam aurem obturat cauda, id eſt, memoria mortis, juxta illud: Memorare noviſſima tua, *Eccl. 7* & in æternum non peccabis; & aliam obturant terra, id eſt, conſideratione propriæ fragilitatis, quia dicitur: Pulvis es, & in pulverem reverteris. *Gen. 3* Quarta aſtutia ſerpentis, eſt inſidiatio pedis, inſidiatur enim calcaneo, non capiti: ſic viri ſancti ſuperant deſideria carnis, attendentes, quis finis delectationis ſcilicet mors immortalis, vel infernalis, juxta illud; Fi-

Rom. 6 nis illorum mors. Quinta aſtutia ſerpentis eſt fuga mulieris. Nam ſicut propter inimicitias ejus fugit, & latitat ſub ſpinis: ſic etiam viri ſancti propter inimicitias fornicationis, fugiunt conſortium mulierum, & latitant ſub ſpinis pœnitentiæ, ſecundum *1 Cor. 10* conſilium Apoſtoli: Fugite fornicationem. Ad imitandas iſtas ſerpentis *Matth. 10* aſtutias dicit Salvator: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, quas habent cum mulierem fugiunt & latitant. Et ne ſerpentis aſtutia fiat virulenta, temperat eam ſimplicitas columbina, unde addit: Et ſimplices ſicut columbæ.

CAPUT VI.

De Temperantia.

Temperantia eſt nihil appetere unde ſit pœnitendum, in nullo modum vel legem excedere, ſub jugo rationis cupiditatem domare, ut ait *Macrob. l. 1 in ſom. Scip. c. 8* Macrobius. De temperantia nota ſpecialiter tria, ſcilicet ejus typum nobilem, ejus partum fertilem, & ejus actum utilem.

Similitudines temperantiæ. Habet autem Temperantia typum multiplicem, vel figuram. Comparatur autem temperantia ſpecialiter tribus, ſcilicet freno quo equus regitur, byſſo quo caro tegitur, & muro quo caſtrum cingitur. Eſt itaque temperantia, ſicut frenum equum regens. Nam ſicut a ſeſſore, mediante freno ducitur equus: ſic caro a ſpiritu, freno temperantiæ gubernatur. Maxime enim frenandus eſt equus juxta aquam, juxta ignem, juxta præcipitium. Frenum temperantiæ neceſſarium eſt carni, contra aquam tranſitoriæ delectationis, contra ignem concupiſcentiæ carnalis, & contra præcipitium æternæ damnationis. De *Tit. 2* hoc freno dicit Apoſtolus: Sobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſæculo. Nam quilibet debet vivere ſobrie quantum ad ſeipſum, juſte quantum ad proximum, pie quantum ad Deum. Eſt etiam temperantia ſicut byſſus carnem tegens. Nam byſſus, ut di- A cit Papias, eſt genus lini candidiſſimi, quod creſcit in Ægypto, & inde fit tela, quæ vulgo dicitur ſerica. De hac tela byſſina fit camiſia nobilis & delicata, per quam figuratur caſtitas & temperantia. Et ſicut iſta camiſia nobilis eſt immediate carni contigua, & conjuncta: ſic caſtitas, & temperantia, eſt carni præcipue neceſſaria, & ei inſeparabiliter conjungenda. Et ideo dicitur de muliere forti: Byſſus & purpura indumentum ejus. *Prov. 31* In byſſo figuratur caſtitas, quæ eſt præcipuum ornamentum mentis; in purpura figuratur temperantia, quæ eſt ſicut auriphrygium, veſti appoſitum ad decorem. Eſt nihilominus B temperantia, ſicut murus caſtrum cingens. Nam ſicut caſtrum muratur præcipue ab ea parte, quæ magis eſt infirma: ſic temperantia munit caſtrum hominis ex parte magis infirma, ſcilicet ex parte corporis. Dicit enim: Spiritus quidem promptus *Matth. 26* eſt, caro autem infirma. Item temperantia, eſt quidam honor Deo aſſimilans, quidam valor mentem magnificans, & quidam dolor hoſtem mortificans. Eſt enim temperantia honor quidam Deo aſſimilans. Deus enim eſt Spiritus, ut dicitur in *Joan. 4* Joanne. Temperantia vero, eſt quaſi nutrix ſpiritualis, quæ ablactat filios Dei, & facit de carnalibus ſpi- C rituales, & ſic aſſimilat Deo, juxta illud: Incorruptio facit proximum *Sap. 6* Deo. Eſt enim temperantia valor quidam, mentem magnificans. Nam ſicut valor magnificat aurum: ſic temperantia magnificat & impretiabilem facit hominem temperatum & caſtum quia dicitur: Non eſt digna *Eccli. 6* ponderatio animæ continentis. Eſt igitur temperantia dolor quidam hoſtem mortificans. Diabolus enim libenter quieſcit & dormit in locis humentibus; id eſt, voluptuoſis hominibus, *Job 4* ut dicitur in Job. Temperantia vero ponit ipſum in arido pœnitentiæ, ubi non invenit requiem: & ſic interficit, vel fugat hoſtem, quia dicitur: *Matt. 12* cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens

Digitized by Google

rens requiem, & non invenit. Loca arida ſunt homines ſobrii: in quibus requiem non invenit. Quia in talibus non ſternit lectum voluptuoſum peccati.

CAPUT VII.

De Fortitudine.

FOrtitudo eſt firmitas animi contra moleſta ſæculi, ut dicit Gloſſa ſuper Matthæum. De fortitudine nota ſpecialiter tria, ſcilicet typum valde pulchrum, partum valde dignum, & fructum valde bonum.

Fortitudo tribus præcipue ſimilis eſt. Primo igitur virtus fortitudinis, habet typum multiplicem; & ſimilitudinem elegantem. Comparatur autem ſpecialiter tribus, ſcilicet fornaci, quæ probat aurum: radici, quæ portat lignum: & loricæ, quæ vetat ictum. Eſt itaque fortitudo ſicut fornax, aurum probans. Nam ſicut fornax redit aurum lucidum: ſic fortitudinis virtus, facit hominem honeſtum & decorum. Nam de talibus dicitur: Fortitudo, & decor indumentum ejus. (Prov. 31) Et ſicut fornax, quædam metalla reddit ſolida, & quædam liquida: ſic virtus fortitudinis, corda facit nunc ſolida contra tentationem, nunc liquida per compaſſionem, nunc rorida per devotionem. Nam dicitur: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus meus locutus eſt. (Cant. 5) Et ſicut in fornace magnus flatus follium, & magnum ignis incendium: ſic ignis fortitudinis, ſolum eſt in illis, in quibus eſt flatus divinæ inſpirationis, & vehemens incendium charitatis. Et in figura hujus adventus Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, ubi fuit ejus datus ad robur ſpiritualis virtutis, fuit tamquam adveniens ſpiritus vehementis ut dicitur in Actibus Apoſtolorum. (Act. 2) Eſt etiam fortitudo ſicut radix lignum, vel arborem portans. Nam ſicut radix portat pondus arboris, & frondes, flores fructus, & folia: ſic virtus fortitudinis, ſuſtinet omnia bona opera, & merita noſtra. Unde dicitur: Conſortare, & eſto robuſtus. (Joſ. 1) Eſt nihilominus fortitudo ſicut thorax, vel lorica ictum vetans. Nam ſicut thorax, vel lorica, ſervat corpus ab ictu gladii: ſic virtus fortitudinis cuſtodit animam a tentatione diaboli, & cujuſcumque adverſarii. Totus enim mundus non concernit unum hominem, in quo eſt fortitudo Dei, ſicut patet, quod puellæ virgines, puta, Catharina, Cæcilia, Agnes, Lucia, Agatha, Barbara, beata Clara, & ceteræ Virgines, reges & tyrannos, & omnia tormentorum genera ſuperabant. Nec mirum, quia fortitudo illa non hominis, ſed Dei erat. Unde dicitur: De cœlo fortitudo eſt. (1 Mach. 3)

Item fortitudo tribus aliis comparatur, ſcilicet virgæ, quæ non incurvatur: ferro, quod non ſuperatur: & petræ, quæ non perforatur. Eſt itaque fortitudo ſimilis virgæ inflexibili, & talis virga, vel baculus eſt valde neceſſarius ambulantibus, & certantibus, & laborantibus: ſic fortitudo, eſt quaſi baculus & virga inflexibilis, quæ valde eſt neceſſaria: quia locus, in quo ſumus, eſt locus certaminis, locus itineris, & locus laboris. Et hæc tria hominum genera indigent ſpecialiter baculo vel virga. Ideo dicitur: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. (Pſal. 22) Eſt etiam fortitudo ſimilis ferro indomabili. Nam ſicut ferrum non domatur, ſed comminuit, & domat omnia metalla, ut dicitur in Daniele: (Dan. 2) ſic viri fortes mori poſſunt, vinci vero non poſſunt; immo ipſi omnia adverſa, & proſpera vincunt, & quod plus eſt, regnum cœlorum violenter rapiunt. Nam violenti rapiunt illud, ut dicitur in Matthæo. (Matt. 11) Eſt nihilominus fortitudo ſimilis petræ infrangibili, qualis eſt Adamas. Nam ſicut qui Adamantem percutit, ipſe magis percutitur: ſic qui virum fortem moleſtat, magis læditur, quam lædit. Et ſicut Adamas non frangitur violentia; ita vir fortis nulla frangitur impatientia. Et ſicut Adamas ſcinditur ſanguine hirci: ſic vir fortis memoria paſſionis Chriſti. Propter iſta de viro forti dicitur: Ut Adamantem

mantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam.

CAPUT VIII.

De Juſtitia.

Ezec. 3
Auguſt. de lib. arb. l. 1 c. 12 tom. 1
Anſ. dial. de veritate cap. 13

JUſtitia eſt virtus, ſua unicuique tribuens, ut dicit Auguſtinus de libero arbitrio. Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata, ut ait Anſelmus. De juſtitia nota ſpecialiter tria, ſc. typi figuralis elegantiam, partus filialis abundantiam, & actus virtualis efficaciam.

Comparationes juſtitiæ.

Primo ergo juſtitia typum habet multiplicem, & figuram valde elegantem. Comparatur enim tribus ſpecialiter, ſicut recta ſemita, ſicut recta regula, & ſicut recta linea. Eſt autem juſtitia ſicut recta ſemita. Nam ſicut illa eſt rectiſſima viarum: ſic per viam juſtitiæ citius pervenitur ad bravium ſempiternum: immo omnis alia via eſt devium: Nam dicitur in Pſalmo: Errare fecit eos in invio & non in via. (*Pſal. 106*) Unde dicitur ibi de iuſtis: Deduxit eos in viam, ut irent in civitatem habitationis. (*Pſ. 12*) De iniuſtis vero dicitur alibi: In circuitu impii ambulant. Eſt etiam iuſtitia ſicut recta regula. Nam ſicut recta regula eſt rectiſſima menſurarum, ſic iuſtitia eſt optima menſurarum, & certiſſima menſura ad donum operandum. Hæc eſt enim regula divina, quæ dirigit opera noſtra: Unde dicitur: Dominus diligit iuſtos. (*Pſal. 145*) Et ſapiens ait: Qui ſequitur iuſtitiam, diligitur a Domino. (*Prov. 15*) Eſt nihilominus iuſtitia ſicut recta linea. Sicut enim recta linea eſt pulcherrima linearum, ut dicit Philoſophus: ſic iuſtitiæ rectitudo facit hominem, in intentione, & converſatione pulcherrimum & decorum. Nam ſicut ſtatura humani corporis, eſt pulchrior inter omnes, quia eſt recta ad cœlum: ſic ſtatura cordis eſt pulcherrima, cum per iuſtitiam eſt recta ad Deum. Unde ſponſæ dicitur; Statura tua aſſimilata eſt palmæ. (*Cant. 7*) De hac rectitudine dicitur; Solummodo hoc inveni, quod Deus fecit hominem rectum. (*Eccl. 7*)

Item iuſtitia multum proprie tribus aliis comparatur. Nota, quod triplex eſt iuſtitia: generalis, quæ dirigit hominem in omni bono, a qua dicitur homo factus bonus: iudicialis, quæ corrigit, vel coercet ab omni malo, & iſta corrigit delicta propria vel aliena; cardinalis, vel moralis, quæ redit unicuique proprium bonum. Eſt itaque iuſtitia, ſicut gemma in ſerto aureo, ſicut ſtella in polo artico, & ſicut dea in noſtro microcoſmo. Eſt igitur iuſtitia ſicut gemma in ſerto aureo. Nam ſicut gemma ſerti aurei eſt ornamentum, quia totum ſertum ornat, & facit pretioſum; ſic etiam ſertum aureum dicitur gratia, eo quod illa, & per illam coronantur opera noſtra bona. Nam etiam opera bona, quæ fierent extra gratiam, numquam coronam mererentur. In hac corona aurea, vel ſerto aureo, inſertæ ſunt quatuor gemmæ valde pretioſæ, vel quatuor virtutes principales, ſc. prudentia, temperantia, fortitudo, & iuſtitia. Gemma prudentiæ ponitur in anteriori parte coronæ, quia ad prudentiam pertinet, non ſolum præſentia diſponere, immo & futura prævidere. Gemma temperantiæ locatur a dextris, quia temperantia facit hominem iuſtum, & ſobrium in dextera proſperitatis. Gemma fortitudinis inſeritur a ſiniſtris, quia fortitudo facit hominem robuſtum in ſiniſtra adverſitatis. Gemma vero iuſtitiæ incaſtratur in poſteriori parte, ſicut Epiſcopus in fine proceſſionis, ſicut Rex in fine aciei, ſicut nauta vel gubernator in cauda navis, ſicut ſententia iuſta profertur in fine cauſæ, ſicut etiam poſt laborem certaminis, datur victori corona triumphalis. Unde ab iſta, tamquam a principali gemma denominatur corona. Dicit enim Apoſtolus: Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. (*2. Tim. 4*) Aurifex in cuius aurificina fabricatur hæc pretioſa corona, eſt ſapientia increata. De qua dicitur; Sobrietatem & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, (*Sap. 8*)

Digitized by Google

tem, id eſt, fortitudinem, quibus nihil utilius eſt in vita hominibus. Iſtæ quatuor virtutes, ut dictum eſt, tamquam quatuor gemmæ pretioſæ, in aureo ſerto gratiæ ſunt incaſtratæ.

Eſt etiam juſtitia ſicut ſtella Artici poli. Nam circa ipſum volvitur cœlum, & ſicut ipſa non mutat locum: ſic volubilitas vitæ noſtræ, mira volubilitate vertitur, iuſtitia vero nullo accidente mutatur. Si quidem vita noſtra tota eſt volubilis ſicut rota: tunc enim hominem elevat honore, quem paulo poſt humiliando occultat, iuxta illud: Aſcendunt uſque ad cœlos, &c. (*Pſalm. 106*) Interdum e converſo hominem humilitate deprimit, quem poſtea ad honores attollit, quia dicitur: Suſcitans a terra inopem, & de ſtercore, &c. (*Pſal. 112*) Quandoque hominem a læva mutat in dexteram, ſc. ab adverſis, in proſpera: interdum a dexteris in lævam, id eſt, a proſperis in adverſa, iuxta illud quod Abraham dixit ad Loth: Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. (*Gen. 13*) Sed vir iuſtus in omnibus his, ſemper manet immobilis. Nam ipſum humilitas non deprimit, ipſum honor non ambit, ipſum adverſitas non frangit. Unde dicitur; Qui facit hæc, non movebitur in æternum. (*Pſalm. 14*)

Eſt nihilominus iuſtitia ſicut dea noſtri microcoſmi, id eſt, minoris, & inferioris mundi. Sicut enim Deus in ſuo megacoſmo vel maiori mundo, diſponit omnia in numero, pondere & menſura, ut dicitur in libro Sapientiæ; (*Sap. 11*) ſic iuſtitia in ſuo microcoſmo præſidens, tamquam Deus facit ut in omnibus meritis, & operibus noſtris, ſit numerus bonæ operationis, pondus ſanctæ affectionis, & menſura intentionis. Unde iſti deæ nobiliſſimæ ſacrificium iuſtitiæ debemus offerre, ſicut dicitur in Pſalmo: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ. (*Pſal. 4*)

A

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS SEXTUS.

De ſeptem donis Spiritus ſancti.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Dono Timoris.	*Cap. I.*
De Dono Conſilii.	*Cap. II.*
De Dono Intellectus.	*Cap. III.*
De Dono Sapientiæ.	*Cap, IV.*

CAPUT I.

B

De Dono Timoris.

POſt tractatum de virtutibus ſequitur de donis Spiritus ſancti. E hæc eſt quinta Diæta Salutis, ſcil. a virtutibus ad dona Spiritus ſancti pervenire: qui ſicut diximus, virtutes docent recte operari, ſed dona expedite. Cum autem ſint ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ ſcilicet enumerantur, ſcilicet ſpiritus ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Domini. (*Iſa. 11*) A ſapientia autem non pervenitur ad timorem Domini, ſed potius a timore ad ſapientiam, tamquam ab inferiori gradu ad ſuperiorem, juxta illud quod dicitur; Initium ſapientiæ timor Domini. (*Pſalm. 110*) Ideo de timore Domini, nota ſpecialiter tria, ſcilicet quam multipliciter figuratur, quam virtualiter operatur, & quam rationabiliter mercatur.

C

Timoris Domini ſimilitudines. Primo ergo timor Domini habet multiplices figuras elegantes, & comparationes convenientes. Comparatur autem ſpecialiter tribus. Eſt enim timor Domini, ſicut oſtiarius cuſtodiens ingreſſum, ſicut iuſtitiarius puniens maleficium, ſicut terrarius vel ſpeculator evigilans exercitum. Primo ergo timor Domini eſt ſicut bonus oſtiarius, qui diligenter cuſtodit oſtium cordis, ne intret inimicus,

Digitized by Google

micus, id eſt, diabolus. Et ſicut oſtiarius tendit baculum vel gladium ad timorem intrantium: ſic timor Dei, ne permittamus diabolum ad cor intrare, portat clavem pœnæ æternæ, gladium ex utraque parte acutum, ſcilicet æquitatem divinæ ſententiæ, quæ condemnabit improbos in anima & corpore. *Matth. 10* Unde dicitur: Timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam. Secundo timor Domini eſt ſicut bonus juſtitiarius, qui perimit maleficos & ſuſpendit. Nam ſicut illi, qui tenent juſtitiam, ponunt in montibus & locis patentibus, patibulum, vel furcas ad expaventaculum latronum: ita timor Domini ponitur in corde hominis, propter expaventaculum peccatorum. Et ſicut iſte juſtitiarius crucifigit latronem: ſic timor Domini nititur crucifigere carnem, tamquam peſſimum animæ latronem. Unde dicitur: *Pſalm. 118* Confige timore tuo carnes meas. Tertio timor Domini eſt ſicut bonus terrarius, vel ſpeculator, qui evigilat exercitum. Nam ſicut ſpeculator, tempore belli maxime, non ſinit dormire milites: ſic timor Domini, cum ſit modo tempus belli & guerræ mortalis contra carnem, mundum, & diabolum, non permittit dormire ſpiritum, per delectationem vel conſenſum. *Prov. 28* Unde dicitur: Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus. Non ſolum autem tempore belli debet habet homo eſſe pavidus, immo etiam tempore pacis debet eſſe timoroſus, ſicut videmus, quod magni reges, & ſapientes, quamvis actu non ſit guerra, muniunt tamen & cuſtodiunt caſtra ſua. De incautis dicit Apoſtolus: *1 Theſſ. 5* Cum dixerint: Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. *Eccl. 7* Et Eccleſiaſtes: Qui timet Deum nihil negligit, quia nec bonum nec malum: quia per timorem Domini malum evitat, tamquam nocivum, & bonum formidat, & neſcit ſi eſt gratum. Unde dicit Job: *Job 9* Verebar omnia opera, ſciens quia non parces delinquenti, maxime autem tempore guerræ. Iſte vigil vel ſpe-

A culator mandat cuſtodiri portas ſenſuum, qui ibi eſt quaſi totum periculum. Sicut ad litteram illi, qui ſunt in munitione ſumme cuſtodiunt portas, cum vident caſtrum ab hoſtibus obſeſſum: ſic ſpirituales viri, qui habent timorem Dei cuſtodiunt portas, ſc. quinque ſenſuum, ne intrent inimici, timentes, quod dicitur: *Jerem. 9* Aſcendit mors per feneſtras noſtras.

Item timor Domini aliis tribus comparatur, eſt enim ſicut medicina infirmorum, ſicut diſciplina puerorum, & ſicut officina religioſorum. Primo igitur, timor Domini eſt ſicut infirmorum medicina. Nam ſicut medicina bene temperata repellit omnes B morbos nocivos, & omnes nocivos humores: ſic timor Dei omne peccatum & omnes peccati occaſiones expellit, ſanguinem luxuriæ, fleumæ, accediæ, & melancholiam iræ, & choleram ſuperbiæ. Unde dicitur: Timor Domini expellit peccatum. *Eccl. 1* Secundo timor Domini eſt ſicut puerorum diſciplina. Nam ſicut virga diſciplinæ caſtigatur puer, inſtruitur, & informatur: ſic per timorem Domini omnis motus ſenſualis, & puerilis, ſub iſto pædagogo ad rationem reducitur, & puerilis extirpatur, juxta illud, quod dicit Sapiens: *Prov. 22* Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.

C Et nota quod ſecundum Bedam quatuor mala ſunt propter peccatum nobis iniuncta, & nobis colligata, quæ ſunt omnis mali & peccati materia, ſcilicet impotentia, ignorantia, concupiſcentia, & malitia. Unde quidam peccant, ex impotentia, & iſti parum peccant, & maximam habent excuſationem, niſi illa impotentia per culpam eorum ſit introducta. Alii peccant ex ignorantia, & iſti plus peccant, & minorem habent excuſationem, quia ex ignorantia non excuſantur a toto, ſed a tanto: maxime ſi ſit ignorantia affectata, quæ non excuſat, ſed peccatum aggravat, & augmentat. Unde de hoc dicit Ambroſius: Si ignorans, graviſſime peccas.

Alii

Digitized by Google

Alii ſunt, qui peccant ex concupiſcentia, & iſti plus peccant, & quaſi nullam habent excuſationem, maxime ſi ſit deliberata. Alii ſunt, qui peccant ex malitia, & certa ſcientia, & iſti maxime peccant & nullam habent excuſationem, immo tales dicuntur peccare in Spiritum ſanctum, quia Spiritui ſancto bonitas, quæ eſt malitiæ contraria, appropriatur.

Peccata in Spiritum ſanctum.

Sciendum eſt autem, vel notandum diligenter, quod ſex ſunt peccata in Spiritum ſanctum, ſcilicet impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, præſumptio de impunitate, obſtinatio, deſperatio, & finalis impœnitentia. Et iſtæ ſunt ſex blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, quæ non remittuntur in hoc ſæculo, nec in futuro, ut dicitur in Mattheo. *Matth. 12*

Tertio timor Domini, eſt ſicut officina religioſorum, maxime eſt ſicut quoddam capitulum, quod eſt factum præcipue ad culparum correctionem. Nam ſicut in capitulo increpatur, & recognoſcitur, & punitur culpa: ita in hoc capitulo timoris Dei, corriguntur peccata, quia ut dicitur in Proverbiis: Timor Domini odit malum. *Prov. 8* Et ſicut religio nulla eſſet, ſi correctio capituli deficeret: ſic ſi timor in capitulo cordis non eſſet, totum veritatis ædificium deperiret: quia dicitur in Eccleſiaſtico: Si non in timore Domini tenueris inſtanter, cito ſubvertetur domus tua. *Eccl. 27* Et nota, quod in Dei capitulo, culpabilis quatuor facit. Primo genu flectit, ſecundo culpam recognoſcit, tertio ſpoliat ſe, & veſtem deponit, quarto diſciplinam accipit: ſic timor Domini, facit primo hominem pœnitentem humiliter genuflectere, quia dicitur in Iſaia: Mihi curvabitur omne genu. *Iſa. 45* Secundo facit humiliter culpam propriam recognoſcere, ſicut David qui dicebat: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco. *Pſal. 50* Tertio facit hominem veterem, ſicut veſtem turpem ſpoliare, ſicut Apoſtolus dicit: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, veterem converſationem cum vitiis, & concupiſcentiis. *Coloſſ. 3* Quarto facit hominem diſciplinam accipere, id eſt, carnem laſcivam macerare & caſtigare, ſicut Apoſtolus faciebat, qui dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. *1 Cor. 9*

Item timor Domini, eſt ſpecioſus ſicut hortus, virtuoſus ſicut ventus, & pretioſus ſicut theſaurus. Primo timor Domini eſt valde pretioſus, inſtar horti paradiſi. Habet enim amœnitatem ſicut paradiſus, dulcedinem, & delectationem. Unde in Pſalmo: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. *Pſal. 30* Habet fertilitatem, & ubertatem ſicut paradiſus, ſicut dicit idem Pſalmiſta. Non eſt inopia timentibus eum. *Pſ. 33* Habet nihilominus ſecuritatem ſicut paradiſus. Unde dicitur in Eccleſiaſtico: Qui timet Deum, nihil trepidabit. *Eccl. 34* Et Philoſophus: Qui timet Deum, omnia timent eum, qui vero non timet Deum, timet omnia. Unde Cain perpetrato homicidio fratris ſtatim habuit caput tremulum, & ait: Omnis qui viderit me, occidet me ut dicitur in Geneſi. *Gen. 4* Igitur timor Domini propter amœnitatem, ubertatem & ſecuritatem eſt ſicut hortus concluſus, ut dicitur in Canticis. *Cant. 4* Eſt etiam ſicut paradiſus, ut dicitur in Eccleſiaſtico: Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis. *Eccl. 40*

Secundo timor Domini eſt ſicut ventus virtuoſus, & ſpecialiter ſicut ventus aquilonaris. Nam ſicut ventus aquilonaris pluvias diſſipat, nubes fugat, aerem ſerenat, reptilia exterminat, & aquam congelat: ita timor Domini diſſipat pluvias carnalium delectationum, fugat nubes carnalium imaginationum, ſerenat mentem per amorem puritatis, exterminat reptilia, id eſt mortificat vitia carnis, congelat aquas, id eſt, reſtringit fluxum mundanæ proſperitatis: ita ut poſſit homo timens Deum ambulare ſuper aquam, ſicut Petrus de quo legitur in Matthæo. *Matth. 14* Iſte eſt ventus de quo dicitur in Daniele: Angelus Domini fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem: *Dan. 3*

Digitized by Google

tem: quia fornax omnium deſiderio-A rum carnalium temperatur, & refrigeratur per Dei timorem.

Tertio timor Domini eſt pretioſus ſicut theſaurus. Nam ſicut theſaurus qui eſt res pretioſa, facit hominem ſemper ſolicitum de cuſtodia: ſic timor Dei de ſe, & virtutibus ſemper eſt ſolicitus, & de Dei gratia cum habetur, de perdita ut recuperetur; & de recuperata ut a recidivo conſervetur. Unde dicit Bern. ſuper Cantica: Cum adeſt gratia, time ne indigne opereris ex ea. Amplius time ſubtracta gratia quod relinquat te cuſtodia tua. Si rediderit gratia, multo amplius timendum, ne forte contingat pati recidivum. Recidivare B enim quam cadere pejus eſt, quia dicitur in Joanne: Ecce jam ſanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Iſte igitur theſaurus eſt pretioſus, & ideo ſumme cuſtodiendus. Unde dicitur in Iſaia: Timor Domini ipſe theſaurus ejus.

Bern. ſuper Cant. ſer. 54 poſt me.

Joan. 5

Iſa. 33

Septem effectus timoris Domini.

Secundo timor Domini virtualiter operatur. Unde nota quod timor Domini habet ſeptem nobiles effectus. Primo namque timor Domini curat hominem a culpa perpetrata: eſt enim ſufficiens medicina contra peccata. Et nota, quod ſicut medicus ſapiens volens purgare ægrotum, primo dat ſirupum præparativum, poſtea potio-C nem, vel antidotum purgativum: ſic timor Domini inſtar ſirupi, præparat peccatorem generando attritionem, juxta illud Eccleſiaſtici: Qui timent Deum, præparabunt corda ſua. Secundo inſtar antidoti, purgat omnes paccati fæces, generando perfectam contritionem, quia dicitur in Eccleſiaſtico: Timor Domini expellit peccatum. Et eſt differentia inter contritionem, & attritionem: quia attritio eſt dolor de peccato, non tamen perfectus, quia adhuc eſt in propoſito peccandi de futuro.

Eccl. 2

Eccl. 1

Secundo timor Dei cuſtodit hominem a culpa futura. Sicut enim ſapiens medicus infirmo quem habet in cura, non ſolum dat antidotum ad expellendum morbum, ſed etiam miniſtrat curato aliquod electuarium contra recidivum: ſic timor Dei inſtar electuarii conſervativi, cuſtodit hominem ab omni peccato recidivo. Unde dicitur in Exodo: Ut probaret vos venit Dominus, & ut timor illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

Exod. 20

Tertio Timor Domini abiicit temporalia, vel terrena, quæ ſunt ſæpe peccandi materia. Sicut enim videmus quod nautæ videntes naufragium imminere, merces quæ ſunt in navi proiiciunt in mari, ut evadant periculum naufragii: ſic timor Domini bona temporalia facit abiicere, ut poſſit ab æterno naufragio liberare. Et propterea dicebat Job: Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.

Job 31

Quarto timor Domini contemnit, & ſuſtinet temporalia mala, & evadet æterna. Nam ſicut infirmus ſuſtinet cauterium, & aduſtionem, ut poſſit evadere mortem: ita timor Domini facit ſuſtinere cauterium temporalis vitæ, ut poſſit homo evadere mortem, vel ſupplicium mortis æternæ. Unde in Eccleſiaſtico dicitur: Timenti Dominum, non occurrunt mala, &c.

Eccli. 33

Quinto timor Domini gratiam & bona opera introducit. Sicut enim ſeta introducit filum: ſic timor Domini gratiam & omne bonum, juxta illud: Initium ſapientiæ timor Domini.

Eccl. 1

Sexto timor Domini ſuper omnia facit fugere, & evadere ſupplicium gehennnæ. Vadit enim ad infernum, in dimidio dierum, ut non vadat in fine dierum, ſicut Ezechias, qui dicebat: Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Facit etiam alas ad melius fugiendum ut dicit Poeta: Pedibus timor addit alas. Sicut videmus, quod lepus fugiens leporarium, præ timore videtur volare, & alas habere. Timor etiam facit hominem montes & colles tranſire, ut poſſit diabolum fugere, & inferni præcipitium cavere, quia dicitur

Iſa. 38

tur

Digitized by Google

Iſa. 35 tur in Iſaia : Tunc ſaliet ſicut cervus claudus.

Septimo timor Domini meretur ſtipendium vitæ æternæ, hominem namque humiliat, & ſic ſecundum regulam Salvatoris, ad gloriam exaltat; quia qui ſe humiliat, exaltabitur. Et ideo dicitur in Proverbiis: Humilem ſpiritum ſuſcipiet gloria. *Luc. 14* *Prov. 29*

Sex ſpecies timoris. Timor domini multipliciter variatur. Unde nota, quod ſunt ſex ſpecies timoris, ſcilicet timor naturalis, mundanus, humanus, ſervilis, initialis, & filialis. Primus igitur eſt naturalis, ſcilicet quando homo naturaliter timet mortem, & omne quod eſt ſibi nocivum. Iſte timor naturæ non eſt meritorius, nec demeritorius, quia non ſubeſt libero arbitrio. Hoc timore Chriſtus timuit mori; ſicut dicitur in Marco: Cœpit Jeſus pavere, & tædere. *Marc. 14*

Secundus timor dicitur mundanus, ſcilicet quando aliquis nimis timet de rebus tranſitoriis, vel de rebus mundanis, vel temporalibus perdendis. Iſto timore timuerunt Judæi, qui occiderunt Chiſtum, ne perderent locum ſuum, ut dicitur in Joanne: Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem noſtram. *Joan. 11*

Tertius timor dicitur humanus, ſc. cum aliquis plus debito timet de corpore ſuo. Iſte timor prohibetur in Matthæo. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Iſte timor aliquando eſt veniale peccatum, ut quando eſt citra Deum, aliquando mortale peccatum, ut quando eſt ſupra Deum, qualis fuit in Petro, quando negavit Chriſtum, ne perderet corpus ſuum. *Matth. 10*

Quartus timor eſt ſervilis, cum aliquis timet peccare & abſtinet ſe a peccato timore gehennæ, habet tamen voluntatem peccandi, ſi peccatum poſſet impune fieri, & inquantum in ſe eſt, vellet non eſſe juſtitiam, ut poſſet perpetrare culpam. Iſte timor eſt quaſi veſtis de ſacco, A cum qua nullus ingreditur regnum cœlorum, ſicut figuratur in Eſther, ut dicitur: Indutum ſacco non intrare aulam Aſſueri. De hoc timore dicit Apoſtolus: Non accepiſtis ſpiritum ſervituris iterum in timore, &c. *Eſth. 4* *Rom. 8*

Quintus timor initialis dicitur, de quo in Pſalmo: Initium ſapientiæ timor Domini. Iſte timor duo facit, timet enim puniri, & timet a Deo ſeparari: ſed principaliter timet ſeparari. Iſte licet timeat malum incurrere, plus timet bonum perdere, & ita quodam modo incipit bonum amare. Et ideo dicitur initialis proprie: quia ſicut ſeta introducit filum, & filo B introducto exit ſeta: ſic iſte timor initialis charitatem introducit, & charitate introducta timorem foras mittit. *Pſal. 110*

Sextus timor dicitur filialis. Nam ſicut filius ſuper omnia timet offenſam patris, etiam ſi pater non intenderet eum percutere: ſic qui habet timorem Domini filialem inſtar boni filii, timet & cavet offenſam patris cœleſtis, etiam ſi ex offenſa illa, illud mali deberet ſibi accidere. De hoc etiam timore dicitur in Pſ. Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. Iſte timor a ſanctis Doctoribus vocatur caſtus timor, qualis famulorum Suſannæ, qui ſecundum Danielem verecundantur ſpecialiter, & C timent in turpi facto: Sine hoc timore verecundiæ nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum, ut dicit Tullius. De hoc timore verecundo, dicit Bernardus mirabilia ſuper Cantica: Timor, inquit, verecundus & caſtus, eſt omnium ætatum ornatus, ſed in juvenili ætate amplius eniteſcit. Quid enim amabilius verecundo adoleſcente? quam pulchra hæc & ſplendida gemma morum in vultu adoleſcentis? quam vera & minime dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index ſoror continentiæ eſt? Nullum æque manifeſtum ſignum columbinæ ſimplicitatis: teſtis innocentiæ; lampas pudicæ mentis, ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis *Pſalm. 18* *Dan. 13* *Bern. ſup. Cant. ſerm. 86 ſtatim à princ.*

Digitized by Google

tutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, inſigne totius honeſtatis. Merito igitur iſte timor caſtus dicitur, quia qui timorem iſtum habet inſtar virginis Mariæ, ante partum ſuorum operum, & poſt partum, ſemper manet incorruptus. Et ſicut mater Dei eſt virgo, & decor virginum: ſic timor iſte caſtus decor eſt, & virgo virtutum animæ.

Item poſt donum timoris dicendum eſſet de dono pietatis: ſed quia pietas idem eſt, vel quaſi idem cum miſericordia, ideo infra cum dicemus de beatitudinibus in materia de Miſericordia, cap. 4. Titulo 7. de pietate dicemus. Item poſt donum pietatis eſſet dicendum de dono ſcientiæ, ſed quia ſcientia ad prudentiam poteſt reduci, ideo illa quæ in materia de virtutibus ſupra dicta ſunt de prudentia, cap. 5. Titulo 5. applicari poſſunt ad ea, quæ de dono ſcientiæ ſunt dicenda. Et poſt donum ſcientiæ, eſſet dicendum de fortitudine: ſed quia fortitudo non tantum eſt donum, ſed virtus, ideo de fortitudine ſufficiant quæ dicta ſunt in capitulo de virtute, & ſpecialiter in materia de fortiudine, cap. 7. Tit. 5.

CAPUT II.

De Dono Conſilii.

POſt donum fortitudinis, eſſet dicendum de dono conſilii: ſed pauca de dono conſilii ſunt dicenda, & hoc quia ad donum conſilii pertinent fere omnia, quæ ſuperius in capitulo de virtutibus & de virtute prudentiæ ſunt dicta, cap. 7. Tit. 5. Nam prudentia & conſilium in hoc differunt, quod conſilium dicit utrum aliquid ſit agendum. Prudentia vero, oſtendit quo fine, & quibus circumſtantiis adhibitis, ut quo tempore, & qualiter aliquid ſit agendum. Sicut alterius eſt ſcientiæ, cognoſcere, an expediat aliquem ſalvari: alterius vero ſcire qualiter aliquid ſit ſalvandum. Quia primum pertinet ad Theologiam, ſecundum ad Medicinam. Item donum conſilii excellentius eſt, quam virtus prudentiæ: quia conſilium contra omne præcipitium virtutem prudentiæ rectificat, ne poſt factum pœniteat: & hic proprie eſt actus, & opus conſilii, ſcilicet prohibere præcipitium, & cavere. Sicut enim videmus, quod frenum eſt contra præcipitium equi: ſic bonum conſilii contra communem præcipitationem operis bonis. Et ideo dicitur in Eccleſiaſtico: Sine conſilio nihil facias, poſt cujus factum non pœnitebis. His ſuppoſitis, inter illa pauca, quæ de dono conſilii, ſunt dicenda, ſunt hæc conſilia notanda.

Prudentia & conſilium quo differant.

A

Eccli. 32

Nunc de conſilio ſpecialiter nota tria, ſcilicet quæ ſunt in conſilio neceſſaria, quæ ſunt in conſilio laudabilia, & quæ ſit conſiliorum differentia. Primo ergo dicendum eſt quæ ſunt in conſilio neceſſaria. Et nota, quod in conſilio quatuor ſunt neceſſario obſervanda, ſcilicet expediens, facile, certum & ſecurum. Contraria iſtorum vitanda, ſcilicet damnoſum, difficile incertum, & periculoſum. Unde ille, qui dat conſilium ceteris paribus debet præponere expediens damnoſo, facile difficili, certum incerto, ſecurum periculoſo. Propter omnia illa, dicitur in proverbiis: Erit ſalus, ubi multa conſilia.

B

Quatuor in conſilio neceſſaria.

Prov. 11

Secundo videndum eſt, quæ ſunt in conſilio laudabilia. Et nota, quod in conſilio quatuor ſunt laudabilia, ſcilicet gratia conſilium requirendi, gratia conſilium eligendi, gratia conſilium exhibendi, & gratia conſilium acquirendi. Primo igitur, eſt valde laudabile, ſcilicet conſilium in omnibus libenter requirere. Ideo dicitur in Tobia: Conſilium ſemper a facientibus require. Secundo in conſilio, eſt laudabile, conſiliarium bonum eligere. Unde nota, quod ſecundum doctrinam ſacræ Scripturæ, Deus conſiliarius eſt eligendus præ omnibus. Nam in conſilio & pro conſilio requirendo, primo eligendus eſt Deus, non diabolus: Unde dicitur in eodem Tobia: Omnia conſilia tua in ipſo, ſcilicet in Deo maneant. Secundo eligendus eſt juſtus, non impius. Unde dicitur

C

Quatuor laudabilia in conſilio.

Tob. 4

Ibidem.

Digitized by Google

Ibidem. dicitur in eodem Tobia; Omnia con- A
conſilia tua in ipſo, ſcil. in Deo maneant. Secundo eligendus eſt juſtus, non impius. Unde dicitur in Eccle-
Eccl. 37 ſiaſt. Cor boni conſilii ſtatue tecum,
Prov. 12 quia dicitur in Proverbiis: Conſilia impiorum fraudulenta, quia vix ſcit aliis conſilium dare, qui ſibi neſcit accipere. Et ideo dicitur in Geneſi: In
Gen. 29 conſilio eorum, ſcilicet impiorum non veniat anima mea. Tertio eligendus eſt ſapiens conſiliarius non fatuus, ideo dictum eſt in Tobia: Conſilium
Tob. 4 ſemper a ſapiente require, non a fatuo, quia dicitur in Eccleſiaſt. Cum
Eccl. 8 fatuis non habeas conſilium: non enim poſſunt diligere, niſi quæ eis placent. Quarto eligendus eſt ſenex & exper- B
Ibidem 25 tus, ut dicitur in Eccleſiaſtico: Quam ſpecioſa veteranis, ſapientia, & glorioſis intellectus, & conſilium. Non eſt pro conſilio eligendus juvenis laſcivus. Ideo Roboam pro magna parte amiſit regnum ſuum: quia relicto conſilio ſeniorum, adhæſit conſilio juvenum, ut dicitur in tertio Re-
3 Reg. 12 gum.

Tertio videndum eſt, quæ ſit conſiliorum differentia. Et nota, quod ſicut ſponſus jocalia conſuevit portare ſponſæ, cum qua de novo contraxit: ita Chriſtus qui tamquam ſponſus de thalamo procedens, novæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, cum qua naturam noſtram cum ſua uniendo in uni- C
tate perſonæ matrimonium ſacramentale contraxit, nova jocalia, id eſt, tria Evangelica conſilia apportavit. Primum conſilium eſt caſtitas, contra concupiſcentiam carnis. De hoc
Matth. 19 conſilio habetur in Matth. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Tales ſunt enim Eunuchi, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum. Secundum conſilium, eſt voluntariæ paupertatis, contra concupiſcentiam oculorum. De quo conſilio
Ibidem. habetur in Matth. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et Seneca dicit, quod quietiſſime viverent homines, ſi hæc duo pronomina tollerentur de mundo, ſcilicet meum, & tuum.

Tertium conſilium eſt obedientiæ & humilitatis, contra ſuperbiam vitæ, de quo dicitur in Matth. Qui vult *Matt. 16*
venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me. Semetipſum abnegare, eſt propriam voluntatem relinquere. Optimum conſilium. Unde dicit Bernardus: Tolle *Bern. ſer. 3*
propriam voluntatem, & infernus *de reſurr.*
non erit. Exemplum de fratre oran- *Dom. ante*
te, & diabolo inſultante. Et quia ſu- *med.*
perius in tractatu de conſiliis, plene *Sup. tit. 4*
dictum eſt de his tribus conſiliis: *dicta ſal. per totum.*
ideo quæ dicta ſunt de dono conſilii modo ſufficiant.

CAPUT III.

De Dono Intellectus.

POſt donum conſilii dicenda ſunt *Intellectus*
pauca de dono intellectus, & do- *& ſapientia quo-*
no ſapientiæ: quia hic poſſunt dici fe- *modo a*
re omnia, quæ dicta ſunt ſupra tra- *prudentia,*
ctatu de virtute prudentiæ. Unde no- *& conſilio*
tandum, quod virtus prudentiæ, & do *atque inter ſe differant.*
num conſilii, differunt a dono intellectus, & ſapientiæ, quia conſilium & prudentia pertinent ad vitam activam, & ſunt de activis: intellectus & ſapientia pertinent ad vitam contemplativam, & ſunt de contemplativis Differunt autem intellectus, & ſapientia, quia intellectus eſt cognitio ſpeculativa, & quaſi cognitio per viſum: ſapientia vero eſt cognitio exprimentalis, & practica, & quaſi cognitio per guſtum. Et ideo ſuperior eſt ſapientia, quia intellectus tantum dicit cognitionem, vel viſionem: ſapientia ſupra cognitionem dicit delectationem. Et nota, quod intellectus foris ſtat: ſapientia per affectum intrat, & ipſa delicias ſuggerit. Unde dicitur
in Pſ. Guſtate & videte, quoniam ſua- *Pſalm. 33*
vis eſt Dominus. Guſtare ad ſapientiam pertinet, ſed videre ad intellectum: quia quod intellectus acute invenit, ſapientia mature diſponit, & ad ſpiritualem delectationem convertit, ut dicit Gregorius. Summa hujus *Greg. ho. 19*
differentiæ eſt, quod donum intelle- *in Ezech.*
ctus eſt proprie penetrativum: ſed do- *ante med.*
num

Digitized by Google

num ſapientiæ eſt proprie ſaporati- A vum.

His propoſitis, de dono intellectus notanda ſunt pauca, & ſpecialiter tria. Debemus enim per donum intellectus ſubtiliter penetrare, & intelligere, quæ ſunt ſupra nos, ut Deum: quæ ſunt juxta nos, ut proximum, & quæ ſunt infra nos, ut corpus noſtrum. Primo igitur debemus intelligere ſuperiora, juxta illud quod dicit Apoſt. *Rom. 1* Inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus ejus, & Divinitas. Et nota, quod duplex eſt liber, in quo intellectus poteſt legere, & intelligere, & addiſcere Deum, ſcilicet liber Scripturæ. Et hunc librum dedit B Salvator diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, ut ſcilicet in figuris legalibus, & Canticis Prophetalibus intelligerent myſteria gratiæ, quæ operatus eſt Chriſtus, id eſt, ut per ea quæ facta ſunt, & dicta in veteri Teſtamento, intelligant ea quæ completa ſunt in novo. Unde dicitur in Luca: *Luc. 24* Tunc aperuit eis ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Alius eſt liber creaturæ, in quo intellectus fidelis debet Deum quærere: quia poteſt eum invenire, ſicut in magnitudine creaturarum, omniptentiam Dei: in pulchritudine & ordine, ſapientiam: in utilitate & fructu, bonitatem Dei ſummam; quia dicitur in libro Sapi- C entiæ: *Sap. 13* A magnitudine ſpeciei creaturæ, cognoſcibiliter poteſt eorum Creator videri. Hunc intellectum non habuerunt Philoſophi, quia intellectus eorum neſciunt aſcendere a magnitudine creaturæ ad magnitudinem Dei. Et ideo fuerunt ſimiles pueris, qui cum legunt litteras pulchras & deauratas, attente reſpiciunt, ſed quid litteræ ſignificant, non intendunt. Item notandum diligenter, quod creatura duplex eſt, ſcilicet naturalis, & artificialis: & ſic omnis creatura ſignificat ſuum Creatorem dupliciter. In creatura eſt ſignum naturale, & poſitivum. Signum naturale dicitur in creaturis, quas condidit per ſe divina ſapientia: ſignum poſitivum dicitur in fabricis & operibus ſacramentalibus, quæ conſtituit Eccleſia, ut ſunt formæ Eccleſiarum, & veſtes & ornatus miniſtrorum, quæ omnia ſunt inſtituta, ut intelligamus Deum, quia in altitudine Eccleſiarum, ſublimitatem vel infinitatem: in quadratura, ſoliditatem: in longitudine, æternitatem: & ſimiliter de aliis. In miniſtris ſimiliter & ornamentis eorum intelligo Deum, ut in veſte candida, munditiam, & puritatem: in veſte rubea, Dei clementiam, & charitatem: in veſte aurea Dei ſapientiam & claritatem, & ſic de aliis. Iſte intellectus proprie vocatur donum Dei, ut dicit Apoſtolus: Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum. *2 Tim. 2*

Duplex liber legendus.

Secundo debemus intelligere, quæ ſunt juxta nos, ſcilicet proximum, juxta illud quod dicitur in Eccleſiaſtico: Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo. *Eccl. 31* Nam in frigore meo, debeo intelligere pauperis nuditatem: in fame & ſiti, pauperis ſitim & eſuriem: & in dolore meo, pauperis infirmitatem & ſic de aliis. Et ſicut homines bene intelligentes, conſueverunt ad honores & dignitates promoveri: ita qui intelligunt neceſſitatem proximi, promoventur & quaſi epiſcopantur ad beatitudinem paradiſi. Unde dicitur in Pſalmo: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. *Pſalm. 40*

Tertio debemus intelligere, quæ ſunt infra nos, ſicut animam noſtram & corpus noſtrum. Sicut enim oculus noſter dirigit manum in opere & motu exteriori: ſic intellectus regulat affectum, in omni opere & motu interiori. Unde intellectus, dicitur interior lectus: quia animam informat, animam tranquillat & quietat, ſicut corpus in lecto pauſat. Dicitur etiam interior locus: quia ſicut locus continet & conſervat locatum: ſic intellectus ſtabilitat & conſervat liberum arbitrium, & omnem interiorem motum. Ideo dicitur in Pſalmo: Intellectus bonus omnibus facientibus eum: *Pſal. 110* quia ſi homo non faciat, quod intellectus & conſcientia dicunt, nec

Duplex creatura dupliciter ſignificat ſuum creatorem.

Deus,

Digitized by Google

Deus, nec Angelus, nec homo, quia A iſta tria habent intellectum, dici meretur, ſed potius jumento comparatur. Unde dicitur in Pſalmo: Homo cum in honore eſſet, non intellexit Creatorem ſuum: ſed jumentis comparatus, & ſimilis factus eſt illis. *Pſal. 48*

CAPUT IV.

De dono Sapientiæ.

POſt donum intellectus, pauca debemus dicere de dono ſapientiæ, quod multum convenit cum virtute prudentiæ, & aliis virtutibus ſeu donis, quæ informant cognitivam: tamen quia ſapientia non tantum inſomat cognitivam, ſed etiam affectivam: ideo dicenda ſunt de ſapientia pauca, ſcilicet tantum tria. Unde notandum, quod ſapientia eſt donum ſplendidiſſimum inſtar lucis, donum ſapidiſſimum inſtar mellis, & donum profundiſſimum inſtar maris.

Primo ergo donum ſapientiæ, eſt donum ſplendidiſſimum, non ſolum ſicut ſol, ſed eſt pluſquam ſol. Sol enim iſte non oſtendit nobis niſi quæ ſunt ſupra terram, & infra cœlum: ſapientia autem Dei facit nos cognoſcere omnia, ſcilicet infernum ut timeamus, mundum ut contemnamus, cœlum ut appetamus, Deum ut laudemus, & iſtud eſt ultimum libri Sapientiæ, & ab iſto donatur, ſcilicet cognitio divinorum, ut dicit Auguſtinus, & propterea dicitur in libro Sapientiæ: Hæc ſcilicet ſapientia eſt ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luci comparata, & invenitur prior: quia per lucem, viſibilia videntur tantum, per ſapientiam vero etiam inviſibilia cognoſcuntur. *Sap. 7*

Secundo ſapientia eſt donum ſapidiſſimum inſtar mellis, non ſolum ſicut mel, ſed etiam pluſquam mel. Unde dicit ſapientia in Eccleſ. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel & favum. Mel namque unum habet ſaporem, & illo guſtato deſipiunt alia etiam meliora ſicut vinum: quod poſt mellis guſtum, non apparet ſapidum. Sed ſapientia divina omnem habet ſaporem, quia ſibi ſapiunt omnia ut debent; ſcilicet tam mala quam bona temporalia, ut vilia & inſipida: bona ſpiritualia, ut chara: bona æterna, ut fructuoſa & ſumme nobilia. Unde dicitur in Eccleſiaſt. Sapientia ſecundum nomen ſuum eſt ſcilicet ſapida, ſcientia, & non multis eſt manifeſta. Ideo dicit Bernardus: Inveniſti plene ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas: ſi hujus ſæculi deſideria parvi pendas: ſi æternam beatitudinem B toto deſiderio concupiſcas. Inveniſti ſapientiam, ſi tibi ſingula horum ſapiant prout ſunt. *Ecli. 24* *Eccl. 6* *Bern. in ſent.*

Tertio ſapientia eſt donum profundiſſimum inſtar maris non ſolum ſicut mare, ſed etiam pluſquam mare: quia mare habet fundum, ſapientia divina nullum habet fundum, ut dicitur in Job: Longior eſt terra menſura ejus, & latior mari. Et propterea dicit Apoſt. O altitudo, id eſt, profunditas, divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus: quia nimis longe ſunt ſapientiæ divinæ judicia, quibus diſpoſuit omnia inveſtigabilia, quam guttæ C maris valeant numerari. Exemplum de patre & filio volentibus haurire totum mare cum cochleari parvo, ut narrat Hieronym. Ideo dicitur donum, quia numquam per ſtudium acquiritur, niſi per inſpirationem divinam habeatur. Et ideo dicit Jacob. Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Et in Sapientia: Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: ut mecum, ſit & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit coram te omni tempore. Amen. *Job 11* *Rom. 11* *Jacob. 1* *Sap. 9*

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS SEPTIMUS.

De Beatitudinibus Evangelicis.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Humilitate. *Cap.* I.
De Manſuetudine, vel militate. *Cap.* II.
De Fletu. *Cap.* III.
De Miſericordia. *Cap.* IV.
De Munditia cordis. *Cap.* V.
De Pace *Cap.* VI.
De Patientia. *Cap.* VII.

CAPUT I.

De Humilitate.

POſt tractatum de donis Spiritus ſancti, dicendum eſt de Beatitudinibus: hæc eſt ſexta diæta ſalutis, ſc. a dono Spiritus ſancti, ad beatitudinem pervenire. De humilitate enim quatuor ſunt præcipue notanda, ſcil. typum figurativum, motum incitativum, ſignum demonſtrativum, & gradum diſtributivum.

Similitudines, quibus humilitas figuratur.

Habet ergo humilitas, in ſacra Scriptura typum, & multiplicem figuram. Nota igitur, quod humilitas eſt brevis ſcala devotionis, brevis ſchola perfectionis, & brevis via ſalvationis. Brevis, inquam, ſcala, ſi vis aſcendere: brevis ſchola, ſi vis addiſcere: & brevis via, ſi vis incedere. Eſt igitur humilitas brevis ſcala. Et nota tria in ſcala humilitatis, ſcilicet ſcalæ extremum, imum, & ſupremum: ſcalæ latera, dextrum & ſiniſtrum: ſcalæ ſpatia, ſcilicet triplicem gradum. Habet enim ſcala humilitatis duo extrema, imum, & ſupremum. Imum vel pes hujus ſcalæ, eſt timor ſupplicii: ſupremum vero eſt amor premii. Unde Pſalm. ait: Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, *Pſal.* 138

A &c. Item habet ſcala duo latera, ſcilicet dextrum & ſiniſtrum. Dextrum eſt temperantia in proſperis: ſiniſtrum patientia in adverſis. Unde Apoſtolus. Per arma juſtitiæ, a dextris & a ſiniſtris. *2 Cor.* 6 Item hæc ſcala habet tria ſpatia, vel tres gradus, inter quos primus eſt contemptus mundi, ſecundus eſt humilis abjectio ſui, tertius eſt humilis amor Dei. Hæc eſt ſcala Jacob, de qua dicitur in Gen. *Gen.* 28 Item eſt humilitas brevis ſchola, eſt enim compendium totius juſtitiæ. Unde ipſa dicitur omnis juſtitia in Matth. Sic enim decet nos implere omnem *Matth.* 3 juſtitiam, gloſſa, id eſt, humilitatem Ideo Salvator & magiſter optimus, B in ſua ſchola prolixitatem totius legis reduxit ad quamdam ſummam, id eſt, ad methodum humilitatis, dicens: Diſcite a me, quia mitis ſum *Ibid.* 11 & humilis corde. Humilitas autem ſic deſcribitur: Humilitas eſt, ex intuitu propriæ conditionis, vel conditione voluntaria, mentis inclinatio. Eſt inſuper humilitas ſicut brevis via: quia cum humilitas petat centrum, per conſequens vetat circulum, & ſpecialem circuitum, & facit diametrum, & diametraliter pertranſit ſpatium, & ita rectiſſime venit ad terminum. Ideo dicit Iſaias: Hæc eſt via, ambulate in ea. *Iſa.* 30

Item humilitas ſe attenuat, ut ametur a ſponſo; ſe adnihilat, ut creeC tur de novo: & ſe evacuat, ut impleatur a Deo. Humilitas itaque ſe attenuat, & ſic facit ſeipſam gracilem, ad domicellæ modum. Unde humilitas eſt gracilitas ſponſæ, quæ ſponſum incitat ad ejus amorem. Et cauſa hujus eſt: quia gracilitas ſignificat, vel atteſtatur incorruptionem, ſicut econtrario tumor ſignificat corruptam eſſe mulierem, & prægnantem. Unde nota, quod quidam tument & inflantur de genere, & nobilitate, & tales imprægnantur a proprio patre, ſicut filiæ Loth, ut habetur in Geneſi. *Gen.* 19 Quidam inflantur de ſubditorum multitudine, & poteſtate, & tales imprægnantur a toto populo: ſicut David, qui fecit murmurare populum,

ut

Digitized by Google

2 Reg. 24 ut dicitur in ſecundo Regum. Quidam etiam tument & inflantur de incorruptione corporis, & per conſequens, quod deteſtabile, impregnantur a virginitate, ſicut fatuæ virgines, Matth. 25 de quibus dicitur in Matthæo. Item humilitas ſe adnihilat, ut de novo creetur. Ipſa enim eſt illud nihilum, ſuper quod Deus fundavit terram, ut dicit Job: Job 26 Qui appendit terram ſuper nihilum, id eſt, animam, ſuper humilitatis fundamentum. Humilitas inſuper ſe evacuat, ut impleatur, id eſt, vacuam & inanem ſe reputat. Unde figuratur per altare tabernaculi: de quo Exod. 38 dicitur in Exodo, quod erat ita concavum, ut poſſet recipere ignem, ligna, & victimas. Sic humilitas eſt vacua, ut capiat iſta tria, ſcilic. ignem dilectionis, ligna compaſſionis, & victimam devotionis.

Item nota quod humilitas eſt, quidquid in valore eſt pretioſius, quidquid in odore eſt delicioſius, & quidquid in decore eſt gratioſius. Primo igitur dico, quod humilitas in valore eſt ſumme pretioſa, & propter hoc comparatur auro & balſamo, quæ ſunt duo valde pretioſa: balſamum, ſuper omnes liquores, aurum ſuper omnia metalla. Et ſicut iſta duo ſunt valde rara, & ideo pretioſa: ſic rariſſima eſt humilitas vera, ideo ſumme chara. Et ſicut aurum eſt valde ponderoſum, & naturaliter petit centrum, & balſamum ſemper petit fundum: ſic vera humilitas inſtar auri & balſami, ſemper appetit inferiorem locum. Et propterea de valore humilitatis dicitur Sap. 7 in libro Sapientiæ: Omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua. Eſt etiam humilitas in odore multum delicioſa, & propter hoc comparatur in ſcriptura tribus, quæ ſunt valde odorifera, ſcilicet thuri, quod eſt granum modicum, & tamen fragrantiſſimum. Ideo dicitur in Eccleſiaſtico: Eccli. 50 Quaſi thus redolens in diebus æſtatis: Comparatur etiam nardo, quæ eſt arbor parva, & valde odorifera. Unde dicitur in Canticis: Cant. 1 Nardus mea dedit odorem ſuum. Comparatur etiam cynnamomo, quod

A eſt cinerei coloris, & cum frangitur, ſpirat quemdam viſibilem & fragrantiſſimum odorem, id eſt, vaporem ad modum cineris, ſic verus humilis, quia cinerem ſe reputat, emittit ſpiramina fragrantiſſima virtutis. Et ideo dicitur in Eccleſiaſtico: Eccl. 24 Sicut cynnamomum, & balſamum aromatizans, odorem dedi. Eſt inſuper humilitas in decore mentis valde ſpecioſa, & propter hoc comparatur virori & colori viridi, qui ſuper omnes colores eſt proportionabilis oculis, & delectabilis ad videndum. Unde dicitur in Eccleſiaſtico: Idem 40 Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus, & ſuper omnes virides ſationes, vel ſegetes ſa- B tior viridiorque eſt virtus humilitatis.

Item nota, quod humilitas ſe humiliat ut aſcendat, ſe incinerat ut redoleat, ſe mortificat ut reſurgat. Humilitas itaque ſe humiliat & ſemper inclinat. Sicut enim ramus, in quo pendet fructus, & ſicut ſpica plena grano, reſpicit & declinat verſus terram: ſic anima humilis, quæ inſtar rami, quæ eſt onuſta fructibus bonorum operum, & ad modum ſpicæ granatæ eſt plena granis virtutum, reſpicit terram, id eſt, propriam fragilitatem, & carnis vel corporis conditionem terrenam. E contrario ramus erectus monſtrat, quod in eo eſt nullus C fructus, & ſpica erecta, quod eſt gracilis & vacua: ita homo per ſuperbiam erectus, eſt ad modum rami ſterilis & infructuoſi. Et ideo dicit Salvator in Matthæo: A fructibus eorum, co- Matth. 7 gnoſcetis eos. Humilitas etiam ſe incinerat & pulverizat, & ſic ſuavius fragrat, ſicut herbæ & ſpecies aromaticæ, plus redolent, quanto ſunt minutius tritæ & pulverizatæ. Unde dicitur in Canticis: Quæ eſt iſta, quæ Cant. 3 aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? Et notandum, quod omnis homo debet ſe pulverem & cinerem reputare ex parte carnis, de qua certus eſt, quod efficietur pulvis, ut dicitur in Gen. Pulvis es, & in pulverem re- Gen. 3

Digitized by Google

verteris. Ex parte animæ, debet ſe quilibet pulverem & cinerem reputare, præcipue propter tria. Primo propter utilitatem. Sicut enim cinis eſt vilis, quantumcumque fuerit de pretioſa materia, ſic anima valde vilis eſt ex culpa, quamvis ſit valde nobilis ex natura. Ideo dicit Pſal. Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus. Secundo propter reſiſtendi difficultatem. Quia ſicut cinis ſtatim diſpergitur, & non poteſt reſiſtere modico flatui, ſic homo non poteſt reſiſtere modicæ tentationi, immo frequenter cadit ad ſibilum modici verbi. Unde dicitur in Pſ. Non ſic impii; non ſic: ſed tamquam pulvis, &c. Tertio propter reſurgendi impoſſibilitatem. Nam ſicut cinis poteſt redire ad ſtatum ſuæ materiæ: ſic homo peccator non poteſt redire ad ſtatum gratiæ, niſi ſola Dei virtute, quia dicit Eccleſiaſtes: Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexit, & in Pſalmo: Niſi Dominus ædificaverit domum, & cetera. Humilitas inſuper ſe mortificat, ut reſurgat: quia humilis quaſi ſemper conſiderat mortem propriam, ut reſurgat ad vitam.

Pſal. 14

Pſalm. 1

Eccl. 7

Pſalm. 126

Memoria mortis ſex bona facit in homine

Et nota, quod memoria mortis facit in homine præcipue ſex bona. Primo facit peccata vel vitia fugere. Nam ſicut latrones timent & fugiunt faciem iudicis; ſic vitia memoria mortis. Et ſicut jumentum cum cauda ſe defendit a muſcis; ſic homo a tentatione vitiorum ex conſideratione mortis. Nam de peccatore dicitur in Threnis: Sordes ejus in pedibus, id eſt, in affectionibus. Et ſubdit cauſam: Quia non recordatus eſt finis ſui. Secundo facit mundum contemnere. Unde dicit Hieron. Facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat moriturum. Nam concupiſcentia oculorum contemnitur, quando quis cogitat ſe in terram reverſurum: concupiſcentia carnis deprimitur, quando quis cogitat, quòd corpus in deliciis nutritum, erit cibus vermium: ſuperbia vitæ contemnitur, quando quis cogitat, quod ille qui vult eſſe ſuper alios, ponetur ſub terra, quæ eſt infimum elementorum. Tertio facit ſeipſum deſpicere, & propter reſolutionem ad terram, in ſuiipſius cognitionem venire. Qui modus cognoſcendi, ſecundum Philoſophum, eſt certiſſimus inter omnes. Propterea dicitur in Pſalmo: Sciant gentes, quoniam homines ſunt, id eſt, de humo. Quarto facit vitam præſentem recte regere. Sicut enim gubernator navis ſe ponit in cauda, ut rectius gubernet navem: ſic qui in mari hujus mundi vult recte & ſecure navigare, noviſſima ſua debet cogitare vel recordari. Nam dicitur in Eccleſiaſtico: Memorare noviſſima, & in æternum non peccabis. Quinto facit recta temperare præſentem lætitiam. Sicut enim fatua eſt eſca ſine ſale: ſic præſens lætitia eſt inepta ſine mortis conſideratione, inſtar ſalis. Dulcedo lætitiæ temporalis, miſcetur cum amaritudine mortis. Unde dicitur in Eccleſiaſtico: O mors, quam amara eſt memoria homini injuſto. Sexto facit recte dividere præſentem, & futuram vitam. Qui enim ponit ſe in articulo mortis, & eam diligenter conſiderat, quaſi in medio præſentis & futuræ vitæ ſe collocat, & ideo recte videt, quid ſpernere & quid eligere debeat. Ideo dicitur in Eccleſiaſtico: In die bonorum, ne immemor ſis malorum.

Thren. 2

Hieron. de reg. monac. tit. de tim. ult. Judic. c. 9 *prope fin.*

A

Pſal. 9

Eccli. 7

B

Eccl. 11

Ibid.

Item humilitas, eſt gratioſa inſtar floris ſpecioſi, luminoſa inſtar ſideris radioſi, & virtuoſa inſtar lapidis pretioſi. Eſt itaque humilitas gratioſa, inſtar floris ſpecioſi. Comparatur autem inter flores præcipue violæ, quæ eſt flos modicus, & valde pretioſus. Et nota; viola eſt formata inſtar aviculæ parvæ, habet enim quoddam roſtrum parvum, & quaſdam parvulas alas, & quamdam caudam parvulam: ita humilitas, habet ad modum violæ iſta tria diminutiva per propriam reputationem, habet namque roſtrum ad laudandum Deum: habet etiam alulas vel pennas, ad contemplandum cœlum. Habet caudam, ad cogitandum finem proprium. Hæc eſt viola pretioſa, de qua dicitur in Canticis: Ego flos campi, & cetera. Eſt etiam humi-

C

Cant. 2

humilitas luminoſa, inſtar ſideris radioſi. Nam ſicut ſidus vel ſtella eſt modica in apparentia, cum tamen ſidus in veritate, ut tradunt Mathematici, ſit major tota terra: ſic humilis cum ſit parvus in veritate, eſt apud Deum maximus, ex ſua tamen & hominum reputatione vult eſſe quaſi nullus. Ideo dicitur in Eccleſiaſtico: Quanto major es, humilia teipſum in omnibus. Ipſa enim eſt inſtar lunæ; nam ſicut luna eſt luminare, quod minuitur ex conſummatione, ut dicitur in Eccleſiaſtico: ſic humilis ſe minorare nititur, cum a Deo per gratiam conſummatur. Sicut Virgo Maria, ut habetur in Luca, quia reputavit ſe ancillam humilem, cum ſaluteretur venerabiliter per Archangelum Gabrielem, & a filio Dei eligeretur in matrem. Eſt etiam humilitas inſtar lapidis pretioſi virtuoſa. Nam lapides pretioſi ſunt ut plurimum, quantitate modici, & virtute magni.

Eccli. 3 *Eccli. 43* *Luc. 1*

Et nota, quod humilitas comparatur ſpecialiter, & proprie quinque lapidibus pretioſis. Primo Amethyſto, qui reprimit ebrietatem: ſic humilitas ſuperbiam, quæ ſe inebriat per ambitionem. Unde ſuperbia eſt ebria, & non a vino, ut dicit Joel: Expergiſcimini ebrii, & non a vino, ſed a vento, ſcilicet ſuperbia. Secundo Jaſpidi, qui fugat phantaſmata, ſic humilitas honores tranſitorios, qui ſunt quaſi phantaſiæ vel ſomnia. Quia dicitur de ſuperbo in Eccleſiaſtico: Cor tuum plantaſias patitur. Tertio humilitas eſt ſicut Sapphirus. Nam ſicut Sapphirus reprimit humores, ſeu tumores corporales: ita humilitas ſuperbas & ampulloſas inflationes. Ipſa enim non inflatur, non eſt ambitioſa, ſicut de charitate dicit Apoſtolus. Quarto humilitas eſt ſicut Onychinus. Nam ſicut Onychinus dicicitur hominem reddere invictum: ſic humilitas reddit invictum hominem, & facit de hoſtibus triumphare. In cujus figura dicitur, quod David qui dicitur humilis cum lapidibus fundæ Goliam interfecit, ut dicitur in li- A bris Regum. Quinto humilitas eſt ſicut Adamas. Nam ſicut adamas eſt lapis, qui reddit hominem gratioſum: ſic humilitas hominem Deo & hominibus facit eſſe placentem & gratum. Unde dicitur de humilitate in Deuteronomio: Sit placens de fratribus ſuis. Et ſicut coram Deo & hominibus eſt ſuperbia odioſa, ut dicitur in Eccleſiaſtico: ita humilitas eſt Deo & hominibus gratioſa.

Joel. 1 *Eccli. 34* *1 Cor. 13* *1 Reg. 17* *Deut. 33* *Eccl. 10*

Item humilitas cum Deo quaſi de pari contendit, cum divina liberalitate, ejus gratiam ſemper recipiendo. Superbiam circumvenit, & meliorem partem eligendo. Diabolum deſpicit, ejus laqueos evadendo. B Humilitas igitur quaſi de pari contendit cum divina liberalitate; quia quanto divina liberalitas animæ plura tribuit, tanto ipſa ad recipiendum ſit capacior; & hoc triplici arte, ſcilicet ſe dilatando per gratiarum actionem, incurvando per devotam orationem, & evacuando per modicam ſui reputationem. Primo enim humilitas cum recipit Dei beneficia, gratias agendo ſe dilatat, & ſic recipiendo parat ſemper locum, ut Deus amplius infundat. Unde ipſa eſt vas admirabile opus excelſi, ut dicitur in Eccleſiaſtico. Et bene humilitas vas admirabile dicitur, quia dum impletur, de impletione capacior efficitur. C Secundo humilitas per orationem ſe incurvat, & ſic ad magis hauriendum ſe præparat. Nam ſicut hydria curvatur, ut hauriat aquam: ſic humilitas ſe incurvat ut hauriat, & hoc orando, gratiam divinam & quanto Deus amplius donat, tanto ipſa amplius poſtulat, immo numquam petere ceſſat; & ideo in ea impletur, quod dicitur in libro Eccleſiaſtici: Cum conſummaverit homo, tunc incipiet. Tertio humilitas per propriam reputationem ſe evacuat, & quodam modo ſe exinanit, & per conſequens ad recipiendum capacior ſit. Et hoc triplici arte exiſtit, quia dum gratiam Dei in plenitudine recipit, ſeipſam tamen vacuam recognoſcit. Ideo in perſona Dei dicitur de humili

Eccli. 43 *Eccli. 18*

Eccli. 24 in Eccleſiaſtico: qui bibunt me, adhuc ſitient.

Humilitas in decem meliorem partem eligit reſpectu ſuperbiæ. Item humilitas etiam ſuperbiam circumvenit, meliorem partem eligendo. Et nota ſpecialiter decem, in quibus humilitas reſpectu ſuperbiæ eligit meliorem partem. Superbia enim eligit quod eſt extra, humilitas quod eſt intra. De primo dicitur in Mat. *Matt. 23* Omnia vero opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus. De humilibus vero dicit Apoſtolus: *2 Cor. 1* Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Superbia eligit ſarpillas, humilitas tortillas. Superbia eligit corticem, humilitas nucleum. Superbia eligit paleam, humilitas granum. Superbia demum eligit flores, humilitas vero fructum, juxta illud: *Cant. 2* Fructus ejus dulcis gutturi meo. Superbia eligit montes, humilitas valles. Et nota, quod in montibus ſunt quatuor mala, ſcilic. ariditas indevotionis, durities incompaſſionis, ſterilitas operationis, & præcipitium damnationis. Humilitas vero eligit valles, in quibus ſunt quatuor bona, illis malis oppoſita. Nam ſicut valles contra ariditatem ſunt irriguæ, contra duritiam ſunt molles, contra ſterilitatem ſunt fructiferæ, contra præcipitium ſunt ſecuræ: ſic humiles ad modum vallis, ſunt irrigui per devotionem, & molles per compaſſionem, fructiferi per bonam operationem, ſecuri per divinam protectionem: quia in inferno non oportet timere præcipitium. Superbia eligit pulchrum, humilitas bonum. Superbia eligit imaginem, humilitas veritatem. Superbia eligit contentionem, id eſt, locum ſuperiorem, pro quo contendunt ambitioſi, humilitas pacem, ſcilicet locum inferiorem, pro quo nullus contendit. Ideo dicit Salvator: *Luc. 14* Recumbe in noviſſimo loco. Et ſic in pace factus eſt locus ejus, *Pſal. 75* ut dicitur in Pſal. Superbia eligit eſſe in ore hominum, & ideo non eſt mirum, ſi ſentit aliquando morſus detractionis: humilitas vero eligit eſſe in judicio Dei, per quem ſolum vult judicari, ſicut dicit Apoſtolus: *1 Cor. 4* Qui A autem judicat me, Dominus eſt. Humilitas inſuper deſpicit, & parvipendit diabolum, ejus ſcilicet laqueos evadendo. Nam ſicut piſciculi evadunt ſagenam; ſic humiles rete, id eſt, tentationes diabolicas. In cujus figura rex Chaldæorum tranſtulit in *4 Reg. 24* Babyloniam, & captivavit nobiles & potentes, & dimiſit pauperes, id eſt, agricolas & vinitores, ut dicitur in libris Regum.

Cauſæ quinque quæ hominem ad ſe humiliandum incitant. Humilitas inſuper habet motum incitativum, id eſt, cauſas multas, quæ hominem movere debent ad ſe humiliandum. Unde nota, quod ſunt quinque cauſæ præcipuæ, ex quarum conſideratione debet homo ſeipſum B humiliare. Si conſideret, quæ ſunt infra, quæ ſunt intra, quæ ſunt juxta, quæ ſunt contra, & quæ ſunt ſupra. Prima igitur cauſa humilitatis eſt conſideratio creaturæ corporalis, quæ in homine eſt. Debet igitur creaturas corporales diligenter conſiderare, & ex illis humilitatem haurire. Si enim conſideret terram, videt proprium ſepulcrum: ſi attendat ignem ſuper terram, videt ſupplicium peccatorum: ſi conſideret quadrupedia, videt ea fortiora: ſi volatilia, videt ea leviora & agiliora: ſi terræ naſcentia, videt meliora, ſicut fructus, & pulchriora, ſicut flores. Ultimo, ſi conſideret proprium ſubjectum, videt C quod in principio eſt ſemen immundum, in medio ſaccus ſtercorum, & in fine cibus vermium, ut dicit Bernardus. *Bern. lib. Meditat. c. 3 ante medium.* Et iterum vide unde veneris, & erubeſce ubi es, & ingemiſce quo vadis, & contremiſce. Et ita cum homo diligenter conſiderat proprias vilitates, tunc humilitas reſumit vires. Sicut enim muſcus in locis fœtentibus recuperat odorem, ſic humilitas fragrantior efficitur, cum quis conſiderat propriam utilitatem. Et ideo dicebat Abraham: Loquar *Gen. 18* ad Dominum meum, cum ſim pulvis & cinis?

Secunda cauſa humilitatis, eſt conſideratio ſtatus interioris. Omnis autem homo, aut ſcit ſe eſſe peccatorem, aut iuſtum. Si ſciat ſe eſſe peccato-

cato-

catorem, multum debet humiliari: quia quantum ad hoc deterior eſt cane vel bufone; quia peccator eſt debitor temporalis & æternæ mortis: illa vero ſolum temporalis. Et in illis ſolum eſt miſeria pœnæ, in peccatoribus vero pœnæ & culpæ, & in hoc ſunt ſimiles diabolo. Si autem fuerit peccator aliquando, neſcit utrum juſtificatus eſt a peccato, quia dicitur in Eccleſiaſte. *Eccl. 9* Neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futuro ſervantur incerta. Si autem ſciat aliquis ſe eſſe in gratia, tamen ſe humiliare debet propter quatuor, quæ interdum etiam viris juſtis & perfectis nocent: ſcilicet negligentia proficiendi, difficultas ſtandi vel præſervandi, facilitas cadendi, etiam ad ſibilum uniuſmodi verbi, difficultas vel impoſſibilitas reſurgendi. Homo enim poteſt per ſe ire ad culpam, ſed per ſe non poteſt redire ad gratiam; quia dicitur in Pſalmo: *Pſal. 77* Spiritus vadens, & non rediens.

Tertia cauſa humilitatis eſt conſiderare ſæpe de proximis noſtris. Videmus enim multos de fratribus & proximis noſtris, in ſcientia & virtutibus profeciſſe, & nos in peccato vel ignorantia remanſiſſe, unde debemus erubeſcere. Videmus etiam multos fratres & proximos cæcos, mendicos, & diverſis miſeriis afflictos; & ideo debemus compati, timere, & Deo grati & humiles eſſe, & laudare eum, qui nobis potuit, & poteſt ſimilia ex ſua æquitate infligere, & nos ex ſua pietate cuſtodire, & propter hanc cauſam humilitatis dicitur *Job 5* in Job: Viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Viſitans ſpeciem tuam, ſcilicet in proximum, qui eſt ſpecies tua, vel ſpecies una tecum.

Quarta cauſa humilitatis, eſt conſideratio hoſtis adverſantis, cui ſine Dei adjutorio non poſſumus reſiſtere: immo ſi comparati fuerimus ei, ipſe quaſi gigas, & nos quaſi locuſtæ, ut dici- *Num. 13* tur in Numeris. Cujus etiam tanta eſt crudelitas, quod nos omni hora tranſglutiret, niſi etiam divina protectio nos cuſtodiret: quia dicitur in A Threnis: Miſericordiæ Domini, quia *Thren. 3* non ſumus conſumpti: cui debemus totam virtutem aſcribere.

Quinta cauſa humilitatis, eſt conſideratio divinæ magnitudinis, cui tenemur humiliter ſubeſſe, propter beneficium creationis, juxta illud Pſalmi. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. *Pſal. 99* Et propter beneficium redemptionis, juxta illud Eccleſiaſtici: Gratiam fi- *Eccli. 29* dejuſſoris tui, ne obliviſcaris. Humiliare etiam debemus nos Deo, cujus potentiam evadere non poſſumus, cuius ſapientiam latere non poſſumus, cujus juſtitiam corrumpere non poſſumus. Unde notandum juxta hoc, quod tribus de cauſis debet ſe quis inclinare B & dimittere. Primo quando videt capiti ſuo gladium imminere, ſic nos debemns humiliari, & timere, quod videmus ſuper caput noſtrum gladium divinæ ſententiæ vibrare. Unde dicitur ab Apoſtolo Petro: Humiliamini *1 Pet. 5* ſub potenti manu Dei. Secundo inclinat ſe aliquis, quando oportet ipſum tranſire per oſtium baſſum: ſic nos debemus humiliari, qui ad vitam trunſituri ſumus, per oſtium baſſum & humile, quod eſt Chriſtus, quia dicitur in Joanne: Ego ſum oſtium, *Joan. 10* per me ſi quis introjerit, ſalvabitur. Tertio conſuevit quis inclinare ſe, quando videt ſuperiorem ſe, in inferiori loco ſedere. Non enim eſt decens C militem ſedere in ſcamno, ſi rex ſederet in pavimento: ſic nos humiliari eſt neceſſarium, cum videamus regem gloriæ propter nos in tantum humiliatum. Unde dicitur in Matthæo: *Matt. 10* Sufficit ſervo, ſi ſit ſicut Dominus ejus.

Quinque præcipua ſigna humilitatis.

Item habet humilitas multiplex ſignum demonſtrativum. Et nota, quod quinque ſunt ſigna, inter alia, humilitatis demonſtrativa. Primum eſt humilem amare, exemplo creaturarum, quæ diligunt ſibi ſimiles; quia dicitur in Eccleſiaſtico: Omne animal *Eccli. 13* diligit ſibi ſimile. Secundum eſt, honores & laudes fugere, ſicut mel venenatum, & ſicut ſagittas limatas & venenatas: exemplo Chriſti, qui fugit cum turbæ vellent eum facere regem, ut

Digitized by Google

Joan. 6 ut dicitur in Joanne. Tertium ſignum A eſt opprobria & contumelias æquanimiter tolerare: exemplo David, qui cum Semei malediceret ei, dixit Abiſa regem vindicare volenti: Dimitte eum, ut maledicat mihi, ut in libris 2 Reg. 16 Regum reperitur. Et exemplo Apoſtolorum, de quibus dicitur in actibus: Act. 5 Quod ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Ideo Thren. 3 dicitur de humilitate in Threnis: Saturabitur opprobriis. Quartum ſignum eſt, vilia officia non recuſare, exemplo Abigail, quam cum David vellet ducere in uxorem, reſpondit: Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum domini mei, ut habe- B 1 Reg. 25 tur in libris Regum. Quintum ſignum eſt, libenter obedire: exemplo Chriſti, qui humiliavit ſemetipſum, factus Philip 2 obediens uſque ad mortem, ut ait Apoſtolus.

Humilitatis gradus tres. Habet etiam humilitas multiplicem gradum diſtributivum. Unde nota, quod tres ſunt gradus humilitatis, ſicut dicitur in gloſſa ſuper Matthæum. Gl. Matt. 3 Primus eſt ſubeſſe majori, nec præferre ſe æquali, & hæc eſt ſufficiens & neceſſaria. Secundus gradus eſt ſubeſſe pari, nec ſe præferre minori, nec velle præferri, & eſt humilitas copioſa. Tertius gradus eſt ſubeſſe minori. Et nemini præferri, & hæc eſt humilitas excellens & perfecta. Et C ideo humilitas cum his gradibus ſuis, eleganter figuratur per altare tabernaculi, quod habebat tres cubitos in altitudine, ut dicitur in Exodo. Exod. 27

Item ſecundum alios, gradus humilitatis ſunt quatuor. Primus eſt ſpernere mundum. Secundus ſpernere nullum. Tertius eſt ſpernere ſeipſum. Quartus eſt contemnere ſe ſemper, vel non curare ſui contemptum. Ideo humilitas per iſtum quadruplicem gradum figuratur ſatis aperte per rationale, in quo erant quatuor verſus vel ordines gemmarum, ut habetur Exod. 28 in Exodo.

CAPUT II.

De Manſuetudine, vel Mititate.

DE Manſuetudine vel Mititate, quæ eſt ſecunda beatitudo, ſpecialiter ſunt tria notanda. Habet enim manſuetudo, vel mititas pacem & ſocietatem cum proximo, gratiam & familiaritatem cum Deo, & regnum & hæreditatem in cœlo.

Habet namque homo mitis & manſuetus cum proximo pacem & ſocietatem, & cum his, qui oderunt pacem, ſcit eſſe pacificus. Sicut enim contra lapidem machinæ opponitur aliquid molle, per quod frangitur impetus violentiæ ſuæ: ſic & vir mitis frangit iram, & impetum indignationis, opponendo mollitiem reſponſionis, ut in Proverbiis patet: Reſpon- Prov. 15 ſio mollis frangit iram.

Habet etiam homo mitis cum Deo familiaritatem. Et nota, quod ſignum triplex eſt, quod homo mitis Deo ſit familiaris. Primum eſt, quod Deus mites libenter exaudit, ſicut videmus, quod a rege obtinent quod volunt, qui ei familiares exiſtunt. Unde dicitur in libro Judith: Humilium & Jud. 9 manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio. Secundum ſignum eſt, quod Deus in anima miti libenter pauſat & dormit. Manſuetudo enim eſt ſicut culcitra mollis in lecto florido continentiæ, de quo dicitur in Canticis: Lectulus noſter floridus. Tertium ſi- Cant. 1 gnum eſt, quod Deus ad videndum, & loquendum, ſe oſtendit mitem, vel exhibet. Sicut videmus quod illi, qui ſunt familiares prælatis, quando volunt, ad eos intrant, & loquuntur, pro voluntate, cum eis: ſic homo mitis loquitur cum Deo, ut in Exo- Exod. 33 do legitur de Moyſe. Qui loquebatur cum Deo facie ad faciem, ſicut ſolet loqui amicus ad amicum ſuum. Cauſa inter alias erat, quia homo mitiſſimus erat, ut dicitur in Numeris. Num. 12

Signum triplex hominis mitis cum Deo familiaritatem habentis.

Habet inſuper homo mitis hereditatem in cœlo, ut dicitur in Matth.

Beati

Matth. 5 Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt A terram, ſcilicet viventium. Et nota quod triplex eſt ratio, quare mites poſſident cœlum. Prima eſt, quia ipſi poſſidentur a Deo,& ideo lege viciſſitudinis poſſidebunt Deum in cœlo. Quia dicit Aug. Nullius erit Dei poſſeſſio, niſi ejus, quem ipſe prius poſſederit. (Aug. l. de ſalutaribus documen. c.10 tom. 4) Secunda ratio eſt, quia mites poſſident corda ſua, & dominantur ſibiipſis, quod non faciunt iracundi, immo ira dominatur eis. Ideo dicit Sapiens: Prov. 16 Melior eſt qui dominatur animo, expugnatore urbium. Tertia ratio eſt, quia mites poſſident hic bona ſua: Mites autem ſciunt hic bona ſpiritualia optime poſſidere, quia nulla adverſitas poteſt eis ipſa auferre, quod B iracundi facere neſciunt: immo bona ſpiritualia, ſi quæ habent, per impatientiam perdunt, ut dicitur in Proverbiis: (Prov. 19) Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum, ſcilicet non ſolum boni exterioris, quod perdit in via, ſed etiam boni interioris, quod ipſe effundit. Mites etiam bona temporalia poſſidere ſciunt, quia ſibi non permittunt dominari: quod neſciunt facere avari & cupidi, quia divitiarum ſuarum neſciunt eſſe domini, ſed potius ſervi. Pſal. 75 Quia dicitur in Pſalmo: Viri divitiarum, non divitiæ virorum. Quia igitur mites, ut dictum eſt, ſe, & ſua poſſidere ſciunt, merito terram viventium poſſidebunt.

C Et nota, quod mititatem vel manſuetudinem hominis natura miniſtrat, corporis figura demonſtrat, & canonis ſcriptura commendat. Mititas igitur a natura miniſtratur, & cum homine a natura copulatur, vel concreatur. Nam dicit Philoſophus, quod homo eſt animal natura manſuetum. Sicut leoni a natura ineſt crudelitas: ſic homini manſuetudo vel mititas. Manſuetus enim dicitur quaſi manu aſſuetus: & ideo homo qui relicta manſuetudine regitur crudeliter, non homo, ſed beſtia ſilveſtris. Mititas etiam figura humana demonſtratur. Figura enim hominis exterior quamdam dulcedinem & affabilitatem demonſtrat, & mititatem interiorem: In omni ſiquidem animalis ſpecie, figura corporis exterioris ſignum eſt naturæ interioris, ſicut enim videmus, quod ungues magis fortes & acuti, & magna & ampla labia, ſignificant rabiem & crudelitatem leonis & canis: ſic naturaliter homo habens faciem venuſtam, & carnem mollem, & cutem levem, & ungues breves, & modicitatem oris, & gratiam in oculis, manſuetudinem ſignificat, & multa alia teſtimonia mititatis, quæ poſſent dari: Et econverſo videmus, quod homo iratus habet tortam, & hirſutam faciem, & exuit humanam naturam, & induit furiam, & quodammodo exterior effigies monſtrat, quod homo iratus jam non eſt homo, ſed incipit eſſe beſtia, juxta illud Pſalmi: Comparatus eſt jumentis, &c. Pſal. 48
Manſuetudo inſuper vel mititas in ſcriptura valde commendatur. Dicitur enim de meditatore noſtro in Jeremia: Ego ſicut agnus manſuetus qui Jer. 11
portatur ad victimam. Et iterum dicitur in Pſalmo: Propter veritatem Pſalm. 44
& manſuetudinem, & juſtitiam, & cetera. Unde nota tria, quæ recte hominem deducunt, quæ ſunt manſuetudo cordis, veritas oris & juſtitia operis.

CAPUT III.

De Fletu.

De Fletu, quæ eſt tertia beatitudo, nota ſpecialiter tria, ſcilicet quod eſt fletus compunctionis, fletus compaſſionis, & fletus devotionis. (Fletus triplex.)

Primus fletus, ſcilicet compunctionis, eſt ſicut collyrium medicativum. Unde in Apocalypſi legitur: Collyrio inunge oculos tuos. (Apoc. 3) Sicut enim collyrium purgando oculos, turbat viſum, & in turbando purificat: ſic fletus compunctionis animam turbat per pœnitentiam, ſed medicat per gratiam. De hoc fletu dicitur in Pſalmo: Exitus aquarum deduxerunt, & Pſal. 118
cetera.

Secundus fletus eſt compaſſionis.

Et,

Et eſt ſicut unguentum lenificativum. A Nam ſicut unguentum ungendo ſanat membra paralytica: ſic humor compaſſionis ſanat cupidos a paralyſi, id eſt, ab avaritia. Et nota, quod ad ungendum & ſanandum membra infirma, præcipue tria ſunt neceſſariæ, ſcil. ignis, unguentum, & confricatio manuum: ſic ad opus miſericordiæ requiritur ignis dilectionis, unguentum compaſſionis, & manus ſubventionis. De hoc fletu dicitur in *Job 30* Job: Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

Tertius fletus, ſcilicet devotionis, eſt ſicut balneum delectativum. Unde anima, in qua ſunt lacrymæ devotionis, natat in devotione, & lacrymis, B ſicut piſcis in flumine. Nam dicitur *Prov. 14* in Proverbiis: Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio illius non miſcebitur extraneus.

Sex incitant ad fletum. Item nota, quod ſex ſunt fletus incitamenta, & ſex fletus impedimenta, & ſex fletus emolumenta.

Fletus igitur incitamenta ſunt ſex. Primum eſt recognitio propriæ culpæ. Nam dicitur in Pſalmo: *Pſalm. 118* Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Secundum eſt incolatus præſentis vitæ, ut dicitur ſimiliter in Pſal. *Pſal. 119* Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Tertium eſt timor gehennæ. Nam dicitur in libro Threnorum: *Thren. 1* Plorans C ploravit in nocte, id eſt, in peccato. Quartum eſt recordatio paſſionis Dominicæ, ut legitur in Pſalmo: *Pſ. 41* Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. Quintum eſt compaſſio humanæ miſeriæ, ut dicit Apoſt. *Rom. 12* Flere cum flentibus. Sextum eſt deſiderium cœleſtis patriæ, ut dicitur *Pſal. 136* in Pſalmo: Super flumina Babylonis, id eſt, calcando delectationem tranſitoriam: ſedimus per quietam meditationem: & flevimus propter cœleſtis patriæ delectationem. Unde ſequitur: Dum recordaremur tui Sion. Sicut interdum peregrinus lacrymari cogitur, cum ſuæ patriæ recordatur.

Fletus impedimenta ſex. Sex ſunt etiam fletus impedimenta. Primum eſt ſuperbiæ elatio. Sicut videmus, quod montes & alta loca conſueverunt eſſe arida: ſic mons elationis & ſuperbiæ eſt aridus. Unde dicitur in Joſue: *Joſ. 15* Terram arentem dediſti mihi, iunge & irriguam: ſic econverſo humiles abundant lacrymis, ſicut videmus, quod valles abundant aquis. Nam humilitas eſt vallis lacrymarum. Secundum impedimentum eſt terrenorum affectio: ſicut videmus, quod terra inſpiſſat aquam, & turbat & redigit in ea. Unde dicitur in figura huius in libro Gen. *Gen. 4* quod Cain interfecit Abel. Cain interpretatur poſſeſſio, Abel juſtus. Cain igitur Abel interfecit, quando poſſeſſio, & affectio terrenorum lacrymarum irriguum interficit, & interrumpit. Ideo dicitur in figura hujus in Geneſi, *Gen. 26* quod omnes puteos, quos fecerunt ſervi Iſaac, obſtruxerint Philiſtiim, implentes terrenorum affectione puteos devotionis. Tertium impedimentum eſt cordis incompaſſio, ſicut videmus, quod de rupe non ſcaturit aqua, niſi miraculoſe. Unde dicitur in libro Geneſis, *Gen. 29* quod puteus grandi lapide claudebatur. Per os putei irriguum devotionis intelligitur, & tunc grandi lapide clauditur, quando fletus propter cordis duritiam impeditur. Quartum impedimentum eſt nimia occupatio, ſicut videmus quod in æſtate, quando eſt tempus occupatum valde, fontes & putei exſiccantur. Contra hoc dicitur in Iſaia: *Iſa. 22* Recedite a me, amare flebo. Quintum impedimentum eſt ignorantiæ excuſatio. Sicut videmus, quod phreneticus & fatuus non poteſt flere, ſed ridere, quia non cognoſcit morbum ſuum. Hoc impedimentum tangit Dominus dicens: *Luc. 19* Si cognoviſſes & tu, fleres, &c. Sextum impedimentum eſt peccati multitudo. Sicut enim videmus, quod nimium frigus congelat aquas: ita magnum gelu peccati impedit lacrymas. Ideo dicitur in Matthæo: *Matth. 24* Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, & per conſequens, ceſſavit irriguum lacry-

lacrymarum. Quia ut dicit Gregorius in Moralibus: Vis amoris per lacrymas emanat, & ideo ubi amor non eſt, lacryma ceſſat.

Fletus emolumenta ſex.

Sex ſunt etiam fletus emolumenta vel utilitates. Unde nota, quod lacryma ſpiritum contritum lavat, ipſum devotum levat, ſpiritum malignum necat, terram cordis irrigat, ſitim ſedat, orando efficaciter impetrat. Primo ergo lacryma ſpiritum contritum lavat. Unde figuratur per mare æneum in tertio Regum. *3 Reg. 7* In quo ingreſſuri tabernaculum lavabant manus & pedes, id eſt, opera & affectiones. Secundo levat animam devotam, ſcilicet per contemplationem. Quod figuratur per diluvium, ut habetur in Geneſi: *Gen. 7* Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime a terra, id eſt, conſcientiam ad ſublimia contemplationis. Tertio, ſpiritum malignum lacrymæ necant, quod figuratur per mare rubrum, ut legitur in Exodo. *Exod. 14* Ubi ſubmerſus eſt Pharao & exercitus ejus, id eſt, diabolus & omnis malignus ſpiritus. Nam dicitur in Pſalmo: *Pſal. 73* Contribulaſti capita draconum in aquis, id eſt, tentationes dæmonum in fletibus lacrymoſis. Quarto lacryma terram cordis irrigat & fœcundat, quod figuratur per fontem Paradiſi, ut habetur in Geneſi: *Gen. 2* Fons aſcendebat de terra, ſcilicet irriguum lacrymarum, irrigans univerſam ſuperficiem terræ ad producendum fructus bonorum operum. Nam dicitur in Pſal. *Pſalm. 125* Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Quinto lacryma ſitim & ardorem concupiſcentiæ ſedat. Sicut contra ſitim curritur ad fontem, & contra ignem curritur ad aquam: ſic contra concupiſcentiæ ignem & incendium, currendum eſt ad fontem lacrymarum. Unde dicit Gregor. in Moralibus, quod flamma ſuggeſtionis extinguit citius aqua lacyrmarum. Sexto, lacryma efficaciter orando impetrat. Et nota, quod de hoc ſunt novem exempla præcipua in Scriptura. Primum Annæ: de qua dicitur in primo Regum, *1 Reg. 1* quod cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, quæ a Deo exaudita eſt. Secundum, Ezech. cui dictum eſt ab Iſaia: *Iſa. 38* Vidi lacrymam tuam, & ecce ſanavi te. Tertium eſt Tobiæ. Quartum eſt Saræ, de his duobus dicitur in Tobia: *Tob. 3* quod oravit Tobias cum lacrymis, & Sara ſimiliter, & exauditæ ſunt preces amborum. Quintum eſt Judith, quæ dixit: *Jud. 8* Indulgentiam ipſius fuſis lacrymis poſtulemus, quod & fecit, & Deus eam exaudivit. Sextum David, de quo dicitur in Pſam. Poſuiſti lacrymas meas *Pſal. 55* in conſpectu tuo. Septimum eſt Mariæ Magdalenæ, quæ pedes Salvatoris lavit lacrymis, & miſericordiam impetravit, ut dicitur in Luca. *Luc. 7* Octavum eſt Petri, de quo dicitur in Matthæo: *Matth. 26* quod poſt trinam negationem flevit amare; & obtinuit remiſſionem. Nonum eſt Chriſti, de quo dicit Apoſtolus, *Hebr. 4* quod cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus eſt pro ſua reverentia, ſcilicet Chriſtus. Propter hanc efficaciam lacrymarum dicit Auguſtinus, quod lacrymæ violentæ ſunt in precibus. Et Gloſſa dicit, *Gl. Tob. 4.* quod oratio Deum lenit, & lacryma cogit.

De eſurie, & ſiti juſtitiæ, quæ eſt quarta beatitudo, nihil ad præſens aliud eſt dicendum, quam quod in tractatu de virtute juſtitiæ, ſuperius dictum eſt. *Sup. tit. 5*

CAPUT IV.

De Miſericordia.

DE Miſericordia, quæ eſt quinta beatitudo, ſunt ſpecialiter tria notanda, ſcilicet comparationes, quibus figuratur, meditationes, cum quibus adjuvatur, operationes, cum quibus occupatur.

Comparationes quibus miſericordia figuratur.

Primo ergo notandæ ſunt ejus figurales comparationes. Unde nota, quod miſericordia eſt interna Chriſti paſſio, prima Chriſti lectio, & optima Chriſti unctio. Primo ergo miſericordia eſt interna Chriſti paſſio, id eſt, compaſſio, quæ melior eſt, & major fuit, quam aliqua paſſio. Unde nota,

Crux Chriſti duplex. ta, quod duplex fuit crux Chriſti, ſc. exterior, quæ fuit lignea: & interior quæ fuit aurea. Exterior fuit paſſionis & pœnitentiæ: interior fuit compaſſionis & miſericordiæ. Ideo Chriſtus dicitur pro nobis animam poſuiſſe, prius quam carnem. Unde dicitur in *Joan. 10.* Joan. Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere. Et ſicut dolor paſſionis Chriſti non habuit parem, ita dolor compaſſionis non habuit ſimi-*Thren. 1.* lem, ut patet in Threnis. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, &c. Secundo, miſericordia eſt ſumma Chriſti lectio, ut dicit Amb. In ſignum hujus, Chriſtus in hac lectione præ ceteris examinabit ſcholares ſuos in die diſtricti ju-*Matth. 25.* dicii, dicens: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c. Dyſcoli, qui neſciunt hujus lectionis, ſcilicet miſericordiæ verſiculum, in æternum ſentient ſine pietate flagellum: quia *Jac. 2.* dicit Jacobus: Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam. Tertio, miſericordia eſt optima Chriſti unctio. Nam cum ſit triplex unguentum, ſcilicet contritionis, & devotionis, & compaſſionis: unguentum compaſſionis optimum eſt, *Bern. ſer. 12 in Cant. poſt med.* ut dicit Bernardus: Bonum eſt, inquit, unguentum, quod de recordatione peccatorum naſcitur: melius quod ex devotione conficitur: porro utrumque vincit compaſſio charitatis vel pietatis. Et nota, quod iſto unguento deberent tria perungi, ſcilicet caput, id eſt, intentio, pedes, id eſt, affectio, manus, id eſt, operatio: quia in his tribus, ſcilicet intentione affectione, & operatione, debet præcipue relucere. De unctione capitis *Matt. 6.* dicitur in Matthæo: Unge caput tuum. *Luc. 7* De unctione pedum dicitur in Luca: quod Maria unxit pedes Jeſu. De unctione manuum dicitur in Canticis: *Cant. 5* Manus meæ ſtillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.

Item nota, quod miſericordia decenter converſatur, prudenter negotiatur, & abundanter remuneratur. Primo, miſericordia facit hominem decenter converſari. Nam vir prius & miſericors benedicitur a Deo, placet proximo, & notat in oleo. Benedicitur a Deo, per gratiæ effuſionem: placet proximo, per juſtam converſationem: natat in oleo per internam devotionem, Hæc ſimul figurantur in Deuter. Benedictus filius Aſer, quan-*Deut. 33* tum ad primum. Sit placens fratribus, quantum ad ſecundum. Intingat in oleo pedem ſuum, quantum ad tertium. Ferrum & æs ſit calceamentum eius. Secundo miſericordia prudenter operatur. Nam de malis aliorum melioratur, de ſordibus lavatur, de paupertate ditatur, de infirmitate ſanatur, de onere alleviatur. Ipſa enim omnibus compatitur, omnium onera portare nititur, & quanto plus onera aſſumit, tanto plus lucratur, & velocius currit. Ideo dicitur Apoſt. Al-*Gal. 6* ter alterius onera portare, &c. Et nota, quod miſericors homo inſtar prudentis mercatoris conſiderat tria. Nam mutuat libenter regi, qui poteſt ſibi capitale reddere, & damnum reſarcire, & uſuras & lucrum ſolvere. Talis rex liberalis eſt Deus, qui mercatoribus ſuis conſuevit capitale cuſtodire, conſervando gratiam: damna reſarcire, remittendo culpam: uſuras ſolvere, ſcilicet largiendo gloriam, & æternam vitam. De iſta mercatura dicit Matthæus: Prudentes virgi-*Matt. 25* nes acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, id eſt, oleum miſericordiæ & compaſſionis, in vaſis ſuis, id eſt, in interioribus vaſis cordis. Quia ſicut ignis ſine oleo non ardet in lampade: ſic ignis charitatis ſine oleo miſericordiæ non ardet in corde. Hanc negotiationem docuit ſummus mercator, ſcilicet Chriſtus: Va-*Matth. 10* de & vende omnia, quæ poſſides, & da pauperibus. Homo etiam miſericors ad modum boni & induſtrii mercatoris, innovat & renovat veteres merces in novas, & viles in pretioſas, & quodam modo circumvenit Deum in ſua negotiatione: quia pro calice aquæ frigidæ, recipit torrentem voluptatis æternæ. Unde dicit Aug.

Præbe

Præbe tectum, & accipe cœlum. Et ideo dicitur in Oſea: Circumdedit me in negotiatione ſua Ephraim. Tertio, miſericordia abundanter remuneratur. Unde nota, quod duæ virtutes valde copioſæ, & plenæ, veniunt ad iudicium, propter quod recipiunt ſalarium valde copioſum, ſcilicet charitas & miſericordia. Charitas enim aliena bona facit ſua, iuxta illud Pſalmi: Particeps ego ſum omnium timentium te, &c. Miſericordia facit aliena mala ſua, iuxta illud: Sicut ſocii eſtis paſſionum, ita & conſolationum. Hæc eſt enim lex fidelium mercatorum, ſcilicet ſicut ſunt ſocii in damno, ita ſunt ſocii in lucro.

Oſeæ 11

Pſal. 118

2 *Cor.* 1

Miſericordia ceteras virtutes ſuperat, & præcipue tres excellentes.

Item nota, quod miſericordia eſt virtus, quæ cunctas ſuperat, modus qui reum liberat, & clavis quæ cœlum reſerat. Primo igitur, miſericordia eſt virtus inter ceteras virtutes ſuperans, & ſpecialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes, ſc. pœnitentiam, quia pœnitentia immolat corpus, miſericordia vero animam. Ideo dicit Apoſt. Corporalis exercitatio, id eſt, pœnitentia admodum utilis eſt, ſcilicet reſpective. Pietas autem ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Miſericordia autem ſuperat charitatem, in eo, quod charitas eſt fluvius divinæ pietatis, & currit cum alveis ſuis, & non exit extra ripas, quia ſolum bonum diligit, & ſua communicat: pietas vero & miſericordia extra ripas inundat, & ſua bonis & malis communicat, & ideo non ſolum bona proximorum, ſed etiam mala libentiſſime portat, iuxta Apoſt. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Miſericordia nihilominus ſuperat iuſtitiam: & in ſignum huius de cura iuſtitiæ, ſi eſt a peccatore ſuſpecta, licet ad conſiſtorium miſericordiæ appellare. Nam dicit Jacob. Miſericordia ſuperexaltat iudicium. Et de hac excellentia miſericordiæ reſpectu aliarum virtutum, dicitur in Pſalm. Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Secundo, miſericordia eſt modus abſolutionis optimus liberans reum & Deum obligans. Reum itaque liberat a delicto vel debito decem millium talentorum. Et nota, quod homo miſericors, de remiſſione peccatorum ſuorum habet ſpiritualiter tria paria litterarum, id eſt tria teſtimonia Evangelica, quæ homini pie denuntiant peccata remiſſa. Primum eſt in Mat. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Secundum eſt in eodem Matt. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter cœleſtis peccata veſtra dimittet. Tertium eſt in Luca: Dimittite & dimittemini. Et non ſolum miſericordia a delicto liberat, verumetiam ad ſanandum hominem Deum obligat. Nam dicitur in proverbiis: Fœneratur Domino qui miſeretur proximo. Tertio, miſericordia eſt clavis cœlum reſerans. Unde in figura huius dicitur, quod Chriſtus aſcendit in cœlum de monte Oliveti, quo figuratur eminentia miſericordiæ. Chriſtus qui dicitur unctio, eſt homo miſericors, unctus unctione pietatis, talis aſcendit in cœlum, quia homini pio reſeratur aula cœleſtis gloriæ. Et nota, quod duo oſtia facit pietas in cœlo, cum homo miſericors intus compatitur, & proximo extra ſubvenit, quod optime figuratur in tertio Regum. Ubi dicitur, quod Salomon fecit in ingreſſu oraculi duo oſtiola de olivis, quæ quidem ſunt duplex miſericordia, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis: corporalis ſubveniendo, ſpiritualis compatiendo.

1 *Tim.* 4

1 *Cor.* 11

Jac. 2

Pſal. 144

Matth. 5

Matth. 6

Luc. 6

Prov. 19

Act. 1

3 *Reg.* 6

Meditationes, quibus ad miſericordiam movemur.

Secundo notandæ ſunt meditationes, in quibus adiuvatur miſericordia, & homo miſericors, ad miſerandum movetur. Unde nota, quod tria ſunt, quæ movent hominem ad miſericordiam. Primum eſt naturalis conformitas. Omnes enim unum habemus principium, & ex uno patre ſumus geniti, & omnes ſumus filii Dei: & ideo debemus invicem compati, ſicut ſi eſſemus fratres germani. Unde dicitur in Matthæo. Omnes enim vos fratres eſtis. Et ideo dicitur in Iſaia: Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Secundum

Matt. 23

Iſa. 58

moti.

motivum miſericordiæ; eſt propria indigentia vel neceſſitas: quia homo qui bene conſiderat propriam miſeriam, facilius, & libentius relevat alienam. Nam dicitur in Ecclef. Ex te ipſo intellige, quæ ſunt proximi tui. Tertium motivum pietatis eſt Chriſti & membrorum ſuorum, ſcilicet pauperum, amor, & unitas. Adeo namque Chriſtus afficitur ad amorem pauperum, quidquid fit eis, reputat ſibi factum: quia dicitur in Matthæo: Quod uni ex minimis meis feciſtis, & cet.

Eccl. 31 — *Matt. 25*

Operationes, quibus miſericordia occupatur.

Tertio notandæ ſunt operationes, quibus miſericordia occupatur. Et notandum, quod ſeptem ſunt opera miſericordiæ corporalia, & ſeptem ſpiritualia. Corporalia ſunt iſta, nempe, eſurientem paſcere, ſitientem potare, nudum veſtire, hoſpitem coligere, infirmum viſitare, vinctum liberare, & mortuum ſepelire. Septem ſpiritualia ſunt, peccata dimittere, peccantem corrigere, pro peccante orare, ignorantem inſtruere, hæſitantem conſulere vel confirmare, lugentibus conſolationem præbere, & ad omnes afflictos cordis compaſſionem habere. Sex de iſtis numerantur in Matthæo. Septima in Tobia. Et in figura horum dicitur in Apocalypſi; quod ſimilis filio hominis erat in medio ſeptem candelabrorum aureorum, & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas. Filius hominis, dicitur homo pii cordis, quia ſecundum philoſophum, pietas eſt proprium hominis, ſicut crudelitas leonis. Candelabra aurea ſignant ſeptem opera miſericordiæ corporalia, quæ ſunt ut aurum pretioſa. Septem ſtellæ, quæ ſunt in dextera, ſunt ſeptem opera miſericordiæ ſpiritualia, in cordis hemiſphærio lucentia tamquam ſidera radioſa.

Matth. 26 — *Apoc. 1*

A

CAPUT V.

De Munditia Cordis.

DE munditia cordis, quæ eſt ſexta beatitudo, eſt notandum, quod tria ſunt quæ cordis munditiam faciunt, ſcilicet lectio ſcripturarum, largitio eleemoſynarum, & effuſio lacrymarum. Prima lectio ſcripturarum efficit cor mundum, quia dicitur in Joanne: Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Quod figuratur eleganter per lavatorium tabernaculi, ut legitur in Exodo. Et nota, quod duo erant in lavatorio, ſcilicet ſpeculum, & aqua munda: & hæc duo ſunt myſtice in ſacra pagina; eſt enim ſpeculum, quia peccati maculas oſtendit: & eſt aqua, quia maculas tergit. Secundo facit cor mundum effuſio lacrymarum, quia dicitur: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, ſcilicet conſcientiæ. Et nota; quod lacryma, ad hoc quod cor ſit bene mundum, debet habere tria, ſcilicet quod debet eſſe calida per devotionem, amara per contritionem, & cinerea per mortis recordationem. Sicut enim aqua tranſiens per cineres, facit lixivium, quod optime ſordium eſt mundativum: ſic talis lacryma eſt cordis mundativa. Tertio, fit cor mundum per eleemoſynarum largitionem, quia dicitur: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Videmus enim, quod ad ſanandum vel purgandum vulnus, non ſolum adhibentur cauteria, immo apponuntur emplaſtra. Cauterium eſt correctio iuſtitiæ, & emplaſtrum eſt largitio eleemoſynæ.

Tria faciunt munditiam cordis — *Joan. 15* — *Exod. 38* — B — *Pſ. 6* — C — *Luc. 11*

Item nota, quod ſunt alia tria, quæ ad cordis munditiam diſponunt, id eſt, ſcopa confeſſionis, lima correctionis, & fornax affectionis. Primo igitur facit munditiam cordis ſcopa confeſſionis, id eſt, frequenter conteri, quia dicitur. Lavare ſepties in Jordane. Lavatur autem ſepties, qui ſeptem vitia mortalia vel capitalia, humiliter confitetur, quia tunc cor mun-

Tria diſponunt ad munditiam cordis. — *4 Reg. 5*

Digitized by Google

mundatur & ſanctificatur. Nam dici- A tur: *Pſalm. 113* Facta eſt Judæa ſanctificatio eius. Judæa interpretatur confeſſio, ipſa enim eſt cordis ſanctificatio. Et nota quod in ſacro eloquio valde ſæpe adiungitur decor & pulchritudo. Et in figura huius, quod ſcopa confeſſionum, ſumme diſponit ad munditiam cordis dicitur: *Pſalm 130* Confeſſionem & decorem induiſti. *Pſalm. 95* Et iterum: Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, & ſic de aliis. Secundo multum diſponit ad munditiam cordis lima correctionis. Nam ſicut lima mundat ferrum a rubigine: ſic correctio cor a labe. Unde ait Gregor. Ille ſolus amicus erit, qui in adventum diſtricti iudicis, maculas ſuæ mentis tergit. Sed nota, quod qui- B dam ſunt adeo miſeri, quod unde deberent mundari, ſordidantur. De talibus dicitur: *Pſalm. 88* Deſtruxiſti eum ab emundatione. Tertio, munditiam cordis facit fornax tribulationis. Nam ſicut fornax reddit aurum purum: ſic tribulatio facit cordis munditiam, juxta illud: *Hier. 12* Probaſti cor meum tecum. Sed ſunt quidam, qui ab igne tribulationis non mundantur, ſed uruntur: tales non ſunt aurum ſed ſcoria: non granum, ſed palea: non oleum, ſed amurca. Unde multum poſſunt formidare de illo verbo Evangelii: *Luc. 3* Paleas autem comburet igni inextinguibili. Sicut enim videmus, quia confricatio panni aſperi, facit, C & conſervat munditiam ſcyphi: ſic tribulatio & carnis maceratio facit munditiam animi. Exemplum de Joanne Baptiſta, qui habebat veſtimentum de pilis camelorum, ut habetur in Matthæo. *Matth. 3* Sciebat enim, quod aſpera faciebant cor mundum.

Item nota, quod cor efficitur mundum ab omni peccato, ſpecialiter & præcipue triplici baptiſmo, ſcilic. fluminis, flaminis, & ſanguinis. Baptiſmo fluminis mundantur infantes, baptiſmo flaminis mundantur pœnitentes, baptiſmo ſanguinis mundantur martyres, quando ſcilicet Sacramentum volunt, & non poſſunt habere. Et iſte triplex modus mundandi, figuratur per illa tria quibus fiebat munditia in veteri lege. Fiebat enim per tria, ſcilicet per aquam expiationis, ut dicitur in Exodo: *Exod. 29* per effuſionem ſanguinis, ut dicitur ad Hebræos, *Hebr. 9* per unguentum unctionis, ut dicitur in Exodo. *Exod. 30* Ablutio vero, quæ fiebat per aquas, ſignificat mundationem, quæ fit per ſolam gratiam. Expiatio, quæ fiebat per ſanguinem, ſignificat martyrium vel carnis mortificationem. Sanctificatio quæ fiebat per unguenti unctionem, figurat martyrum perfectionem. Et nota, quod in illo tertio modo, ſanctificabatur ſolus Aaron & filii eius, in quo intelligitur, quod clerici, & religioſi debent eſſe mundificati excellenter unctione Spiritus ſancti.

Item nota, quod quinque erant ex quibus conficiebatur unguentum unctionis, ut dicitur in Exodo, *Ibidem.* ſcil. myrrha electa, cinnamomo, caſſia, calamo, & oleo olivarum. Prima ergo ſpecies illius unguenti erat myrrha pura & electa, ſicut illa quæ ſponte manat ab arbore, & eſt pretioſior, quam illa quæ ex arboris inciſione. Iſta ſignificat pœnitentiam, quæ fit in juventute, quæ gratioſior eſt Deo, quam illa, quæ fit in ſenectute. Nam caro, myrrha prius condienda eſt, ut ſit puriſſima, antequam vermibus ſit conſumpta. Contra fatuitatem multorum, qui myrrha pœnitentiæ nolunt ſe ungere, donec toti putruerunt vermibus peccatorum vel vitiorum. Secunda ſpecies illius unguenti erat cinnamomum, quod eſt cinerei coloris, & cum frangitur, emittit quamdam nebulam ſpiramenti redolentis etiam viſibilis, ut dicit Gloſſa: *Gl. Exo. 30* Quod figurat humilitatem, quæ debet eſſe in clericis, & religioſis: de quibus manare debet viſibiliter ſpiramentum odoris, id eſt, redolentia humilitatis, per exemplum ædificationis. Tertia ſpecies illius unguenti erat caſſia, quæ creſcit in aquis, & figurat fidem Eccleſiæ, quæ ex aquis ſacræ Scripturæ proficit. In quo intelligitur, quod fides innititur ſcripturæ, non rationi humanæ, quia ut dicit Ambroſius:

Digitized by Google

Ambr. l. de fide, cap. 5 circ. fin. tom. 4 brosius: In his quæ fidei ſunt piſcatoribus creditur non dialecticis. Quarta ſpecies illius unguenti erat calamus. Eſt autem calamus, ut dicit Gloſſ. ibid. Gloſſa, arbor aromatica, creſcens in Libano, cuius cortex facit quendam ſonum, & ſignificat in clericis, & religioſis officium Eccleſiaſticum: quod inſtar calami, debet eſſe aromaticum per devotionem, & ſonorum per divinæ laudis expreſſionem. Quinta ſpecies illius unguenti erat oleum olivarum, & ſignificat dulcedinem compaſſionis, quæ debet abundare in clericis, & religioſis. Quia ſicut oculus eſt lacrymabilior, & tenerior, & paſſibilior ceteris membris: ſic prælati & clerici, & religioſi, qui ſunt oculi Eccleſiæ, debent eſſe præ ceteris teneri compaſſione, lacrymabiles pietate. De hoc habemus exemplum in Chriſto, qui valde pronus erat ad lacrymandum, & quem miſericordia traxit de cœlis in mundum. Unde dicitur: Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis. Pſal. 44

CAPUT VI.

De Pace.

DE Pace, quæ eſt ſeptima beatitudo, notanda ſunt tria, ſcilicet quæ ſunt pacis præconia, quæ ſunt pacis ſubſidia, & quæ ſunt pacis contraria.

Pacis præconia. Primo notanda ſunt pacis præconia. Unde nota, quod tria ſunt præconia pacis. Nam pax eſt cœli linguagium, Chriſti encænium, & Dei veſtigium. Eſt igitur pax cœli linguagium, cuius ſignum eſt triplex, quia Chriſtus illud idioma loquebatur, qui venit de cœlo. Dixit enim Apoſtolis: Pax vobis, poſt reſurrectionem: quando erat immortalis, ut habetur in Joanne. Joan. 20 Tale linguagium etiam locuti ſunt Angeli qui ſunt cœli cives. Dixerunt enim in ortu Chriſti: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax. Luc. 2 Tale etiam idioma loquebatur diſcipuli, quia dictum erat eis a Chriſto: In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui. Secundo pax eſt encænium Chriſti, & pretioſius inter omnia alia jocalia. Matth. 10 & Luc. 9 Cuius cauſa eſt; quia iſtud pretioſum jocale legavit Chriſtus Apoſtolis in morte. Amici namque amicis dant & legant magis pretioſa in fine.

Et nota, quod Chriſtus dedit pacem diſcipulis ſuis, & amicis, triplici jure ſc. jure donationis inter vivos, jure ultimi teſtamenti, jure codicillorum. Jure donationis, & teſtamenti dedit pacem, quando dixit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: Joan. 14 jure codicillorum, quando poſt reſurrectionem, quaſi firmando teſtamentum, dixit: Pax vobis: Joan. 20 Tertio pax eſt veſtigium Dei, & certiſſima ſemita. De qua dicitur: Omnes ſemitæ illius pacificæ. Prov. 3 Et nota, quod huiuſmodi viæ divinæ ſunt tres Diætæ, vel ſemitæ, ſcilicet pax interna, quæ dicitur pax pectoris: pax externa, quæ dicitur pax temporis: & pax ſuperna, quæ dicitur pax æternitatis. De Diæta pacis internæ dicitur: Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris. Coloſſ. 3 De Diæta pacis æternæ dicitur: Si fieri poteſt quantum ex vobis eſt cum omnibus pacem habentes. Rom. 12 De Diæta pacis ſupernæ dicitur: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Iſa. 32

Unde nota tria pacis ſubſidia, ad pacem ducentia, vel inducentia, ſcilicet conformitas, & tranquillitas. Conformitas cum Deo, humilitas cum proximo, & tranquillitas in ſeipſo. Primo ergo iuvat ad pacem habendam, conformitas voluntatis noſtræ ad voluntatem divinam. Sicut enim ſemper eſt in guerra, qui nititur regi reſiſtere, cui non poteſt aliquatenus prævalere: ſic continua pace gaudet qui voluntatem ſuam voluntati divinæ conformare ſtudet, cui nihil valet reſiſtere. Ideo dicitur: Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Job 9 quaſi diceret, nullus. Secundo juvat ad pacem habendam, cum quis habet veram humilitatem. Nam vulgo dicitur, duo groſſi in uno ſacco non poſſunt bene capi, & per contrarium humilitas facit

cit mentes modicas, & graciles, & per conſequens ad invicem capaces.
Ephes. 4 Unde dicit Apoſtolus: Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Tertio juvat bonum pacis tranquillitas mentis. Sicut in lecto ſpinoſo nullus poteſt bene pauſare: ſic cor inquietum non poteſt veram pacem habere. Et econverſo ſicut homo bene pauſat in molli culcitra: ſic Deus quieſcit in mente tranquilla.
Pſalm. 4 Unde dicitur: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Et rurſus:
Pſal. 75 In pace factus eſt locus ejus. Et ite-
Pſalm. 30 rum: Manſueti hereditabunt terram. Et ibidem in multis locis patet.

Tertio notanda ſunt pacis contraria. Unde nota, quod triplex eſt pax mala, quæ eſt veræ paci contraria, ſcilicet pax inquinata, pax ſimulata, & pax inordinata. Primo ergo, eſt veræ paci contraria, pax inquinata, & dicitur pax inquinata, quando corda ſunt ad malum concordia, talem pacem habuit Pilatus cum Herode. Qui cum eſſent ante inimici, facti ſunt in morte Chriſti amici, ut dicitur in Luca. De tali pace di-
Luc. 23 citur: Zelavi ſuper iniquos, pacem
Pſal. 72 peccatorum videns. Secundo eſt veræ paci adverſa pax ſimulata, qualis fuit ſimulatoris Judæ, qui oſculatus eſt Chriſtum in ſignum pacis, & tradidit ipſum Judæis, ut dicitur in
Matt. 26 Matthæo. De tali pace dicitur. Qui
Pſal. 27 loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Tertio & ultimo, eſt pax inordinata, quando major obedit minori, ut prælatus inferiori, vel ratio ſenſualitati: talis pax eſt deterior, quam guerra. Talem pacem habuit Adam cum Eva uxore ſua, qui obedivit uxori ſuæ, quæ erat ſibi potius ad obediendum, & ad regendum commiſſa. Noluit enim contriſtare delicias ſuas, ut dicit Magiſter hiſtoriarum. De tali
Matt. 10 pace dicit Salvator: Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium. Item nota, quod quadruplex bellum in ſcriptura diſtinguitur, quod paci adverſatur, & per pacem ſedatur. Bellum enim eſt inter carnem & ſpiritum, quod pacificat pœnitentia. Bellum eſt inter hominem & Deum, quod pacificat juſtitia. Bellum etiam fuit inter hominem, & Angelum, quod pacificavit filii incarnatio benedicta. Et bellum eſt inter hominem, & proximum ſuum, quod pacificat patientia. Et quia pax eſt ita fructuoſa & neceſſaria, ideo ad eam obtinendam, docet nos orare Propheta, dicens: Rogate quæ ad pa- Pſalm. 121
cem ſunt Hieruſalem.

CAPUT VII.

De Patientia.

DE Patientia, quæ eſt octava & ultima beatitudo, notanda ſunt ſpecialiter quatuor, ſcilicet Patientiæ teſtimonia, Patientiæ beneficia, Patientiæ exercitia, & Patientiæ adiutoria.

Circa Patientiæ igitur teſtimonia, & laudes ejus, primo ſunt tria notanda, ſcilicet quia eſt prudentiſſima, ſtrenuiſſima, & nobiliſſima. Prudentiſſima ad regendum: ſtrenuiſſima, ad bellandum: & nobiliſſima, ad regnandum. Primo igitur patientia eſt ad regendum prudentiſſima. Et nota, quod in tribus patet hominis patientia prudentis, ſcilicet acquirendo, conſervando, & multiplicando. *Patientia prudentis in tribus cernitur.* Prudens enim facit ſolvere omnia debita ſua de his, quæ nihil videntur valere, ſcilicet de malis pœnæ, quas ſuſtinet, ut Deus remittat ſibi debitum culpæ, & ſolvendo nihil expendit de ſuo, immo de his, quæ accepit ab initio, ſicut de opprobriis, & contumeliis, ſolvit quæcumque & quidquid debet Deo, & cum alienis ſe retinendo, ſcit acquirere gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Et ideo dicitur: Ab Aquilone aurum Iob 37
venit, quod patiens acquirit in tribulatione. Item patientis prudentia patet in conſervando: quia cum perdit bona temporalia, retinet, & claudit bona ſpiritualia. Econtrario facit qui patientiam non habet: qui cum amittit bona exteriora, effundit æterna,

na, & bona interiora, & ſic auget capitale Diaboli, reſpondendo ad verba, & ad contumelias inimici, & aſſociat hoſtem ſuum, ne forte vadat ſolus in infernum. Male igitur, qui impatiens eſt, cuſtodit divitias ſuas, qui cum aliquid perdit, etiam reſiduum effundit. Ideo dicitur: Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum. (*Prov. 19*) Prudentia etiam patientis patet in multiplicando: quia ſputa & opprobria ſcit mutare in aurum & argentum, & lapides pretioſos. Ipſe enim ad modum urſi verberibus impinguatur, & inſtar ſalamandræ, igne tribulationis fovetur. Et ſicut aſinus pungitivis paſcitur, ſicut ſtruthio comedit ferrum, & omnia dura, ſicut piſcis marinus creſcit in aqua ſalſa & amara, id eſt, tribulationibus & paſſionibus, & tantam ſcit in negotio habere induſtriam, ut per hoſtes ſuos faciat ſibi fabricare coronam, dicente Pſalmo: Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores. (*Pſal. 128*) Magna eſt igitur prudentia patientis, quod tam prudenter ſcit acquirere, conſervare, & multiplicare bona ſua.

Patientis ſtrenuitas in tribus apparet.

Secundo patientia eſt ad bellandum ſtrenuiſſima, quia ait Sapiens: Melior eſt patiens viro forti. Et nota, quod ſtrenuitas patientis patet in tribus, ſcilicet ſi attendas pugnantis animum, pugnandi modum, & pugnandi ſcutum. Primo ergo patiens habet animum valde ſtrenuum, quia plus vult pugnare, quam pauſare. Glorioſius & generoſius eſt militi, ſtare in bello, quam in balneo: eſſe in campo cum rege, quam in lecto cum muliere: certare in pugna, quam delectari in menſa: & portare arma regis, quam fimbrias mulieris. Unde dicit Apoſtolus: Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. (*Gal. 6*) Secundo patiens habet in pugnando modum valde ſtrenuum. Ipſe enim ſine fuga evadit, ſine ictu teli recedit, ſine repercuſſione vincit, & adeo eſt in pugnando ſtrenuus, quod contra hoſtem non levat feſtucam de terra, ut ait Pſalmiſta: Confregit (*Pſalm. 75*)

A potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Tertio patiens in pugna habet nobiliſſimum ſcutum. Et nota, quod ſcutum patientiæ debet eſſe triangulum. (*Patientiæ ſcutum quale eſſe debeat.*) In inferiori enim angulo debet eſſe timor ſupplicii, in dextro amor proximi: in ſiniſtro paſſio Chriſti, juxta illud: Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum. (*Thren. 3*) Et juxta illud: Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. (*1 Pet. 4*) Et hoc ſcutum ſuſtinet omnia tela, & ſpecialiter tria, ſcilicet damnum rerum, moleſtias corporum, & contumelias verborum. Cum hoc ſcuto homo ſe conformat voluntati Domini, correctiones ejus ſuſtinendo: vincit Diabolum, ejus tentationes evadendo: (B) ſanctificat ſemetipſum, carnis afflictiones, & paſſiones corporis tolerando: De ſtrenuitate patientis dicit Apoſtolus: Per patientiam curramus ad propoſitum nobis terminum. (*Hebr. 12*)

Tertio patientia eſt ad regnandum nobiliſſima, quia dicitur: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. (*Matth. 5*) Et nota, quod homo pacificus poteſt dici rex præcipue propter tria, (*Homo pacificus propter tria dici poteſt.*) ſcilicet quia regali dominio omnibus dominatur, quia ad regale prandium invitatur, & quia ſibi regale ferculum miniſtratur. Primo enim homo patiens rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus. (C) Nam patienti ſerviunt omnia, quæ aliis ſunt nociva, ut ſterilitas agrorum quæ implet ſibi cellarium: hoſtes fabricant ſibi coronam: febres parant & medicinam: mors aperit ſibi carcerem ad evadendum miſeriam: ignis, qui domos incendit aliis, ſibi confert pabulum, vel conſtituit in cœlis palatium, & ſic verificatur illud Apoſtoli: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. (*Rom. 8*)

Secundo patiens invitatur a Deo ad regale prandium: & non ſolum invitatur, ſed etiam trahitur: nec ſolum trahitur, immo veſtis ejus ut veniat, laceratur. Unde nota, quod triplex eſt ſignum, quod invitans ex corde invitet amicum, ſcilicet trahendo,

hendo, vocando, & rumpendo. Magnum ſignum eſt, quando efficaciter eum invitat, ſive vocat per prædicatoris verbum, alios per tactum inſpirationis, ſed patientes, quos ſumme diligit, per rupturam tribulationis. Unde dicit: Compelle eos intrare, ſcilicet patientes vocando, trahendo, & rumpendo. *Luc. 14*

Tertio patienti miniſtratur regale prandium, vel ferculum. Talia namque fercula guſtavit Chriſtus, qui eſt rex regum, ſcilicet tribulationes, perſecutiones, periuria, paupertates, dolores, & paſſionem, & mortem. Unde dicit filiis Zebedæi: Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? &c. Et ſicut magna incurialitas reputatur, cum quis reſpuit ſcyphum, quem rex mittit ad bibendum poſt ipſum: ſic magna ingratitudo eſt, calicem tribulationis reſpuere, quem amore noſtri, Chriſtus voluit primo guſtare, immo ſicut vinum, quod de ſe eſt forte & durum, tranſeundo per gariophilos, & ſpecies aromaticas, efficitur nectar dulciſſimum: ſic tribulationes mundi dulceſcunt, ſi per memoriam paſſionis Chriſti tranſeant. Unde dicit ſponſa: Dabo tibi poculum ex vino condito. Vinum conditum ad litteram dicitur nectar, & ſignificat vinum mundanæ tribulationis, conditum dulciter, dulci memoria paſſionis Chriſti, quod nobis concedat ipſe Dei filius, qui eſt benedictus in ſecula. *Matth. 20* *Cant. 8*

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS OCTAVUS.

De duodecim Fructibus Spiritus.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Gaudio ſpirituali.	*Cap. I.*
De Longanimitate.	*Cap. II.*
De Benignitate.	*Cap. III.*
De Manſuetudine.	*Cap. IV.*
De Fide.	*Cap. V.*
De Modeſtia.	*Cap. VI.*
De Continentia.	*Cap. VII.*
De Caſtitate.	*Cap. VIII.*

CAPUT I.

De Gaudio ſpirituali.

POſt tractatum de beatitudinibus: Sequitur tractatus de fructibus ſpiritus, & iſta eſt octava Diæta ſalutis, ſcilicet a beatitudinibus ad fructus ſpiritus pervenire. Quia beatitudines faciunt operari, vel ambulare ſimpliciter & perfecte: fructus autem ſuaviter, & delicioſe. Sunt iſti fructus ſpiritus duodecim. Quos enumerat Apoſtolus: Fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas. Primo igitur inter iſtos fructus, dicendum eſſet de charitate: ſed quia in tractatu de virtutibus, de ipſa dictum eſt, ideo hic nihil ad præſens eſt dicendum. *Gal. 5* *Sup. tit. 1 cap. 2*

Secundo loco poſt fructum charitatis, dicendum eſt de fructu gaudii ſpiritualis. De quo dicenda ſunt pauca, & ſpecialiter tria. Primo qualiter ſpirituale gaudium eſt a mundi gaudio ſeparatum. Secundo qualiter eſt a cœli gaudio derivatum. Tertio qualiter eſt a cœleſti gaudio pigmentatum.

Primo igitur, gaudium ſpirituale eſt a mundi gaudio ſeparatum, & diſtinctum. Unde ſciendum eſt, quod quatuor ſunt differentiæ inter ſpirituale gaudium & mundanum. Prima differentia eſt puritas & impuritas. Gaudium enim ſpirituale eſt puriſſimum, & ideo fortius eſt ad inebriandum ad diligeudum Deum: ſicut videmus, quod vinum purum citius inebriat, quam limphatum. Iſtud vinum ſpiritualis gaudii fit de botro Cypri, id eſt de ſanguine Chriſti, expreſſo in crucis torculari, ſicut dicitur: Botrus Cypri dilectus meus mihi. Gaudium vero mundanum, ſicut vinum cum aqua mixtum ad inebriandum debiliſſimum, & inſipidum. De quo dicitur: Vinum tuum mixtum *Quatuor differentiæ inter ſpirituale gaudium, & mundanum* *Cant. 1* *Iſa. 1*

tum eſt aqua. Quia, ut dicit Boetius: Dulcedo felicitatis humanæ, multis amaritudinibus eſt reſperſa. Et notandum, quod gaudium humanum cum duobus eſt admixtum, ſcilicet cum remorſu conſcientiæ, & ſolicitudine cruciante. Remorſus conſcientiæ eſt ſicut infirmitas, quæ dicitur regius morbus, qui rodit carnem, & eſt magnarum expenſarum. Unde dicitur regius, quia oportet, quod ex gallinis, & aliis delicatis carnibus, morbus ille paſcatur, quæ ſuper locum morbi ponuntur, ne caro totaliter conſumatur, quantumcumque tamen caro paſcatur, tamen plus conſumitur a morbo quam ſuſtentetur a fomento. Ita in gaudio mundi, plus cruciat remorſus conſcientiæ, quam delectet dulcedo iucunditatis tranſitoriæ & mundanæ. Secundum gaudium mundanum eſt mixtum cum ſolicitudine cruciante. Solicitudo enim auget cruciatum, quia, ut dicit Bernardus: Divitiæ mundanæ cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, & cum dolore amittuntur. Unde verſus:

Boet. lib. 2 de conſ. philoſ. proſ. 4 poſt med.

Bern. ſer. de converſ. ad cleric. c. 12.

Dives divitias non congregat abſque labore,
Non tenet abſque metu, non deſinit abſque dolore.

Secunda differentia ſpiritualis gaudii eſt continuitas & diſcontinuitas. Spirituale gaudium eſt continuum & ſecurum. Unde dicitur: Secura mens quaſi iuge convivium. Gaudium vero mundanum eſt breve & tranſitorium, quia ut dicitur, Gaudium hypocritæ inſtar puncti. Hypocrita dicitur iſte mundus: quia hypocrita licet interius ſit corruptus, exterius tamen apparet bonus & mundus, in veritate malus, & fœtidus interius exterius tamen eſt floridus & venuſtus. Et ideo gaudium ejus eſt ſolum quaſi punctus inſtar puncti, non habens longitudinem perſeverantiæ, nec latitudinem amicitiæ, nec profunditatem bonæ conſcientiæ: ſicut punctus qui caret longitudine, quam habet linea: & latitudine, quam habet ſuperficies: & profunditate, quam habet corpus. Tertia differentia ſpiritualis gaudii & mundani, eſt dignitas & indignitas. Gaudium enim ſpirituale eſt de rebus valde dignis, quia de Deo præcipue, & de rebus divinis. Unde dicit Apoſtolus: Guadete in Domino ſemper, &c. Gaudium vero mundi eſt de rebus indignis, & præcipue, ſicut de voluptate carnis, de qua dicit Seneca: Voluptas eſt membrorum vilium, & turpium miniſtratio veniens ex exitu fœtido. Et Auguſtinus dicit, quod ſæculi eſt impunita nequitia, videlicet luxuriari, in ſpectaculum vagari, ebrioſitate impinguari, turpitudine fœtere, & mali mihi nihil pati. De quo gaudio turpiſſimo dicitur: Stultorum exultatio ignominia. Quarta differentia ſpiritualis gaudii & mundani, eſt ſalubritas & noxietas. Gaudium enim ſpirituale eſt ſalubre & ſtudioſum tripliciter, quia facit carnem deſpicere. Fugato enim ſpiritu deſipit omnis caro, ut ait Auguſtinus. Secundo facit Diabolum vincere; quia ut dicebat S. Antonius: Unica ratio vincendi Diabolum eſt lætitia ſpiritualis. Tertio facit mundum contemnere, quia nemo poteſt duobus dominis ſervire, ut habetur in Luca. Ideo qui gaudet de Deo, triſtatur de mundo.

Prov. 15

Job 20

Phil. 4

Sen. lib. 4 de benef. cap. 2

Aug. ſer. 1 de verb. Dom. ſec. Luc. poſt med. to. 10

Prov. 3

B

Athan. de vita Ant.

Luc. 16

Secundo ſpirituale gaudium eſt a cœleſti gaudio derivatum, ideſt a donis cœleſtibus. Unde notandum eſt quod quinque ſunt bona cœleſtia, a quibus eſt ſpirituale gaudium derivatum, ſcilicet ſpiritualis puritas, ſpiritualis tranquillitas, ſpiritualis ſanitas, ſpiritualis libertas, & ſpiritualis conformitas. Primum a quo cauſatur ſpirituale gudium eſt ſpiritualis puritas. Animus enim generoſus libentius quieſcit in lecto conſcientiæ, quando eſt mundus, quam quando eſt immundus. Nam naturaliter homo appetit munditiam, & abhorret immunditiam. Propterea dicit ſponſa: Lectulus noſter floridus. Secundum a quo cauſatur ſpirituale gaudium, eſt ſpiritualis ſanitas. Sicut videmus, quod naturaliter non eſt gaudium, ſi corpus eſt infirmum. Unde dicitur: Dulcedo animæ eſt ſanitas oſſium, ideſt virium animæ. Et alibi: Non eſt cen-

C

Bona cœleſtia, a quibus derivatur gaudium ſpirituale, quinque ſunt.

Cant. 1

Prov. 16

cenſus, ſuper cenſum ſalutis corporis: non eſt oblectamentum, ſuper cordis gaudium. Tertium a quo derivatur ſpirituale gaudium, eſt ſpiritualis libertas. Peccator enim eſt ſicut homo captus & ligatus, ad bene operandum ineptus. Unde dicitur: Iniquitates ſuæ capiunt impium. Sed adveniente Spiritu ſancto, libertas cauſatur in anima, juxta illud Apoſtoli: Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Quartum a quo ſpirituale gaudium cauſatur, eſt ſpiritualis tranquillitas. Itaque in hoc mundano gaudio ſunt diverſarum cogitationum tumultus, & diverſarum affectionum cruciatus, & conſcientiæ remorſus. Quidam vero cruciantur cupiditate in acquirendo. Quidam timore in cuſtodiendo. Quidam dolore in amittendo. Iſto gaudio humano, quidam cruciantur ira, quidam invidia: ſed animus ſpirituali gaudio plenus quietus eſt, & jucundus, & quaſi quidam lectus molliſſimus. Videmus enim quod in lecto molli, & quieto libentius homo quieſcit, quam in lecto ſpinoſo. Iſte eſt lectus floridus, in quo quieſcit ſponſus, & ſponſa, ut dicitur in Canticis. De iſta quiete gaudii ſpiritualis dicit Gregorius: Sancti nihil hujus mundi appetunt, nullis corde tumultibus comprimuntur. Et Auguſtinus dicit, quod qui biberit de flumine paradiſi, cujus una gutta eſt major Oceano, reſtat quod in eo ſitis hujus mundi extincta ſit. Quintum a quo cauſatur ſpirituale gaudium. Eſt ſpiritualis conformitas, ſcilicet cum voluntate Dei, quia cum voluntas humana voluntati divinæ conformatur, nihil ei repugnat, & ſic voluntas Dei in omnibus impletur, juxta illud: Omnia quæcumque voluit, fecit. Hæc autem major dilectio, & maius gaudium eſt, quod poſſit eſſe, omnia ad nutum habere, & nihil ei repugnare. Etiam ignis gehennæ facilis eſſet, ſi voluntas illum acceptaret. Qui igitur ſunt voluntati divinæ conformes ſunt quaſi Dii, ſuæ voluntatis compotentes. Exemplum, de quodam ſancto patre, qui ſciebat flere, quandocumque volebat.

Marginalia (left): Prov. 5 — 2 Cor. 3 — Cant. 2 — Greg. l. 4 Mor. c. 28 cir. med. — Pſal. 113

Tertio, & ultimo ſpirituale gaudium eſt a cœleſti gaudio pigmentatum: conficitur enim inſtar nectaris, ſpeciebus cœleſtibus, & gariophilis. Unde notandum eſt devote & diligenter, quod triplex eſt genus nectaris, ſcilicet nectar Dominicæ paſſionis, nectar virtuoſæ operationis, & nectar æternæ fruitionis, vel felicitatis. Primum eſt nectar Dominicæ paſſionis, quod eſt dulciſſimum, & animæ devotæ inebriativum. Et notandum quod in hoc nectare benedicto, quatuor apponuntur, ſcilicet vinum illud myrrhatum, quo Chriſtus fuit potatus. Pro gariophilis ſunt clavi poſiti, quibus Chriſtus fuit confoſſus. Pro cinnamomo eſt lignum crucis, in quo fuit ſuſpenſus. Pro zucaro eſt ibi dulciſſima charitas, & miſericordia, quia pro nobis tractatus fuit, paſſus & mortuus. De iſto nectare dicit ſponſa: Dabo tibi poculum ex vino condito. Secundum nectar, eſt virtuoſæ operationis: Habet pro vino charitatem Dei, & proximi: & pro gariophilis, clavos pungitivos confeſſionis peccati: pro cinnamomo planctum oſtenſivum recognitionis peccati: pro zucaro, habet dulcedinem pietatis, & boni operis. De iſto nectare dicit ſponſa: Bibi vinum meum cum lacte meo. Vinum eſt dulce, & lac eſt mundum: quia bona voluntas habet iſta duo, ſcilicet dulcedinem veritatis, vel pietatis & gratiæ, & munditiam conſcientiæ. De iſto gaudio dicitur: Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Tertium eſt nectar æternæ fruitionis, vel felicitatis, quod angelicum & jucundiſſimum eſt, & ideo facit beatos, continue cantare: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, & cet. Sicut videmus quod nectar in conviviis, facit convivas choreas ducere & cantare, ſic, &c. Iſtud nectar conficitur ex quatuor. Habet enim pro vino, puritatem divinæ viſionis: pro gariophilis, habet venuſtatem Domini-

Marginalia (right): Spirituale gaudium a cœleſti gaudio quomodo pigmentatum ſit. — Cant. 8 — Cant. 5 — Eccl. 30

Digitized by Google

nicæ paſſionis: pro cinnamomo habet firmitatem æternæ donationis, vel fruitionis: pro zucaro, vel pro melle, habet dulcedinem, vel ſuavitatem æternæ fruitionis. De iſto nectare dicitur: Bibite & inebriamini amici mei chariſſimi. Iſtud eſt ſpirituale gaudium, a cœleſti gaudio pigmentatum, de quo dicitur: Intra in gaudium Domini tui, &c. Tertius fructus, eſt fructus pacis, ſed quia de iſto fructu, tractatum eſt in beatitudine ſeptima, ideo de ipſo nihil amplius eſt hic dicendum. Quartus fructus eſt patientia. De qua ſimiliter dictum eſt in tractatu de beatitudinibus, cum dicebatur de octava beatitudine.

Cant. 5

Matt. 25

Sup. tit. 7 c. 6

Sup. tit. 7 c. 7

CAPUT II.

De Longanimitate.

QUintus fructus eſt Longaminitas, vel perſeverantia. De qua etiam notanda ſunt tria. Primum eſt, quam laudabiliter commendatur: ſecundum eſt, quam efficaciter operatur: & tertium eſt, quam ſingulariter coronatur.

Primo igitur commendatur perſeverantia; quia Deus perſeveravit quouſque fecit opus ſuæ creationis, juxta illud: Complevit Deus die ſeptimo opus quod fecerat. Chriſtus perſeveravit, quouſque perfecit opus noſtræ redemptionis, quia dicitur: Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam. Sancti perſeveraverunt, quouſque perfecerunt opus ſuæ perfectionis. In quorum perſona dicit Apoſtolus: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.

Gen. 2

Joan. 17

Secundo Perſeverantia operatur efficaciter. Unde notandum, quod triplex eſt perſeverantiæ effectus: nam perſeverantia perficit inchoata, impetrat poſtulata, & ſtabilitat acquiſita. Primo igitur perſeverantia perficit inchoata, & nihil imperfectum relinquit, etiam ſi robur deficit. Sicut videmus, quod mulierculæ quantumcumque ſenilis ætatis laborando, & perſeverando, & continuando, perficiunt laborem ſuæ peregrinationis. Et ſicut videmus, quod natura continue operando, ex modica radice, vel nuce, facit arborem miræ celſitudinis. Et ſicut videmus, quod gutta aquæ, quamvis ſit res valde mollis, continue cadendo, cavat lapidem robuſtæ ſoliditatis. Et ideo dicitur: Nolite negligere, nolite ceſſare. Secundo perſeverantia impetrat poſtulata. Sicut Maria Magdalena perſeverando vidit reſurrectionem Chriſti. Sicut Apoſtoli perſeverando in oratione acceperunt donum Spiritus ſancti, ut dicitur in Actis Apoſtolorum. Et propterea dicitur: Si perſeveraverit pulſans, & ſi non dabit ei, ſurgens, eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit ei quotquot habet neceſſarios. Tertio, perſeverantia ſervat acquiſita. Sic videmus, quod ignis ſervetur, continue miniſtrando ligna. Et propterea dicit Auguſtinus; Perſeverantia eſt magnum donum Dei, quo dona conſervantur.

Perſeverantiæ effectus triplex.

Jud. 8

Act. 2

Luc. 11

Aug. de bono perſever. c. 1 circa fin. tom. 7

Tertio perſeverantia coronatur ſingulariter, unde ait Bernardus, quod aliæ virtutes coronam merentur, ſed ſola perſeverantia coronatur. Et notandum, quod in ſcriptura quadruplex invenitur, & laudatur corona. Eſt enim corona pudicitiæ virginalis, & hæc eſt florea, & debetur virginibus. Unde dicitur: Gloria & honore coronaſti eum: quod dicitur de ſponſo virginum. Secunda corona ſapientiæ magiſtralis, & hæc aurea eſt, quæ debetur doctoribus, juxta illud: Corona aurea ſuper mitram ejus. Tertia corona eſt perſeverantia triumphalis, & hæc eſt gemmea, quæ debetur martyribus, & omnibus perſeverantibus, ſecundum illud: Poſuiſti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Et Apoſtolus ait: Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Quarta corona eſt gloriæ im-

Bern. ep. 31 & ep. 109

Corona quadruplex in ſcriptura.

Pſalm. 8

Eccli. 45

Pſalm. 20

1 Cor. 9

immortalis, & hæc eſt ſtellea, quæ A
Apoc. 12 debetur felicibus, juxta illud: In capite ejus corona duodecim ſtellarum. Corona ſtellæ, eſt felicitas æterna, de qua dicitur infra in ultima Diæta, ubi tangetur de gloria paradiſi. Hac corona coronantur perſeverantes, quia, ut dicit Salvator:
Matt. 10 Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. Sextus fructus eſt fructus bonitatis. De iſto fructu actum eſt
Sup. tit. 7 c. 4 in tractatu de beatitudinibus. Ideo de ipſo nihil eſt dicendum, niſi quod quatuor ſunt, de quibus bonitas prædicatur. Eſt enim bonitas naturæ congregantis, fortunæ adornantis, gratiæ reformantis, & gloriæ quie-
Gen. 1 tantis. De quibus dicitur: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, ſcilicet bona naturæ, bona fortunæ, bona gratiæ, bona gloriæ: & erant valde bona.

CAPUT III.

De Benignitate.

Septimus fructus, eſt fructus benignitatis. De iſto fructu, ſimi-
Sup. tit. 7 c. 4 liter dictum eſt in tractatu de beatitudinibus, in capitulo de miſericordia. Et ideo nihil ad præſens dicendum eſt de ipſo, niſi quod quatuor ſunt quæ ad benignitatem nos inducunt, ſcilicet præceptum, quod

Quatuor nos inducunt ad benignitatem.

inducitur, vel imponitur: exemplum, quod proponitur: ſupplicium, quod evaditur: & ſtipendium, vel præmium, quod acquiritur. Primo debet nos movere ad benignitatem præceptum, quod a Chriſto inducitur, vel imponitur. Unde dicitur: Eſto-
Luc. 6 te miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt. Secundo debet nos movere exemplum, quod ab ipſo
Matth. 20 proponitur de Samaritano. Tertio, debet nos movere ſupplicium inferni, quod evaditur. Quia judicium
Jacob. 2 ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam, Quarto, movet nos præmium, quod in cœlo ac-
Matth. 5 quiritur: Unde dicitur: Beati miſericordes, quoniam &c.

CAPUT IV.

De Manſuetudine.

Octavus fructus, eſt fructus Manſuetudinis, de quo ſupra dictum Sup. tit. 7 c. 2
eſt in tractatu de beatitudinibus, in cap. de mititate. Ideo de ipſa parum eſt hic dicendum: Et breviter eſt notandum, quod manſueti clarius informantur, rarius impugnantur, altius elevantur, & amplius venerantur. Primo igitur manſueti clarius informantur. Exemplum de diſcipuli. Unde Jacobus in canonica ſua dicit: In manſuetudine ſuſcipite inſi- Jac. 1
B tum verbum. Secundo manſueti rarius impugnantur. Sicut enim videmus communiter, quod non impugnantur niſi caſtra alta, & altius elevata: ſic etiam videmus, quod leo, & canis non invadunt hominem ſi inveniant ipſum iacentem, vel ſedentem ſuper terram. Unde dicitur: Pſalm. 36
Manſueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Matt. 21
Tertio altius elevatur, ſicut patet de Chriſto, qui venit ad nos manſuetus. Sicut patet de B. Virgine, & multis aliis. Unde dicitur: Exurget in ju- Pſalm. 75
dicio Deus, ut ſalvet omnes manſuetos terræ. Quarto manſueti amplius honorantur. Exemplum habemus a
C Chriſto, qui ait: Recumbe in no- Luc. 14
viſſimo, &c. & David: Suſcipiens Pſalm. 146
Dominus manſuetos, &c.

CAPUT V.

De Fide.

Nonus fructus eſt fides, de qua Sup. tit. 5 c. 3
dictum eſt in tractatu de virtutibus, in capite de fide. Et ideo nihil aliud eſt hic dicendum, niſi quod fides eſt, ſicut fundamentum ad ſuſtinendum, ſicut armatura ad evadendum, ſicut argumentum ad concludendum, & ſicut inſtrumentum ad aſcendendum.

Quatuor ſimilitudines fidei congruentes.

Primo igitur fides eſt ſicut fundamentum ad ſuſtinendum. Sicut enim vide-

Digitized by Google

videmus, quod natura, quando vult A producere plantam, primo ponit radicem, ſimiliter quando domificator facit domum, primo ponit fundamentum: ſimiliter in moralibus, ſi aliquis vellet ædificare bona opera, debet ſupponere fidem: quæ eſt ut petra duriſſima, & totius ſpiritualis ædificii fundamentum. Et Ideo dixit Dominus Petro: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et nota, quod dixit ſuper hanc: quia fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, ut dicitur ad Corinthios. Et ideo ſi quis ædificat, ſuper illud fundamentum, ædificet, quia ait Apoſtolus: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

Matth. 16 *1 Cor. 3* *Hebr. 11*

Secundo fides eſt armamentum ad evadendum: eſt enim ſicut ſcutum militare. Scutum autem militare habet ſuperficiem & tres angulos, & portatur a parte ſiniſtra, contra adverſarium, & a parte cordis ad protegendum ipſum, & ratione ſigni habet repræſentare Deum: ſic vera fides Catholica eſt ad repellendum adverſarium, cum tribus catervis: ad protegendum animum, cum tribus potentiis: ad confitendum Deum in tribus perſonis. Unde ait Apoſtolus: In omnibus ſumentes ſcutum fidei, &c.

Epheſ. 6

Tertio fides eſt ſicut argumentum C ad concludendum, non ſicut argumentum dialecticum, quod procedit ex probabilibus, aut ſicut argumentum tentativum, quod procedit ex his quæ videntur probabilia, & non ſunt: ſed argumentum apodicticum, ideſt, faciens ſcire. Numquam enim aliquis ſapiens per ſuam ſcientiam potuit pervenire ad tantam ſcientiam de Deo & creaturis, ad quantam venit ſimplex piſcator Petrus, cum dixit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Unde per iſtud argumentum; probatur unitas divinæ eſſentiæ, trinitas perſonarum, unitas primæ cauſæ, & multiplicitas creaturarum, pietas miſericordiæ, multiplicitas gratiarum, & multa alia, Chriſtus & ejus diſcipuli per iſtud argumentum demonſtrabant. Nam per iſtud argumentum probatur demonſtrative illuminatio cæcorum, rectificatio claudorum, auditus ſurdorum, locutio mutorum, erectio ſive extenſio aridorum, & ſuſcitatio mortuorum. Et ideo dicebat Chriſtus: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et ideo volens Apoſtolus diffinire fidem, ait: Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium.

Matt. 16 *Joan. 15* *Heb. 11*

Quarto, fides eſt ſicut inſtrumentum ad ſcandendum. Videmus enim quod naturaliter omnis res habet locum B proprium ad quem naturaliter tendit per ſuam naturam; ſicut gravia habent locum deorſum, ad quem per naturam gravitatis naturaliter deſcendunt. Levia autem habent locum ſurſum, ad quem per naturam levitatis naturaliter aſcendunt. Homo cum ſit omnium creaturarum corporalium nobilior, habet locum ſuper omnia corpora, ad quem locum ante peccatum poterat per gratiam aſcendere, quamvis non poſſet per naturam totaliter. Sed propter peccatum gratia fuit ſibi ablata, & natura totaliter ſauciata: & ideo ad hoc, quod poſſit ad locum proprium remeare, indiget inſtrumento quodam. Quod inſtrumentum nullus per ſuam ſapientiam, vel vitam potuit fabricare præter Chriſtum: qui fabricatus eſt auroram & ſolem. Ideo omnes qui ſalvati ſunt per miniſterium ipſius Chriſti, ſcilicet per fidem ſalvati ſunt. Quæ quidem eſt velut una ſcala, per quam ad cœlum aſcenditur, continens duodecim gradus, id eſt, duodecim articulos per Apoſtolos declaratos, juxta numerum, duodecim cœlorum, incipiendo ex aere, qui cœlum dicitur uſque ad cœlum empyreum, in quo duodenarius numerus terminatur. Latera autem iſtius ſcalæ ſunt divinitas, & humanitas. Iſta autem ſcala fuit per Chriſtum Deum & hominem fabricata, ſed nobis fuit per duodecim Apo-

Pſal. 18

Apoſtolos revelata. Iſta eſt ſcala, A quam vidit Jacob Patriarcha, cujus cacumen pertingebat ad cœlum, cui etiam Dominus erat innixus, per quam aſcendebant Angeli, & deſcendebant. De iſta ſcala dicit Auguſtinus in ſermone Aſcenſionis: Aſcendamus interim corde, id eſt fide, ut cum dies promiſſus advenerit, ſequamur, & corpore.

Gen. 28

Aug. ſer. 2 in Aſcenſ. Dom. ſtatim a pr. tom. 10

CAPUT VI.

De Modeſtia.

DEcimus fructus eſt Modeſtia. De iſto fructu in tractatu de temperantia dictum eſt, & ideo ad præſens nihil eſt dicendum.

Sup. tit. 5 cap. 6

CAPUT VII.

De Continentia.

UNdecimus fructus eſt Continentia. De iſto fructu in tractatu de conſiliis, in capitulo de caſtitate ſimiliter dictum eſt.

Sup. tit. 4 cap. 4

CAPUT VIII.

De Caſtitate.

DUodecimus fructus eſt Caſtitas. De iſto fructu ſimiliter in tractatu de conſiliis dictum eſt in capitulo de caſtitate. Et ideo non eſt amplius dicendum.

Sup. tit. 4 cap. 4

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS NONUS.

De Generali Judicio.

CAPUT UNICUM.

De his, quæ ante ipſum, & in ipſo Judicio agentur.

POst tractatum de fructibus Spiritus ſancti, de generali & ultimo judicio eſt dicendum. B Iſta eſt octava Diæta, ſcilicet a fructibus bonorum operum, venire ad judicium extremum. De generali judicio quatuor ſpecialiter ſunt notanda, ſcilicet ſigna quæ præmittentur, ſcripta quæ aperientur, verba quæ dicentur, & facta quæ ſequentur. Signa quæ præmittentur, erunt ſicut quædam peremptoria citatio. Scripta, ſcilicet libri, quæ aperientur, erunt ſicut quædam acta, & proceſſus recitatio, & teſtium publicatio. Verba quæ dicentur erunt ſicut quædam ſententiæ promulgatio. Facta quæ ſequentur, erunt ſicut quædam latæ, & promulgatæ ſententiæ executio.

C Primo igitur præcedent illud judicium, ut dicitur in Marco, ſigna ſicut quædam citatio peremptoria, quæ ſigna dicit Hieronymus ſe reperiſſe in hiſtoriis Hebræorum. Prima die eriget ſe mare quindecim cubitis ſuper altitudinem montium, ſtans in loco ſuo quaſi murus. Secunda die deſcendet, ita quod vix poterit videri. Tertia die, piſces & marinæ belluæ apparentes ſuper mare, dabunt mugitus uſque ad cœlum. Quarta die, ardebit mare & aqua. Quinta die, herbæ & arbores dabunt florem ſanguineum. Sexta die, ruent ædificia. Septima die, petræ adinvicem collidentur, & in octo partes ſcindentur, & unaquæque pars collidet aliam, & non ſciet homo

Signa judicium univerſale præcedentia. Marc. 13

ſonum

ſonum illum, ſed tantum Deus. Octavo die, fiet generalis terræ motus, qui tantus erit, ut dicitur, quod nullus homo, vel animal aliquod ſtare poterit, & in terram omnia proſternentur. Nona die, æquabitur tota terra & omnes montes, & colles in pulverem redigentur. Decima die, exibunt homines de cavernis terræ, & ibunt velut amentes, nec poterunt ſibi mutuo loqui. Undecima die reſurgent omnia oſſa mortuorum, & ſtabunt ſuper ſepulcra. Omnia enim ſepulcra aperientur, ut mortui exire valeant. Duodecima die, cadent ſtellæ de cœlo. In hac enim duodecima die dicitur, quod animalia cuncta venient ad campos mugientia, non guſtantia, nec bibentia. Tertiadecima die, morientur homines viventes, ut cum mortuis reſurgant. Quartadecima die, ardebit cœlum & terra, & ſuperficies terræ & aeris. Quintadecima die fiet cœlum novum, & terra nova, & reſurgent mortui ſecundum virtutes, merita & demerita. Iſta enim ſigna erunt, ſicut dictum eſt, quædam peremptoria citatio, & terribilis cum executione ſententiæ ſine omni excuſatione ad judicium vocatio & præconizatio. Unde dicit Apoſtolus: Ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendent de cœlo. De iſta terribili citatione dicit Hieronymus: Sive bibam, ſive aliquid aliud faciam, ſemper videtur ſonare illa terribilis tuba in auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium. Quid faciam cum reſurgam ad judicium?

1 Theſſ. 4

In judicio tria ſcripta aperientur.

Secundo in illo judicio tremendo aperientur ſcripta, ſicut quædam acta. Et nota, quod ibi aperientur tria ſcripta ſolemnia, & authentica, & ſine omni calumnia, ſcilicet liber paſſionis Dominicæ, liber conſcientiæ, liber vitæ. Primo aperientur quaſi quædam acta ſc. liber paſſionis Dominicæ, in quo ſunt, ſc. crux, clavi, lancea, corona ſpinea, & in carne Chriſti cicatrices, & Chriſti vulnera. Aut dicit Chryſoſtomus, & non erit tunc neceſſitas accuſationis, cum viderit quilibet crucem, & ipſum Chriſtum habentem in corpore ſuo teſtimonia paſſionis. Unde dicitur: Tunc apparebit filius hominis in cœlo. Secundo aperientur libri conſcientiæ. Et nota, quod liber conſcientiarum continebit tria capitula, ſc. cogitationes, quia ut dicitur: In cogitationibus impii interrogatio erit. Continebit etiam verba & locutiones otioſas. Unde dicitur: De omni verbo otioſo quod locutus fuerit homo, reddet rationem in die judicii. Continebit etiam liber ille facta & operationes, juxta illud: Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus in judicio, pro omni errato, ſive bonum, ſive malum ſit. Bonum, ſc. omiſſum, & malum commiſſum. Tertio aperietur liber vitæ, id eſt, Chriſtus, cuius virtute manifeſtabuntur ſecreta conſcientiarum unius ad alterum, ſicut dicit Apoſtolus: Nolite ante tempus judicare, quouſque veniat dies Domini, &c. De iſtis libris dicitur: Judicati ſunt mortui ex his, que ſcripti ſunt in libro ſecundum opera ipſorum.

Matth. 24 · Sap. 1 · Matth. 12 · Eccli. 12 · 1 Cor. 4 · Apoc. 20

Sententia judicis in die ultima

Tertio, in illo tremendo judicio verba iudicis promulgabuntur, ſicut ſententia diffinitiva. Unde nota in iſta ſententia ſpecialiter tria. Primo cauſæ magnitudinem, ſive immenſitatem, de qua erit illa ſententia; quia non erit pecuniæ, vel poſſeſſionis terrenæ, ſed damnationis, vel ſalvationis æternæ. Illi vero qui obtinebunt, mutabuntur ad poſſeſſionem hereditatis, quia dicitur: Et ibunt hi in ſupplicium æternum, illi vero in vitam æternam. Secundo, nota in iſto judicio auditorum multitudinem, vel curiæ ſolemnitatem, in cujus conſpectu reprobi confundantur: totus enim mundus congregabitur, omnes Angeli de cœlo, omnes homines de mundo, omnes Diaboli de inferno, ut dicitur: Congregabuntur ante eum omnes gentes. Et ideo eſt bonum conſilium cum homine, qui de jure ſuo diffidit ante diem ſententiæ periculoſa coram ſacer-

Matth. 25 · Matt. 24

Digitized by Google

ſacerdote de compoſitione tractare. Unde dicit Sapiens: Ante judicium, para juſtitiam. Tertio, in illo judicio tam tremendo, vel ſententia tremenda judicis, nota ſeveritatem, vel inflexibilitatem. Unde dicitur: Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, aut quis ſtabit ad videndum eum? Tanta namque erit tunc judicis ſeveritas, & inflexibilitas, quod ſi B. Virgo, & omnes Angeli, & ſancti, & ſanctæ genua flecterent, & cum lacrymis orarent pro aliquo, qui eſſet in mortali peccato, judex non exaudiret eos, quia dicitur: Zelus & furor viri non parcet in die judicii, nec acquieſcet cujuſcumque precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

Eccli. 18
Malac. 3
Prov. 6

Executio ſententiæ finalis judicii.

Quarto, & ultimo in iſto tremendo judicio facta ſtatim executioni dabuntur. De executione illius ſententiæ nota ſpecialiter tria. Primo multitudinem & potentiam miniſtrorum, qui parati erunt ad verbum judicis exequendum, quia dicitur: In conſummatione ſæculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Secundo, in iſta executione nota impotentiam & anguſtiam reproborum, quia nulla erit via ad evadendum. Unde dicit Auguſtinus: O quam anguſtæ erunt undique reproborum viæ. Superius erit tunc index iratus, inferius chaos inferni horrendum: a dextris accuſantia peccata, a ſiniſtris infinita dæmonia ad ſupplicium trahentia: intus conſcientia urens, foris mundus ardens: miſer peccator ſic deprehenſus quo effugiet? latere erit impoſſibile, apparere intolerabile, & ideo dicitur, quod deſiderabunt homines mortem, & fugiet mors ab eis. Tertio nota in iſta executione defectum, & carentiam omnium auxiliorum. Tunc enim Chriſtus, qui tantum miſericors eſt, quod pro peccatoribus tradidit ſemetipſum, ridebit in damnatione eorum, in cujus perſona dicitur: Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Sancti etiam, qui ſe pro ſalute omnium morti expoſuerunt, non compatientur tunc miſeriæ reproborum, ſed potius gaudebunt in damnatione eorum, juxta illud: Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam, &c. Sicut enim nunc eſt tempus clementiæ, ſic erit tunc tempus ultionis, & vindictæ, dicente Domino: Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo. Et hæc de judicio ultimo dicta ſufficiant.

Matt. 13
Apoc. 9
Prov. 1.
Pſal. 57
Pſal. 74

DIÆTÆ SALUTIS

TITULUS DECIMUS.

De Pœnis inferni, atque Gloria Paradiſi.

TITULI HUJUS CAPITA.

De Pœnis inferni. *Cap. I.*
De Gloria Paradiſi. *Cap. II.*
De duodecim fructibus crucis, & paſſionis Chriſti Domini. *Cap. III.*
De duodecim fructibus gloriæ immortalis. *Cap. IV.*
De amœnitate, & pulcherrima ſtructura ſupernæ civitatis Hieruſalem. *Cap. V.*
De jucundiſſima ſocietate, & tripudio cœleſtis civitatis Hieruſalem. *Cap. VI.*

CAPUT I.

De Pœnis inferni.

POſt tractatum generalis judicii, ſequitur videre de pœnis inferni, & gloria paradiſi. Iſta eſt enim ultima Diæta, ſcilicet a judicio ad infernum, vel ad cœlum. Nam reprobi faciunt peſſimam diætam de judicio ad æternum ſupplicium. Juſti vero faciunt optimam diætam a judicio ad regnum æternum.

De pœnis reproborum quinque notanda ſunt.

Primo igitur, dicendum eſt de pœnis, & ſuppliciis reproborum: de quibus notanda ſunt quinque, ſcilic. primo pœnarum acerbitas, ſecundo pœ-

na-

narum diverſitas, tertio pœnarum diuturnitas, quarto pœnarum univerſitas, quinto pœnarum inutilitas.

Acerbitas æterni cruciatus. Primo igitur pœnæ reproborum erunt acerbiſſimæ, & intolerabiles. Graviſſima enim pœna, quæ in hoc mundo poteſt tolerari, minor eſt pœna purgatorii, ut dicit Auguſtinus in quodam ſermone: quanto magis pœna inferni? In ſignum huius vehementis doloris dicit Salvator in Evangelio: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. *Epiſt. 206 apud Aug. tom. 2* *Luc. 13*

Diverſitas pœnarum inferni. Secundo, pœnæ inferni erunt diverſæ, unde nota, quod in ſacra ſcriptura inveniuntur novem pœnæ. Prima eſt pœna ignis. Secunda pœna eſt vermis. Ignis ardebit carnem, vermis ardebit mentem. De iſtis duobus ſimul dicitur. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. *Iſa. 66.* Tertia pœna eſt fœtor, ut dicitur: Ignis ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, id eſt pœnæ eorum. *Pſ. 10.* Quarta pœna eſt frigus quia dicitur: Tranſibunt ab aquis nivium, ad calorem nimium, qui erit maxima pœna, mutatio ſubita: quia natura mutationes non patitur repentinas, ut dicit Hypocrates. *Job 24.* Quinta pœna erit fames maxima, iuxta illud: Servi mei comedent, & vos eſurietis. *Iſa. 65.* Ibi namque eſt tanta inopia, quod neque guttam aquæ poterunt habere, ut legitur de divite epulone ſepulto in inferno. *Luc. 16.* Unde Gregorius: Guttam aquæ petiit, qui micam panis Lazaro negavit. *Greg. ho. 39 in Ev. ante med.* Maxima pœna erit fames, quæ ibi erit, & magis immortalis eſt carentia viſionis divinæ. Unde Gregorius: Immortalis ibi fames interficit, quia faciem ſuam Salvator eis abſcondit. *Item li. 6 Mor. c. 16 ſtatim a prin.* Sexta pœna eſt tortor, vel potius tortores, quia dicitur: Tradidit eum tortoribus donec redderet univerſum debitum. *Marc. 18* Septima pœna eſt horror. Unde: Ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. *Job 10.* Et iſta erit maxima pœna, quia videmus ſi nunc appareret nobis unus ſolus diabolus, magnus horror, & quaſi intolerabilis eſſet: quid ergo erit tunc cum tot horribiles apparebunt? Octava pœna erit tenebra in qua incarcerabuntur, & ligabuntur reprobi, quia dicitur: Ligatis pedibus, & manibus eius, projicite eum in tenebras exteriores. *Matth. 22* Et Gregorius dicit in moralibus: Ignis infernalis concremationem habet, & non lucem. *Greg. li. 9 Mor. c. 8* Nona pœna, & quaſi principalis erit dolor, quia in illis pœnis, non ſolum erit acerbitas, ſed contrarietas. Unde dicit Gregorius in moralib. libro nono: Horrendum enim erit reprobis, ibi dolor cum formidine, flamma cum obſcuritate, mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. *Item l. 9 Mor. c. 39 cir. med.* Mors perimit, & non extinguit, & dolor cruciat, & pavorem non fugat. Et ratio eſt, quia cum peccator, & diabolus in culpa conſentiant, iuſtum eſt, ut creaturæ in reproborum pœna conveniant.

Dolor ineſt damnatis ex quatuor cauſis. Et notandum, quod a diverſis cauſis, ipſis reprobis ineſt dolor. Sunt autem quatuor cauſæ doloris. Prima eſt, quia amiſerunt bona temporalia hujus mundi. Unde in Pſalmo: Cum interierit homo, non ſumet omnia, nec deſcendet cum eo gloria ejus. *Pſal. 48* Secunda cauſa eſt, quia tempus perdiderunt. Unde: Tranſiit æſtas, & facta eſt meſſis, & non ſalvati ſumus. *Hiere. 8* Damnati namque darent libenter totum mundum pro uno momento temporis, ſi poſſent habere ad pœnitendum. Tertia cauſa eſt, quia viſionem & gloriam Dei perdiderunt. Unde dicit Chryſoſtomus, quod omnes gehennæ cruciatus ſunt carentia viſionis Dei. Quarta cauſa eſt quia inferni vilitatem & miſeriam acquiſierunt. Eſt enim locus infernalis tenebroſus, & penurioſus. Quod erit maxima pœna divitibus & hominibus voluptuoſis & magnatibus, quia in vita habuerunt domos ſine fumo, & ibi erit fumus continuus, quia dicitur: Fumus ejus in furore meo. *Iſa. 65* De iſtis pœnis dicit Bernardus in ſermone de negotio ſpirituali; O gehennalis regio fugienda, ubi ignis ardens, *Bern. ſer. de quinque region. poſt med. & ſer. in feſto S. Nicol. cir. fin.*

ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confuſio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies dæmonum. Totus tremo ad huiuſmodi regionis memoriam.

Pœnarum inferni diuturnitas. Tertio eſt ibidem pœnarum diuturnitas. Pœnæ enim infernales erunt diuturnæ, immo ſempiternæ, quia dicitur: Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus ſempiternis? Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. *Matt. 24. Iſa. 33.* Dicit Gregorius, quod ad magnam juſtitiam iudicis pertinet, ut numquam careant ſupplicio, qui numquam dum viverent, voluerunt carere peccato. *Greg. li. 4 Dial. c. 44 ante med.* Et illud eſt ſumme horrendum in iſta pœna, quod ſit maxima & æterna. Si enim damnati ſingulis diebus flerent, & in fletu emitterent modicam lacrymam, plus de aqua per proceſſum temporis de oculis unius damnati exiret, quam ſit aqua totius mundi. Cuius probatio eſt, quia illa aqua eſt infinita: aqua autem totius mundi eſt finita.

Univerſitas pœnarum in inferno. Quarto eſt in inferno pœnarum univerſitas. Sicut enim quidam dicere volentes, quod in inferno univerſæ partes hominis, tam corporis, quam animæ, poſt diem iudicii erunt in igne, quia dicitur: Timete eum, qui poſtquam occiderit, poteſt corpus & animam perdere in gehennam ignis. *Matth. 10.* Nunc autem videmus, quod homo non poſſit ſine maximo tormento ignem in parte unius digiti ſuſtinere per unam horam: quantus ergo erit dolor quando totus homo ardebit in igne? Unde in ſignum iſtius maximi doloris dicit Salvator frequenter in Evangelio: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. *Matth. 13. Luc. 13.*

Pœnæ inferni quomodo inutiles, & infructuoſæ. Quinto, & ultimo iſtæ pœnæ infernales erunt inutiles, & infructuoſæ. Pœna enim præſentis vitæ brevis eſt, levis, & fructuoſa: ſed futura eſt longiſſima, & graviſſima, & infructuoſa, quia ſi damnatus flendo, tantum de lacrymis emitteret, quantum eſt de aqua in mari, non ſufficeret ad lavandum maculam u-

A nius peccati mortalis. Erunt tamen intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, ut dicitur: Et tamen infructuoſe, quia in inferno erit ſtimulus pœnitentis, nulla tamen erit correctio voluntatis. *Sap. 5.* Exemplum de ſancto patre, qui oravit pro diabolo, & reſponſione Domini, & obſtinatione diaboli. Et hæc de pœnis inferni dicta ſufficiant.

CAPUT II.

De Gloria Paradiſi.

POſt tractatum de pœnis inferni ſequitur ultimo videre de Gloria Paradiſi.
B Hæc enim, eſt finis ultimæ Diætæ, quia finis eſt omnium deſideriorum. De qua ad præſens tria ſunt dicenda ſcilicet valor impretiabilis, decor inæſtimabilis, honor infrangibilis.

Primo igitur iſtius gloriæ cæleſtis eſt valor impretiabilis, quia dicitur: Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te. *Iſa. 64.* Et illud: Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. *1 Cor. 2.* Valor autem iſtius gloriæ cæleſtis attenditur in hoc, quod ita care Deus vendit eam ſuis amicis. Conſtitit enim Petro martyrium crucis. Paulo conſtitit decollationem ca-
C pitis. Eſt autem veriſſimum, & certum, quod Deus non decipiet unum amicorum ſuorum, & quod plus eſt, ipſe Chriſtus emit gloriam illam pro amicis ſub tormento & ignominia crucis. Eſt enim certiſſimum, quod Deus Pater non decipiet unigenitum filium ſuum, in emendo illud regnum. Cum ergo, illud regnum tantum conſtiterit filio Dei & aliis ejus amicis, certum eſt, quod res maxima eſt & impretiabilis valoris. Unde dicitur: Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. *1 Cor. 6.*

Secundo, gloria illa cæleſtis eſt decoris inæſtimabilis. Unde dicitur: Pulchritudinem coloris eju. admirabitur *Eccli. 43*

bitur ſenſus. Ex duobus poteſt colligi decor illius regni. Primo ex decore rerum naturalium inferiorum, quas Deus vult ita decorare ſicut videmus, quod lilium in hieme apparet vile, & poſtea decoratur in vere & æſtate. Unde dicitur: Conſiderate lilia agri, &c. Secundo apparet decor illius gloriæ ex rebus artificialibus, ſicut videmus, quod ligna, lapides & metalla per ſe videntur vilia, & quaſi terrea, ſed efficiuntur per artificem pulchra & ſplendida, quando ſunt polita & deaurata. Quantum igitur faciet ſummus artifex, cuius ſapientia eſt infinita in decorandis amicis ſuis beatis in illa cæleſti gloria? Ideo dicitur. Si fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, ſic Deus veſtit: quanto magis vos modicæ fidei?

Matt. 6

B

Ibid.

Tertio, gloria cæleſtis eſt honoris inſuperabilis. Quod probatur ex quatuor. Primo, quia omnes ſancti erunt reges, ſuæ voluntatis omnipotentes: ut dicit Anſelmus: Ideo dicitur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt, &c. Secundo, quia omnes erunt filii chariſſimi & heredes Dei, & coheredes Chriſti, ut dicit Paulus. Tertio, quia erunt omnes, quaſi Domini. Chriſtus etiam in propria perſona honorabit eos, quia dicit: Præcinget ſe, ſcilicet Chriſtus, & tranſiens miniſtrabit illis, & faciet illos diſcumbere. Sicut filius regis conſuevit in propria perſona ſervire, quando vult multum ſuos nobiles honorare. Quarto quia omnes erunt dii, ſicut dicitur in Pſalmo: Ego dixi, dii eſtis & filii excelſi omnes. Et hoc quia divinitas erit in ſanctis & multitudine, vel magnitudine dilectionis, quæ transformat amantem in amatum, ut dicit Philoſophus. Et Auguſtinus dicit: Unuſquiſque talis eſt, quale eſt dilectum. Si autem terram diligis, terra es, ſi autem Deum diligis, quid dicam, Deus eris, non audeo dicere ex me, ſed per ſcripturam quæ dicit: Ego dixi dii

Anſel. li. de ſimil. c. 68
Matt. 25
Rom. 8
Luc. 12

C

Pſal. 81
Aug. in 1 can. Joan. ho. 2 in fi. tom. 9
Pſalm. 81

A eſtis, & filii excelſi omnes.

Item in illa cæleſti curia conſidero alia tria, ſcil. locum ſumme glorioſum, ſertum ſumme ſpecioſum, & fructum ſumme ſpecioſum. Primo igitur in illo cæleſti regno erit locus, ſumme glorioſus, quia quilibet ſanctus erit in loco, in quo eſt ipſe Dei filius, quia dicitur: Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Secundo in illo cæleſti regno eſt ſertum ſpecioſum, vel corona, quia dicitur in Pſalmo. De quolibet ſancto: Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Iſte lapis eſt margarita illa, quam qui invenit, vendit omnia, & emit eam, ut dicit Matthæus.

Joan. 12
Pſal. 20
Matth. 13

Et nota, quod duplex eſt corona ſanctorum, ſcilicet aurea & aureola. Aurea dicitur præmium ſubſtantiale, quod conſiſtit in tribus, ſcil. in viſione Dei clariſſima, in fruitione ſuaviſſima, & in intentione ſecuriſſima, de qua dicitur: Corona aurea ſuper mitram ejus, quæ eſt ornatus Pontificum. Quia omnes ſancti non ſolum erunt reges omnipotentes ſuæ voluntatis, ſed etiam erunt ſacerdotes, & Pontifices, offerentes Deo ſemper ſacrificium laudis. Et ideo dicitur: Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Alia corona dicitur aureola, id eſt coronula parva, & iſta aureola ſecundum Doctores dicitur, quædam gloria accidentalis, quæ debetur ſanctis, ratione operis excellentis. Datur enim tribus generibus operum, Datur enim Virginibus, & hæc eſt florea. Datur Martyribus & hæc eſt gemmea. Doctoribus & hæc eſt ſtellata. Aureola florea datur virginibus, quia honore virginitatis floruerunt. Unde dicitur in Pſalmo de virgine virginum Chriſto, & agno quem virgines ſequuntur: Gloria & honore coronaſti eum. Aureola gemmea datur martyribus quia inſtar lapidis fortiſſimi & pretioſi fuerunt. Unde dicitur: Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Aureola ſtellata Doctoribus, quia cæleſtia docuerunt.

Corona Sanctorum duplex.
Eccli. 45
Apoc. 5
Pſal. 8
Pſal. 20

Unde

A Unde dicitur: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti. Et qui ad juſtitiam erudierunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et de muliere glorioſa dici- *Apoc. 12* tur: Quod erat amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Mulier amicta ſole eſt anima doctoris iuſtitiæ, & ſapientiæ divinæ, quæ per pedes figurantur, habent plenam pietatem, quæ per lunam intelligitur, quæ eſt valde humida. Corona ſtellarum ſignificat aureolam doctorum. Unde & erant ſtellæ duodecim in corona, quia duodenarius numerus abundans eſt, in quo intelligitur, quod doctrina ſacræ ſcriptu- B ræ eſt abundantiſſima omnis iuſtitiæ, ſicut fuit doctrina Chriſti, qui fuit doctor doctorum, de cuius doctrina *Matt. 5* dicitur: Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Peccatores autem, & reprobi, qui munditia caſtitatis abundant, ut virgines: nec fortes, nec perſeverantes fuerunt in amore Chriſti, ſicut martyres: nec veritatem portaverunt in ore, ut doctores, aureolam non habent. Et quia gratiam Dei hic non habuerunt, idcirco auream gloriam ſubſtantialis præmii non habebunt. Et ſi omnis corona aurea & aureola carebunt, quid C aliud erit, niſi quod pro loco coronæ æternæ fœlicitatis, coronabuntur corona æternæ calamitatis, juxta illud quod dicitur: Coronans corona- *Iſa. 22* bit te tribulatione. Tertio in illa cæleſti gloria benedicta, erunt fructus optimi & uberrimi. Unde nota, quod in ſacra ſcriptura inveniuntur tres fructus differentias, ſcilicet, fructus crucis triumphalis, fructus gratiæ ſpiritualis, & fructus gloriæ immortalis, & quilibet eſt in quadruplici numero.

CAPUT III.

De duodecim fructibus crucis, & paſſionis Chriſti Domini.

PRimo igitur ſunt duodecim fructus crucis, & paſſionis Chriſti. Primus fructus, eſt dæmonum expugnatio, quia abſtulit eis totum mundi principatum. Juxta illud, quod dicitur: Nunc principes mundi hujus *Joan. 12* eiicientur foras. Secundus fructus, eſt carceris inferni confractio. Unde Pſalmiſta: Attollite portas principes *Pſal. 22* veſtras, & elevamini, &c. Tertius fructus, eſt mortuorum, & peccatorum ſuſcitatio, nam dicitur: Sicut *1 Cor. 15* in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Quartus fructus, eſt captivorum redemptio *1 Cor. 6* dicente Paulo: Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, &c. Quintus fructus eſt, inquinatorum mundatio: *Apoc. 1* Dilexit enim nos, & lavit nos in ſanguine ſuo. Sextus fructus, eſt cæcorum illuminatio. Unde dicitur: *Iſa. 35* Tunc aperientur oculi cæcorum: Septimus fructus, eſt tepidorum & frigidorum calefactio. Unde dicitur: *Pſal. 18* Non eſt qui ſe abſcondat a calore ejus. Octavus fructus, eſt deformium, & turpium decoratio. Unde in Pſalmo *Pſal. 50* dicitur: Aſperge me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Nonus fructus, eſt ſitibundorum, vel ſitientium potatio, *Joan. 6* & recreatio: Sanguis meus vere eſt potus. Decimus fructus, eſt Patris *Heb. 12* placatio, unde dicitur: Acceſſiſtis ad ſanguinis aſperſionem melius clamantem, quam Abel clamavit vindictam. *Gen. 4* Juxta quod dicitur: Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, ſcilicet juſtitiam & vindictam peccati, ſed ſanguis Chriſti clamavit melius, ſcilicet miſericordiam, quia peccatores Deo patri reconciliavit, Undecimus fructus, eſt januæ paradiſi apertio. Unde dicitur: Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli, quæ ſcilicet facta eſt aperta in apertione lateris Chriſti. Eodem namque

que tempore aperta eſt porta paradiſi, Domino ſcilicet moriente, quæ clauſa fuerat, Adam prævaricante in hora nona. Duodecimus fructus, eſt hereditatis cœli acquiſitio, & confirmatio, quia ut dicitur: Hic eſt ſanguis novi teſtamenti. In veteri teſtamento ſanguine conferebantur terrena: in ſanguine autem novi teſtamenti, id eſt paſſionis, confertur hereditas æterna. De iſto fructu multiplici dicitur in Pſalmo: Et erit, ſc. crux Chriſti, tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, id eſt gratiarum abundantiam, quæ ſine menſura fuerunt in Chriſto, quod fructum ſuum dabit in tempore mortis ſuæ ſacratiſſimæ & benedictæ. Secundo ſunt duodecim fructus gratiæ ſpiritualis, de quibus dicitur: Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Et de iſtis duodecim fructibus dictum eſt ſuperius in tractatu de fructibus Spiritus ſancti Titulo octavo, ideo nihil ad præſens addemus.

Matt. 26 — Pſal. 1 — Ibidem. — Gal. 5

A — B

CAPUT IV.

De duodecim Fructibus Gloriæ immortalis.

Tertio ſunt duodecim fructus gloriæ immortalis: Primus fructus, eſt ſanitas abſque infirmitate. Qui ſanat omnes infirmitates tuas. Secundus fructus, eſt juventus ſine ſenectute. Unde in Pſalmo dicitur: Renovabitur ut aquilæ juventus tua, id eſt Chriſti, quia in ætate Chriſti triginta trium annorum ſemper manebunt ſancti, ut dicit Apoſtolus: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Tertius fructus, eſt ſatietas ſine faſtidio, unde ait Pſalmiſta: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Quartus eſt, libertas ſine ſervitute. Unde dicitur: Creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quintus fructus, eſt pulchritudo abſque deformitate. Unde Apoſtolus: Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Sextus erit impaſſibilitas vel immortalitas. Unde dicitur: Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum. Septimus erit abundantia ſine indigentia, juxta illud: Rerum omnium abundantia perfrueris. Octavus eſt pax ſine perturbatione. Nonus erit ſecuritas abſque timore. De his duobus dicitur: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Decimus erit cognitio abſque ignorantia. Unde Apoſtolus: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Undecimus eſt gloria ſine ignominia, teſte Paulo qui ait: Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Duodecimus, eſt gaudium ſine triſtitia. Sed de iſto gaudio nota, quod ſunt ſex cauſæ præcipuæ, quare ſancti gaudebunt, ſcilicet loci amœnitas, quam poſſidebunt: jucunda ſocietas, in qua regnabunt: corporis glorificatio, quam habebunt: mundus, quem contempſerunt: infernus, quem evaſerunt. Iſti enim fructus figurantur, per duodecim fructus ligni vitæ; quod erat in medio paradiſi, ut legitur in Apocalypſi: Fructus ſumme bonos det nobis Chriſtus, qui creavit in cœlo.

Pſal. 102 — Ibid. — Epheſ. 4 — Pſal. 16 — Rom. 8 — C — Phil. 3 — Iſa. 25 — Deut. 8 — Iſa. 32 — 1 Cor. 13 — Coloſſ. 3 — Apoc. 22

CAPUT V.

De Amœnitate, & pulcherrima ſtructura ſupernæ Civitatis Hieruſalem.

Item in illa cæleſti gloria conſideranda ſunt alia tria, multis ſuſpiriis affectanda, ſcilicet amœniſſima civitas, amantiſſima ſocietas, & ampliſſima fœlicitas. Primo ergo cæleſtis gloria habet amœniſſimam civitatem. Unde in Pſalmo: Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei. Unde nota, quod civitas iſta eſt glorioſiſſima ſpecialiter in tribus. Habet enim figuram valde ſpecioſam, menſuram

Pſ. 86

ſpa-

ſpatioſam, & ſtructuram valde pretioſam.

Primo igitur iſta civitas beata eſt in figura valde ſpecioſa, eſt enim in quadrum diſpoſita, & formata, ut dicitur in Apocalypſi. Civitas in quadrum poſita, & quadrata, figurat ſoliditatem & ſecuritatem, illius regni cæleſtis. Sicut videmus, quod figura quadrata eſt ſolidior quam alia figura, unde lapides conſueverunt quadrari, & poſtea in ædificio collocari: ita etiam ſummus artifex Deus lapides ſuos, id eſt viros ſuos & electos, conſuevit quadrare quadratura virtutum, ſcilicet, prudentia, temperantia, fortitudine, & juſtitia, & ſic locare in ædificio regni cæleſtis. *Apoc. 21*

A

Secundo civitas iſta eſt in menſura valde ſpatioſa. Unde dicit Bernardus, quod ad litteram quilibet ſanctus in cœlo empyreo habebit locum ſuum, ſibi aſſignatum proprium & ſpecialem, magis ſpatioſum, quam ſit ab oriente uſque ad occidentem. De menſura iſtius civitatis dicitur, in Apocalypſi, quod habet ſtadia duodecim millia. Stadium eſt menſura quinquaginta paſſuum. Quinquagenarius vero numerus in ſacra ſcriptura, remiſſionem peccatorum ſignificat. Quinquageſimo anno, qui dicitur jubilæus, ſecundum legem fiebat remiſſio debitorum, & revertebatur quilibet ad poſſeſſiones ſuas & ad terram patrum ſuorum, ut dicitur in Levitico. Beata civitas iſta bene menſuratur per ſtadia, quæ continent, ut dictum eſt, paſſus quinquaginta, quia inſtar jubilæi quinquageſimi anni, omnibus iſtius civitatis civibus primitus peccata dimittuntur, & ſic remiſſis peccatis, ad poſſeſſionem ſuam, & hereditatem æternam, ad quam erant, vel ſunt prædeſtinati, faciliter revertuntur. Et ideo quilibet homo debet eſſe ſolicitus de peccatis ſuis, per pœnitentiam delendis: quia alias non poſſet eſſe civis regni cæleſtis, quia ibidem dicitur, ſcilicet, quod non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & immunditiam. Sed valde notandum eſt, quod ſtadia ſunt duodecim millia. Per numerum duodenarium, qui eſt numerus abundans, deſignatur abundantia meritorum, & bonorum operum, ſine qua non eſt aliquis concivis civium ſupernorum, quia dicit Salvator: Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Juſtitia Phariſæorum erat in opere exteriori, non interiori virtute, quæ ex timore erat non amore, & ideo erat nimis ſtricta. Sicut videmus quod timor habet cor hominis valde conſtringere, & amor dilatare. Unde in Pſalmo dicitur de virtute charitatis: Latum mandatum tuum nimis. Per millenarium autem numerum, qui eſt ultimus limes, & terminus numerorum, figuratur eleganter illud cæleſte præmium, quod eſt finis, & quies omnium deſideriorum, ut dicit Auguſt. Et in Pſalmo: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Ibid. *Stadium quid.* *Levit. 25* *Num. 11 quid figuretur.* *Matth. 5* *Pſal. 118* *Millenarius numerus quid ſignet.* *Pſal. 16* *Aug. l. 22 de civ. Dei, cap. 30 ante med. tom 5*

B

Tertio, illa civitas beatiſſima eſt ſtructura pretioſiſſima, quia dicitur in Apocalypſi, quod fundamenta muri civitatis ſunt omni lapide pretioſo ornata. Ubi notandum eſt, quod duodecim lapides pretioſi nominantur, & ponuntur in ædificio hujus civitatis, ſcilicet Jaſpis, Sapphyrus, Chalcedonius, Smaragdus, Sardonix, Sardius, Chryſolitus, Beryllus, Topazius, Chryſopraſus, Hyacinthus, & Amethyſtus. Iſti duodecim lapides pretioſi & fundamentales iſtius civitatis cæleſtis, ſignificare poſſunt duodecim articulos fidei, quod eſt fundamentum omnis boni, & præmii futuri, ut dicit Apoſtulus: Fides eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, id eſt fundamentum æternorum bonorum. Vel iſti duodecim rapides fundamentales ſignant virtutum perfectiones, quibus anima per gratiam hic perficitur, quibus etiam cæleſte præmium fabricatur. Et ſicut ſunt quatuor ternarii pretioſorum lapidum, ſic reſpondent eis quatuor trinitates perfectionum.

Apoc. 21 *Hebr. 11*

C

Prima trinitas lapidum eſt Jaſpis. Sapphyrus & Chalcedonius, qui ſigni-

Digitized by Google

gnificant fidem quæ debet habere pretioſam & nobilem trinitatem. Fides namque debet eſſe vivens non mortua, & hoc ſignificat Jaſpis, qui eſt viridis coloris. Color enim viridis in herba, vel planta, vel arbore, ſignum eſt vitæ: & econverſo ſignum eſt, quod vita plantæ deficit, quando viror ejus marceſcit: ſic quando in homine eſt viror honeſtatis, & bonæ operationis, tunc eſt maximum ſignum cordis viventis, alias enim fides mortua eſt & informis, nec eſt fundamentum ædificii cæleſtis. Et ſicut Jaſpis fugat phantaſmata: ſic fides vivens & virens per bona opera, vitat omnia diaboli machinamenta. Fides etiam debet eſſe cæleſtis non terrea, id eſt de cæleſtibus bonis, non de operibus terrenis anxia: cæleſtis, id eſt divinæ non humanæ rationi innixa, quia dicit Gregorius: Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Et hoc ſignat Sapphyrus, qui habet cæleſtem colorem, ſicut cœlum ſerenum. Et ſicut nobilis Sapphyrus fugat venenoſa, & mortificat araneam: ſic vera fides venenoſis ſuggeſtionibus reſiſtit, & culpam in corde occidit, ac de corde expellit. Unde dicitur: Fides purificans corda eorum. Tertio fides debet eſſe fortis non infirma, contra perſecutiones, & pericula univerſa, & diabolica nocumenta, quia dicitur de diabolo: Cui reſiſtite fortes in fide. Et hoc ſignat Chalcedonius, qui in colore eſt pallidus, & omnis ſculpturæ repulſivus; omni namque ſculpturæ reſiſtit, & nullam recipit: ſic qui habet veram fidem, utique per pœnitentiam eſt pallidus & mortificatus; ſed nullam ſculpturam extraneam peccati recipit, ſed ſecum conſervat ſolam imaginem Dei, ad quam eſt creatus. Unde nota, quod diabolus in quibus non invenit fidem catholicam, vel fortem, in illis ſculpit & format figuram leonis, id eſt peccatum ſuperbiæ. In quibuſdam figuram draconis, id eſt peccatum invidiæ. In quibuſdam figuram canis, id eſt peccatum iræ.

Fides.

Greg. hom. ro in Ev. non longe a princ.

Act. 5

1 Pet. 5

A In quibuſdam figuram talpæ, id eſt peccatum avaritiæ. In quibuſdam figuram aſini, id eſt peccatum acediæ. In quibuſdam figuram lupi, id eſt peccatum gulæ. In quibuſdam figuram urſi, id eſt peccatum luxuriæ. Contra quod monet Apoſtolus, dicens: Nolite conformari huic ſæculo, id eſt; peccatis, quæ ſunt in hoc ſæculo. *Rom. 12*

Secunda trinitas lapidum eſt Smaragdus, Sardonyx, & Sardius. Et iſti tres lapides pretioſi ſignant ſpem, quæ habet ſimiliter nobilem claritatem. Et enim Spes veniæ, ſpes gratiæ, & ſpes gloriæ. Spes veniæ figuratur per Smaragdum, qui colorem B habet viridem & gratioſum, & curat diverſas infirmitates & ſpecialiter morbum caducum. Color viridis & gratioſus in Smaragdo ſignat virtutem gratiæ, quæ incipit per ſpem veniæ reviviſcere in viro pœnitenti & contrito. Et ſicut color Smaragdi eſt valde gratioſus, ſic converſio peccatoris per pœnitentiam reviviſcentis, eſt gratioſa Deo & Angelis. Unde dicitur: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Et ſicut Smaragdus fugat febres & curat morbum caducum: ſic ſpes veniæ fugat tentationes, & ſanat omne peccatum, quia ut dicitur in pſalmo: Non delinquent omnes qui ſperant in eo. Et in Proverbiis dicitur: Septies in die cadit juſtus & reſurget. Septies in die cadit per ruinam ſeptiformis culpæ, ſcilicet ſuperbiæ, iræ, avaritiæ, accidiæ, gulæ, invidiæ & luxuriæ, & tamen reſurget, in virtute, & in efficacia ſeptiformis gratiæ. Spes autem gratiæ, eſt qua quis non confidit de viribus propriis, nec de divitiis, ſed ſolum de gratia Dei, ut dicitur: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem, brachium, id eſt, carnalem hominem, fortitudinem. Et ſequitur: Beatus qui confidit in Domino, & eſt Dominus fiducia ejus. Talis qui non ſolum ſperat in omnibus bonis & in malis niſi de ſola gratia Dei, recte figuratur

Spes triplex.

Luc. 15

Pſalm. 33

Prov. 24

Hier. 17

C

per

per Sardonycem. Nam Sardonyx eſt tricolor, in imo niger, in medio candidus, in ſupremo rubicundus Quia ſpes gratiæ facit tria bona in ſperante. Facit enim ima, id eſt, terrena nigreſcere & contemnere, & ima inferni timere. Facit in medio, id eſt, in corde candidum, id eſt, caſtum eſſe, juxta illud Pſalmi: Cor mundum crea in me Deus. Facit etiam in ſupremo, id eſt, in Deo rubeſcere per charitatem, & vino dilectionis Dei, & proximi odoriferum eſſe dicitur: Super vinum, id eſt pluſquam vinum, diligunt te: Et ſicut Sardonyx facit hominem humilem & pudicum & charitativum: ſic ſpes divinæ gratiæ facit hominem deſcendere, & de propriis meritis non ſuperbire, & in ſolo Deo ſperare, quia ſpecialiter de præſumentibus de ſe dicitur in pſalmo: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum ſed ſperavit in multitudine divitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua. Spes gloriæ, eſt certa & ſecura expectatio futuri & æterni boni, ex gratia & meritis proveniens, ut dicit Magiſter Sententiarum. Iſta gloria figuratur per Sardium, qui eſt rubei coloris, eo quod ſpes regni cæleſtis fuit martyribus, cauſa effuſionis proprii ſanguinis. De quibus dicitur: Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, id eſt Chriſti, paſſionis ſanguine rubicundi, juxta illud quod dicitur: Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? dicitur in perſona Dei patris, id eſt, quare corpus tuum per innocentiam candidum eſt paſſionis ſanguine cruentatum? Et ſicut Sardius gaudium accendit, & timorem expellit, hominem audacem reddit: ita ad litteram ſpes gloriæ accendit in homine gaudium ſpirituale & cæleſte, & expellit timorem mundanum, & humanum & ſervilem, quia ut dicitur: Perfecta charitas foras mittit timorem, & tandem hominem reddit audacem, ſcilicet contra hoſtium tribulationem & perſecutionem de Domino præſumentem, ut dicitur: Non derelinquis præſumentes de te, & de ſua virtute gloriantes humilias.

Pſalm. 50 · *Cant. 1* · *Pſalm. 51* · *Mag. lib. 3 Sent. d. 26 in primo.* · *Apoc. 7* · *Iſa. 63* · *1 Joan. 4* · *Jud. 5*

A

Tertia trinitas lapidum eſt, Chryſolitus, Beryllus, & Topazius. Iſti tres lapides ſignificant charitatem, quæ habet ſimiliter ſuam nobiliſſimam trinitatem. Debet enim charitas habere tria, ſcilicet ſpecioſam puritatem, fructuoſam bonitatem, & radioſam veritatem. Debet enim charitas eſſe puritate ſpecioſa, ut non ſit immunda: bonitate fructuoſa, ut non ſit dilectio vana: & veritate radioſa, ut non ſit dilectio ficta. Iſtam trinitatem nobilem charitatis deſcribit Apoſtolus, dicens: Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Virtus enim charitatis, ut dictum eſt, eſt ſpecioſiſſimæ trinitatis, ideo dicitur, *De corde puro*: eſt fructuoſiſſimæ bonitatis, ideo dicitur: *De conſcientia bona*: eſt, radioſiſſimæ veritatis, ideo dicitur: *De fide non ficta*. Primo igitur, charitas debet eſſe puritate ſpecioſa, & de corde puro, ut non ſolum ſit dilectio impura, vel immunda, vel coinquinata, ſive luto cupiditatis, qualis eſt amor divitiarum temporalium, ſive fumo vanitatis, qualis eſt amor pomparum ſæcularium. Talis charitas figuratus in Chryſolito, qui eſt gemma valde nobilis, ſcintillas emittens, & ignis capaciſſima: quia ſi juxta ignem ponatur citiſſime inflammatur. Certum eſt enim quod ignis eſt puriſſimæ virtutis. Eſt enim virtus ignea charitatis inſtar ignis: quia ſicut ignis aufert omnem rubiginem & impuritatem de auro & argento, & omni metallo, & reddit ipſum purum & lucidum: ſic charitatis incendium tollit de corpore humano omnem fœtorem peccati, & facit ipſum mundum. Sicut enim Chryſolitus eſt amativus, & capax ignis, quia juxta ignem poſitus ad ſe trahit & rapit ignem: ſic cor purum cum appropinquat ad Deum, qui eſt ignis conſumens ſecundum Apoſtolum: ſentiens ignem divinum ſtatim ardentiſſimo deſiderio inſtar

Charitas. · B · *1 Tim. 1* · C · *Hebr. 12*

Chryſoliti, rapit & trahit in ſe divinam dilectionem. Incorruptio, enim facit eſſe proximum Deo, ut dicitur. *Sap. 6* Appropinquatio ad Deum facit ignem divinum rapere & trahere ad ſeipſum. Et ideo Salvator noſter, ut nos poſſet igne ſuæ charitatis incendere, dignatus eſt nobis appropinquare. Unde dicitur: *Luc. 12* Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi, ut ardeat? Secundo, charitas debet eſſe in bonitate fructuoſa, & conſcientia bona, ut non ſit dilectio inutilis & vacua, quia dicitur: *1 Joan. 3* Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Et Gregorius in Moralibus: *Eſt apud Greg. hom. 30 in Ev. ante med.* Amor Dei numquam eſt otioſus. Operatur enim magna ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt, quia probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Iſte amor ſignatur per Beryllum, qui eſt lapis viridis & aliquantulum pallidus, & in figura ſex angulorum eſt politus: quia qui habet charitatem, debet ad proximum virere per honeſtam converſationem: debet palleſcere ad ſeipſum per carnis mortificationem: debet etiam ſex angulos habere, ad pauperem & egenum, per compaſſionem, & operum miſericordiæ exhibitionem, quæ ſunt in numero ſeptenario, ut dicitur: Salvator noſter qui de ipſis in iudicio habet quærere rationem, & dicere: *Matt. 25* Eſurivi & dediſtis mihi manducare. Sitivi, & dediſti mihi bibere. Nudus eram, & cooperuiſti me. Hoſpes eram & recepiſtis me. Infirmus fui & viſitaſti me. In carcere fui & veniſtis ad me. Tertio, charitas debet eſſe veritate radioſa, & fide non ficta, ut non ſit dilectio ſimulata, aut palliata, ſed luminoſa, quia dicitur: *1 Joan. 2* Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet: quia qui charitatem habet per exemplum bonæ converſationis, & honeſtatis lucet. Hanc figurat Topazius, qui in duobus coloribus, ſcilicet aureo, & æthereo ſpendet, & omnium gemmarium ſuperat claritatem, & in conſpectu ſui provocat aſpicientem. Duo colores Topazii ſignant dilectionem Dei, & proximi. Æthereus color ſignat dilectionem Dei, & aureus dilectionem proximi: quia unus eſt color cœleſtis, & alius terrenus, quia in his duobus tota lex pendet. Et ſicut Topazius ſuperat omnem claritatem omnium gemmarum: ita charitas eſt major omnium virtutum, ut dicit Apoſtolus. *1 Cor. 13* Et ſicut Topazius recipit in ſe qualitatem omnium gemmarum: ſic charitas facit omnium opera virtutum. Quia dicitur: *1 Cor. 13* Charitas patiens eſt, & ita exercet opus patientiæ. Benignitas eſt, & ita exercet opus benigna, & miſericordiæ. Et ſeiliquitur. Omnia ſuffert, omnia credit omnia ſuſtinet. Unde Proſper dicit in libro de vita contemplativa, quod *Proſper. de vita contempl. lib. 3 c. 13* charitas eſt mens & anima omnium virtutum: quia ipſa eſt ſicut anima, & virtutes animæ ſunt potentiæ ſive mentis. Quia ſicut anima facit oculum videre, aurem audire, pedes ambulare, & ſic de aliis: & ita charitas facit oculum mentis ad pauperes aperire aures, divina præcepta audire, & manibus opera juſtitiæ exercere: & ita de omnibus aliis bonis, quæ charitas tamquam ſibi propria vult omnia adimplere.

Quarta trinitas lapidum pretioſorum eſt Chryſopraſſus, Hyacinthus, & Amethyſtus. Iſta trinitas lapidum ſignat juſtitiam, & æquitatem generalem, *Juſtitia.* quæ ſplendor eſt omnis virtutis, ex qua omnes viri boni omnia bona nominantur, ut dicit Tullius de officiis. *Cic. de off. lib. 3* Iſta ſimiliter habet quandam nobilitatem. Cum enim juſtitia ſit virtus unicuique reddens, quod ſuum eſt, ut ait Ambroſius libro de officiis: *Ambr. l. 1 de off. c. 9 tom. 4* Juſtitia eſt virtus unicuique quod ſuum eſt reddens. Reddit igitur, omnis homo per juſtitiam ſibi ipſi continentiam, proximo amicitiam, & Deo honorificentiam. Primo juſtitia reddens homini continentiam, ſignificatur per Chryſopraſſum, qui eſt lapis igneus de nocte, & aureus de die: In quo ſignificatur continentia viri juſti, qui ſemper eſt ſplendens, ſive in adverſitate tentatio-

tionum, quæ figuratur per noctem, ſive in proſperitate deliciarum, quæ ſignificatur per diem. Nam iſtis duobus præcipue continentia, vel caſtitas impugnatur, ſcilicet tentationibus hoſtis, & fomentatione carnis. Nam plures vincuntur in proſperitate deliciarum, quam in adverſitate tentationum, juxta quod dicitur in pſalmo: Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis. Latus autem ſiniſtrum ſignat tentationes Diaboli, dextrum vero ſignificat delicias mundi. Pauciores igitur ſunt, qui cadunt in adverſitate tentationum, & plures qui labuntur in temporalibus abundantiis. Bene autem eſt juſtitia inſtar Chryſopraſſi ignea & aurea: quia ad cuſtodiam caſtitatis occurrit juſtitia duobus modis, ſc. recte aſcendendo ad cœlum ſicut ignis, conſiderando bona cœleſtia & æterna, ne forte illa per momentaneam luxuriæ delectationem amittat. In perſona talium dicitur in pſalmo: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Et reſpondet: Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Nullum opus videtur majus eſſe juſtitia, quæ delectationi momentaneæ bona cœleſtia, & æterna præfert. Occurrit etiam vir juſtus cuſtodia caſtitatis inſtar auri, quod eſt ponderoſiſſimum, quando rectiſſime, & velociter deſcendit ad centrum, id eſt, ad infernum, conſiderando ne forte delectatione momentanea, & modica, incurrat æterna ſupplicia, quia dicit Gregorius: Momentaneum eſt quod delectat, ſed æternum quod cruciat. Ita deſcendebat ad infernum Ezechias, ut dicitur in Iſaia: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Optime namque conſuluit pro dimidio dierum ſuorum, quod vadat homo ad infernum in dimidio viæ ſuæ, id eſt, dum eſt juvenis & ſanus, & hoc per diligentem conſiderationem, ut poſtea non deſcendat in fine vitæ ſuæ, per æternam damnationem. Secundo juſtitia reddens proximo amicitiam ſignatur, per Hyacinthum, qui eſt lapis pretioſus, habens colorem cæruleum, quaſi cœlum. Iſte lapis conſormat ſe aeri. Unde in nubilo eſt nubilus, in ſereno eſt ſerenus. Color cœlicus vel cæruleus in Hyacintho ſignificat divinum amorem cœleſtem per deſiderium in viro juſto, quia amicitia quæ impenditur proximo, debet radicari in cœlo, id eſt in amore divino. Juxta quod dicit Apoſtolus: In charitate radicati & fundati. Quia ut ait Gregorius: Ille charitatem veraciter habet, qui amicum diligit in Deum, & inimicum diligit propter Deum. Bene autem Hyacinthus eſt in nubilo nubilus, & in ſereno ſerenus: quia vir juſtus ſemper vult gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, ut ait Paulus. Tertio, juſtitia reddens honorificentiam Deo, ſignatur per Amethyſtum, qui inter omnes gemmas purpureas obtinet principatum: ſic & juſtitia eſt præclariſſima virtutum, ut ait Philoſophus in ethicis. Amethiſtus eſt etiam ex colore purpureo, & violaceo permixtus, & flammas ex ſe emittit: quia vir juſtus qui vult Deum honorare, debet habere tria: debet eſſe inſtar Amethyſti purpureus, ſicut roſa, id eſt jucundus in laude divina. Quia rectos decet collaudatio, ut dicit Pſ. Debet etiam eſſe violaceus, ſcilicet ſentire modica de ſeipſo & magna de Deo, ut dicit Salvator in Luca: Cum omnia bene feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Debet etiam vir juſtus eſſe flammeus ſicut Elias, qui erat quaſi ignis, cujus verbum ſicut facula ardebat, ut dicitur in Eccleſiaſtico. De cujus zelo flammeo dicitur: Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, & hoc eſt proprium opus juſtitiæ, ſcilicet pro divino amore zelare.

Pſ. 90 · Pſal. 15 · Iſa. 38 · Epheſ. 3 · Greg. ho. 9 in Evang. · Rom. 9 · Ariſt. lib. 5 Eth. cap. 1 · Pſal. 32 · Luc. 17 · Eccli. 48 · 3 Reg. 19

CAPUT VI.

De jucundiſſima ſocietate, & tripudio cœleſtis civitatis Hieruſalem.

SEcundo illa gloria cœleſtis habet amantiſſimam ſocietatem, quia ſancti coram Deo ſemper faciunt choream omni jucunditate plenam. Unde nota, quod in illa cœleſti chorea, vel ballata ſunt tria devotiſſime conſideranda, ſcilicet innumerabilis cœtus, interminabilis circuitus, & inæſtimabilis cantus. Vere beata eſt illa chorea, cujus cœtus infinitus, cujus circuitus æternus, cujus cantus fœlicitas.

Cœtus, ſive exercitus cœleſtis. Primo igitur in illa cœleſti chorea eſt cœtus, vel exercitus infinitus, id eſt non nobis, ſed ſoli Deo cognitus. Ibi enim eſt Chriſtus tanquam Monarcha præcipuus. Ibi enim eſt regina cum puellis, id eſt virgo virginum, ſcilicet Maria cum virginibus ſanctis. Ibi ſunt Angeli tamquam nobiliſſimi regis domicelli. Ibi ſunt Patriarchæ & Prophetæ, ſicut collaterales & regis conſiliarii, quibus tam. quam ſenioribos expertis revelat miniſterium conſiſtorii ſui. Ibi ſunt Apoſtoli tamquam regis ſeneſcali, habentes plenitudinem poteſtatis: quia rex reputat factum, quod ipſi faciunt, ſibi factum. Ibi ſunt martyres, ſicut ſtrenuiſſimi regis milites, qui per fidem vicerunt tria regna, ſc. mundi, carnis, & diaboli. Ibi ſunt ſancti Pontifices, Confeſſores, & Doctores. Sicut videmus, quod rex nobilis & illuſtris, qualis eſt rex regum & Dominus dominantium, non ſolum habet milites in aula, ſed clericos in capella celebrantes, prædicantes, & orantes. Ad celebrandum habet ſanctos Pontifices, ad prædicandum & ſcribendum ſanctos Doctores, ad orandum & pſallendum habet ſanctos Anachoretas, & alios Confeſſores. Ultimo ſunt ibi alii ſancti & fideles innumerabiles, de quibus omnibus dicitur: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omni- Apoc. 7

A bus gentibus, populis, & linguis, ſtantes ante thronum agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Ubi per ordinem notantur quinque laudes, & privilegia beatorum, ſcilicet prædeſtinatio ab æterno, juſtificatio a peccato, contemplatio devota, converſatio honeſta, & operatio fructuoſa. Prædeſtinatio ſempiterna vel æterna innuitur in numero infinito, quia turbam illam magnam nemo dinumerare poterat. Electorum namque numerus eſt nobis ignotus, & ſoli Deo agnitus: quia ipſe ſolus ſcit numerum. Quia ut dicit Apoſtolus: Novit Dominus, qui ſunt ejus. Secundo notatur juſti- B ficatio interna in illis quatuor, ſcil. gentibus, tribubus, populis, & linguis, de quibus electi ſunt vocati. In quibus moſtrantur quatuor peccatorum differentiæ, a quibus ſunt per Dei gratiam juſtificati. Ita quod per gentes deſignatur peccatum luxuriæ, quod in gentibus idololatris regnavit præcipue, ut ait Apoſtolus. Per tribus deſignatur peccatum avaritiæ, quod in tribubus Jacob regnavit valde. Quod patet, quia pro terrenis ſervierunt, & terrena in promiſſione acceperunt, ut dicitur in Iſaia: Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis, &, quod plus eſt, tantum cupidi & avari fuerunt, quod ne ter- C rena perderent, Chriſtum occiderunt, ut patet in Joanne. Per populos deſignatur peccatum ſuperbiæ, quia populus, ut dicit Auguſtinus, eſt collectio civitatis, quæ juxta ſententiam Chriſti monſtrat ſuperbiam, ut patet de illo, qui noluit venire vocatus ad cœnam, qui emerat villam, ut dicitur in Luca. Et videmus, quod populus, id eſt habitatores civitatis populoſæ melius conſueverunt reſiſtere, melius acquirere, & magis eſſe ſuperbi & pompoſi. Per linguas ſignatur peccatum linguæ. Contemplatio devota monſtratur, in hoc quod ſtant ante thronum, quia contemplantur ante Deum cogitantes aſſidue, qualiter oportet venire ad judicium ſuum. Juxta quod dicit Apoſtolus: Omnes nos mani-

Marginalia: Quinque privilegia beatorum. — Prædeſtinatio æterna. — 1 Tim. 2 — Juſtificatio interna. — Rom. 1 — Iſa. 1 — Joan. 11 — Aug. l. 9 de civ. Dei cap. 24 — Luc. 14 — Contemplatio devota. — 2 Cor. 5

manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Converſatio honeſta notatur, per hoc, quod amicti ſunt ſtolis albis, id eſt veſtibus candidæ converſationis. Juxta quod dicitur in Canticis: Dilectus meus candidus & rubicundus. Candidus honeſtate, rubicundus charitate. Operatio fructuoſa ſignatur per hoc, quod palmæ erant in manibus eorum. Palmæ namque, quæ portantur in manibus electorum ſignant fructus bonorum operum, ſecundum quod dicitur in Canticis: Aſcendam in palmam, & adprehendam fructum ejus.

Converſatio honeſta. *Cant. 5* *Operatio fructuoſa.* *Cant. 5*

Secundo, in illa cæleſti chorea eſt conſiderandus interminabilis circuitus: quia ſupererit in beatis ingreſſus, egreſſus, & regreſſus. Ingreſſus ad intuitum divinitatis: egreſſus ad aſpectum humanitatis noſtri Salvatoris, ut habetur in Joanne. Et ſicut in aliis choreis eſt unus ducens totam choream, ita Chriſtus eſt & erit ille chorealis ductor, ducens ac præcedens illam ſocietatem beatiſſimam. Et ideo dicitur, quod agnus, qui in medio throni eſt, reget eos, & alii ſequentur agnum quocumque ierit: Sed ſciendum eſt, quod illa beata chorea non vadit ad ſiniſtram partem, ſicut chorea mundi, in ſignum, quod eſt & vadit ad ſiniſtram inferni: ſed iſta ſuper vadit ad dexteram partem, in ſignum quod eſt ad dexteram Dei, quia ad ſiniſtram ponentur reprobi, & ad dexteram ponentur electi, ut dicitur in Matthæo. Propter quod dicitur in Proverbiis: Vias quæ a dextris ſunt, novit, id eſt approbat Deus: quæ autem a ſiniſtris ſunt, perverſæ ſunt.

Circuitus interminabilis choreæ cæleſtis. *Joan. 16* *Apoc. 7* *Apoc. 14* *Matt. 25* *Prov. 4*

Tertio, in illa cæleſti chorea eſt conſiderandus inæſtimabilis cantus & admirabilis. Et ideo nota, quod ſicut Chriſtus præcedit greſſu, ita præcedet cantu. Et primo cantabit ſuæ virgini matri, dicens: Quid mihi & tibi mulier? quaſi diceret: Mihi eſt divinitas, & humanitas: & tibi eſt virginitas, & fœcunditas. Mihi divinitas, & humanitas, quia Deus ſum, & homo: & tibi fœcunditas & virginitas, quia mater es & virgo. Mihi divinitas ex virgine patre, & humanitas ex virgine matre: tibi virginitas ſine labe, & fœcunditas ſine ſemine. Ad hæc Maria tamquam dulcis tympaniſtria reſpondebit dulciſſimam cantilenam: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus, &c.

Cantus admirabilis cæleſtis choreæ. *Joan. 2* *Luc. 1*

Secundo Chriſtus cantabit angelicis ſpiritibus cantum, qui ſcribitur in Pſ. Benedicite angeli potentes virtute facientes verbum ejus, ad annuntiandum vocem ſermonum ejus. Vos qui eſtis angeli, id eſt nuntii diſcurrentes, vos qui eſtis potentes, id eſt mirabilia operantes, qui facitis verbum meum, id eſt mei imperii obedientes, & alios obedire facientes. Ad hunc cantum Chriſti reſpondebunt ſancti Angeli cantilenam quæ ſcribitur in Apocalypſi: Benedictio & claritas, & ſapientia & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen. Tibi Chriſte ſit benedictio in incarnatione, claritas in nativitate, ſapientia in prædicatione, gratiarum actio in redemptione, paſſione, & morte; honor in reſurrectione, virtus in aſcenſione, fortitudo in judicii conſummatione.

Pſal. 102 *Apoc. 7*

Tertio, Chriſtus cantabit Patriarchis, & Prophetis cantilenam, quam cantavit Moyſi in viſione rubi: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus patrum noſtrorum miſit me ad vos. Hoc nomen eſt mihi in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Chriſtus enim ad ſanctos Patres & Patriarchas, & Prophetas, ſpecialiter fuit miſſus, quia de ſemine electo, ſc. ſanctorum Patriarcharum, & Spiritus ſancti operatione ex Maria Virgine natus, & quia ſanctis Prophetis ejus adventus fuit ſingulariter revelatus. Vel potius cantet naſcendo eis cantum illum gratioſum, qui ſcriptus eſt: Vos ipſi vidiſtis, quid fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum. *Et ſequitur*: Vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta.

Exod. 3 *Exod. 19* *Ibidem.*

ſancta. Vos enim ſubmerſis Ægyptijs, A id eſt mundi amatoribus in mari rubro, id eſt in peccato, & tandem in inferno: ad terram promiſſionis, id eſt ad hanc terram viventium promiſſam adduxi. Et ſuper alas aquilarum vos portavi, id eſt in pennis contemplationis angelicæ vos elevavi ad ſpeculandum adventum meum, & omnia myſteria gratiæ, & hæc cantilena eſt ſpecialiter Prophetarum. Et eritis mihi in regnum ſacerdotale, quia a patribus Chriſtus deſcendit in Virgine Maria, quæ fuit de tribu ſacerdotali & regia, quia pater Dominæ noſtræ, ſcilicet Joachim fuit de tribu Juda, & mater ejus. Anna fuit de tribu Levitica, ut patet in hiſtoria: & hæc eſt cantilena communis Patriarcharum. Et quia Patriarchæ fuerunt reges, & duces, ſicut patet in David, & filiis ſuis Prophetæ vero fuerunt ſacerdotes, ſicut Samuel, Zacharias, & Joannes Baptiſta: ad iſtud canticum gratioſum & glorioſum reſpondebunt ſancti Patriarchæ & Prophetæ illud canticum, quod eſt ſcriptum in Apocalypſi, ubi dicitur, quod quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores cantabant canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & ſolvere ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo. *Et ſequitur.* Et feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Tu Domine ſolus dignus es aperire librum Dei patris, ſcriptum per Spiritum ſanctum in pergameno virgineo tuæ carnis. Tu enim aperuiſti ſeptem ſignacula libri, de virgine carnem aſſumendo, & de virgine naſcendo, & in cruce pro nobis moriendo, & ad infernum deſcendendo, & a mortuis reſurgendo, & ad cœlum aſcendendo, & ad judicium veniendo. De iſtis ſeptem articulis tuæ humanitatis manifeſtaſti nobis arcanum tuæ divinæ miſerationis, ſcilic. myſterium humanæ redemptionis. Et ideo ſequitur cantilena, quoniam occiſus es, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes. Regnum, quia feciſti nos obedire præceptis tuis, ſicut regnum obſervat dictum regis: & ſacerdotes, quia in mundo feciſti nos offerre ſacrificium ſpiritus tribulati, & tunc in cœlo ſacrificium perpetuæ laudis pro beneficiis tuis immolamus tibi.

Exod. ubi ſup. *Apoc. 4* *Ibidem.*

Quarto Salvator cantabit ſanctis Apoſtolis dulciſſimam cantilenam, quæ ſcripta eſt: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis regnum, ſicut Pater meus diſpoſuit mihi regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Vos eſtis non ſervi, ſed amici mei, & ego veſter ſocius. B Vos diſcipuli mei eſtis & ego magiſter, & pædagogus. Vos fratres mei & ego veſter charitate germanus. Quia fuiſtis participes tribulationis meæ, do vobis triplicem dignitatem gloriæ ſupernæ. Facio enim vos reges omnipotentes cæleſtes, & hoc eſt quod dicit: Diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vos per gratiam non per naturam. Facio vos convivas cæleſtis menſæ, ubi humanitas eſt cibus, & dietas eſt potus, & hoc eſt quod dicit, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Facio vos nihilominus judices cæleſtis curiæ. Unde ſequitur: Sedebitis ſuper ſedes C duodecim, judicantes &c. id eſt divinum judicium approbantes, ſicut æterni conſiſtorii aſſeſſores, judicantes duodecim tribus Iſrael, id eſt univerſalem multitudinem fidelium: quia infideles jam judicati ſunt, ut dicitur in Joanne. Qui ſignantur hodie per numerum duodecim tribuum Iſrael, qui ſolum coluerunt unum Deum. Ad hanc cantilenam reſpondebunt ſancti Apoſtoli cantilenam, quæ ſcripta eſt, quam pro omnibus cantavit Petrus, dicens: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei vivi. Credimus in verbo & radio fidei merito, & cognoſcimus claritatem in cœlo, quia tu es Chriſtus, id eſt unctus

Luc. 22 *Joan. 15* *Luc. 22* *Ibid.* *Joan. 3* *Joan. 6*

Digitized by Google

unctus oleo divinæ miſerationis, balſamo odorifera converſationis, chriſmate digniſſimæ conſecrationis, regia ſcilicet, & ſacerdotalis filius Dei poteſtate, æternitate, & majeſtate Deo patri æqualis.

Quinto Chriſtus rex noſter cantabit ſanctis Martyribus cantilenam illam, quæ ſcripta eſt: Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, quaſi diceret: ſanctis martyribus: Grave fuit martyrii pondus, quo perſecutionem paſſi eſtis. Dignus fuit martyrii titulus, quia propter juſtitiam, non propter culpam ſuſtinuiſtis. Et ideo magnus fuit martyrii fructus, quoniam veſtrum eſt regnum cœlorum. Ad hanc cantilenam reſpondebunt martyres glorioſi, & dicent cantilenam, quam in perſona ipſorum martyrum dicit Apoſtolus: Et ſi commortui ſumus, & convivemus. Si ſuſtinuimus, & cum eo regnabimus, quaſi diceret: Labor noſter eſt modicæ paſſionis, ſed magnus eſt fructus divinæ fruitionis, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ut dicit Apoſtolus.

Matth. 5 *2 Tim. 2* *Rom. 8*

Sexto, Chriſtus cantabit ſanctis Pontificibus & Doctoribus & aliis Confeſſoribus & primo ſanctis Pontificibus cantilenam quæ ſcripta eſt: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Genus electum, per prædeſtinationem: regale ſacerdotium, per ſubditorum protectionem: gens ſancta, per virtutum perfectionem: populus acquiſitionis, per exemplorum ædificationem, & diligentiam paſtoralem. Poſtea ſanctis Doctoribus Chriſtus cantabit illud quod ſcriptum eſt: Vos eſtis ſal terræ. Nam ſicut ſal eſt ſapor omnium ſaporum: ſic expoſitio catholica Doctorum, eſt quaſi condimentum ſacrorum eloquiorum. Et ſicut omnia cibaria ſine ſale ſunt inſipida: ſic verba ſacræ ſcripturæ, maxime legalia ſacramenta, ſine catholica expoſitione Doctorum,

1 Pet. 2 *Matt. 5*

A videntur ſimplicibus non eſſe multum fructuoſa. Et ſicut ſal conſervat carnes a putrefactione vermium, ſic Doctrina & expoſitio Doctorum conſervat carnes a putrefactione vermium, ſic Doctrina & expoſitio Doctorum conſervat carnales homines a corruptione peccatorum. Unde propter iſta dicitur: Sermo veſter ſemper ſit ſale conditus. *Coloſſ. 4*

Septimo, Chriſtus cantabit omnibus ſanctis Monachis & Anachoretis, id eſt Solitariis, & omnibus aliis Confeſſoribus cantum illum, qui ſcriptus eſt in Matthæo: Vos eſtis lux mundi. *Matt. 5* Sol dicitur lux mundi ad litteram, & ſancti Confeſſores dicuntur lux

B mundi per figuram ſcil. inſtar ſolis, mundum illuminantes ſplendore honeſtatis, inſtar ſolis mundum inflammantes fervore charitatis. inſtar ſolis mundum ſuperantes quantitate virtutis. Nam ſecundum aſtrologos, ſol eſt octies major quam terra: ſic ſancti viri mundanos excedunt octies virtute & gratia, id eſt octo beatitudinibus vel virtutibus, quas Chriſtus docuit in ſchola ſua tanquam in ſua prima lectione, dicens: Beati pauperes ſpiritu. *Ibid.* Iſtæ namque octo beatitudines ſunt quædam gratiæ præſentes, in quibus viri ſancti ſuperant homines mundanos & carnales. Ad iſtam beatam cantilenam omnes unanimiter Pontifices & alii Doctores

C Chriſto reſpondebunt cantum illum dulciſſimum, qui ſcriptus eſt in Pſal. Tranſivimus per ignem & aquam. *Pſalm. 65* Per ignem fortes in adverſis, per aquam humiles in proſperis. Et eduxiſti nos in refrigerium fœlicitatis, ſc. per miſerias. Unde Salvator ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onorati eſtis jugo præceptorum meorum, & ego reficiam vos plenitudine cœleſtium gaudiorum. *Matth. 11*

Octavo cantabit Chriſtus Virginibus cantilenam illam: O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. *Sap. 4* Caſta generatio dicitur pudicitia virginalis, & continentia vidualis, & temperantia coniugalis. Iſtis tribus triplex claritas correſpondet. Nam

Vir-

Digitized by Google

Virgines habent claritatem incorruptionis, & aureolæ: viduæ claritatem devotionis internæ: coniuges claritatem ſucceſſionis benignæ: & omnes pariter habent claritatem odoriferæ famæ, & opinionis bonæ. Ad hanc cantilenam Virgines & continentes reſpondebunt illud canticum dulciſſimum, quod eſt in Canticis: *Cant. 1* Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Nimis dicitur propter ariditatem con- *Sap. 8* tinentiæ, quia dicitur: Scio quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi *Apoc. 14* Deus det. Et ideo dicitur. Quia nemo poterat dicere canticum illud, ſcilicet virginale niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti B ſunt de terra. Numerus centenarius competit Virginibus, quibus datur fructus centeſimus, ut dicitur in Mat- *Matth. 13* thæo. Quadragenarius competit viduis, quia quadraginta ſignat ſtatutam pœnitentiam. Ideo tam Moyſes, quam Elias, quam Chriſtus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunaverunt. Quaternarius competit coniugatis caſtitatem amantibus; quia ſecundum doctrinam quatuor Evangeliſtarum obſervare conantur con- *Hebr. 13* iugalem thorum. Unde dicit Apoſtolus: Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Millenarius vero competit continentibus, quia per millenarium, qui eſt limes, C & terminus omnium numerorum ſignatur cæleſte gaudium, quod eſt finis omnium deſideriorum. Unde dicitur *Pſal. 16* in Pſalmo: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Ultimo Chriſtus cantabit communiter omnibus ſanctis illam dulciſſi- *Matt. 25* mam cantilenam, ſcilicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Venite benedicti patris mei, per gratiæ adoptionem, per quam eſtis filii & fratres mei. Quia *Rom. 8* ut ait Apoſtolus: Si filii, & heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Quod vobis paratum eſt ab origine mundi, per æternam prædeſtinationem, per quam eſtis æterna præ-

A ſcientia electi. Ad iſtam cantilenam Chriſti reſpondebit altiſſime totus chorus, vel chorea, vel ballata ſanctorum illum cantum, qui reſcribitur in Paulo: Regi ſæculorum im- *1 Tim. 1* mortali, inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Tibi inquam Domine, qui es omnium ſæculorum pro nobis tantum humiliatus: tu immortalis, qui pro nobis in cruce es mortuus: tu inviſibilis, qui tamen nobis viſibilis: tu ſolus ſanctus in maieſtate, nobis tamen miſericorditer aſſociatus: tu es omnipotens, pro nobis autem homo factus es. Tibi, inquam, honor ex creatione: gloria ex redemptione: In ſæcula ſæculorum, ex æterna ſalvatione: Amen, ex omnium promiſſorum tuorum certiſſima adimpletione.

Tandem omnes ſancti dicent, alter ad alterum, illum ſacratiſſimum hymnum & triſagium glorioſum, quod ſcribitur in Iſaia: Sanctus, San- *Iſa. 66* ctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, vel exercituum, pleni ſunt cœli & terra gloria eius. Cuius eſt tanta vir- *Virtus Triſagii.* tus, quod qui dicit illum, a morte ſubitanea, & fulgure, & omnibus tribulationibus eſt ſecurus, ut ait Damaſcenus. Propter quod ſtatuit *Dam. lib. 3 orthod. fid. cap. 10* ſancta Synodus Chalcedonenſis quarta, hoc triſagium ſanctæ Trinitatis a fidelibus dici, contra omnes ſtellionatus, id eſt minas divinas, ut ait Damaſcenus ibidem, ſcilic. Agios, o theos, Sanctus Deus: Agios, Iſchyos, Sanctus fortis: Agios, athanatos, eleiſon, ymas, Sanctus, & immortalis, miſerere nobis. In quo triſagio ſancti faciunt ſpecialiter tria, ſcilicet Trinitatem confitentur in una eſſentia. Unde dicit Iſaias: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Poteſta- *Iſa. 6* tem, & iudicia admirantur, dicentes: Dominus Deus exercituum. Pietatem & beneficia venerantur, addentes: Plena eſt omnis terra tam viventium, quam morientium, gloria eius, id eſt miſericordia eius, in qua Deus præcipue oſtenditur glorioſus, ut exponit Gloſſa: Unde dicit Apoſtolus: Omnes enim peccave- *Rom. 3* runt,

runt, & egent gloria Dei, quæ eſt infinita. Ad quam gloriam nos perducat, & participes efficiat ductor illius choreæ Jeſus Virginis filius, cui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto, uni ſoli Deo vivo, & vero eſt honor, & imperium maieſtatis, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

APPENDIX DIÆTÆ SALUTIS,

Quæ applicationem materiarum ipſius Diætæ continet ad uſum Concionatorum in diebus Dominicis, & Feſtivitatibus per annum.

Dominica I. in Adventu Domini.

Rom. 13 ABIICIAMUS *opera tenebrarum, & induamur arma lucis, &c.* In adventu magni Regis, & Principis expiantur ſordes & parantur veſtes: & ideo Apoſtolus in his verbis per hunc modum, propter ſummi regis adventum, ad faciendum hæc duo ſpecialiter nos invitat. Primo ad vitiorum ſordes expurgandas, cum dicit: *Abiiciamus opera tenebrarum.* Secundo, ad virtutum veſtes præparandas, cum addit: *Et induamur arma lucis.* (Tit. 2 c. 1) Primo igitur, debemus expurgare ſordes vitiorum, & propter tria, quæ ſunt in peccato. Require in materia de peccato in communi. Secundo, debemus veſtes virtutum præparare, & ſpecialiter veſtem charitatis. (Tit. 5 c. 2) Et ſicut videmus, quod veſtis nobilior portatur in feſtis præcipuis. De hac veſte quære in materia de charitate.

Dominica II. Adventus.

Rom. 16 *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio.* Quoniam a viris ſpritualibus ſunt debiles ſuſtinendi, & triſtes conſolandi: idcirco Apoſtolus in verbis

A propoſitis duo facit. Primo enim promittit debilibus ſuſtentationem, cum dicit: *Deus autem ſpei.* Secundo, triſtibus conſolationem: cum addit: *Repleat vos omni gaudio,* & in Pſalmo: Spera in Domino, ſequitur: Et paſceris in divitiis ejus. (Pſalm. 36) Primo, dico, quod ſpiritualis ſuſtentatio eſt virtute ſpei. Quære in materia de ſpe. (Tit. 5 c. 4) Secundo ſpiritualis conſolatio eſt in gaudio virtutis. Unde virtus comparatur paradiſo. Quære in materia de virtute in communi. (Ibid. c. 1)

Dominica III. Adventus.

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt. (Phil. 4)

B Rege præſente conſueverunt domicelli, & milites multum alacriter & honeſte incedere: ideo Apoſtolus prævidens regis æterni præſentiam propinquam ad converſationem honeſtam in verbis propoſitis nos hortatur. Et ſecundum hoc in verbis iſtis duo facit. Primo enim hortatur nos ad converſationis honeſtatem, cum dicit: *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Secundo oſtendit converſationis cauſam, cum addit: *Dominus prope eſt.* Primo igitur, forma converſationis conſiſtit ſpecialiter in manſuetudine vel mititate. Require in materia de mititate, & manſuetudine. (Tit. 7 c. 2)

C Secundo virtus ſpiritualis converſationis, & orationis, caſtitatis, & pietatis, faciunt propinquam Dei præſentiam. Require in materia de caſtitate, oratione, & pietate. (Tit. 3 c. 4; Tit. 1 c. 5 & tit. 31.4)

Dominica IV. Adventus.

Nolite ante tempus judicare, quo adusque veniat Dominus. (1 Cor. 4) Dicit lex Imperatoris, quod adveniente Præſide, ceſſat junior poteſtas. Ideo Apoſtolus conſiderans adventum æterni judicis, duo facit in his verbis. Primo namque reprimit invidiam iniquam, dicens: *Nolite ante tempus judicare.* Secundo prædicit Salvatoris juſtitiam futuram, cum dicit: *Quouſque veniat Dominus.* Primo igitur reprimitur invi-

Digitized by Google

invidia propter tria. Require in materia de invidia. Secundo prædicatur causa, judicis ſententia. Require in materia de judicio futuro.

Tit. 9.

Dominica infra octavam Nativitatis.

Gal. 4.

Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius: quod ſi filius & heres per Deum. Magnus debet magna donare. Unde Apoſtolus in his verbis deſcribit Salvatoris magnificentiam. Et ſecundum hoc tria facit. Primo enim deſcribit culpæ ſubjectionem, a qua ſumus liberati, cum dicit: *Itaque jam non eſt ſervus.* Secundo, gratiæ cooperationem, per quam ſumus liberati & juſtificati, addens: *Sed filius.* Tertio, gloriæ poſſeſſionem ad quam ſumus prædeſtinati, ſubdens: *Quod ſi filius, & heres per Deum.* Primo igitur, ſubiicitur homo per culpam, ſpecialiter propter gulam, luxuriam, & avaritiam. Quære in materia de gula, de luxuria, & de avaritia. Secundo juſtificatur homo per gratiam pœnitentiæ. Quære in materia de pœnitentia. Tertio beatificatur homo per gloriam. Quære in materia de gloria paradiſi.

Dominica Secunda.

Rom. 12.

Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Omnis cibus quantumcumque pretioſus, inſipidus eſt, niſi ſit ſale conditus, ideo Apoſtolus hortatur nos in verbis propoſitis, ut cibum prudentiæ condiamus ſale diſcretionis. Et ſecundum hoc duo facit. Primo prohibet ſapientiam temerariam, dicens: *Non plus ſapere quam oportet ſapere.* Secundo ſuadet temperantiam neceſſariam, addens: *Sed ſapere ad ſobrietatem.* Primo igitur cavenda eſt prudentia vel ſapientia inordinata. Quære in materia de prudentia. Secundo querenda eſt ſobrietas modeſta. Quære in materia de temperantia.

Tit. 5. c. 5

Ibidem c. 6

Dominica prima poſt Octavam Epiphaniæ.

Odientes malum, adhærentes bono. Naturaliter guſtus bene diſpoſitus reſpuit amaritudinem & appetit dulcedinem. Ideo Apoſtolus in his verbis monet nos ad duo, videlicet ad deteſtationem culpæ, dicens: *Odientes malum.* Secundo monet nos ad dilectionem gratiæ, ibi: *Adhærentes bono.* Primò igitur deteſtanda eſt culpa. Quære in materia de peccato in communi. Secundo, diligenda eſt virtus, vel gratia. Quære in materia de virtute in communi.

Ibidem.

Tit. 1 c. 1

Tit. 5 c. 1

Dominica Secunda.

Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Non eſt tutum militem ſine armis intrare locum certaminis: ideo Apoſtolus in his verbis ſpecialiter nos inſtruens, duo facit. Primo docet eſſe ſumendum ſcutum patientiæ, dicens: *Non voſmetipſos defendentes.* Secundo docet cavendum ictum iracundiæ, addens: *Sed date locum iræ.* Primo debemus aſſumere patientiam tamquam ſcutum. Quære in materia de fortitudine, & de patientia. Secundo, debemus cavere iracundiam tamquam ictum. Quære in materia de ira.

Rom. 12

Tit. 5 c. 7 & tit. 11. 1

Tit. 1 c. 5

Dominica Tertia.

Qui diligit proximum ſuum, legem implevit. Mercatores facientes computum, prius ipſum in pecias & partes dividunt, & poſtea in ſummam reducunt, ſic & Apoſtolus in his verbis divinæ legis ſummam reducit in charitatem. Et ſecundum hoc monet nos Apoſtolus ad duo, videlicet ad dilectionem proximorum, dicens: *Qui diligit proximum.* Ad impletionem mandatorum, addens: *Implevit legem.* Primo igitur debemus proximum diligere. Quære in materia de charitate. Secundo, debemus præ-

Rom. 13.

Tit. 5 c. 1

Tit. 3 per totum. præcepta adimplere. Quære in materia de præceptis.

Dominica Quarta.

Coloſſ. 3 *Pax igitur Chriſti exultet in cordibus veſtris.* Mundus iſte conſuevit duo multum deſiderare, ſcilicet concordiam pacis, & lætitiam cordis. Ideo Apoſtolus in his verbis optat nobis hæc duo, quæ naturaliter deſiderat omnis homo, ſcilicet proximi concordiam amicabilem, cum dicit: *Pax igitur Chriſti*. Secundo animi lætitiam delectabilem cum addit: *Exultet in cordibus veſtris*. Primo igitur, affectanda eſt concordia pacis. Tit. 7 c. 6 Quære in materia de pace. Secundo Tit. 5 c. 2 & tit. 8 c. 1 lætitia cordis eſt optanda. Quære in materia de charitate, & in materia de gaudio.

Dominica in Septuageſima.

1 Cor. 9 *Sic currite, ut comprehendatis.* Quoniam non incipientibus, ſed proficientibus regnum cæleſte promittitur: ideo Apoſtolus in verbis iſtis ad duo ſpecialiter nos hortatur. Primo ad fructuoſam operationem, cum dicit: *Sic currite*. Secundo oſtendit fructuoſæ operationis rationem, cum addit: *Ut comprehendatis*. Primo igitur, debemus curſum præceptorum perficere. Tit. 3 per totum. Quære in materia de præceptis. Secundo, fructum præmiorum appetere. Tit. 10 c. 2 & ſeq. Quære in materia de gloria paradiſi.

Dominica in Sexageſima.

2 Cor. 12 *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Infirmus ſi prudens eſt, libenter ſuſtinet ſudorem propter frequentem ſanitatem. Ideo Apoſtolus in his verbis duo docet, ſcilicet afflictionem carnis quam debemus libenter portare, dicens: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. Secundo poſſeſſione virtutis, quam debemus ferventer amare, cum addit: *Ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Primo igitur afflictio carnis eſt libenter portanda. Tit. 7 c. 7 Quære in materia de fortitudine. Secundo, poſſeſſio virtutum eſt amanda. Quære in materia Ibid. c. 1 de virtute in communi.

Dominica in Quinquageſima.

Charitas patiens eſt. Decet reginam, 1 Cor. 13 habere regium apparatum. Ideo Apoſtolus in his verbis deſcribit ſpecialiter iſta duo, ſcilicet charitatem ſicut virginum reginam dicens: *Charitas*. Secundo patientiam ſicut reginæ armaturam, addens. *Patiens eſt*. Primo Tit. 5 c. 1 igitur, charitas eſt virtutum regina. Quære in materia de charitate. Secundo, patientia eſt reginæ armatura. Ibid. c. 7 & tit. 7 c. 7 Quære in materia de fortitudine: Et in materia de patientia.

Dominica prima in Quadrageſima.

Ut caſtigati, & non mortificati. Filius ſi peccaverit caſtigandus eſt, & 2 Cor. 6 non mactandus: corrigendus & non occidendus. Et ſecundum hoc Apoſtolus in iſto verbo ſcecialiter oſtendit duo. Primo quod peccator debet ſe corrigere cum flagello pœnitentiæ, cum dicit: *Ut caſtigati*. Secundo, quod non debet ſe occidere cum gladio culpæ, addens: *Non mortificati*. Primo igitur, caſtigandus eſt peccator flagello pœnitentiæ. Quære in materia de pœnitentia. Tit. 2 per tot. Secundo, non eſt occidendus gladio culpæ, quære in materia de peccato in communi. Tit. 1 c. 1

Dominica ſecunda in Quadrageſima.

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. 1 Theſſ. 4 Tunc regnum bene regitur, quando populus voluntatem regis obſervat, & quando rex plebis utilitatem procurat. Unde Apoſtolus in his verbis hæc duo facit. Deſcribit enim quid ſumme obſervandum, quia voluntas divina, dicens: *Hæc eſt voluntas Dei*. Secundo quid ſumme affectandum, quia ſanctitas propria, addens: *Sanctificatio veſtra*. Primo igitur debemus divinam voluntatem obſervare implendo præcepta. Quære in Tit. 3 per tot. materia de præceptis. Secundo, debemus

Digitized by Google

Tit. 4 c. 4 bemus per munditiam propriam caſtitatem ſervare. Quære in materia de caſtitate.

Dominica Tertia in Quadrageſima.

Epheſ. 5 *Ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit vos.* Unicuique experto in ſua ſcientia credendum. Et ideo, quia Apoſtolus ſumme fuit expertus in præceptis & ſcientia, audire debemus lectionem ſuam, quam nobis proponit in his verbis, de ſchola divinæ lectionis. Hæc autem lectio continet duo capitalia dilectionis, ſcilicet viam regulantem, & ideo dicitur: *Ambulate in dilectione*: & dilectionis formam exemplarem, & ideo ſubditur. *Sicut & Chriſtus dilexit vos.* Primo igitur ſequenda eſt
Tit. 7 c. 2 dilectionis via. Quære in materia de dilectione & charitate. Secundo, attendenda eſt dilectionis forma.
Ibidem. Quære in eadem materia.

Dominica quarta in Quadrageſima.

Gal. 4 *Eiice ancillam & filium ejus.* Vulgo dicitur, quod bonum opus facit, qui de ſtulto ſe expedit. Et ideo Apoſtolus in hoc verbo monet nos, ad expellendum peccatum de cordis hoſpitio. Et hoc quantum ad duo, ſcilic. quantum ad affectionem, qua peccatum concupiſcitur, dicens: *Eiice ancillam*, id eſt voluntatem malam, & quantum ad operationem, qua peccatum perpetratur, addens: *Et filium ejus.* Primo igitur, per pœnitentiam expellenda eſt affectio mala, & fit præcipue per contritionem, & per confeſſionem. Quære in
Tit. 2 per tot. materia de pœnitentia. Secundo expellenda eſt operatio prava, & fit
Ibidem. per ſatisfactionem. Quære in eadem materia.

Dominica in Paſſione Domini.

Heb. 9 *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta.* Religioſi conſueverunt ſe minuere, quando volunt infirmariam intrare, & recreationem

A ſuſcipere: ſic Dominus in paſſione ſua fecit ſe minui, & ſic intravit infirmariam, & recreationem paradiſi recepit. Et ſic Apoſtolus in verbis iſtis duo oſtendit, ſcilicet paſſionis Chriſti minutionem, dicens: *Per proprium ſanguinem.* Secundo reſurrectionis recreationem, addens; *Introivit ſemel in ſancta*, ſcilicet in cœlum. Primo igitur, paſſio Chriſti eſt jugiter meditanda. Quære in materia de contemplatione & de gaudio. Tit. 8 c. 1
Secundo, bona cæleſtia ſunt ferventer deſideranda. Quære in materia de ſpe, & gloria paradiſi. Tit. 5 c. 4 & tit. 10 cap. 2

Dominica in ramis Palmarum.

B *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Phil. 2
Qui vult librum ſcribere vel corrigere, ſuper omnia de exemplari veraci debet curare: & ideo Apoſtolus in his verbis proponit nobis pro libro exemplum vitæ Chriſti, ad tranſcribendum, & corrigendum librum cordis noſtri. Proponit autem hic nobis quatuor capitula huius libri, in cordis noſtri codice tranſſcribenda. Primum, ſcilicet humilitatis inclinantis, cum dicit: *Humiliavit ſemetipſum.* Secundum obedientiæ ſubiugantis, cum dicitur: *Factus obediens.* Tertium perſeverantiæ
C coronantis, cum ſubditur. *Uſque ad mortem.* Quartum pœnitentiæ crucifigentis, cum ſubinfertur: *Mortem autem crucis.* Primo igitur, debemus nos humiliter inclinare. Quære in materia de humilitate. Tit. 7 c. 1
Secundo, debemus nos obedientia ſubiugare. Quære in materia de obedientia. Tit. 4 c. 3
Tertio debemus nos perſeverantia coronare. Quære in materia de fortitudine. Tit. 5 c. 7
Quarto, debemus nos pœnitentia cruciare. Quære in materia de pœnitentia. Tit. 2 per tot.

Dominica prima poſt Paſcha.

Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. 1 Joan. ult.
Multum gloriatur miles in gladio, quando cum illo triumphavit in omni bello: Ideo Joannes Apo-

Digitized by Google

Apoſtolus oſtendit in his verbis Chriſti militibus ſpecialiter duo, ſcilicet triumphum vitiorum, dicens: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum*. Secundo genus armorum ſecuriſſimum: *Fides noſtra*. Primo igitur, debemus perſe-
Tit. 5 c. 7 verantia triumphare. Quære in materia de fortitudine. Secundo, debe-
Itidem c. 3 mus nos armis fidei armare. Quære in materia de fide.

Dominica ſecunda poſt Paſcha.

1 Pet. 2 *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Sequi debet miles ducem, proles patrem, ſcholaris doctorem: & ideo Apoſtolus oſtendit nobis tria in his verbis, quæ ſunt neceſſaria, & facienda nobis. Primo eſt nobis cum Chriſto militandum, & ideo dicitur: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*. Secundo cum Chriſto converſandum, & ideo ſubditur: *Vobis relinquens exemplum*. Tertio per Chriſtum ambulandum, & ideo ſubinfertur: *Ut ſequamini veſtigia ejus*. Primo igitur debemus laborare cum Chriſto, per pœnitentiam dignam. Quære in materia
Tit. 2 per tot. de pœnitentia. Secundo, debemus converſari in Chriſto per vitam honeſtam. Quære in materia de caſtita-
Tit. 5 c. 4 & tit. 5 cap. 6 te, & temperantia. Tertio, debemus poſt Chriſtum ambulare per mandatorum ſemitam rectam. Quære in
Tit. 3 per tot. materia de præceptis.

Dominica tertia poſt Paſcha.

1 Pet. 2 *Obſecro vos tamquam advenas, & peregrinos, abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam*. Qui bene dirigit in via, prædicit omnia diverticula, & pericula. Et ſecundum hoc, Apoſtolus monet nos in his verbis ad tria, ſcilicet ad habendam mortis memoriam, dicens: *Obſecro vos tamquam advenas & peregrinos*. Secundo, ad domandam carnis laſciviam, dum dicit: *Abſtinere a vos carnalibus deſideriis*. Tertio ad frangendam hoſtis malitiam ſubdens: *Quæ militant adverſus animam*. Primo

A igitur, habenda eſt mortis memoria & hoc eſt humilitatis. Quære in ma-
Tit. 7 c. 1 teria de humilitate. Secundo, domanda eſt carnis laſcivia, quod eſt opus caſtitatis. Quære in materia de
Tit. 4 c. 4 & tit. 5 c. 6 caſtitate, & temperantia. Tertio, fugienda eſt hoſtis malitia, & hoc opus fortitudinis. Quære in materia de
Ibid. & t. 5 cap. 7 fortitudine, & continentia.

Dominica quarta poſt Paſcha.

Jacob. 1 *Sit omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram*. Vulgo dicitur: Qui non eſt prudens, ſit ſaltem bene credens. Et ideo beatus Jacobus Apoſtolus monet
B nos ſpecialiter ad tria: Primum eſt velocitas contra contemptum obedientiæ, dicens: *Sit omnis homo velox ad audiendum*. Secundum eſt taciturnitas contra peccatum linguæ, ideo addit: *Tardus ad loquendum*. Tertium eſt mititas contra peccatum iræ, ideo dicit: *Tardus ad iram*. Primo igitur,
Tit. 4 c. 2 debemus acquieſcere. Et hoc eſt opus
Tit. 3 per tot. obedientiæ. Quære in materia de obedientia. Secundo, debemus libenter tacere contra vitium linguæ. Quæ-
Tit. 5 c. 5 re in materia de præceptis. Tertio debemus eſſe quieti contra peccatum iræ. Quære in materia de ira.

Dominica quinta poſt Paſcha.

Jac. 1
C *Religio munda, & immaculata apud Deum patrem, hoc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ad hoc ſæculo*. Boni pictoris induſtria apparet in bona pictura, & ſecundum hoc Apoſtolus pingit bonam picturam quantum ad tria, quæ ſunt ad bonam vitam neceſſaria, ſcilicet decor converſationis, & ideo dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt*. Secundo, dolor miſerationis, cum additur. *Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*. Tertio fuga inquinationis, cum ſubditur: *Et immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*. Primo ergo debemus pie converſari, quod eſt opus honeſtatis. Quære

Tit. 4 c. 4 Quære in materia de honeſtate, vel A caſtitate. Secundo debemus pie miſereri, & hoc eſt opus pietatis. Tit. 6 c. 4 Quære in materia de pietate, & miſericordia. Tertio, debemus inquinationem deteſtari, & hoc eſt opus Tit. 3 per tot. & tit. 11. 3 virtutis, & hoc quantum ad triplicem concupiſcentiam, ſcilicet mundi, carnis, & hoſtis. Quære in materia de præceptis, & oratione.

Dominica infra octavam Aſcenſionis.

1 Pet. 4 *Si quis miniſtrat, tamquam ex virtute quam adminiſtrat Deus.* Omnis bonus operarius utitur regula ad dirigendum opus. Et ſecundum hoc Beatus Petrus Apoſtolus oſtendit in his verbis duo B nobis neceſſaria, ſc. obſequium exterioris operis, dicens: *Si quis miniſtrat.* Secundo judicium interioris virtutis, addens: *Quam adminiſtrat Deus.* Primo debemus bonum opus exercere, & ſpecialiter triplex, ſcilicet opus juſtitiæ in obſervando mandata. Quære in materia de præceptis. Secundo, opus pœnitentiæ in emendando Tit. 3. peccata. Quære in materia de pœnitentia. Tit. 1 Tertio, opus miſericordiæ in Tit. 6 c. 4 ſublevando proximi incommoda. Quære in materia de miſericordia.

Dominica prima poſt Pentecoſten.

1 Joan. 4 *Hoc mandatum habemus a Deo, ut* C *qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Duplicem modum conſuevit facere, qui rem vult bene ligare. Et ſecundum hoc Joannes Apoſtolus oſtendit nobis duo de vinculo charitatis; iniunctionem, qua iniungitur ſub diſcreto præcepto, & ideo dicitur: *Hoc mandatum habemus a Deo.* Charitatis perfectionem, quæ perficitur duplici modo, & ideo ſubditur: *Ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Primo igitur charitatem debemus ſervare tamquam præceptum, Tit. 3 quære in materia de præceptis. Secundo debemus charitatem nodare Tit. 5 c. 2 tamquam vinculum. Quære in materia de charitate.

Dominica ſecunda poſt Pentecoſten.

Qui odit fratrem ſuum homicida eſt. 1 Joan. 3 Secundum leges ſæculares, non ſolum reputatur homicida qui interficit ictu gladii, ſed qui parat potiones veneni. Et ſecundum hoc Apoſtolus in his verbis oſtendit nobis duo, ſcilic. odium expellendum ad modum veneni, dicens: *Qui odit fratrem ſuum.* Secundo homicidium abhorrendum, inſtar gladii, addens: *Homicida eſt.* Primo igitur debemus odium fratris vitare, quod eſt invidiæ corruptio. Quære in materia de invidia. Secundo, debemus homicidium abhorrere, Tit. 1 c. 4 quod eſt præcepti transgreſſio. Quære in materia de præceptis. Tit. 3 c. 4

Dominica tertia poſt Pentecoſten.

Humiliamini ſub potenti manu Dei, 1 Pet. ult. *ut exaltet vos in die viſitationis, &c.* Saltatores conſueverunt ſe curvare, ut melius poſſint ad alta ſaltare. Et ſecundum hoc Apoſtolus oſtendit nobis duo, ſcilicet humilitatis inclinationem profundam, dicens: *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* Secundo humilitatis elevationem jucundam, addens: *Ut exaltet vos in die viſitationis.* Primo igitur, debemus noſipſos humiliare. Quære in materia de humilitate, Tit. 7 c. 1 & ſuperbia per contrarium. Secundo debemus nos per contemplationem ad gloriam levare. Tit. 1 c. 3 Tit. 10 c. 1 Quære in materia de gloria paradiſi.

Dominica quarta poſt Pentecoſten.

Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, &c. Rom. 8 Conſuevit homo accipere pro parte ſua, quod plus ponderat in ſtatera. Et ſecundum hoc Apoſtolus quaſi in ſtatera proponit nobis duo verba in propoſito, ſcilicet præſentem tribulationem ad ſuſcipiendum, dicens: *Exiſtimo, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis.* Secundo æternam remunerationem ad eligen-

Digitized by Google

gendum, addens: *Ad futuram gloriam.* [A] Primo igitur, debemus præſentem [*Tit. 7 c. 7 & tit. 10 c. 7*] tribulationem ſuſtinere patienter. Quære in materia de patientia, & acedia per contrarium. Secundo æternam [*Tit. 5 c. 4 & tit. 10 c. 2*] remunerationem expectare. Quære in materia de ſpe & gloria paradiſi.

Dominica quinta poſt Pentecoſten.

[*1 Pet. 3*] *Si quid patimini propter juſtitiam, beati, &c.* Vix acquiruntur magnæ divitiæ ſine magno labore. Et ſecundum hoc in verbis propoſitis ponuntur ſpecialiter tria, ſcilicet virtus laborem ſuſtinens, cum dicitur: *Si quid patimini.* Juſtitia laborem decorans, cum additur: *Propter juſtitiam.* [B] Fructus, laborem remunerans, cum ſubditur: *Beati.* Primo enim debemus laborem præſentem patienter portare: [*Tit. 5 c. 7 & tit. 1 c. 3 6 9*] Quære in materia de fortitudine, ſuperbia, luxuria, & avaritia per contrarium. Secundo, debemus præſentem laborem titulo juſtitiæ decorare. [*Tit. 5 c. 8*] Quære in materia de juſtitia. Tertio, debemus laborem fructu fœlicitatis coronare. [*Tit. 5 c. 4 & tit. 10 cap. 2*] Quære in materia de ſpe, & gloria paradiſi.

Dominica ſexta poſt Pentecoſten.

[*Rom. 6*] *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quod ſimul vivemus cum eo, &c.* Conſueverunt pueri rumpere [C] veſtes antiquas, ut citius habeant novas. Et ſecundum hoc Apoſtolus in hoc verbo ſpecialiter oſtendit nobis duo, ſcilicet veſtem carnis mortificandam, cum dicitur: *Si autem mortui ſumus cum Chriſto*, ſtolam gloriæ deſiderandam, cum additur: *Quod ſimul vivemus in eo.* Primo igitur, debemus veſtem carnis rumpere per pœnitentiam. [*Tit. 2 per totum. & tit. 1 c. 7 8 9.*] Quære in materia de pœnitentia, acedia, luxuria, & gula per contrarium. Secundo debemus ſtolam gloriæ æternæ frequenter appetere. [*Tit. 5 c. 4 & tit. 10 c. 2.*] Quære in materia de ſpe, & gloria paradiſi.

Dominica ſeptima poſt Pentecoſten.

Habetis fructum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. [*Rom. 6*] Qui prudens eſt conſiderat fructum laboris, & finem operis. Et ſecundum hoc Apoſtolus in omni hora docet nos conſiderare duo, ſcilicet fructum juſtificantem, dicens: *Habetis fructum in ſanctificationem*, & deſiderare finem juſtificantem, addens: *Finem vero vitam æternam.* Primo, fructus boni operis conſiſtit in opere juſtitiæ. Quære in materia de præceptis. [*Tit. 3 per totum.*] Secundo finis operis conſiſtit in conſummatione perſeverantiæ. Quære in materia de perſeverantia. [*Tit. 8 c. 2*] Tertio in expectatione futuræ gloriæ. Quære in materia de ſpe & gloria paradiſi. [*Tit. 7 c. 4 & 10 c. 2.*]

Dominica octava poſt Pentecoſten.

Si ſecundum carnem vixeritis moriemini, &c. [*Rom. 8*] Infirmus ſi ſemper bibit ſecundum ſitim febris, de facili incurrit periculum mortis. Et ſecundum hoc, Apoſtolus oſtendit nobis duo, ſcilicet febrem vel ſitim carnis omnino reprimendam: *Si ſecundum carnem vixeritis.* Et gehennalem pœnam mortis omnino fugiendam, addens: *Moriemini.* Primo igitur debemus deſideria carnis reprimere. Quære in materia de temperantia & gula, per contrarium. [*Tit. 5 c. 6 & tit. 10. 8*] Secundo, debemus mortis ſupplicia formidare. Quære in materia de timore, & ſuperbia per contrarium. [*Tit. 6 c. 2 & tit. 10. 3*]

Dominica nona poſt Pentecoſten.

Non ſimus concupiſcentes malorum. [*1 Cor. 10*] Qui equitat laſcivum equum debet ipſum refrænare ſpecialiter juxta periculum. Et ſecundum hoc Apoſtolus oſtendit nobis duo, ſcilicet concupiſcentiæ vitium caute refrenandum, cum dicit: *Non ſimus concupiſcentes*, & concupiſcentiæ periculum formidandum, addens: *Malorum.* Primo igitur concupiſcentiæ vitium refrenandum. Quære in materia de [*Tit. 3 c. 8*]

præceptis. Secundo debemus concupiſcentiæ periculum formidare, quantum ad gulam, luxuriam, avaritiam.
Tit. 1 c. 6 & 9 Quære in materia iſtorum.

Dominica decima poſt Pentecoſten.

1 Cor. 12 *Diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus.* Multum decorat honorem regium, multiformis varietas, & diſtributio miniſteriorum. Et ſecundum hoc in his verbis duo ſpecialiter deſcribuntur, ſcilicet obſequii divini diſtributio ſalutaris, cum dicitur: *Diviſiones miniſteriorum ſunt*: Diſpenſationis Dei dominatio ſingularis, cum additur: *Idem autem Deus*. Primo igitur, debemus nos occupare, quantum ad opera miſericordiæ, &
Tit. 7 c. 4 & tit. 5 c. 8 & tit. 1 per tot. Tit. 3 c. 2 juſtitiæ, & pœnitentiæ. Quære in materia eorum. Secundo, debemus unum Deum adorare. Quære in materia de præceptis.

Dominica undecima poſt Pentecoſten.

1 Cor. 15 *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Naturaliter arbor prius nititur radices figere, & poſtea fructus proferre. Et ſecundum hoc Apoſtolus in his verbis de quolibet viro juſto oſtendit nobis duo, ſcilicet veritatis ſtabilitatem, dicens: *Gratia Dei ſum id quod ſum*. Et operis fœcunditatem, addens: *Et gratia ejus in me vacua non fuit*. Primo
Tit. 7 c. 2 3 4 Tit. 7 c. 4 & tit. 1 c. 6 & 7 igitur debemus eſſe virtutibus fixi. Quære in materia de fide, ſpe, charitate, & veritate in communi. Secundo, debemus eſſe in bonis fœcundi. Quære in materia de miſericordia & avaritia, & acedia per contrarium.

Dominica duodecima poſt Pentecoſten.

2 Cor. 3 *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Sicut luna recipit lumen ſuum a ſole, ita creatura donum ſuum a Creatore: & ad hoc quod luna plene lumen ſuum recipiat, oportet ut ſol directe reſpiciat. Et ſecundum hoc duo ſpecialiter in verbis iſtis oſtenduntur, ſcilicet integralis juſti perfectio, cum dicitur: *Sufficientia noſtra*. Secundo juſti ſpiritualis contemplatio, cum additur: *ex Deo eſt*. Primo igitur, debemus perfectionem virtutis habere. Quære Tit. 1 c. 1
in materia de virtute in communi. Secundo, debemus ad Deum per contemplationem reſpicere. Quære in Tit. 1 c. 5
materia de oratione & contemplatione.

Dominica decimatertia poſt Pentecoſten.

Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt. Gal. 3
Sicut enim principis equus indiget fræno: ſic pronitas ex concupiſcentia noſtra juſtitiæ præcepto. Et ſecundum hoc Apoſtolus in his verbis oſtendit nobis duo, ſcilicet æquitatem divini præcepti, cum dicit: *Lex*: & pronitatem peccati, cum dicit: *Propter tranſgreſſiones poſita eſt*. Primo igitur, Tit. 3
æquitas præcepti eſt obſervanda. Quære in materia de præceptis. Secundo peccati pronitas moderanda. Quære in materia de pœnitentia, temperantia, gula, & luxuria per contrarium. Tit. 1 per tot. & tit. 5 c. 6 & tit. 1 c. 8 & 9

Dominica decimaquarta poſt Pentecoſten.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Gal. 5
Tempus guerræ eſt valde periculoſum, & maxime quando eſt continuum, & infeſtivum. Idcirco milites conſueverunt incedere armati. Et ſecundum hoc in verbo iſto duo nobis oſtenduntur, ſcilicet carnis hoſtilitas domanda præ omnibus, cum dicitur: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, & mentis ſinceritas armanda virtutibus, cum additur: *Spiritus adverſus carnem*. Primo igitur, debemus hoſtilitatem carnis domare, & ſpecialiter quantum ad gulam, & luxuriam. Quære in Tit. 1 c. 9 Tit. 1 per tot.
materia de gula, & luxuria. Secundo, debemus mentis ſinceritatem amare. Quære in materia de pœnitentia.

Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten.

Gal. 6 Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Boves junguntur ut facilius trahant jugum, & equi combinantur, ut facilius trahant currum. Et ſecundum hoc, Apoſtolus in hoc verbo ponens nos ſub dilectionis jugo, docet ſpecialiter duo portare, ſcilicet proximorum partem laboris, cum dicit: Alter alterius onera portate. Secundo conſervare legem amoris addens: Et ſic adimplebitis legem Chriſti. Primo ergo eſt neceſſitas Tit. 7 c. 4 proximorum ſupportanda. Quære in materia de pietate & miſericordia. Secundo, eſt Dei & proximi charitas Tit. 3 & Tit. 5 c. 2 adimplenda. Quære in materia de præceptis & charitate.

Dominica decimaſexta poſt Pentecoſten.

Ephеſ. 4 Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Sicut opus glutini eſt fortiter conjungere, & ſicut vinculi eſt ligare, ſic opus charitatis eſt fortiter amare. Et ſecundum hoc Apoſtolus in verbo propoſito monet nos ad duo, ſcilicet ad habendum charitatis glutinum in unitate mentis ibi: Soliciti ſervare unitatem ſpiritus, & ad habendum charitatis vinculum in unitate pacis, addens: In vinculo pacis. Primo igitur, charitas loco glu- Tit. 5 c. 2 & tit. 1 c. 4 tini habet mentium unitatem. Quære in materia de charitate, & invidia per contrarium. Secundo charitas loco vinculi habet neceſſariam pacem. Tit. 6 c. 6 & tit. 1 c. 5 Quære in materia de pace, & ira per contrarium.

Dominica decimaſeptima poſt Pentecoſten.

Epheſ. 3 In charitate radicati & fundati. Sicut radix arborem portat, & ſicut fundamentum ædificium ſuſtinet: ſic charitas bonum inchoat, & conſervat. Et ſecundum hoc in verbis propoſitis de charitate duo proponuntur. Quoniam ipſa eſt radix, a qua generatur fructus boni operis, & ideo dicitur: In charitate radicati. Ipſa eſt A fundamentum, in quo ſituatur omnis ſtructura veritatis, & ideo ſubdit: Fundati. Primo igitur, charitas eſt radix reſpectu operis boni. Quære in Tit. 1 c. 2 materia de charitate. Secundo, charitas eſt fundamentum reſpectu virtutis. Quære in eadem materia. Ibidem.

Dominica decimaoctava poſt Pentecoſten.

Confirmabit vos uſque in finem ſine 1 Cor. 1 crimine. Vulgo dicitur, quod finis, non pugna coronatur. Unde incaute & in vanum laudatur nauta antequam acceperit portum, & miles antequam acquiſierit triumphum. Et ſecundum hoc, Apoſtolus hortatur nos ſpeciali- B ter, ad duo, ſcilicet ad firmitatem perſeverantiæ, cum dicitur: Confirmabit vos: Ad puritatem innocentiæ, addens: Sine crimine. Primo igitur, debemus in bono perſeverare. Quære Tit. 1 c. 3 in materia de perſeverantia. Secundo, debemus peccatum odire. Quære Tit. 1 c. 2 in materia de peccatis in communi.

Dominica decimanona poſt Pentecoſten.

Qui furabatur jam non furetur, ma- Epheſ. 4 gis autem laboret operando manibus ſuis. Mercatores conſueverunt mercaturam illam eligere, quam cognoſcunt ad lucrum utiliorem eſſe. Et ſecundum C hoc Apoſtolus in verbo propoſito facit ſpecialiter duo. Prohibet acquiſitionem furtivam cum dicit: Qui furabatur, jam non furetur. Suadet occupationem, addens: Magis autem laboret, &c. Primo igitur, debemus furtum & rapinam deteſtari. Quære in Tit. 2 c. 6 materia de præceptis & avaritia. & tit. 1 c. 6 Secundo, debemus bonis operationibus occupari, & ſpecialiter in operibus iuſtitiæ. Quære in materia de Tit. 3 & 2 per tot. & præceptis, de pœnitentia, & miſericordia. Tit. 7 c. 4

Dominica vigeſima poſt Pentecoſten.

Ephes. 5 *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Medici ſumme prohibent vinum infirmis, quia ſumme accendit materiam febris. Et ſecundum hoc in verbo iſto Apoſtolus duo facit. Primo enim prohibet vinum gulæ, dicens: *Nolite inebriari vino.* Secundo prædicit febrem luxuriæ addens: *In quo eſt luxuria.* Debemus igitur, gulam & luxuriam cavere. Quære in materia de luxuria & gula. Tit. 3 c. 8 & 9

Dominica vigeſimaprima poſt Pentec.

Ephes. 6 *State ſuccincti lumbis veſtris in veritate, & induti lorica juſtitia.* Conſueverunt antiqui & probati milites, docere pugnare, & armare minores. Et ſecundum hoc, Apoſtolus docet nos in his verbis tria, ſcilicet corporis caſtitatem, dicens: *State ſuccincti lumbis veſtris*, oris veritatem, addens: *In veritate*, & æquitatem, ſubdens: *Induti lorica juſtitia.* Primo igitur, debet eſſe caro munda. Quære in materia, de caſtitate & luxuria per contrarium. (Tit. 4 c. 4 & tit. 3 c. 9) Secundo, debet eſſe lingua vera. Quære in materia de veritate & mendacio per contrarium. (Tit. 7 c. 7) Et quære in materia de præceptis. Tertio, debet eſſe operatio juſta. Quære in materia de juſtitia. (Tit. 2 c. 8)

Dominica vigeſimaſecunda poſt Pent.

Philip. 1 *Repleti fructus juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam & laudem Dei.* Mercatores ſocii conſueverunt primo lucro intendere, & poſtmodum lucrum dividere. In omni opere bono, ſunt ſocii Deus & homo, & honor eſt portio Dei, qui gratiam largitur, fructus vero eſt portio hominis, qui bonum opus exequitur. Et ſecundum hoc Apoſtolus in verbo propoſito monet nos quantum ad duo, ſcilicet ad fructum boni operis cumulandum, quæ eſt portio noſtra dicens: *Repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum.* Ad laudem & honorem Deo perſolvendum: quæ eſt portio ſua, addens: *In gloriam & laudem Dei.* Primo igitur, debemus bonis operibus inſiſtere, & ſpecialiter operibus miſericordiæ. Quære in materia de miſericordia, (Tit. 7 c. 4) vel operibus pœnitentiæ. Quære in materia de pœnitentia. (Tit. 2 per totum.) Secundo debemus in omnibus Deum laudare. Quære in materia de bonitate, & ſuperbia per contrarium. (Tit. 1 c. 3)

Dominica vigeſimatertia poſt Pentec.

Phil. 3 *Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.* Conſuevit nutrix in conſpectu pueri contra immunditiam ſpuere, ut puer addiſcat immunditias non tractare, & ſecundum hoc Apoſtolus in verbis iſtis deſcribit nobis tria vitia deteſtanda, ſcilicet immundorum idololatriam deteſtabilem, dicens: *Quorum Deus venter eſt.* Superborum vanam gloriam confuſibilem, addens: *Et gloria in confuſione ipſorum.* Cupidorum avaritiam inexplicabilem, ſubdens: *Qui terrena ſapiunt.* Primo igitur, debemus immunditiam fugere, & ſpecialiter gulam & luxuriam. Quære in materia eorum. (Tit. 3 c. 8 & 9) Secundo, debemus ſuperbiam calcare. Quære in materia de ſuperbia & humilitate. (Tit. 1 c. 3 & tit. 7 c. 1) Tertio, debemus aviditatem cupidorum relegare. Quære in materia de avaritia & paupertate. (Tit. 1 c. 6 & tit. 4 c. 1)

Dominica vigeſimaquarta poſt Pentec.

Coloſſ. 1 *In omni tempore bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei.* Arbor novella facit naturaliter duo. Nam creſcendo fructificat, & fructificando creſcere non ceſſat. Et ſecundum hoc Apoſtolus in verbo iſto monet nos ad duo, ſcilicet ad fructum bonorum operum, dicens: *In omni opere bono fructificantes*, & ad augmentum virtutum, addens: *Et creſcentes in ſcientia Dei.* Primo igitur debemus bonis operibus inſiſtere, & ſpecialiter tribus, ſcilicet juſtitiæ. Quære in materia de præceptis, (Tit. 3 tit. 1) de pœnitentia, (Tit. 7 c. 4) & miſericordia. Secundo, debemus in

Tit. 2 tit. 3 Tit. 5 c. 4 in virtutibus proficere. Quære in materia de virtutibus in communi, & de acedia per contrarium.

In Viſitatione Prælatorum ad Subditos.

Hier. 23 *Faciet judicium & juſtitiam in terra.* Bonus paterfamilias prius ſervis ſuis prædicit miſericordias, quam inferat plagas, & hoc eſt quod dicit Dominus per Jeremiam Prophetam, & in verbo iſto proponit duo, ſcil. Chriſti judicium, quod debemus ſumme formidare, dicens: *Faciet judicium*, & ſecundo Chriſti juſtitiam, quam debemus obſervare, addens: *Et juſtitiam in terra.* Primo igitur, proponitur Chriſti judicium ad formidandum. Quære in materia de timore & judicio. Secundo proponitur juſtitia ad obſervandum. Quære in materia de juſtitia & præceptis. Tit. 6 c. 1 & tit. 10 cap. 1 Tit. 5 c. 8 & tit. 3

De Apoſtolis.

Joan. 15 *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Conſuetum eſt in Eccleſia, quod in magna ſolemnitate pulſatur major campana. Ita & in feſto Apoſtolorum recitantur magnalia charitatis, quæ eſt maxima virtutum, & ſecundum hoc in verbis iſtis Salvator in laudem hujus Apoſtoli nobis proponit de charitate duo, ſcilicet charitatis gaudium, quod non poteſt altius eſſe, dicens: *Majorem hac dilectionem nemo habet.* Charitatis ſignum, quod non poteſt certius eſſe, addens: *Ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Primo igitur, debemus exemplo hujus Apoſtoli dilectionis gradus aſcendere. Quære in materia de charitate & acedia per contrarium. Secundo debemus ſignum dilectionis oſtendere. Quære in materia de charitate, & acedia per contrarium. Tit. 1 c. 2 & tit. 1 c. 7 Ibidem.

Item de eiſdem Apoſtolis.

Matt. 10 *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Miles debet eſſe præcipue armatus contra illa tela, quibus utitur inimicus. Et ideo quia mundus habet duo tela præcipua, ſc. fraudulentiam, & violentiam, quia per fraudulentiam decipit, per violentiam opprimit. Ideo Salvator in his verbis armat milites ſuos ſpecialiter duobus armis, ſcilicet ſerpentina ſagacitate, contra mundi fraudulentiam, dicens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Columbina ſimplicitate, contra mundi violentiam, addens: *Et ſimplices ſicut columbæ.* Primo igitur, debemus habere exemplo hujus Apoſtoli, prudentiam ſerpentinam. Quære in materia de prudentia. Tit. 5 c. 5 Secundo debemus habere mititatem columbinam. Quære in materia de manſuetudine, & ira, per contrarium. Tit. 4 c. 2 & tit. 1 c. 5

De eiſdem Apoſtolis.

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Matth. 10 Conſuevit luparius lupo exponere agnum, ut cum agno capiat lupum. Iſto modo novo venationis uſus eſt Chriſtus, qui principibus mundanis expoſuit Apoſtolos, & per Apoſtolos cepit principes, & reges mundanos. Et ſecundo hoc in verbo iſto ad laudem hujus Apoſtoli, deſcribit duo, ſcilicet divinam auctoritatem, dicens: *Ecce ego mitto vos.* Ovinam ſimplicitatem, addens: *Sicut oves in medio luporum.* Primo igitur, Apoſtoli fuerunt miſſi ad prædicandum Dei Verbum. Quære in materia de prædicatione. In Proœm. Tit. 4 c. 1 Secundo, fuerunt miſſi ad ædificandum per exemplum. Quære in materia de religione. Tit. 9 c. 1 Propter primum, eſt Apoſtolorum dignitas honoranda. Quære in materia de humilitate. Tit. 4 c. 2 & 3 & tit. 3 cap. 2 Propter ſecundum, eſt eorum humilitas imitanda, præcipue quantum ad paupertatem, obedientiam, & charitatem. Quære in materia de paupertate, & charitate, & obedientia.

Digitized by Google

A

De eiſdem Apoſtolis.

Joan. 15 *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Conſuevit magiſter, quando vult ſcholares bene inſtruere, exempla ſenſibilia in lectione proponere, ut ſcholares poſſint facilius itinere. Et ideo Salvator legens ſcholaribus ſuis, id eſt, Apoſtolis, lectionem charitatis, proponit ſeipſum tamquam exemplum lectionis. Et ſecundum hoc charitas, quæ fuit lectio Apoſtolorum, deſcribitur hic tripliciter, ſcilicet, ut mandatum intranſgreſſibile, cum dicitur: *Hoc eſt præceptum meum.* Ut vinculum indiſſolubile, cum additur: *Ut diligatis* B *invicem.* Ut exemplum intelligibile, cum dicitur: *Sicut dilexi vos.* Primo igitur, debemus charitatem ſicut præceptum ſervare. Quære in materia de præceptis. Secundo, debemus charitatem ſicut vinculum nodare. Quære in materia de charitate. Tertio, debemus charitatem Chriſti ſicut exemplum palpare. Quære in materia de charitate.

Tit. 3 · Tit. 5 c. 2 · Ibidem.

De uno Martyre.

Pſalm. 91 *Juſtus ut palma florebit.* Conſuevit agricola arbores generoſas eligere, ut eas poſſit in ſuo virgulto plantare, ſic Dominus noſter Jeſus Chriſtus e- C legit arbores nobiliſſimas in virgulto paradiſi plantandas: inter quas elegit huius venerandi Martyris victoriam ſicut palmam fructuoſam & ſpecioſam. Et ſecundum hoc Martyr iſte glorioſus in iſto verbo, tripliciter, commendatur, ſcilicet ut juſtus in opere, cum dicitur: *Juſtus.* Ut fortis in tribulatione, cum additur: *Ut palma.* Ut pulcher in converſatione, cum ſubditur: *Florebit.* Primo igitur, debemus exemplo hujus Martyris habere juſtitiæ rectitudinem. Quære in materia de juſtitia. Secundo, patientiæ fortitudinem. Quære in materia de fortitudine. Tertio, munditiæ pulchritudinem. Quære in materia de caſtitate.

Tit. 5 c. 8. Ibid. c. 7 · Tit. 4 c. 4

Idem de eodem Martyre.

Poſuiſti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Pſal. 20 Magnus honor eſt quando Imperator promovet aliquem in militem, & maior cum coronat ſervum regem. Talem honorem iſti Martyri glorioſo exhibuit Dominus: quoniam non ſolum in ſtrenuum militem ipſum promovit, ſed cæleſti diademate coronavit. Et ſecundum hoc a Propheta in laudem ſuæ coronæ duo ſpecialiter proponuntur, ſcilicet majeſtas Imperialis, cum dicitur: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.* Valor martyrialis, cum dicitur: *De lapide pretioſo.* Primo igitur, exemplo hujus martyris, corona meritorum noſtrorum debet eſſe in virtutibus ſpecioſe formata. Quære in materia de continentia. Secundo, debet eſſe pretioſe fabricata. Quære in materia de virtute & humilitate.

Tit. 4 c. 4 · Tit. 5 c. 1 & tit. 7 cap. 1

De pluribus Martyribus.

Sancti per fidem vicerunt regna. Hebr. 11 Bene debent reputari ſtrenui milites, quando pauciſſimi vincunt plures. Tales fuerunt iſti S. Martyres, qui ſuperaverunt mundanos principes & reges. Et ſecundum hoc Apoſtolus in verbis iſtis deſcribit tria martyrum præconia glorioſa, ſcilicet vitæ munditiam, dicens: *Sancti.* Mentis juſtitiam, addens: *Per fidem.* Mortis victoriam, ſubdens: *Vicerunt regna.* Primo igitur exemplo ſanctorum Martyrum debemus habere caſtitatem pro lorica. Quære in materia de caſtitate. Secundo, fidem pro lancea. Quære in materia de fide. Tertio perſeverantiam, pro corona. Quære in materia de fortitudine.

Tit. 4 c. 4 · Tit. 5 c. 3 · Ibidem c. 7

De eiſdem Martyribus.

Juſtorum animæ in manu Dei ſunt. Sap. 3 Conſueverunt incolæ ſteriles terras, & tyrannorum regna dimittere, & ad fertiles terras & ad regna pacifica ſe transferre: ſic fecerunt S. Martyres,

tyres,

Digitized by Google

tyres, qui dimiſerunt terras ſteriles huius ſæculi, & tyrannidem Diaboli, & tranſtulerunt ſe ad pacificum regnum Chriſti. Et ſecundum hoc in verbis iſtis duo martyrum præconia proponuntur, ſcilicet plena perfectio reſpectu ſui cum dicitur: *Juſtorum animæ*. Plena ſubiectio reſpectu Dei, cum ſubditur: *In manu Dei ſunt*. Primo igitur exemplo Martyrum debemus eſſe virtute juſtitiæ perfecti. Quære in materia de juſtitia. *Tit. 5. c. 4* Secundo debemus obedientia eſſe ſubiecti. Quære in materia de obedientia. *Tit. 4 c. 2*

De uno Confeſſore Pontifice.

Heb. 7 *Aſſimilatus filio Dei manet Sacerdos in æternum*. Satis res commendatur de candore, quando comparatur nivi, & res de calore, quando comparatur igni. Sic commendatur merita huius Confeſſoris, & Pontificis glorioſi, cum comparantur Chriſto. Et ſecundum hoc in verbis iſtis iſte Confeſſor commendatur de duobus, ſcilicet de ſanctitate perfecta, cum dicitur: *Aſſimilatus filio Dei*, & de dignitate præcelſa, cum dicitur: *Manet Sacerdos in æternum*. Primo igitur exemplo huius Confeſſoris eſt Chriſti ſanctitas imitanda. Quære in materia de mititate, vel in communi, & de humilitate, miſericordia, & fortitudine. *Tit. 7 c. 2 & tit. 5 c. 1 & tit. 7 c. 1 & tit. 4 & 5 cap. 6* Secundo eſt non terrena, ſed cœleſtis dignitas appetenda. Quære in materia de ſpe, & humilitate. *Tit. 5 c. 4 & tit. 9 c. 1*

De uno Doctore.

Pſalm. 36 *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium*. Naturaliter os hominis facit duo, ſc. guſtando probat cibum, & loquendo format verbum. Et ſecundum hoc glorioſus iſte doctor habuit duo bona, ex quibus extollitur in his verbis, ſcilicet guſtum ſapientiæ in contemplatione, ideo dicitur: *Os juſti meditabitur ſapientiam*. Verbum eloquentiæ in prædicatione, & ideo additur: *Et lingua ejus loquetur judicium*. Primo igitur exemplo huius ſancti doctoris debemus imitari ſapientiam, quam ipſe conſideravit, & præcipue mortis miſeriam ad humiliandum, & cœli gloriam deſiderandum. Quære in materia de humilitate quantum ad primum, & de ſpe quantum ad ſecundum. *Tit. 7 c. 1 & tit. 5 c. 4* Secundo debemus formidare iudicia quæ ipſe formidavit. Quære in materia de timore. *Tit. 6 c. 1*

De uno Confeſſore non Pontifice.

Sap. 10 *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei*. Multum lætatur peregrinus, quando de aliquo vertice montis oſtenditur ei terminus ſuæ diætæ: ſic fecit Dominus huic ſanctiſſimo Confeſſori, cum in vertice contemplationis oſtendit ei regnum æternæ felicitatis. Et ſecundum hoc, ſapiens in verbis iſtis proponit duo præconia huius confeſſoris, ſcilicet ſuæ peregrinationis progreſſum certiſſimum, dicens: *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas*. Et ſuæ glorificationis viſum rectiſſimum, addens: *Et oſtendit illi regnum Dei*. Primo igitur exemplo hujus ſancti confeſſoris, debemus per iter præceptorum incedere. Quære in materia de præceptis. *Tit. 3 per tot.* Secundo debemus ad finem præmiorum recte aſcendere. Quære in materia de gaudio Paradiſi. *Tit. 10 c. 2*

De Virgine martyre.

Cant. 2 *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias, &c.* Conſueverunt amatores, laudibus amicas extollere, & cantionibus laudare: ſic amator virginum Chriſtus, in laudibus huius glorioſæ virginis, & martyris ſponſæ ſuæ, cantat per ſapientiam cantilenam huius dulciſſimæ melodiæ. Et ſecundum hoc in verbis iſtis commendat eam quadrupliciter, ſcilicet ut decoratam candore floreo, dum dicit: *Sicut lilium*. Ut laureatam cruore roſeo, cum additur: *Inter ſpinas*, ſcilicet Martyrii. Ut liquefactam

etiam amore flammeo, cum ſubdit: *Sic amica mea*. Ut exaltatam honore ſtelleo, cum concludit: *Inter filias*, id eſt, inter animas beatas. Primo igitur exemplo huius virginis, debemus incorruptionis florem diligere. Tit. 4 c. 4 & tit. 1 c. 9 Quære in materia de caſtitate & luxuria per contrarium. Secundo debemus tribulationis ſpinas ſuſtinere. Tit. 5 c. 7 & tit. 2 per tot. & tit. 1 cap. 7 Quære in materia de fortitudine, de pœnitentia, & de acedia per contrarium. Tertio debemus igne charitatis ardere. Tit. 5 c. 2 Quære in materia de charitate. Quarto debemus conſortium cœleſte deſiderare. Tit. 5 c. 4 & tit. 6 c. 1 Quære in materia de ſpe & timore per contrarium.

De Virgine non Martyre.

3 Reg. 1 *Quæramus Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem*. Sicut de prato colliguntur flores pulchriores: ſic Chriſtus de mundo per Angelos ſuos colligit virgines: Proponuntur duo in verbis iſtis, ſcilicet regale connubium, ad quod fuit aſſumpta, cum dicitur: *Quæramus Domino noſtro regi*. Virginale præconium, ad quod fuit electa, cum dicitur: *Adoleſcentulam virginem*. Primo igitur exemplo hujus A virginis anima fidelis debet eſſe Chriſto deſponſata. Quære in materia de Tit.4 c.18 fide & charitate. Secundo debet eſſe caſtitatis privilegio decorata. Quære Tit. 3 c. 6 & tit. 1 c. 9 in materia de caſtitate, & de luxuria per contrarium.

Idem de Virgine non Martyre.

O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. Sap. 4 Conſuevit homo mirari, ſpecialiter propter tria. Miratur enim homo in re multum pulchra, in re multum nova, & in re multum clara. Et ſecundum hoc hujus ſanctæ Chriſti ſponſæ tria miranda præconia proponuntur, ſcilicet decor converſa- B tionis, cum dicitur: *O quam pulchra eſt*. Candor incorruptionis, cum additur: *Caſta generatio*. Et ſplendor contemplationis, cum ſubditur: *Cum claritate*. Primo igitur exemplo huius virginis, debemus eſſe pulchri. Tit. 5 c. 1 & 6. Quære in materia de virtute in communi, & temperantia. Secundo debemus eſſe decori incorruptione. Tit. 4 c. 4 & tit. 1 c. 9 Quære in materia de caſtitate, & luxuria per contrarium. Tertio debemus eſſe radioſi per contemplationem. Tit. 2 c. 5 Quære in materia de contemplatione.

Digitized by Google

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

OPUSCULUM

DE MEDITATIONIBUS VITÆ CHRISTI.

HOC *Opuſculo, cui titulus eſt:* Meditationes Vitæ Chriſti, *ſpiritualem filiam S. Bonaventura inſtruit, ut ad actuoſas omnes, luminoſaſque virtutes progreſſiones faciat. Quod ut melius præſtet Chriſti Domini vitam tamquam lucidiſſimam, ac nitidiſſimum ſpeculum ei ob oculos ponit, ad quod vitam ſuam moreſque componat, atque in ejus ſemper meditatione verſetur. Jugis enim & aſſidua vitæ Chriſti meditatio, quæ continet virtutum omnium perfectionem, contra vana & caduca, mentem roborat: contra tribulationes, & adverſa fortificat: contra hoſtium inſidias, ac blandimenta fallacia erudit: ita ut his inſtructa præſidiis, & documentis nec vi hoſtium opprimi, nec fraude decipi unquam poſſit. Intentum vero Auctoris ex proœmio patet, & infra etiam ex c. 9 dum nec omnia, quæ Chriſtus fecit, quemquam meditari poſſe, nec ſcripta eſſe affirmat: atque ita Chriſti Domini geſta ſe narraturum pollicetur, quemadmodum contigerunt, vel contigiſſe credibile eſt ſecundum imaginarias quaſdam repræſentationes, ut ipſe ait, quas animus diverſimode percipit. Quod non eſſe a ſacra Scriptura alienum in proœmio itidem egregie demonſtrat. Dividitur autem Opuſculum generatim in partes ſex. Prima eſt de iis, quæ incarnationem Domini præceſſerunt. Secunda de ipſa incarnatione. Tertia de Chriſti nativitate. Quarta de toto Chriſti Domini vitæ curſu. Quinta de ejus ſanctiſſima paſſione & morte. Sexta de Chriſti reſurrectione, & ad cœlos aſcenſione, ac de Spiritus ſancti miſſione. In his vero meditandis Auctor ita ſe gerit, ut a capite primo uſque ad decimum octavum meditationes prolixe tractet. Deinde vero rem geſtam prout narrant Evangeliſtæ, proponit, exiſtimans quamlibet Chriſti actionem nobis ſufficere ad plenam meditationem & inſtructionem. Quod ſi nonnumquam aliqua in meditationem adducit, quæ humilia nimis & puerilia videntur: non propterea contemnenda ſunt, aut parvipendenda. Quia, ut Auctor ipſe cap. 14 & 15 docet, utilia ſunt valde, & nos ad majora tranſmittunt. Quod enim ſtultum Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum, potentius. Diſponit vero ſuas meditationes juxta ſingulas hebdomadæ dies, ut quid in ſingulis meditari de Chriſto utile ſit, quiſque intelligat. Sanctorum quoque Patrum auctoritatibus Opuſculum conſperſum eſt, præſertim S. Bernardi, cujus rei rationem c. 36 reddit Auctor his verbis:* Ideo libenter Bernardi verba in hoc Opuſculo interſero, & adduco, quia non ſolum ſpiritualia ſunt, & cor penetrantia; ſed & decore plena, & ad Dei ſervitium excitantia. *Ex quibus conſtat, quam dignus ſit iſte tractatus S. Bonaventuræ doctrina, pietate & devotione.*

PRO-

PROOEMIUM.

Inter alia virtutum & laudum præconia de ſanctiſſima virgine Cæcilia legitur quod Evangelium Chriſti abſconditum ſemper portabat in pectore. Quod ſic intelligi debere videtur, quod ipſa de vita Domini Jeſu in Evangelio tradita, quædam ſibi devotiora prælegerat, in quibus meditabatur die ac nocte, corde puro, & integro, attentione præcipua & ferventi, & cum plena circulatione reincipiens iterum & dulci ac ſuavi guſtu ruminans ea in arcano pectoris ſui collocabat. Simile tibi ſuadeo faciendum. Super omnia namque inter ſpiritualis exercitii ſtudia, hoc magis neceſſarium magiſque proficuum credo, & quod ad celſiorem gradum perducere poſſit. Nuſquam enim invenies, ubi ſic doceri poſſis, contra vana blandimenta & caduca, contra tribulationes & adverſa, contra hoſtium tentamenta, & vitia, ſicut in vita Domini Jeſu, quæ fuit abſque omni defectu perfectiſſima. Ex frequenti enim & aſſueta meditatione vitæ ipſius adducitur anima in quamdam familiaritatem, confidentiam, & amorem ipſius, ita quod alia vilipendit & contemnit. Inſuper fortificatur & inſtruitur quid facere, quidve fugere debeat.

Vitæ Chriſti meditatio frequens quantum animæ proſit.

Dico primo quid jugis meditatio vitæ Domini Jeſu roborat, & ſtabilit mentem contra vana & caduca, ut patet in prædicta beata Cæcilia, quæ ita cor ſuum repleverat de vita Chriſti, quod in ipſam vana intrare non poterant: unde in pompa nuptiarum exiſtens, ubi tot vana geruntur, cantantibus organis, ipſa ſtabili corde ſoli Deo vocabat, dicens: fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, ut non confundar.

Secundo fortificat contra tribulationes & adverſa, ut patet in Martyribus. Circa quod ſic dicit Bernardus: Inde tolerantia martyrii provenit, quod in Chriſti vulneribus tota devotione verſetur, & jugi meditatione demoretur. In illis ſtat martyr tripudians & triumphans, toto licet lacerato corpore, & rimante latera ferro. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in vulneribus Jeſu, & vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in ſuis eſſet viſceribus, ſcrutans ea, ferrum profecto ſentiret, dolorem non ferret, ſuccumberet & negaret. Hucuſque Bernardus: Inde eſt quod non ſolum martyres, ſed & confeſſores in tribulationibus & infirmitatibus ſuis, tantam patientiam habuerunt, & tota die habent. Si legas de beato Franciſco, & de beata virgine Clara matre ac Duciſſa tua, poteris invenire,
B quomodo in multis tribulationibus penuriis, & infirmitatibus, non ſolum patientes, ſed etiam hilares exiſtebant. Idem quotidie videre potes inducentibus ſanctam vitam: hoc ideo, quia ipſorum animæ nec erant, nec ſunt in eorum corporibus, ſed in Chriſto ex devota meditatione vitæ ipſius.

Ber. ſer. 61 ſuper Cant. ver. fin.

Tertio dico, quod docet circa gerenda, ut nec hoſtes nec vitia irruere vel fallere poſſint, hoc ideo, quia perfectio virtutum reperitur ibidem. Ubi enim virtutes excelſæ paupertatis, eximiæ humilitatis, profundæ ſapientiæ, orationis, manſuetudinis,
C obedientiæ, patientiæ, ceterarumque virtutum exempla, & doctrinam ſic invenies, ſicut in vita Domini virtutum? De hoc ſic breviter ait Bernardus: Incaſſum proinde quis laborat in acquiſitione virtutum, ſi aliunde eas ſperandas putet, quam a Domino virtutum: cujus doctrina ſeminarium prudentiæ, cujus miſericordia opus juſtitiæ, cujus vita ſpeculum temperantiæ, cujus mors inſigne eſt fortitudinis. Hucuſque Bernard. Qui ergo eum ſequitur, errare non poteſt, neque falli. Ad cujus virtutes imitandas & adipiſcendas, ex frequenti meditatione cor accenditur, & animatur. Deinde illuminatur virtute, ita quod virtutem induit, & a veris falſa diſcernit: adeo ut plures fuerint illi-

Idem ſerm. 22 ſuper Cant. in fin.

Digitized by Google

S. Franc. vitæ Chriſti meditator aſſiduus.

illiterati, qui magna & profunda Dei A myſteria cognovere. Unde credis quod beatus Franciſcus ad tantam virtutum copiam, & ad tam luculentam intelligentiam ſcripturarum, ad tam etiam perſpicacem notitiam fallaciarum hoſtium & vitiorum pervenerit, niſi ex familiari converſatione & meditatione Domini ſui Jeſu? Propterea ſic ardenter afficiebatur ad ipſam, ut quaſi ſua pictura fieret. Nam in cunctis virtutibus quam perfectius poterat, imitabatur eamdem, & tamdem complente ac perficiente Jeſu per impreſſionem ſacrorum ſtigmatum, fuit in eum transformatus totaliter. Vides ergo ad quam excelſum gradum meditatio vitæ Chriſti perducit, ſed & tamquem fundamentum efficax ad majores contemplationis ſublimat gradus: quia ibidem invenitur unctio, quæ paulatim purificans & elevans animam, docet de omnibus, de quibus non eſt ſermo ad præſens.

Nunc autem te in ipſas vitæ Chriſti meditationes, aliqualiter introducere cogitavi: ſed vellem, quod hoc a magis experto, magiſque docto acciperes, quia in talibus maxime inſufficiens ſum. Verumtamen judicans melius fore aliqua, utcumque dicere, quam penitus tacere, experiar impotentiam meam, & familiariter tecum loquar, rudi, & impolito ſermone: tum ut melius poſſis, quæ dicuntur capere, tum ut non aurem ſed mentem ſtudeas inde reficere. Non eſt enim in ornatis ſermonibus, ſed in Domini Jeſu meditationibus inſiſtendum. Ad quod etiam Hieronymi doctrina inducimur, dicentis: Sermo rudis uſque ad cor penetrat, politus autem paſcit aures. Spero autem, quod ruditati tuæ conferet aliquid mea modicitas: ſed & in hoc magis ſpero, quod ſi te in his exercitari ſedula meditatione volueris, ipſum Dominum de quo loquimur, magiſtrum habebis. Non autem credas, quod omnia quæ per ipſum dixiſſe, vel feciſſe conſtat, meditari poſſimus, vel quod omnia ſcripta ſint: ego vero

Quomodo circa divinam ſcripturam & dicta & facta Salvatoris

ad majorem impreſſionem, ea ſic, ac ſi ita fuiſſent narrabo, prout contingere vel contigiſſe credi poſſunt, ſecundum quaſdam imaginarias repræſentationes, quas animus diverſimode percipit. Nam & circa divinam ſcripturam meditari, exponere, & intelligere multifarie, prout expedire credimus, poſſumus: dummodo non ſit contra veritatem vitæ, juſtitiæ, & doctrinæ, & non ſit contram fidem & contra bonos mores. Cum autem me narrantem invenies. Ita dixit vel fecit Dominus Jeſus, ſeu alia, quæ introducuntur: ſi illud per ſcripturam probari non poſſit, non aliter accipias, quam devota meditatio exi- B git. Hoc eſt proinde accipe, ac ſi dicerem, mediteris, quod ita dixit vel fecit Dominus Jeſus, & ſic de ſimilibus. Tu autem ſi ex his fructum ſumere cupis, ita te præſentem exhibeas, his quæ per Dominum Jeſum dicta & facta narrantur, ac ſi tuis auribus audires & oculis ea videres, toto mentis affectu diligenter, delectabiliter, & moroſe, omnibus aliis curis & ſolicitudinibus tunc omiſſis. Quare te precor dilecta filia, ut hunc laborem meum quem ad laudem Domini Jeſu, & tuum profectum, & meam utilitatem aſſumpſi, lætanter ſuſcipias: & lætantius, devotius, & ſolicitius te exerceas in eodem. Ini- C tium de incarnatione ſumendum eſt, ſed quædam ipſam præceſſiſſe meditari poſſumus, tam in cœlis circa Deum & Angelos ſuos beatiſſimos, quam in terris circa Virginemglorioſiſſima, quæ mihi videntur primitus explicanda. Et ideo de ipſis videamus.

meditari debemus.

CAPUT I.

De ſolicita pro nobis interceſſione Angelorum.

CUm per longiſſima tempora ultra ſpatium quinque millium annorum miſerabiliter jaceret genus humanum, & nullus propter peccatum primi hominis aſcendere poſſet ad

Digitized by Google

ad patriam beatiſſimi Angelici ſpi- A ritus, compatientes tantæ ruinæ, & de ſua reſtauratione ſoliciti, licet etiam pluries, primo tamen adveniente plenitudine temporis, devotius, & inſtantius taliter ſupplicaverunt Domino procidentes in facies ſuas ante thronum ejus ſimul omnes congregati, & dixerunt: Domine placuit majeſtati veſtræ, & rationalem creaturam, ſcilicet hominem creare propter veſtram bonitatem, ut ipſe eſſet hic nobiſcum, & ut nobis ex ipſo noſtrarum contingeret reſtauratio ruinarum. Sed Ecce pereunt omnes, & nemo ſalvatur, & in tot annorum curriculis hoc videmus, quod de omnibus hoſtes noſtri triumphant, & de ipſis non noſtræ ruinæ, ſed tartareæ Pſalm. 73. ſpeluncæ replentur? Ut quid ergo Domine naſcuntur? Quare traduntur beſtiis animæ confitentes tibi? Et ſi ſecundum juſtitiam veſtram hoc fiat, tamen miſericordiæ tempus eſt. Et ſi primi parentes veſtrum mandatum incaute tranſgreſſi ſunt, ſubveniat miſericordia veſtra. Mementote, quod ad ſimilitudinem veſtram creaſtis eos. Aperite Domine miſericorditer manum veſtram, & implete miſericorditer. Pſal. 122. Oculi omnium ſpectant ad vos, ſicut oculi ſervorum ad manus dominorum ſuorum, donec miſereamini & ſubveniatis remedio ſalutari humano generi.

CAPUT II.

De contentione inter miſericordiam & juſtitiam veritatem & pacem.

HIs dictis, miſericordia pulſabat viſcera patris, ut ſubveniret, ſecum habens: ſed contradicebat veritas, habens ſecum iuſtitiam. Et inter eas magna controverſia facta eſt, Bern. ſer. 1. de annunc. prout narrat B. Bernardus pulchro, & longo ſtylo. Sed ego ſuccincte, ut potero, referam ſummam. Frequenter enim ipſius dicta melliflua interdo adducere, ſed plerumque cum exceptione, propter prolixitatem vitandam. In hoc ergo loco eſt dicti ſui ſumma. Dicebat Domino miſericordia: Numquid in æternum proiicies Pſal. 76. Domine, aut obliviſceris miſereri? & hoc ei longo tempore ſuſurrabat. Reſpondit Dominus: Vocentur ſorores veſtræ, quas contra vos paratas videtis, & eas pariter audiamus. Quibus vocatis, incœpit miſericordia: Eget miſeratione divina creatura rationalis, quoniam miſera facta eſt, & miſerabilis valde, venit tempus miſerendi, & iam præteriit. Econtra veritas: Oportet Domine implere ſermonem quem locutus es. Totus moriatur Adam, cum omnibus qui in eo erant, quando prævaricando pomum guſtavit. Dixit miſericordia: B Ut quid ergo Domine me feciſti? Scit enim ipſa veritas, quod ego petii, ſi numquam miſereberis. Econtrario ipſa veritas: Si prædictam tuam ſententiam prævaricator evaſerit, periit & veritas tua, & non permanet in æternum. Fuit ergo hæc quæſtio miſſa ad filium. Ipſa autem veritas & miſericordia coram eo eadem dicebant, & addebat veritas: Fateor Domine, quod bono zelo movetur miſericordia: ſed non ſecundum juſtitiam, quæ potius prævaricatori vult parcere quam ſorori. At miſericordia: Tu neutro parcis, & tanta indignatione ſævis contra prævaricatorem, ut involvas pariter & ſororem. C Sed nihilominus veritas fortiſſime allegat: Domine contra te iſta quæſtio intorquetur, & eſt cavendum, ne verbum patris evacuetur. Dixit pax: Parcite vobis a verbis iſtis, virtutum non eſt honeſta contentio. Vides controverſiam magnam, & rationes fortes & efficaces. Non videbatur quomodo circa hominem poſſent & miſericordia & veritas conſervari. Scripſit autem Rex ſententiam, quam paci, quæ propinquius ei ſtabat, dedit legendam, ſic continentem. Hæc dicit: Perii ſi Adam non moriatur. Et hæc dicit: Perii ſi non miſericordiam conſequatur. Fiat mors bona, & habeant utræque quod petunt. Obſtupuerunt omnes in verbo ſapientiæ, & conſenſerunt quod mo-

riatur

Digitized by Google

ſtatur Adam, miſericordiam conſequendo. Sed quærunt quo modo mors poteſt fieri bona, cum horribilis ſit ipſi auditui? Reſpondit Rex: Mors peccatorum peſſima, ſed mors ſanctorum pretioſa, & ianua vitæ. Inveniatur, qui ex charitate moriatur, non obnoxius morti: & ſic mors non poterit tenere innoxium, ſed faciat in ea foramen, per quod tranſeant liberati. Placuit ſermo. Sed ubi talis poterit inveniri? reſponderunt. Rediit ergo veritas ad terram, & miſericordia remanſit in cœlo. Nam iuxta Prophetiam: Domine in cœlo miſericordia tua uſque ad nubes. Et circuit orbem terrarum. Et nemo mundus a ſorde, nec infans unius diei. Sed a miſericordia perluſtratur cœlum, & neminem invenit, qui ſufficientem ad hoc habeat charitatem. Omnes enim ſervi ſumus, & qui cum bene fecerimus, dicere debemus illud Lucæ: Quia inutiles ſervi ſumus. Et cum nullus inveniretur, qui maiorem charitatem haberet, ut animam ſuam pro ſervis inutilibus poneret, redeunt ad conſtitutam diem anxie plurimum. Non invento quod deſiderabant, dixit pax: Vos neſcitis quidquam nec cogitatis. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum: ſed qui dedit conſilium feret auxilium. Intellexit hoc Rex, & ait: Pœnitet me feciſſe hominem. Pœnitentiam me agere oportet, pro homine quem creavi. Et vocato Gabriele dixit: Vade, dic filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit. Hucuſque Bernardus: Vides ergo, quam magni periculi fuit & eſt peccatum, & quam magna difficultas eſt remedium invenire. In hoc ergo conſenſerunt prædictæ virtutes præcipue in perſona filii. Nam perſona patris aliqualiter videtur terribilis & potens: & ſic ſuſpicari quodammodo potuiſſent pax & miſericordia. Perſona vero ſpiritus, benigniſſima eſt: & ſic ſuſpicari poterant veritas & juſtitia. Unde perſona filii tamquam media accepta eſt, ad hoc remedium faciendum, hoc autem non proprie, ſed appropriate intelligas. Tunc ergo impletum eſt illud Propheticum: Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Et hæc de his quæ in cœlis contingere potuerunt, poſſumus, meditari.

Pſ. 33 · Pſal. 115 · Pſalm. 35 · Job 20 ſecundum 70 interp. · Luc. 17 · Joan. 15 · Pſal. 13 · Cant. 7 · Zach. 9 · Pſal. 84

CAPUT III.

De Vita Mariæ Virginis, & ſeptem petitionibus ejus.

Circa Virginem, ex qua incarnatio facta fuit, meditari poſſumus vitam ipſius. Unde ſcire debes, quod dum eſſet trium annorum, fuit a parentibus oblata in templum, & ibi ſtetit uſque ad decimum quartum annum. Quid autem ibi fecerit, ſcire poſſumus ex revelationibus ſuis factis cuidam ſuæ devotæ. Et creditur, quod fuit S. Eliſabeth, cujus feſtum ſolemniter celebramus. In quibus, hæc inter alia continentur. Cum (inquit) pater meus & mater mea me dimiſerunt in templo, ſtatui in corde meo habere Deum in patrem: & devote ac frequenter cogitabam, quid poſſem facere Deo gratum, ut dignaretur mihi dare gratiam ſuam, & feci me doceri legem Dei mei. Ex omnibus tamen præceptis divinæ legis, tria præcepta præcipue ſervavi in corde meo, videlicet: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Item, diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Item, habebis odio inimicum tuum. Iſta inquit ſervavi in animo meo, & ſtatim omnes virtutes comprehendi, quæ in ipſis continentur, & ita volo te facere. Anima autem aliquam virtutem habere non poteſt, ſi Deum toto corde non diligat. Ab iſto enim amore deſcendit omnis gratiæ plenitudo, ſine qua nulla virtus in aliquam deſcendit, nec perſeverat in anima, ſed fluit ut aqua, niſi ſuos inimicos, id eſt, vitia & peccata habuerit odio. Qui vult

Dam. lib. 4 fid. orth. c. 15 · Niceph. l. 2 Eccl. hiſt. cap. 7

ergo

ergo ſuam gratiam habere, & poſſidere, oportet eum cor ſuum ad amorem & odium ordinare. Volo ergo te facere, ut faciebam ego. Surgebam enim ſemper in noctis medio, & pergebam ante altare templi, & tanto deſiderio, & tanta voluntate, & tanta affectione, quanta poteram, & ſciebam, petebam gratiam ab omnipotenti Deo obſervandi illa tria præcepta, & omnia alia mandata legis. Et ſic ſtando ante altare ſeptem petitiones Domino faciebam, quæ ſunt hæ:

Septem petitiones B. Mariæ Virginis.

Primo enim petebam gratiam, qua poſſem implere dilectionis præceptum, ſcilicet ipſum diligere ex toto, &c.

Secundo petebam gratiam, qua poſſem diligere proximum ſecundum voluntatem, & beneplacitum ſuum, & ut faceret me amare omnia, quæ ipſe amat & diligit.

Tertio petebam, ut me faceret odire & fugere omnia, quæ odit.

Quarto petebam humilitatem, patientiam, benignitatem, & manſuetudinem, & omnes virtutes, per quas efficerer gratioſa ante conſpectum ſuum.

Quinto petebam, ut faceret me videre tempus, in quo eſſet nata illa beatiſſima Virgo, quæ debebat filium Dei parere: & ut conſervaret oculos meos, ut poſſem eam videre: linguam, ut poſſem eam laudare, manus, ut poſſem ei ſervire: pedes ut poſſem ire ad ſervitium ſuum: genua, ut poſſem adorare Dei filium in gremio ſuo.

Sexto petebam gratiam, obediendi mandatis, & ordinationibus Pontificis templi.

Septimo petebam, ut templum, & univerſum populum ſuum ad ſervitium ſuum conſervaret.

His auditis dixit ancilla Chriſti: O dulciſſima Domina non eratis vos gratia, & virtutibus plena. Reſpondit B. Virgo: Pro firmo ſcias, quod ita me reputabam ream, & viliſſimam, & gratia Dei indignam ſicut tu. Propterea petebam ſic gratiam & virtutes. Et iterum: Filia tu credis, quod omnem gratiam quam habui, A habuerim ſine labore; ſed non eſt ita. Immo dico tibi, quod nullam gratiam, donum vel virtutem habui a Deo ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lacrymis, & multa afflictione, dicendo, cogitando ſemper placita ſibi, ſicut ſciebam, & poteram, excepta ſanctificationis gratia, qua ſanctificata fui in utero matris. Et addidit: Pro firmo ſcias, quod nulla gratia deſcendit in animam, niſi per orationem & corporis afflictionem. Poſtquam autem dedimus Deo quæ per nos poſſumus, licet ſint pauca, ipſa venit in animam, ſecum ferens iſta altiſſima dona, quod B videtur anima in ſeipſa deficere, & perdit memoriam, & non recordatur ſe feciſſe, vel dixiſſe aliquid Deo gratum, & tunc videtur ſibi ipſi vilior, & deſpectior quam umquam fuerit. Hucuſque de dictis revelationibus.

Beatus vero Hieronymus de vita ipſius ſcribit: Hanc ſibi regulam B. Virgo ſtatuerat, ut a mane uſque ad horam tertiam orationibus inſiſteret. A tertia uſque ad nonam, externo opere ſe occuparet. A nona vero iterum ab oratione non recedebat, quouſque dum illi Angelus appareret, de cujus manu eſcam accipere ſolebat, & melius in Dei opere & amore C proficiebat. Fiebat, ut in vigiliis inveniretur prior, in ſapientia legis Dei eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Davidicis elegantior, in charitate glorioſior, in puritate purior, in omni virtute perfectior. Erat enim conſtans & immobilis, & cum quotidie melius tranſiſſet, hanc iraſcentem nullus vel vidit vel audivit. Omnis ſermo ejus ita erat gratia plenus, ut cognoſceretur in lingua ejus, Deus. Semper in oratione, & in ſcrutatione legis Dei permanebat. Et erat ſolicita circa ſocias ſuas, ne aliqua ex eis in ullo ſermone peccaret, ne aliqua in riſu vocem ſuam exaltaret, ne aliqua in riſu vocem ſuam exaltaret, ne aliqua injurias aut ſuperbiam contra parem

rem

Digitized by Google

rem ſuam exerceret. Sine intermiſſione benedicebat Deum & ne forte in ſalutatione ſua a Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, Deo gratias, reſpondebat. Denique primum ex ipſa exiit, ut dum ſalutantur homines ſancti, Deo gratias, dicant. De eſca quam de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur: quam vero a Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat. Quotidie videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ ſorori vel matri obtemperabat ei. Hucuſque Hieronymus.

In quartodecimo autem anno fuit B. Virgo Maria deſponſata Ioſeph per divinam revelationem, & rediit in Nazareth, quod qualiter fuerit factum invenias in legenda de nativitate ſua. Et hæc ſunt quæ ante incarnationem Domini Jeſu poſſumus meditari: ipſa rumines bene & delecteris in eis, toto affectu ea memoriæ commendando, & opere adimplendo, quia devotiſſima ſunt. Nunc ad incarnationem veniamus.

CAPUT IV.

De incarnatione Chriſti.

Gal. 4 Poſtquam autem venit plenitudo temporis, vel deliberaſſet quomodo ordinavit ſumma Trinitas humano generi provideri, per incarnationem verbi, propter nimiam charitatem ſuam, qua ipſum genus hu- *Epheſ. 2* manum diligebat, commovente eum miſericordia ſua, & nihilominus ad inſtantiam ſupernorum ſpirituum, & Beata Virgo Maria rediiſſet Nazareth: vocavit Deus omnipotens Gabrielem Archangelum, & dixit ei: Vade ad dilectiſſimam filiam noſtram Mariam deſponſatam Joſeph, ſuper omnes creaturas nobis chariſſimam: & dic ei, quod filius meus concupivit ſpeciem ſuam, & ſibi eam elegit in matrem. Et roga eam, ut ipſum lætanter accipiat: quia per eam ſalutem totius generis humani operari decrevi, & obliviſci volo injuriæ mihi factæ. Attende hic & recordare, quæ tibi in principio ſupra dixi, ut diſcas, omnibus, quæ dicuntur & fiunt, te exhibere præſentem. Hic ergo imagineris, & aſpicias Deum, ut potes, quia incorporeus eſt: ſed aſpice eum tamquam magnum Dominum, ſedentem in ſolio excelſo, vultu benigno, pio, & paterno, quaſi reconciliare volentem, ſive reconciliatum eſſe, hæc verba dicentem, & Gabrielem facie hilari & jucunda, flexis genibus & inclinato vultu timoroſo & reverenti, ambaſiatam Domini ſui attente ſuſcipientem. Surgens igitur Gabriel jucundus & gaudens, volitavit ab altis, & in humana ſpecie in momento fuit coram Virgine Maria, in thalamo domunculæ ſuæ manente. Sed nec ſic volavit, quin præveniretur a Deo, & ſanctam ibi Trinitatem invenit, quæ prævenit nuntium ſuum.

Scire namque debes, quod excelſum incarnationis opus totius Trinitatis fuit, licet ſola perſona filii fuerit incarnata. Quemadmodum ſi tunicam induenti, duo ex lateribus eius ſtantes adiuvarent eum, & tunicæ manicas tenerent. Nunc ergo & hic bene aſpice, & tamquam ipſi facto præſens exiſteres, intellige omnia quæ dicuntur & fiunt. O qualis fuit & nunc eſt in meditatione tua illa domuncula, ubi tales ſunt, & talia exercentur. Nam licet ubique ſit Sancta Trinitas, tamen ibi nunc aliquo ſingulari modo eſſe mediteris, ratione ſingularis operationis. Ingreſſus ergo Gabriel parany nphus fidelis ad Virginem Mariam, dixit: Ave gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Ipſa vero turbata, nihil reſpondit. Non fuit turbata turbatione culpabili, nec de viſione Angeli, quia eos ſæpe videre ſolita erat: ſed, juxta verba Evangelii, turbata fuit in ſermone eius, cogitans de novitate talis ſalutationis, non enim ſic eam conſueverat ſalutare. In qua ſalutatione cum videret ſe tribus commendari, non poterat humilis Domina

Incarnatio verbi, fuit opus totius Trinitatis.

Luc. 1

na non turbari. Commendabatur enim quod eſſet gratia plena, & quod Dominus erat ſecum, & quod erat benedicta ſuper omnes mulieres: at humilis non poteſt ſui commendationem ſine rubore & turbatione audire. Turbata ergo fuit ex verecundia honeſta, & virtuoſa. Cœpit etiam timere, an hoc eſſet verum: non quod non crederet Angelum vera loqui, ſed ex eo quod proprium eſt in humilibus, quod non examinant ſuas virtutes, ſed defectus potius ruminant, ut ſic ſemper proficere poſſint reputantes magnam virtutem parvam, & parvum defectum magnum valde. Tamquam ergo prudens, & cauta, pavida, & pudoroſa nihil reſ- B pondit. Quid enim reſpondiſſet? Diſce & tu exemplo ſuo tenere ſilentium, & taciturnitatem amare: quia magna & utilis valde talis virtus eſt. Nam ipſa bis prius audivit, quam ſemel reſponderet. Abominabile enim eſt, virginem eſſe, loquacem. Angelus enim cauſam ſuæ dubitationis cognoſcens, dixit: Ne timeas Maria, nec verecunderis de laudibus, quas dixi tibi, quia ſic eſt: Nec ſolum ipſa gratia plena, ſed eam toti generi humano recuperaſti, & reinveniſti a Deo. Nam Ecce concipies, & paries altiſſimi filium: C qui te elegit in ſuam matrem, ſalvabit omnes in eum ſperantes. Tunc ipſa reſpondit, non tamen confitendo, nec negando commendationes præfatas, ſed de alio certificari volens, de modo plus dubitabat, ſcilicet ne perderet virginitatem ſuam. Quæſivit ergo ab Angelo huius conceptionis modum, dicens: Quo modo fiet iſtud, quia virginitatem meam firmiſſime Domino meo devovi, ne in perpetuum hominem cognoſcam? Et Angelus: Fiet per operationem Spiritus ſancti, qui te ſingulari modo replebit, & eius virtute concipies, ſalva tibi virginitate tua, & ideo filius tuus vocabitur filius Dei. Nihil enim ei eſt impoſſibile. Nam Eliſabeth cognata tua cum eſſet ſenex, & ſterilis, iam ſunt ſex menſes, quod filium virtute Dei concepit.

Intuere hic pro Deo, & meditare, qualiter tota Trinitas eſt ibi expectans reſponſionem & conſenſum huius ſuæ filiæ ſingularis, amanter & delectabiliter aſpiciens verecundiam ejus, & mores & verba. Et etiam qualiter Angelus diligenter & ſapienter inducit eam, & ordinat verba ſua, ſtans inclinatus, & reverens coram Domina ſua, vultu placido, & ſereno, fideliter exequens ambaſiatam ſuam, & attente obſervans verba Dominæ, ut poſſit congrue reſpondere, & ſuper hoc opere mirifico perficere Domini voluntatem. Et qualiter etiam Domina ſtat timorate ac humiliter, facie pudoroſa præventa ab Angelo, & ex improviſo in verbis iſtis non extollitur, neque ſe reputat. Et cum audit magnalia de ſe, qualia alicui numquam dicta fuerunt, totum divinæ gratiæ aſcribebat. Diſce ergo ejus exemplo eſſe pudoroſa & humilis, quia ſine his virginitas parum valet. *Sine pudore & humilitate virginitas parum valet.* Gaudet prudentiſſima Virgo, & auditis verbis Angeli conſenſit. Et, ut in ſuis revelationibus contitur, profunda devotione genuflexit, & junctis manibus dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tunc filius Dei ſtatim totus & ſine mora intravit uterum Virginis, & ex ea carnem aſſumpſit, & totus remanſit in ſinu patris. Potes autem pie imaginari, qualiter ipſe filius tamquam obedientiam & laborioſum legationem ſuſcipiens, patri ſe inclinavit, & recommendavit, & in eodem inſtanti anima creata, & infuſa fuit, perfectus homo ſecundum omnia corporis lineamenta, ſed parvulus valde ita quod in utero poſtea naturaliter creſcebat, ut alii, ſed non fuit dilata infuſio animæ, vel membrorum diſtinctio, ut in aliis. Erat enim perfectus Deus, ſicut perfectus homo, & ita ſapiens & potens, ut eſt modo. Gabriel autem tunc cum Domina ſua ſimiliter genuflexit, & parum poſt cum ea ſurgens, ſe iterum inclinans

Digitized by Google

clinans uſque ad terram, & valefa- A ciens ei, diſparuit, & ad patriam rediens hoc narravit, & fuit ibi novum gaudium, & novum feſtum, & exultatio magna nimis. Domina vero tota inflammata, & in amore Dei magis ſolito ſuccenſa, ſentiens ſe concepiſſe, genibus flexis gratias egit de tanto dono, humiliter & devote ſupplicans eidem, ut eam dignaretur inſtruere, ita quod in his, quæ circa filium ſuum facienda occurrerent, faceret ſine defectu.

Conſiderate autem debes, quanta eſt hodierna ſolemnitas, & jubilare in corde tuo, & agere dies lætitiæ. Inaudita eſt enim uſque modo a ſæculis, nec umquam fuerat. Talis namque hodie eſt ſolemnitas Dei patris, qui nuptias fecit filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie filius ſibi univit inſeparabiliter. Hodie eſt & ſolemnitas nuptiarum filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſtea erit ex utero. Hodie eſt ſolemnitas ſancti Spiritus, propter hoc opus mirificum & ſingulare ipſius incarnationis, quod eidem attribuitur: & hodie incœpit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi. Hodie eſt ſolemnitas glorioſa Dominæ noſtræ, quæ a patre in filiam, & filio in matrem, & Spiritu ſancto in ſponſam eſt recognita & aſſumpta. Hodie eſt ſolemnitas totius cæleſtis curiæ, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie eſt multo magis ſolemnitas humanæ naturæ: quia ejus ſalus incœpit & redemptio, & totius mundi reconciliatio, & ſublimata eſt atque deificata. Hodie novam obedientiam ſuſcepit filius a patre, de noſtra peragenda ſalute.
Pſalm. 18 Hodie a ſummo cœlo egrediens, exultavit ut gigas ad currendum viam, & ſe recluſit in horto uteri virginalis. Hodie etiam factus eſt unus ex nobis, & frater noſter, & cœpit peregrinari nobiſcum. Hodie de cœlo lux vera deſcendit, ad tollendas & fugandas noſtras tenebras. Hodie panis vivus qui dat vitam mundo, decoquitur in virginalis uteri clibano. Hodie Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis. Joan. 1 Hodie clamores & deſideria Patriarcharum & Prophetarum exaudita ſunt & impleta. Clamabant deſiderio inenarrabili & dicebant: Emitte agnum Domine, &c. Iſa. 16
Et iterum: Rorate cœli deſuper. Et Iſa. 45
iterum: Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes. Iſa. 64 Et iterum: Domine inclina cœlos tuos & deſcende. Pſalm. 143 Et iterum: Domine oſtende nobis faciem tuam, &c. Pſalm. 79 Et talia multa, de quibus tota Scriptura eſt plena. Nam hodiernam diem vehementiſſime expectabant. Hodie eſt principium & fundamentum omnium ſolemnitatum, & initium totius noſtri boni. Nam B uſque nunc indignatus eſt Dominus contra genus humanum, propter tranſgreſſionem primorum parentum; ſed amodo videns filium hominem factum, non ulterius iraſcetur. Hodie dicitur eſſe temporis plenitudo. Vides admirabile opus & quam ſolemniſſimum factum ſit iſtud totum eſt delectabile, totum jucundum, totum deſiderabile, & cum omni devotione ſuſcipiendum, in jubilatione, lætitia & exultatione ducendum, & omni veneratione digniſſimum. In his ergo meditare, in his delectare, & jucundaberis, & forte oſtendet tibi Dominus ampliora, &c.

C

CAPUT V.

Quo modo Beata Virgo viſitavit Eliſabeth. Et quo modo Magnificat, & Benedictus, facta fuerunt.

POſt hæc recogitans Domina verba Angeli, quæ dixit de conſobrina ſua Eliſabeth, Luc. 1 eam viſitare proponit ad congratulandum eidem, ac etiam ſerviendum. Ivit ergo una cum Joſeph ſponſo ſuo a Nazareth ad domum ipſius, quæ diſtabat a Hieruſalem per quatuordecim vel quindecim milliaria, vel circa. Non ergo retardatur aſperitate, vel longinquitate viæ, ſed cum feſtinatione ivit, quia nolebat diu in publico videri.

Et ſic non erat ex conceptu filii aggravata, ut aliis mulieribus contingit. Non enim fuit Dominus Jeſus oneroſus matri. Conſpice ergo hic quo modo vadit ſola cum ſponſo ſuo regina cæli, & terræ, & non eques ſed pedes, non ducit frequentiam militum vel baronum, non camerariarum & domicellarum comitivam. Vadunt autem cum ea paupertas, humilitas & verecundia, omniumque virtutum honeſtas. Eſt & Dominus ſecum, magnam & honorabilem comitivam habens, ſed non ſæculi vanam & pompoſam. Cum autem intravit domum, ſalutavit Eliſabeth, dicens: Salve ſoror mea Eliſabeth. Illa vero exultans & tota exhilarata, & accenſa Spiritu ſancto ſurgit, & amplexatur eam tenerrime, & clamans præ gaudio, dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? &c. Cum enim Virgo ſalutavit Eliſabeth, repletus eſt in utero Joannes Spiritu ſancto, repleta eſt etiam & mater: nec prius repletur mater quam filius, ſed filius repletus replet & matrem, non quidem in animi matris aliquid efficiendo, ſed per Spiritum ſanctum aliquid in ea fieri promerendo, eo quod in ipſo Spiritus ſancti gratia affluentior refulgebat, & prior gratiam ſenſit. Et ſicut illa Mariam, ſic ille adventum Domini ſenſit. Et ideo exultavit, & illa prophetice locuta eſt. Vide quanta virtus ſit in verbis Dominæ, quia ad eorum pronunciationem confertur Spiritus ſanctus. Sic enim abundanter ipſa erat plena, quod ejus meritis ipſe Spiritus ſanctus etiam alios replebat. Reſpondit autem Maria ad Eliſabeth, dicens. Magnificat anima mea Dominum, &c. totum ibidem complens canticum jucunditatis & laudis. Deinde ſe ad ſedendum potentes, Domina humillima ad inferiorem locum ſe ponit ad pedes Eliſabeth: ſed illa incontinenti exurgens, & hoc non patiens erexit eam, & pariter conſe-

Ambro.

Quanta ſit in verbis B. Mariæ virtus.

A derunt. Quærit autem Domina de modo ſuæ conceptionis, & Eliſabeth de modo ſuæ: & hæc ſibi invicem narrant lætanter, & laudant Deum de utraque conceptione, & in gratiarum actione conſiſtunt, & agunt dies lætitiæ. Et ſtetit ibidem Domina quaſi menſibus tribus, miniſtrans & ſerviens ei in omnibus quæ poterat humiliter, reverenter, & devote, quaſi oblita ſe matrem Dei eſſe, & totius mundi reginam. O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua & quo pariter commorantur & requieſcunt, tales matres talibus filiis fœcundatæ, Maria & Eliſabeth, Jeſus & Joannes.

B Sunt & ibi magnifici ſenes, ſcilicet Zacharias & Joſeph. Adveniente ergo tempore ſuo peperit Eliſabeth filium, quem Domina levavit a terra, & diligenter aptavit, ut expediens erat. Parvulus autem, ipſam quaſi intelligens aſpiciebat, & cum eum matri porrigere vellet, caput ad eam vertebat, & in ea ſolum delectabatur, & ipſa lætanter colludebatur eidem, & oſculabatur jucunde. Conſidera magnificentiam Joannis. Nullus umquam talem bajulam habuit. Multa alia magna privilegia reperiuntur de ipſo, quibus non inſiſto ad præſens. Die autem octavo circumciſus eſt puer, & vocatus eſt Joannes. Et tunc

C apertum eſt os Zachariæ, & Prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c. Et ſic in domo illa hæc duo cantica pulcherrima, ſcilicet Magnificat, & Benedictus facta fuerunt. Domina vero ſtans poſt aliquam cortinam, ne videretur ab hominibus, qui convenerant ad circumciſionem Joan. auſcultabat attente ad canticum illud, in quo de filio ſuo fiebat mentio &, omnia conferebat in corde ſuo ſapientiſſime. Tandem valefaciens Eliſabeth & Zachariæ, ac benedicens Joanni, redit ad domum ſuæ habitationis in Nazareth. In qua reverſione paupertatem ejus adinvicem revoca. Redit enim ad domum, in qua nec panem, nec vinum, nec alia neceſſaria eſt inventura

S. Joannis Baptiſtæ privilegium.

tura. Sed nec poſſeſſiones habebat, nec pecuniam. Stetit his tribus menſibus apud illos forte opulentos: nunc autem redit ad paupertatem ſuam, & ut propriis manibus laborando victum procuret. Compatere ſibi, & in amorem paupertatis accendere.

CAPUT VI.

Quo modo Joſeph voluit dimittere Mariam, & quo modo Deus permittit ſuos tribulari.

CUm autem ſimul habitarent Domina & ſponſus ejus Joſeph, & creſcente Jeſu in utero matris perpendens Joſeph ipſam gravidam eſſe doluit ultra modum. Attende hic bene, quia multa pulchra diſcere poteris. Si dubitas quare Dominus voluit matrem ſua habere virum, cum ſemper vellet eam virginem eſſe. Reſpondetur propter tria, ut ſcilicet ne gravida infamaretur, ut viri miniſterio & ſocietate frueretur, & diabolo partus filii Dei occultaretur. Conſpiciebat ergo Joſeph conjugem ſuam ſemel & pluries, & dolebat & turbabatur, & eidem vultum oſtendebat turbatum, & oculos avertebat ab ea tamquam a mala, ſuſpicans eam ex adulterio concepiſſe. Vides quo modo Deus permittit ſuos tribulationibus vexari, & tentari ad ipſorum coronam. Cogitabat autem eam occulte dimittere. Vere de hoc dici poteſt, quod ejus laus eſt in Evangelio. Dicitur enim ibi, quod erat vir juſtus, magnæ namque virtutis erat. Cum enim communiter dicatur, quod quaſi ſummæ verecundiæ, doloris, & furoris ſit viro adulterium uxoris, tamen ipſe virtuoſe ſe temperabat, & accuſare nolebat, patienter hanc magnam pertranſibat iniuriam, non ſe vindicans ſed pietate victus, credere volens, occulte volebat eam dimittere. Sed nec Domina pertranſivit abſque tribulatione, perpendebat enim, & videbat eum turbatum, & de hoc etiam

1 Cor. 8

Matth. 1

A ipſa turbabatur. Humiliter tamen tacebat & occultabat donum Dei. Potius volebat reputari vilis, quam ipſum ſacramentum Dei propalare, & de ſe aliquid loqui, quod ad iactantiam putaretur pertinere. Rogabat autem Dominum, ut ipſe remedium apponere dignaretur, & hanc ſibi & viro ſuo tribulationem auferret. Vides quam magna tribulatio & anxietas erat eis, ſed Dominus providit utrique. Miſit ergo Angelum ſuum, qui dixit Joſeph in ſomnis, quod uxor eius de Spiritu ſancto conceperat, & ut confidenter & gaudenter ſtaret cum ea. Unde tribulatione ceſſante, reddit conſolatio magna. Ibidem.

B Sic & nobis contingeret, ſi in tribulationibus patientiam habere ſciremus: nam Deus poſt tempeſtatem tranquillum facit. Nec dubitare debes; quia non permittit eas ad ſuos venire, niſi pro utilitate eorum. Quæſivit Joſeph de hac conceptione mirifica, quæ ei Domina diligenter narravit. Remanet ergo, & ſtat Joſeph gaudens cum ſua coniuge benedicta. Et ultra quam dici poſſit, eam caſto diligit amore, & curam ipſius fideliter gerit, & Domina cum eo confidenter moratur, & in ſua paupertate lætanter vivunt. Stat ergo Dominus Jeſus recluſus in utero, uſque ad menſes novem more aliorum.

C Stat benigne ac patienter ſuſtinet, & expectat tempus debitum. Compatere ſibi, quod ad tantam humilitatis profunditatem devenit. Multum ergo deberemus hanc affectare virtutem: nec umquam deberemus ad elationem, vel ad noſtri reputationem tumeſcere, quando tantum ſe inclinavit Dominus majeſtatis. Et de hoc ſecundo beneficio huius tam prolixæ pro nobis recluſionis, numquam ei digne poſſemus ſatisfacere. Sed ſaltem corde hoc cognoſcamus, & gratias eidem toto affectu agamus, quod nos ex aliis aſſumere dignatus eſt, ut vel hoc modicum rependamus eidem, ut recluſi ſtemus ad ſervitium ſuum. Ipſius quippe beneficium eſt hoc, non noſtrum meritum, &

quidem permaximum multumque acceptabile ac venerabile eſt. Non enim ad pœnam, ſed ad tutelam recluſi ſumus, & in arce religionum tutiſſima collocati. Ad quam hujus nequiſſimi mundi venenoſæ ſagittæ vel tumultuoſi maris procellæ, niſi noſtra temeritate attingere non poterunt. Conemur ergo toto poſſe, mente recluſa & abſtracta ab omnibus caducis, eidem cordis puritate vacare: quia corporalis recluſio nihil, aut parum ſine mentali prodeſt. Eidem etiam Domino Jeſu in hoc compatere, quod eſt in continua afflictione, & fuit a ſuæ conceptionis primordio uſque ad mortem, ex eo, ſcilicet quod patrem, quem ſumme diligebat, cognoſcebat propter idola relinqui a peccatoribus, & inhonorari, & ex compaſſione, quam habebat ad animas ad imaginem ſuam creatas, quas cernebat miſerabiliter, quaſi univerſaliter damnari, & erat ſibi major pœna, quam fuerit paſſio corporalis. Nam propter hanc tollendam ſuſtinuit illam. Vides quam pulchra fercula hic tibi propinata ſunt, ſi vis eorum ſentire dulcedinem, ea rumina diligenter, & ſæpe.

SECUNDA FERIA.

CAPUT VII.

De Nativitate Chriſti, & aliis.

Luc. 1

ADVENIENTE autem novem menſium termino, exiit edictum ab Imperatore, ut deſcriberetur univerſus orbis, ſcilicet quilibet in civitate ſua. Cumque Joſeph ire vellet in civitatem ſuam, ſcilicet Bethleem, & ſciret inſtare tempus partus ſuæ conjugis, duxit eam ſecum. Vadit ergo iterum Domina hoc longo itinere. Nam Bethleem eſt prope Hieruſalem, per quinque vel ſex milliaria. Ducunt autem ſecum bovem & aſinum, & vadunt ſicut pauperes mercatores beſtiarum. Cum autem

A fuerunt in Bethleem, quia pauperes erant, nam multi concurrerant pro eadem cauſa, hoſpitium invenire non potuerunt. Compatere hic Dominæ, & conſpice ipſam delicatam & juvenem, quindecim enim erat annorum, ex longo itinere fatigatam, & cum verecundia inter gentes converſantem, quærentem ut quieſcat, & non invenit: omnes licentiant eam & ſocium ejus, & ſic coguntur divertere ad quamdam viam coopertam, ubi homines tempore pluviæ divertebant. Ibidem Joſeph, qui erat magiſter lignarius, forte aliqualiter ſe clauſit. Nunc autem diligentiſſime inſpice omnia, maxime quia referre B intendo quæ ab ipſa Domina revelata & oſtenſa fuerunt, prout a quodam ſancto noſtri ordinis fide digno habui, cui puto revelata fuiſſe.

Cumque veniſſet hora partus. ſc. in media nocte Dominicæ diei, ſurgens virgo appodiavit ad quamdam columnam, quæ ibi erat, Joſeph vero ſedebat mœſtus ex eo forte quod non poterat quæ decebant, parare. Surgens ergo & accipiens de feno præſepis, projecit ad pedes Dominæ, & vertit ſe in aliam partem: tunc filius Dei æterni exiens de matris utero, ſine aliqua moleſtia vel læſione, in momento ſicut erat in utero, ſic fuit extra uterum ſuper fenum ad pedes matris ſuæ. Et ma-C ter incontinenti ſe inclinans, recolligens eum & dulciter amplexans, poſuit in gremio ſuo & ubere de cœlo pleno, & Spiritu ſancto edocta, cœpit lavare ſive linire ipſum per totum cum lacte ſuo: quo facto involuit eum in velo capitis ſui, & poſuit eum in præſepio. Et nunc bos & aſinus flexis genibus poſuerunt ora ſuper præſepium, flantes per nares ac ſi ratione utentes cognoſcerent, quod puer ſic pauperrime contectus calefactione, tempore tanti frigoris, indigebat. Mater vero flexis genibus adoravit, & gratias agens Deo, dixit: Gratias tibi ago Domine ſancte Pater, qui filium tuum mihi dediſti, & adoro te

Deus

Deus æternæ, & te filium Dei vivi & meum. Joſeph autem ſimiliter adoravit eum, & accipiens ſellam aſini, & extrahens de ea cuſſinellum de lana ſive bora poſuit juxta præſepe, ut Domina ſuper eo ſederet. Ipſa ergo ſe poſuit ibi ad ſedendum, & ſellam poſuit ſubtus cubitum, & ſic ſtabat Domina mundi, tenens vultum ſuum ſuper præſepe, innixa oculis & toto affectu ſuper dilectiſſimum filium ſuum. Hucuſque de revelatione.

His ergo ſic oſtenſis, diſparuit Domina, & remanſit Angelus, & dixit eidem laudes magnas, quas etiam ille mihi dixit, ſed nec diſcendi, nec ſcribendi aptitudinem habui. Vidiſti ortum ſacratiſſimi principis, vidiſti ſimul & partum reginæ cæleſtis, & in uroque arctiſſimam paupertatem potuiſti conſpicere, multis neceſſariis indigere. Hanc virtutem altiſſimam Dominus reinvenit. Hæc eſt illa Evangelica Margarita, pro qua emenda omnia ſunt vendenda. *Matt. 13* Hæc eſt totius ſpiritualis ædificii proprium fundamentum: nam cum ſarcina temporalium rerum ſpiritus ad Deum non poteſt aſcendere. De qua dicebat beatus Franciſcus: *Paupertas.* Paupertatem fratres noveritis eſſe ſpiritualem viam ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, & perfectionis radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed occultus. Magna ergo nobis eſt verecundia, quod eam non amplectamur toto poſſe, ſed oneramur ſuperfluis, quando mundi Dominus, & Domina mater ejus eam ſic ſtrictiſſime, & ſtudioſiſſime ſervaverunt. De qua ſic dicit Bern. *Bern. ſer. 1 in vig. nat. Dom. poſt med.* Abundabat in terris hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei filius concupiſcens deſcendit ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione, faciat pretioſam. Adorna thalamum, ſcilicet humilitate & paupertate. In his complacet ſibi pannis, & Maria teſtimonium perhibente: his ſericis delectatur involvi, & abominationes Ægyptiorum immola Deo tuo. Huſcuſque Bernard. *Idem ſer. 3 nat. Dom. cir. fin.* Idem in ſermone nativitatis, qui incipit: Benedictus Deus, & pater. Denique populum ſuum conſolatur. Vis noſſe populum eius? Tibi derelictus eſt pauper, ait homo ſecundum cor Dei. *Pſal. 9* Sed & ipſe in Evangelio: Væ vobis, inquit divitibus, *Luc. 6* qui habetis hic conſolationem veſtram. Quid enim conſoletur eos, qui ſuam habent conſolationem? Non conſolatur Chriſti infantia garrulos: non conſolantur Chriſti lacrymæ cachinnantes: non conſolantur panni eius ambulantes in ſtolis: non conſolantur ſtabulum & præſepe amantes primas cathedras in ſynagogis. Vigilantibus paſtoribus annuntiatur gaudium lucis, & eis natus dicitur eſſe Salvator. Pauperibus atque laborantibus non vobis divitibus, qui veſtram habetis conſolationem, & veſtrum dominium. Huſcuſque Bernardus. Potuiſtis etiam attendere in utroque, profundiſſimam humilitatem in hac ipſa nativitate, non enim ſunt ſtabulum dedignati, non beſtias, non fenum, & cetera vilia. Hanc virtutem in omnibus actibus, tam Dominus, quam Domina perfectiſſime ſervaverunt, & nobis commendaverunt. Nitamur ergo omni, quo poſſumus ſtudio, ipſam amplecti: quia ſine ipſa non eſt ſalus, nulla enim operatio noſtra cum ſuperbia Deo placere poteſt. Nam ſecundum beatum Auguſtinum: *Aug. l. de ſing. doc. c. 18 in fine, tom. 4* Superbia fecit Angelos dæmones, humilitas facit homines Angelis ſimiles. Et Bernardus: *Ber. ſer. 2 de verb. Iſ. 6 vidi Domin. &c. circa med.* Qualem putas neceſſe eſt hominem invenire, qui repudiati locum Angeli ſortiatur? ſemel turbavit ſuperbia regnum illud, concuſſit muros, etiam proſtravit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? Numquid, non odit civitas illa, & vehementer huiuſmodi peſtem abominatur? Certi eſtote fratres, eum qui ſuperbis non pepercit Angelis nec hominibus parciturum. Non eſt contrarius ſibiipſi. Hucuſque Bernardus. Potuiſtis etiam attendere in utroque, maxime in puero Jeſu non parvam cordis afflictionem. De qua ſic dicit Bern. *Idem ſer. 1 de nat. Domini non longe a pr.* Naſciturus itaque Dei filius cuius in arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus, eligit

quod moleſtius eſt præſertim parvulo & pauperis matris filio: quæ vix pannos haberet ad involvendum, præſepe ad reclinandum. Et cum tanta eſſet neceſſitas, nullam audio pellium fieri mentionem. *Et infra*: Chriſtus utique qui non fallitur, elegit quod carni moleſtius eſt. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quiſquis aliud doceat vel ſuadeat, ab eo tamquam a ſeductore cavendum. *Et infra*: Et tamen fratres ipſe eſt promiſſus olim per Iſaiam: Parvulus ſciens reprobare malum, & eligere bonum. Malum ergo voluptas corporis: bonum vero afflictio eſt. Siquidem & hanc elegit, & illam reprobat Puer ſapiens, Verbum infans. Hucuſque Bernardus. Vade & tu fac ſimiliter, diſcrete tamen, ut non excedas poſſe tuum. Et de his virtutibus alias poterit dici, redeamus ad domum nativitatis.

Iſa. 7.

Nato itaque Domino, Angelorum multitudo ibi exiſtens, ſuum Deum adoraverunt, & confeſtim ad paſtores iverunt, qui erant ibi prope forte per miliare, nuntiantes eis ipſam nativitatem & etiam locum. Exinde aſcenderunt in cœlum cum Canticis & jubilis, concivibus ſuis ea ſimiliter nuntiantes. Tota igitur ſuperna curia exhilarata, magnoque facto feſto & laudibus, & gratiarum actionibus Deo patri exhibitis, venerunt omnes quotquot ibi erant, ſucceſſive per ordines ſuos videre faciem Domini Dei ſui, & adorantes eum cum omni reverentia, & etiam matrem ejus, laudem eidem & cantica perſonabant. Quis enim eorum auditis novis, remanſiſſet in cœlo, quin viſitaſſet Dominum ſuum ſic humiliter conſtitutum in terra? In nullo eorum hæc ſuperbia cadere potuiſſet. Et ideo dicit Apoſtolus: Et cum introducit primogenitum in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hæc meditari de Angelis jucundum puto, qualitercumque ſe habuerit veritas. Veneruntque paſtores & adoraverunt eum, referentes quæ audierunt ab Angelis. Mater vero prudentiſſima, omnia quæ de ipſo dicebantur, conſervabat in corde ſuo, illi autem gaudentes abierunt. Genu flecte & tu qui tantum diſtuliſti, & adora Dominum Deum tuum & poſtea matrem ejus, & reverenter ſaluta ſanctum ſenem Joſeph. Deinde oſculeris pedes pueri Jeſu jacentis in lecto, & roga Dominam, ut eum tibi porrigat vel permittat accipere. Accipias eum inter brachia tua, retine, & intuearis faciem ejus diligenter, ac reverenter deoſculare, & delectare in eo confidenter. Hoc facere potes, quia ipſe ad peccatores venit pro eorum ſalute, & cum eis humiliter converſatus, & tandem ſe ipſis dimiſit in cibum. Unde benignitas ſua patienter ſe tangi pro tuo velle permittet, nec imputabit præſumptioni ſed amori. Semper tamen cum reverentia & timore hæc facias, quia ipſe ſanctus ſanctorum eſt. Poſtea redde ipſum matri: & conſpice diligenter, quam ſtudioſe, & ſapienter gubernabat eum, lactat, ac cetera ei facit obſequia. Ita & tu adjuva eam ſi potes, in his delectare, jucundare, ac ſedulo meditari memento, & quantum potes famuleris Dominæ, & puero Jeſu, & intuearis faciem ejus ſæpe, in quam deſiderant Angeli proſpicere. Semper tamen, ut dixi, cum reverentia & timore, ne patiaris repulſam, reputare enim te debes indignam talium converſatione.

Hebr. 1.

B

1 Pet. 1.

C

Meditari debes etiam cum gaudio, quanta ſit hodierna ſolemnitas. Hodie namque natus eſt Chriſtus, & ſic vere eſt dies natalis Regis æterni, & filii Dei vivi. Hodie filius datus eſt nobis, & puer natus eſt nobis. Hodie ſol juſtitiæ qui erat in nubilo clare refulſit. Hodie Spiritus ſanctus. Eccleſiæ electorum caput proceſſit de Thalamo ſuo. Hodie deſideratam faciem oſtendit, forma ſpecioſus præ filiis hominum. Hodie factus eſt ille Hymnus Angelicus: Gloria in excelſis Deo. Hodie pax hominibus eſt annuntiata, ut in eodem

Iſa. 9.

Pſalm. 44.

Luc. 2

dem

dem Hymmo continetur. Hodie, e- A tiam cantat Eccleſia per totum mundum, melliflui facti ſunt cæli, & in terra canunt Angeli. Hodie primitus apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris Dei noſtri. Hodie adoratus eſt Deus in ſimilitudine carnis peccati. Hodie illa duo miracula contigerunt, quæ ſuperant omnem intellectum, & ſola fides apprehendere poteſt, ſcilicet quod Deus naſcitur, & Virgo parit. Hodie aliorum miraculorum claruit multitudo. Denique omnia, quæ dicta ſunt de incarnatione quaſi hic clarius eluceſcunt: ibi inchoata, hic manifeſtata. Unde nunc illa, & iſtis meditationibus iſta coniuge. Merito ergo eſt dies B illa jubilationis, & gaudii, & lætitiæ magnæ nimis. Nam Romæ de quadam taberna dicta emeritoria (quia milites ibi ſpatiando, & emendo neceſſaria, ea quæ ſtipendiis ſuis meruerant, expendebant) fons olei largiſſimi emanavit de terra, & per totum diem largiſſimo rivo fluxit. Et circulus ad modum cœleſtis arcus circa ſolem in toto orbe apparuit. Et Romæ ſtatua aurea, quam Romulus in ſuo palatio poſuerat, quæ prophetabatur non cadere donec virgo pareret, ſtatim ut Chriſtus natus eſt, corruit. In quo loco Calixtus Papa Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ nunc dicitur trans Tiberim, conſtituit.

Tit 3.

CAPUT VIII.

De Circumciſione, & fletu Domini.

OCtavo autem die circumciſus eſt puer. Duo autem magna hodie facta ſunt. Unum, quia manifeſtatum eſt nomen ſalutis, quod ab æterno ſibi impoſitum erat, & ab Angelo vocatum priuſquam in utero conciperetur hodie fuit declaratum & nominatum. Et vocaverunt nomen eius Jeſum. Jeſus autem dicitur Salvator quod eſt nomen ſuper omne nomen. Nec eſt enim, ut Apoſtolus Petrus ait, aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſalvos fieri. Secundum quod

Act. 4.

hodie factum fuit, quia incœpit Dominus Jeſus ſuum ſacratiſſimum ſanguinem pro nobis effundere. Tempeſtive enim cœpit pro nobis pati, qui peccatum non fecit, pro nobis pœnam hodie portare incœpit. Compatere tu ei, & plora cum illo, quia hodie fortiter ploravit. Nam in ſolemnitatibus multum gaudere debemus propter noſtram ſalutem: ſed multum compati & dolere propter ſuas anguſtias & dolores. Audiſtis in nativitate quantam afflictionem habuit & penuriam, & inter alia hoc etiam fuit, quod quando mater poſuit eum in præſepio, ad caput eius potuit quendam lapidem interpoſito forte feno, ut habui a fratre noſtro qui vidit, & adhuc ille lapis apparet ad memoriam ibidem muratus. Credas quod libentius poſuiſſet pulvinar ſi habuiſſet, ſed cum aliud non haberet quod poneret, cum cordis amaritudine poſuit illum lapidem. Audis & hodie, quia ſanguinem ſuum fudit. Fuit enim caro ipſius cum cultello lapideo inciſa. Nonne ergo compatiendum eſt ei? ita. Sic certe & matri. Ploravit ergo puer Jeſus hodie, propter dolorem, quem ſenſit in carne ſua: nam veram carnem & paſſibilem habuit, ſicut ceteri homines. Sed eo plorante, credis ne quod mater potuerit lacrymas contiņere? Ploravit ergo & C ipſa, quam plorantem filius ſtans in gremio eius aſpiciens, parvulam manum ſuam ad os, & vultum ejus ponebat, quaſi nutu rogans eamdem, ne ploraret: quam enim tenerrime diligebat, a ploratu ceſſare volebat. Similiter & mater, cuius viſcera totaliter commovebantur in dolore, & lacrymis filii, & nutu & verbis conſolabatur eum. Intelligebat enim tamquam prudentiſſima voluntatem eius, quamvis nondum loqueretur. Et dicebat: Fili ſi vis me a ploratu ceſſare, ceſſa & tu. Non enim poſſum te plorante non plorare. Et tunc ex compaſſione matris, filius a ſingultibus deſiſtebat. Mater vero & ipſius, & ſuos oculos tergebat, & vultum vultui applicabat, lactabat eum, & omnibus

Digitized by Google

nibus quibus poterat modis conſolabatur. Et ſic faciebat quoties plorabat: quod forte ſæpe puerorum more faciebat, ad oſtendendum miſeriam naturæ humanæ, quam vere aſſumpſerat, & ad occultandum ſe, ne a diabolo cognoſceretur. Cantat namque de ipſo Eccleſia: *Vagit infans inter arcta, &c.* Hodierno autem tempore ceſſat circumciſio corporalis, & habemus baptiſmum, qui eſt majoris gratiæ, & minoris pœnæ. Sed debemus habere circumciſionem ſpiritualem, & omnia ſuperflua reiicere, hoc eſt quod paupertatem commendat: nam verus pauper eſt vere ſpiritualiter circumciſus. Et hanc ſecundum Bernard. paucis verbis tradit Apoſtolus, dicens: Habentes victum & veſtitum, his contenti ſimus. Spiritualis etiam circumciſio debet eſſe in omnibus ſenſibus corporis noſtri, videndo, audiendo, guſtando, tangendo paucitate utamur, & maxime in loquendo.

Bern. ſer. 1 in circ. Dom. poſt med.
1 Tim. 6

Loquacitas vitium peſſimum.

Loquacitas eſt vitium peſſimum, & Deo & hominibus odioſum, & diſplicibile; unde debemus eſſe circumciſi lingua, id eſt pauca & utilia loqui. Signum levitatis eſt multum loqui: unde ſilentium eſt virtuoſa res, & non ſine cauſa in religionibus ordinatum. Et circa hanc materiam, ſic dicit Beatus Gregor. Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit: Quaſi enim quoddam nutrimentum verbi eſt cenſura ſilentii. Idem alibi: Qui ſenſu leves ſunt & in locutione præcipites erunt: quia quod levis conſcientia concipit, levius protinus lingua promit. De hoc etiam dicit Bernardus Sermone de Epiphania, qui incipit. In operibus Domini: Jam vero de lingua quis neſciat, quam multum inquinaverit nos, per vaniloquia, & mendacia, per detractiones & adulationes, per verba malitiæ ſive jactantiæ? Pro his omnibus neceſſaria eſt hydria quinta, ſilentium ſcilicet cuſtos religionis, in quo eſt fortitudo noſtra. Idem alibi: Otioſitas mater nugarum eſt, & noverca virtutum. Inter ſæculares nugæ, ſunt in ore ſacerdotum blaſphemiæ. Sed & ſi nugæ incidunt, interdum ferendæ fortaſſe ſunt: ſed referendæ numquam. Conſecraſti enim os Evangelio: illicitum jam talibus aperire illud.

Greg. hom. 11 in Ez. ante med.
Idem lib. 5 mor. c. 11
Bern. ſer. 2 in Dom. 1 poſt octav. Epiph. poſt med.
Id. lib. 3 de Conſid. ad
Evan. c. 11 ſtatim a princ.

CAPUT IX.

De Epiphania, ſive apparitione Domini.

Die autem tertiodecimo puer Jeſus manifeſtavit ſe gentibus, id eſt Magis, qui gentiles erant. Attende circa diem iſtum, quia vix invenies aliquod feſtum ſic ab Eccleſia

B ſolemnizatum, & multiplicatum in antiphonis, reſponſoriis, & ſermonibus, & aliis, quæ ad ſolemnitatem pertinent, ſicut illud: non quod ſit majus omnibus aliis, ſed quia multa & magna tali die facta ſunt per Dominum Jeſum, & maxime circa ipſam Eccleſiam.

Primum eſt, quia hodie ipſa Eccleſia recepta eſt ab eo in perſona Magorum: quia Eccleſia ex gentibus congregata eſt. Nam die natalis ſui apparuit Judæis in perſona paſtorum, qui Judæi non receperunt verbum Dei, niſi pauca ex ipſis: hodie vero apparuit gentibus, & hæc eſt Eccleſia electorum. Unde feſtum hodier-

C num eſt proprie feſtum Eccleſiæ, & fidelium Chriſtianorum.

Secundum, quia Eccleſia eſt hodie deſponſata ab eo, & eidem vere conjuncta per baptiſmum, quem tali die ſuſcepit, ſcilicet revoluto vigeſimo nono anno. Et ideo lætanter cantatur. *Hodie cæleſti ſponſo juncta eſt Eccleſia, &c.* Nam in baptiſmo deſponſantur animæ Chriſto, qui a ſuo baptiſmo ſumpſit virtutem, & animarum baptizatarum congregatio vocatur, Eccleſia.

Tertium, quia tali die ſcilicet revoluto anno poſt baptiſmum fecit primum miraculum ad nuptias quod etiam ad Eccleſiam & ſpirituales nuptias, poteſt adaptari. Videtur etiam poſtea feciſſe tali die miraculum de mul-

Joan. 2

multiplicatione panum & piſcium: ſed prima tria Eccleſia hodie repræſentat, illud autem non. Vides ergo quam venerabilis eſt dies illa, quam Dominus elegit ad tot magnifica & mirifica. Conſiderans ergo Eccleſia tot magna beneficia, hodie ſibi a ſuo ſponſo exhibita, grata exiſtere volens, exultat, jucundatur & jubilat, & hunc diem magnifice ſolemnizat.

Joan. 6

Dicamus ergo de primo, quia de aliis ſermo erit ſecundum ordinem vitæ ipſius Chriſti. Sed de primo opere: ſcilicet de Magorum adventu ad Chriſtum, non eſt intentionis meæ narrare moralitates, & expoſitiones, quæ ſic diligenter per ſanctos traditæ ſunt. Qualiter ergo venerunt Magi ab Oriente Hieroſolymam, & quid inter eos & Herodem actum ſit, & de ductu ſtellæ, & quare talem oblationem fecerunt, & de aliis hujuſmodi, legas textum Evangelii, & ſanctorum expoſitiones, & invenies. Ego enim in hoc & in aliis vitæ Chriſti actibus intendo, ut in principio tibi dixi, aliquas meditationes tangere, ſecundum quaſdam imaginarias repræſentationes, quas anima diverſimode percipere poteſt, ſecundum quod geſta fuerunt per ipſum, vel ſicut fuiſſe credi poſſunt. De expoſitionibus autem, raro intromittere me cogitavi: tum quia ad hoc inſufficiens ſum, tum etiam quia nimis eſſet longa materia. In præſenti ergo negotio ſis præſens, & conſpice bene ſingula: quia ut alias tibi dixi, in hoc eſt tota vis harum meditationum.

Venerunt ergo iſti tres reges, cum multitudine magna, & honorabili comitiva, & ſunt ante illud tugurium in quo natus eſt Dominus Jeſus. Domina ſentit ſtrepitum & tumultum, & accipit puerum. Intrant illi domunculam, & genuflectunt, & adorant Dominum puerum Jeſum reverenter. Honorant eum ut Regem, & adorant ut Dominum. Vide quam magna fuit eorum fides. Quid enim erat credere, quod ille puerulus ſic

Magorum fides.

A viliter indutus, cum paupercula matre inventus, & in loco ſic abjecto, ſine ſocietate, ſine familia, ſine omni ornatu, eſſet Rex, & Deus verus? Et tamen utrumque crediderunt. Tales duces, & talia primitiva nos oportebat habere. Stant ergo genuflexi coram eo, colloquuntur cum Domina, vel per interpretem, vel per ſeipſos: quia ſapientes erant, & forte linguam Hebraicam ſciebant. Quærunt ab ea de conditionibus iſtius pueri. Domina narrat: & illi omnia credunt. Conſpice bene ipſos, quia reverenter, & curialiter loquuntur, & audiunt. Conſpice & Dominam, quia cum rubore in verbis, & oculis ad terram demiſſis, ac cum verecundia loquitur, non delectatur B loqui nec videri. Dominus tamen dedit ei vigorem in hoc magno opere: quia illi repræſentabant univerſam Eccleſiam futuram ex gentibus. Conſpice & puerum Jeſum: nondum loquitur, ſed ſtat cum maturitate, & gravitate tamquam intelligens, & benigne reſpicit illos, & iſti multum delectantur in eo, tam viſu mentali, tamquam intus edocti, & illuminati ab eo, quam corporali, quia ſpecioſus erat præ filiis hominum. Tandem *Pſalm. 44* conſolatione magna recepta, offerunt *Matth. 2* eidem aurum, thus, & myrrham, aperientes theſauros ſuos, & ponentes aliquem pannum vel tapetum ante C pedes Domini Jeſu obtulerunt, ſcil. quilibet illorum illa tria in maxima quantitate præcipue de auro. Alias enim pro parva oblatione non oportuiſſet aperiri theſauros, quia parva de levi habuiſſent ad manus Senaſcalli eorum. Et tunc reverenter & devote, oſculati ſunt pedes ejus. Quid ſi tunc puer ſapientiſſimus ut eos magis conſolaretur, & in amore ſuo roboraret, porrexiſſet etiam ad oſculandum manum? Signavit etiam eos, & benedixit. Illi ergo ſe inclinantes & valefacientes, cum magno gaudio receſſerunt, & per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Quid autem de avaro iſto factum putas, quod erat ſic magni valoris? Num.

Digitized by Google

Numquid Domina reſervavit ſibi vel depoſitum fecit? vel numquid emit domos, agros, & vineam? Abſit, non curat de talibus paupertatis amatrix. Zelans ergo Domina fortiter pro paupertate, & intelligens filii voluntatem, tam intus docentis, quam foris ſigna oſtendentis, quia vultum forte avertebat ab auro, & vilipenderat: totum infra paucos dies pauperibus erogavit. Grave enim erat ſibi ſarcinam tenere, vel deferre. Unde ſic iſta totaliter expenderat, quod quando intravit in templum non habuit unde unum agnum emeret, quem offerret pro filio, ſed emit turtures vel columbas. Unde rationabile eſt credere, quod magna fuit oblatio Magorum, & quod Domina zelans paupertatem, quia plena charitate, dedit eam pauperibus.

B. Virgo Maria aurum a Magis oblatum pauperibus erogavit.

Paupertas.

Vides præconium paupertatis, & in duobus hic attende. Primo, quia hodie puer Jeſus eleemoſynam recepit ut pauper, & etiam mater ſua. Secundo, quia non ſolum non curabant acquirere, vel congregare, ſed etiam quæ dabantur, retinere nolebant, ſemper in eis creſcebat deſiderium paupertatis. Sed numquid circa humilitatem aliquid attendiſti? Si bene advertitur, etiam humilitatis cernitur profunditas. Sunt enim qui ſe viles & abjectos reputant in animo ſuo, & in oculis ſuis non extolluntur: ſed non ſic eſſe volunt in oculis aliorum, nec patiuntur vilipendi ab aliis, vel derideri, & ſuam vilitatem, vel defectus nolunt aliis innoteſcere, ne vilipendantur: Non ſic fecit hodie puer Jeſus omnium Dominus, qui & aliis ſuis & ſua vilia patere voluit, & non parvis aut paucis, ſed magnis & multis, ſcil. regibus, & ſociis eorum quampluribus. Et in tali caſu & tempore, in quo multum erat timendum. Nam cum illi venirent ut invenirent Regem Judæorum, quem etiam Deum eſſe putabant, dubitare poterant, ne talibus de ipſo viſis, reputantes ſe fatuos, & deluſos recederent ſine fide, & devotione; ſed non dimiſit humilitatis amator, dans nobis exemplum, ne ſub ſpecie alicujus apparentis boni, recedamus ab humilitate: & quod diſcamus etiam in aliorum oculis viles, & abjecti velle apparere.

Humilitas.

CAPUT X.

De mora Dominæ apud Præſepe.

EXpeditis igitur Magis, & verſus patriam ſuam regreſſis, & totis eorum oblationibus erogatis, adhuc ſtat Domina mundi cum puero Jeſu, & nutritore ſuo Sancto ſene Joſeph apud præſepe, in illo locello patienter uſque ad quadrageſimam diem, ac ſi eſſet quædam mulier alia de populo, & puer Jeſus eſſet homo purus, & indigeret legis obſervatione.

Sed quia nolebant prærogativas ſingulares, legem obſervabant ut ceteri. Non ſic faciunt multi, qui in communi congregatione degentes, ſibi ſpeciales prærogativas exigunt fieri, & ab aliis tamquam honorabiliores, volunt in talibus diſcerni: ſed hoc non patitur humilitas vera. Stabat ergo Domina more aliarum, dictam diem expectans ingreſſura in templum. Stabat vigilans, & attenta ſuper cuſtodia dilecti filii ſui. O Deus! cum quanta ſolicitudine & diligentia ipſum gubernabat, ne in minimo eſſet d ejectus. Cum quanta etiam reverentia, & cautela, & quo timore ipſum contrectabat, quem ſciebat eſſe Deum ſuum, & Dominum ſuum, flexis genibus accipiebat, & imponebat eum in cunis. Cum quanta etiam jucunditate & confidentia, & auctoritate materna ipſum amplexabatur, oſculabatur, ſtringebat dulciter, & delectabatur in eo, quem ſciebat eſſe filium ſuum. Quam ſæpe curioſe intuebatur eum in vultu, & ſingulis partibus ejus ſacratiſſimi corporis: quam ſerioſe, ac pudenter tenella membra faſcia componebat. Sicut enim

Digitized by Google

enim fuit humillima, ſic fuit, & prudentiſſima: unde in ſingulis officiis & obſequiis, vigilanti & dormienti ſedule miniſtrabat, non ſolum infantulo, ſed grandævo. O quam libenter eum lactabat. Vix fieri potuit, quin magnam etiam aliis fœminis inexpertam, dulcedinem in talis filii lactatione ſentiret. Sed & de ſancto Joſeph refert Bernardus ſe credere, quod & puerum Jeſum ſuper genua ſua tenens, eidem frequenter arriſit.

Stante ergo Domina apud præſæpe, ſta & tu cum ea juxta præſepe, & delectare frequenter cum puero Jeſu: quia virtus exit ab ipſo. Qualibet anima fidelis, & maxime religioſa perſona, die Nativitatis Domini, uſque ad Purificationem, deberet ſaltem ſemel in die, apud prædictum præſepe Dominam viſitare, adorare puerum Jeſum, & Matrem eius affectuoſe, meditari de paupertate, humilitate, & benignitate ipſorum.

CAPUT XI.

De Purificatione B. Virginis.

ADveniente autem quadrageſima die, prout in lege ſtatutum erat, exivit Domina cum Puero Jeſu, & Joſeph, & iverunt de Bethleem in Hieruſalem, quæ ſunt quinque vel ſex miliaria, ut ſecundum legem ſisterent eum Domino. Vade & tu cum eis, & juva portare puerum, & conſpice attente ſingula, quæ dicuntur & fiunt, quæ devotiſſima ſunt. Adducunt ergo Dominum templi, ad templum Domini. Cumque intraſſent templum, emerunt duo turtures, aut duos pullos columbarum, ut offerrent pro eo: ſicut pro pauperibus fiebat. Et quia erant pauperrimi, credendum magis de pullis columbarum, quia & pro minori pretio inveniuntur, & ideo in lege ponuntur in ultimo loco, & Evangeliſta tacet de agno, qui erat oblatio divitum. Et ecce Simeon juſtus in ſpiritu venit in templum, ut ſicut reſponſum acceperat, videret Chriſtum Domini. Cum autem feſtinanter veniens vidiſſet eum, ſtatim cognovit eum Prophetico ſpiritu, & accelerans genuflexit, & adoravit eum inter brachia matris. Puer autem benedixit eum, & aſpiciens matrem inclinavit ſe oſtendens ſe velle ad eum ire. Quod mater intelligens, quamvis admirans, porrexit eum Simeoni. Ille autem gaudenter, & reverenter in ulnis ſuis eum recipiens, ſurrexit benedicens Deum, & dixit: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, &c. De paſſione ipſius prophetavit. Supervenit & ipſa Propheteſſa Anna, & adorans eum ſimiliter de ipſo loquebatur. Maria vero de his admirans, omnia conſervabat in corde ſuo. Deinde puer Jeſus extendens brachia verſus matrem, ad eam rediit, poſtea vadunt ad altare proceſſionem facientes, quæ hodie repræſentatur per univerſum mundum. Præcedunt alacriter illi duo honorabiles ſenes, ſcilicet Joſeph, & Simeon, tenentes ſe per manus, & cum exultatione magna jubilantes, & pſallentes: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum*, &c. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis*, &c. *Quoniam hic eſt Dominus Deus noſter in æternum & in ſæculum ſæculi ipſe reget nos in ſæcula. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui.* Sequitur mater portans Regem Jeſum, & Anna ſociat eam, vadens ex latere, cum reverentia jubilans, & ipſa gaudio indicibili laudans Dominum. Ab iſtis ergo fit proceſſio, paucis quidem, ſed valde magna repræſentantibus, quia de omni genere hominum, ſunt inter eos de maſculis, & feminis, ſenibus & juvenibus, virginibus, & viduis. Cum autem pervenerunt ad altare, mater cum reverentia genuflexit, & obtulit dilectiſſimum filium ſuum Deo patri ſuo, dicens: Accipite pater excellentiſſime unigenitum veſtrum, quem ſecundum mandatum veſtræ legis vobis offero, quia primogenitus matris eſt. Sed rogo pater, ut eum mihi

red-

Marginal letters: A, B, C.

Marginal notes: *Levit.* 12; *Luc.* 2; *Luc.* 2; *Pſalm.* 117; *Pſalm.* 144; *Pſalm.* 47; *Ibidem.*

Digitized by Google

reddatis. Et ſurgens dimiſit ipſum ſuper altare.

O Deus! qualis eſt oblatio iſta, numquam a ſæculo talis facta fuit, nec fiet. Reſpice bene ſingula. Stat puer Jeſus ſedens ſuper altare, ſicut quilibet alius puerulus, & facie matura reſpexit matrem, & alios, & humiliter, & patienter expectat quid deinceps fieri debeat. Adducuntur ſacerdotes, & redimitur Dominus omnium tamquam ſervus, quinque ſiclis more aliorum. Siclus erat genus monetæ. Quibus a Joſeph ſacerdoti ſolutis, mater lætanter reaccepit filium. Accepit etiam de manu Joſeph prædictas aves, ut eas offerat, & genuflectens, & tenens eas in manu ſua elevatis oculis & in cœlum porrectis eas obtulit, dicens: Accipite clementiſſime pater hanc oblationem, & munuſculum, & primum donum, quod parvulus veſter vobis hodie de ſua paupertate præſentat. Sed & puer Jeſus manus ſuas ad aves porrigens, oculos ad cœlum levavit, & nondum loquens, geſtibus una cum matre offerebat, & poſuerunt eas ſuper altare. Vidiſti quales ſunt oblatores iſti mater & filius. Numquid potuit talis hoſtia, quamvis parva, repudiari? Abſit, ſed potius per manus Angelorum fuit in ſuprema curia præſentata, & valde acceptata, ita quod tota curia jubilans exultavit. Poſtea Virgo Sancta diſceſſit de Hieruſalem, & viſitavit Eliſabeth, volens videre Joannem priuſquam de partibus illis diſcederet. Vade & tu ſemper cum ea quocumque ierit, & adjuva portare. Cum ergo veniſſet ad eam, feſtum magnum fecerunt, & maxime de pueris ſuis. Sed & pueri lætabuntur adinvicem, & Joannes quaſi intelligens, reverenter ſe habebat erga Jeſum. Accipe & tu reverenter Joannem, quia hic puer magnus coram Domino, ſi forte benedixerit tibi. Aliquibus autem diebus ibi mora contracta, diſcedunt volentes ire Nazareth. Si autem in prædictis vis informari de humilitate, & paupertate, conſiderata oblatione, & redemptione, ac legis obſervatione, de facili potes advertere. A

TERTIA FERIA.

CAPUT XII.

De fuga Domini in Ægyptum.

CUm ergo pergerent verſus Nazareth, neſcientes adhuc ſuper hoc conſilium Domini, & quod Herodes pararet ſe ad necem pueri Jeſu, Angelus Domini apparuit Joſeph in ſomnis, dicens ei, ut cum puero & matre fugeret in Ægyptum: quia Herodes volebat animam pueri perdere. (*Matt.* 2) B Joſeph vero evigilans, & excitans matrem dixit ei. Ipſa incontinenti ſurgens, nulla mora contracta voluit iter arripere: concuſſa enim ſunt ad hanc vocem viſcera eius, & circa filii ſui ſalutem nolebat negligens inveniri. Ergo de nocte incontinenti cœperunt ire verſus partes Ægypti. Conſpice & meditare prædicta, & infraſcripta & quomodo puerum Jeſum dormientem elevant, & compatere ipſis, & attende hic diligenter, quia multa & bona conſiderare potes in præſenti negotio. Primo conſidera quemadmodum Dominus in ſua C perſona ſuſcepit aliquando proſpera aliquando adverſa. Et cum ſimile tibi contigerit, non ſis impatiens: nam juxta montem invenies vallem. Ecce enim in nativitate ſua Chriſtus magnificatus fuit paſtoribus tamquam Deus: & poſt partum parum, circumciſus fuit tamquam peccator: deinde venientes Magi eum plurimum honoraverunt, & nihilominus ipſe in ſtabulo remanens ſtabat inter beſtias, & plorabat, ut cujuſdam homunculi filius. Poſtea præſentatus erat in templo, quem multum extulerunt Simeon, & Anna, & nunc ab Angelo dicitur, quod fugiat in Ægyptum. Et de multis aliis poteris in vita ſua perpendere, quæ ad noſtram inſtructionem poſſumus retorquere: Cum ergo con-

Digitized by Google

conſolationem habueris, tribulationem expecta, & econtra. Unde in eas nec extolli, nec frangi debemus. Dat enim Dominus conſolationes ad ſpem ſublevandam, ne deviemus: & tribulationem ad humilitatem conſervandam, ut cognoſcentes miſeriam noſtram, ſemper in ſuo ſtemus timore. Ad noſtram ergo inſtructionem hæc feciſſe meditemur, & etiam ut ſe diabolo occultaret.

Secundo conſidera circa Dei beneficia & conſolationes, quod qui ea percipit, non debet ſe præferre non percipienti: & qui non percipit non deiiciatur animo, nec habenti invideat. Hoc dico, quia Angelorum locutiones fiebant Joſeph, & non matri, cum tamen longe ea eſſet inferior. Item & qui percipit, licet non percipiat ſuo velle, non debet eſſe ingratus, nec murmurare, cum etiam Joſeph, qui tantus erat apud Deum, non palam, ſed in ſomnis tales allocutiones percepit.

Tertio conſidera, quo modo Dominus permittit, ſuos perſecutionibus & tribulationibus vexari. Tunc enim magna erat tribulatio matri & Joſeph, cum viderent puerum ad occiſionem quæri. Quid enim gravius audire poterant? Et erat eis in hoc tribulatio magna: quia licet ſcirent eum filium Dei eſſe, tamen poterat ſenſualitas eorum turbari, & dicere: Dominus Deus omnipotens quid opus eſt, quod iſte tuus filius fugiat? Non potes hic eum defendere? Et etiam in hoc erat tribulatio, quod in terram longinquam oportebat eos ire, quam ignorabant, & per vias aſperas, cum eſſent inhabiles ad eundum, Domina propter juventutem, Joſeph vero propter ſenectutem: ipſe etiam puer quem portare habebant, vix erat duorum menſium, & peregrinari habebant in terra aliena, & pauperes quaſi nihil habentes. Omnia enim iſta ſunt afflictionis materia. Tu ergo cum tribularis patientiam habe, nec credas tibi ab eo privilegium dari, quod nec ſibi tribuit, nec matri.

Quarto conſidera benignitatem.

A Vides enim quomodo, & quam cito perſecutionem patitur, & fugam de terra nativitatis ſuæ, & tam benigne cedit furori illius, quem poterat perdere in momento. Profunda eſt hæc humilitas, & patientia magna. Nolebat enim ſibi vicem reddere, nec offendere, ſed fugiendo inſidias eius vitare: ſic & nos facere tenemur obiurgantibus, ſcilicet vel reprehendentibus, vel perſequentibus non reſiſtere, vel de ipſis vindictam expetere, ſed patienter eos portare, & ipſorum furori cedere, & quod plus eſt, pro eis orare, ut alibi Dominus in Evangelio docet. Fugiebat ergo Dominus ante faciem *Matth. 2* B ſervi, immo potius ſervi diaboli. Portabat eum mater tenera & iuvenis valde, & Sanctus Joſeph multum ſenex in Ægyptum per viam ſilveſtrem, obſcuram, nemoroſam, aſperam & inhabitatam, per viam etiam valde longam. Dicitur, quod ad iter curſoris ſunt duodecim, vel quindecim diætæ: pro eis autem fuit forte iter duorum menſium, & plurium. Iverunt enim, ut dicitur per deſertum illud, per quod tranſierunt filii Iſrael in quo ſteterunt quadraginta annis. Sed quo modo faciebant de victu ſecum portando? Ubi etiam, & quo modo de nocte quieſcebant, & hoſpitabantur? C raro enim domos in illo deſerto inveniebant. Compatere ergo eis, quia labor difficilis, & magnus, & longus eſt tam ipſis quam puero Jeſu, & vade cum eis & adiuva puerum portare, & ſervias in omnibus, in quibus potes, non deberet videri nobis labor pro nobiſipſis pœnitentiam agere, quo quibus tantus labor ab aliis, & a talibus, & toties eſt aſſumptus: De his autem quæ ipſis in deſerto & per viam contigerunt, quia pauca authentica inveniuntur, referre non curo. Cum ergo Ægyptum intraverunt, omnia idola ipſius provinciæ corruerunt, ſicut per Iſaiam fuit prophetatum. *Iſa. 19* Iverunt ergo ad quamdam civitatem, quæ vocatur Heliopolis, & ibidem aliquam do-

Digitized by Google

domunculam conducentes, habitaverunt ibidem per ſeptem annos tamquam peregrini & advenæ, pauperes & egeni.

Meditatio pia & pulchra.

Sed hic occurrit pulchra, pia & compaſſiva valde meditatio. Advertas bene quæ ſequuntur. Unde enim & quo modo vivebant iſti tanto tempore? Numquid mendicabant? Legitur autem de Domina, quod colo, & acu quærebat ſibi & filio neceſſaria: ſuebat ergo & filabat mundi Domina, paupertatis amatrix. Multum per omnem modum iſti paupertatem dilexerunt, & eidem perfecte uſque ad mortem ſervaverunt fidem. Sed numquid ibat ipſa per domos petendo pannum, & alia in quibus operaretur? Oportuit enim hoc per viciniam innoteſcere, alias vacaſſet a talibus operibus, quia illæ mulieres non poterant divinare. Sed & cum Jeſus cœpit eſſe quinquennis, vel ſic, numquid & ipſe portabat ambaſiatas matris, petendo pro ipſa, ea in quibus operari valeret? non enim habebat alium ſcutiferum. Sed & numquid reportabat opera facta, petens ex parte matris ſolutionem & pretium? Nonne in talibus erubeſcebat puer Jeſus, filius Dei altiſſimi, & etiam mater ipſum mittens? Sed quid ſi aliquoties dum opus reddidiſſet, & pretium peteret, mulier aliqua ſuperba, rixoſa, & loquax, injurioſe reſpondit, opus factum accepit, eum ſine pretio expulit, & ſic vacuus domum rediit? O quot & quantæ ſiunt injuriæ advenis: quas Dominus vitare non venit, ſed ſuſcipere. Quid etiam ſi aliquando domum rediens, & famem patiens more puerorum, petiit panem, nec unde daret, habuit mater? Nonne in his & ſimilibus totaliter concutiebantur viſcera ſua? Conſolabatur verbis filium ſuum, & opere ut poterat, procurabat, & ſibi forte aliquando ſubtrahebat de victu, ut filio reſervaret. Hæc & his ſimilia de puero Jeſu meditari potes, dedi tibi occaſionem. Tu vero ſicut videbitur extendas & proſequaris, ſiſque parvula cum parvulo

A Jeſu, nec parvipendas talia humilia, & quæ puerilia videntur, meditari de ipſo. Videntur enim dare devotionem, augere amorem, accendere fervorem, inducere compaſſionem, puritatem & ſimplicitatem conferre, & humilitatis, & paupertatis vigorem nutrire, & conſervare familiaritatem, & conformitatem facere, ac ſpem elevare. Nam ad ſublimia aſcendere non valemus, ſed quod ſtultum Dei eſt, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum, potentius. Videtur etiam talium meditatio ſuperbiam tollere, cupiditatem enervare, ac curioſitatem confundere. Vides quot bona inde proveniunt? Sis ergo, ut

Quantum ſint utiles contemplationes.

1 Cor. 1

B dixi, cum parvulo parvula, & cum grandeſcente grandeſcas, ſemper tamen humilitate conſervata: & ſequaris eum, quocumque ierit, & intuearis faciem ejus ſemper. Sed numquid in ſuperioribus attendiſti, quam laborioſa fuerit eorum paupertas, & quam verecunda? Et ſi ex opere manuum victum quærere oportebat, quid de veſtimentis dicemus? quid de utenſilibus, ſcilicet lectis, & aliis intra domum opportunis? Numquid duplicia habebant? numquid ſuperflua? numquid curioſa? Hæc contra paupertatem ſunt, & ideo etiam ſi habere poſſet, nollet ea paupertatis amatrix. Sed & numquid Domina

C ſuendo, vel alias operando, faciebat amore quorumdam opera curioſa? Abſit. Faciant hæc quæ tempus perdere non curant: Non enim poterat ipſa in tanta poſita egeſtate, tempus in vanis expendere, ſed nec alias feciſſet. Eſt enim perieuloſiſſimum vitium, & maxime temporibus noſtris. Vis videre quo modo? Attende primo quo modo tempus ad laudem Domini conceſſum, expenditur contra ipſum in vanis, multum enim plus de tempore occupat quam expediat curioſum opus, & hoc malum eſt valde. Secundo quia facienti eſt cauſa vanæ gloriæ. O quoties aſpicit, recogitat & mente revolvit, etiam quando non operatur, & etiam quando debet divinis intendere, ut pulchrum

Curioſitatis mala.

chrum

chrum opus faciat, & exinde ſe reputat, & vult reputari. Tertio quia ei, cui facit, eſt cauſa ſuperbiæ, tali enim oleo ignis ſuperbiæ nutritur, & magis accenditur. Sicut enim rudia & groſſa ſunt humilitatis fomenta, ſic iſta ſuperbiæ. Quarto, quia eſt materia retrahendi animam a Deo, nam, juxta beatum Gregorium tanto quis a ſuperno amore diſiungitur, quanto inferius delectatur. *Greg. hom. 30 in Ev. ante med.* Quinto quia eſt concupiſcentia oculorum, de tribus unum, ad quæ omnia peccato de mundo reducuntur: ad nihilum enim talia curioſa valent, niſi ut exinde oculi vane paſcantur. Quoties autem quis in talibus delectabiliter & vane oculos paſcit, tam qui facit quam qui portat & utitur, toties offendit. Sexto, quia multorum aliorum eſt laqueus & ruina, nam talia reſpicientes, multis modis offendere poſſunt, vel malum exemplum habendo, vel delectabiliter aſpiciendo, vel ſimile concupiſcendo, vel judicando, vel murmurando, vel detrahendo. Cogita ergo quoties Deus offendi poteſt, antequam illa curioſitas ſit deleta: de omnibus autem illis ipſe, qui tale opus facit, eſt cauſa. Unde etiam ſi tibi dicerem, quod talia pro me faceres, vel certiſſime ſcires me talibus uti velle, tu facere non deberes: quia nulla de cauſa peccato conſentiendum eſt, & ab offenſa Dei eſt omnibus modis abſtinendum. Quanto ergo magis offendis, ſi tuo motu ad ſolam complacentiam facis, volens magis placere creaturæ, quam Creatori? Hæc igitur faciunt, qui ſæculariter vivunt, talia enim ſunt ornamenta mundi, blaſphemia Dei. Sed qui in puritate conſcientiæ vivere intendit, miror quo modo hæc facere audet, & ſe hac fæce fœdare. Vides quot mala ex tali curioſitate proveniunt. Adhuc eſt aliud malum & peius, ſcilicet, quod curioſitas directe obviat paupertati. Et ultra omnia prædicta eſt etiam hoc, quod levis, & vani, & inconſtantis animi eſt indicium. Hæc autem omnia de curio-

A ſitate dixi, ut tu curioſa divites. Ab ipſis igitur tam faciendis, quam utendis, tamquam a venenoſo ſerpente omnino abſtinere curato: non tamen intelligi debet, quin aliquando liceat facere opera pulchra, & potiſſime in his, quæ divino cultui mancipantur, in quibus tamen omnino ordinata affectio, intentio, & delectatio ſummopere cavenda eſt, & ab animo ſolicite longius propellenda. De hac autem curioſitate ſic dicit Bernardus: Spectacula vana, rogo, quid corpori præſtant? quidve animæ conferre videntur? *Ber. ſer. de conv. ad cler. c. 12* Nam certe nihil in homine, cui curioſitas proſit invenies. Frivola prorſus & inanis, ac nugatoria B conſolatio: & neſcio quid illi durius imprecer, niſi ut ſemper habeat quod requirat, qui iucundæ quietis pacem fugitans, curioſa inquietudine delectatur.

Sed redeamus ad Dominam in Ægyptum, a qua digreſſionem fecimus propter maledictum curioſitatis vitium & conſpice ipſam in laboribus ſuis, ſuendo, filando, & extendo quo modo facit ea fideliter, humiliter, & ſolicite: habens nihilominus diligentiſſimam curam ſuper filio ſuo, & ſuper gubernationem domus, nec non vigiliis, & orationibus, juxta poſſe eſt ſemper intenta. Tu ergo toto affectu eidem compatere, & conſidera, quod non habuit C omnino gratis regnum Domina regni. Sed & illud forte contingebat frequenter, quod aliquæ bonæ matronæ videntes eius paupertatem, aliqua tranſmittebant eidem, quæ humiliter & cum gratiarum actione recipiebat. Sed & Sanctus Joſeph ſenex aliquid operabatur in arte lignaminis. Undique igitur occurrit compaſſionis materia, cum qua tandem cum aliquam moram cum ea contraxeris, pete licentiam recedendi, & benedictione recepta primo a puero Jeſu, deinde a matre, poſtea a Joſeph genibus flexis, cum lacrymis, & compaſſione magna, vale facias eis: quia tamquam exbanniti, & exules a patria ſua ſine aliqua cauſa remanent, ad peregrinandum ibidem per ſep-

ptem annos, in ſudore ſui vultus vi-ĉturi.

CAPUT XIII.

De Reditu Domini ex Ægypto.

Matth. 2. COmpletis ſeptem annis, quibus Deus peregrinatus eſt in Ægypto, Angelus Domini apparuit Joſeph in ſomnis dicens: Tolle puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael. Defuncti enim ſunt, qui quærebant animam pueri. Qui accepit puerum & matrem ejus, & rediit in terram Iſrael. Et cum pervenit ibi, audiens, quod Archelaus filius Herodis, regnaret ibi timuit illo ire. Et iterum admonitus ab Angelo, ivit in Galilæam in civitatem Nazareth. Fuit autem reditus ejus circa feſtum Epiphaniæ, ſcilicet ſecunda die prout in martyrologio legitur.

Vides etiam hic, ſicut fuit tactum in ſuperiori tractatu, quo modo Dominus dat conſolationes, & revelationes per partes, & non ita plenas, ut appetitus expoſceret. Quod ex duobus in hoc facto perpendere potes, tum quia in ſomnis non palam, ut tibi dixi: tum etiam quia non una vice ſimul, ſed per duas vices, ei dixit ad quem locum ire deberet. Et dicit Gloſſa, quod hoc fecit Dominus, quia ex frequenti viſitatione quis certior redditur. Unde qualeſcumque ſunt, nobis debent videri magnæ: & inde ſimus grati, quia ſemper ex parte ſua facit, quod nobis utilius eſſe cognoſcit.

Nunc autem circa Domini reditum inſiſtamus. Circa quem diligenter attende, quia pia eſt hæc meditatio valde. Redeas ergo in Ægyptum, gratia viſitandi puerum Jeſum, quem cum extra inter pueros forte inveneris, ipſe te videns occurret tibi: quia benignus & affabilis, & curialis eſt. Tu vero genuflectens, oſculeris pedes ejus, & poſt inter brachia ipſum ſuſcipias, & aliquantulum cum eo quieſcas. Tandem forte dicet ti- A bi: Data eſt nobis licentia redeundi in terram noſtram, & cras hinc recedere debemus. Bona hora veniſti, quia redibis nobiſcum. Cui alacriter reſpondeas, te ex hoc multum gaudere, & quod eum optas ſequi quocumque ierit, & in his collocutionibus delecteris cum eo. Dixi jam tibi, quod hujuſmodi quæ puerilia videntur meditari, multum valent, & poſtea ad majora transmittunt. Poſtea ducet te ad matrem, & curialiter honorabit. Tu vero genuflectens, fac ei reverentiam, & Sancto ſeni Joſeph, & requieſcas cum eis.

Mane ſequenti die videbis aliquas bonas matronas de civitate, & eti- B am homines venientes ad ſectandum eos uſque extra portam civitatis, propter placabilem, & ſanctam converſationem ipſorum. Prædixerant enim diſceſſum ſuum per viciniam per plures dies. Primum quia non eſt conveniens, quod ſubito quaſi furtim inde recederent: ſecus tamen fuit, quando venerunt in Ægyptum, quia timuerunt mortem pueri. Incipiunt enim recedere, & Joſeph cum hominibus præcedit, & Domina ſequitur a longe cum matronis. Tu vero accipiens puerum per manum, vade in medio ante matrem, nam ipſum poſt ſe non dimittet. Cum autem ſunt extra portam, Joſeph non C ſe patitur amplius ſociari. Tunc vero aliquis ex illis dives compatiens paupertati eorum, puerum vocat ut aliquos ei denarios tribuat pro expenſis. Verecundatur puer accipere, tamen paupertatis amore manum parat, pecuniam accipit verecunde, & gratias agit: ſic & plures fecerunt. Vocatur etiam a matronis & ſimiliter faciunt. Nec minus hic mater verecundatur quam filius, verum tamen humiliter gratias eis egit. Vere hic eis compati potes, cum ille cujus eſt terra & plenitudo eius, pro ſe & matre & nutritio ſuo ſic paupertatem arctam elegerit, & in tanta penuria vixit. Multum in eis relucet paupertas ſanctiſſima, & nobis amabilem & imitabilem oſtendunt. Diſceſſus B. Mariæ Virg. ex Ægypto.

Tan-

Tandem gratias agentes eis, valeſa- A ciunt omnibus, & ſuum arripiunt iter. Sed quo modo redibit puer Jeſus, adhuc tener infantulus? Difficilior enim mihi videtur reditus quam acceſſus. Nam quando venit in Ægyptum ita parvulus erat, quod portari poterat: nunc autem ſic magnus eſt quod portari non prævalet, & ſic parvus quod per ſe ire non poteſt. Sed forte aliquis ex illis bonis viris dedit vel accomodavit aliquem aſellum, ſuper quem ire poſſet. O puer egregie ac delicate, rex cœli & terræ quantum laboraſti pro nobis, & quam cito cœpiſti! Bene Propheta in veſtra prædixit perſona: Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea. *Pſalm. 87* B Penurias magnas, labores arduos, & afflictiones corporis conſtantiſſime aſſumpſiſtis, habuiſtis vos ipſos quaſi odio pro amore noſtro. Certe ſolus hic labor, de quo nunc tractamus, ad plenam redemptionem ſufficere debuiſſet. Accipe ergo puerum Jeſum, & pone ſuper aſellum, ac fideliter ducas eum, & cum deſcendere voluerit, lætanter eum in brachiis ſuſcipias, & aliquantulum teneas, ſaltem quouſque veniat mater eius, quæ aliquantulum tardius ſive planius ambulat. Tunc puer ibit ad eam, eritque matri requies magna receptio filii. Vadunt ergo & tranſeunt per deſertum, per quod venerunt, & in ipſo itinere ſæpe poteris C eis compati, habentes parum quietis. Et reſpice eos fatigatos, & ex labore devictos, tam de die quam de nocte. Cum autem fuerunt prope finem deſerti, invenerunt Joannem Baptiſtam, qui jam ibi pœnitentiam agere cœperat, cum tamen nullum haberet peccatum. Dicitur, quod locus Jordanis, in quo Joannes baptizavit, eſt ille unde tranſierunt filii Iſrael, quando venerunt de Ægypto per dictum deſertum, & quod prope illum locum in ipſo deſerto Joannes pœnitentiam fecit. Unde poſſibile eſt, quod puer Jeſus inde tranſiens, in reditu ſuo invenit eum ibidem. Mediteris ergo, quo modo ſuſcepit eos alacriter, & ibi aliquantulum ſubſiſtentes, comederunt cum eo illa cruda cibaria, tandem immenſa recreatione ſpiritus habita, vale fecerunt ei. Tu autem & in adventu & in receſſu genu flecte Joanni deoſculans pedes ejus, benedictionem petens, & ei te recommendans, excellens enim & valde mirabilis a cunabulis eſt puer iſte. Ipſe enim fuit primus eremita, & principium & via religioſe vivere volentium. Fuit ergo puriſſimus, fuit prædicator permaximus, fuit plus quam propheta, fuit etiam martyr glorioſus. Poſtea tranſeuntes Jordanem, appulerunt ad domum Eliſabeth, ubi magnum & jucundum feſtum factum fuit inter eos. Et ibidem audiens Joſeph, quod Archelaus filius Herodis regnabat in Judæa, timuit, & admonitus in ſomnis ab Angelo, iverunt in Galilæam in civitatem Nazareth.

Joannis Baptiſtæ laus.

Ecce reduximus puerum Jeſum de Ægypto, & eo reverſo concurrunt ſorores Dominæ, & alii conſanguinei & amici ad viſitandos eos. Ipſi autem in Nazareth quieſcunt, & pauperem vitam ducunt. Exinde autem uſque ad duodecimum ætatis annum pueri Jeſu, aliquid non legitur de ipſo. Dicitur tamen & veriſimile eſt, quod adhuc ibi eſt fons, de quo puer Jeſus deferebat aquam matri. Faciebat enim hujuſmodi ſervitia matri humilis Dominus: non enim habebat alium ſervientem. Potes etiam hic meditari, quod cum matre propria, ſc. ſorore Dominæ veniebat Joannes Evangeliſta, qui tunc erat annorum quinque. Nam legitur de ipſo, quod obiit anno a paſſione Domini ſexageſimoſeptimo, ætatis vero ſuæ anno nonageſimooctavo: & ſic tempore paſſionis Domini habebat triginta & unum annos, cum Dominus haberet triginta tres, vel parum plus. Cum ergo in hoc reditu Dominus eſſet ſeptem annorum, Joannes erat quinque. Intuere itaque ipſos ſtantes ſimul & converſantes, ſicut Dominus dabit tibi. Hic enim fuit poſtea ille diſcipulus, quem familiarius diligebat Jeſus.

Quid fecerit puer Jeſus, uſque ad duodecimum annum.

CAPUT XIV.

Quomodo Puer Jeſus remanſit in Hieruſalem.

Luc. 2

CUm autem eſſet annorum duodecim, aſcendit cum parentibus in Hieruſalem, ſecundum conſuetudinem & præceptum diei feſti, & durabat per dies octo. Laborabat ergo etiam nunc puer Jeſus itineribus longis, & vadit, ut honoret patrem ſuum cæleſtem in feſtis ſuis. Eſt enim amor ſummus inter patrem & filium. Sed major erat ei afflictio, & dolor cordis acerbior, de inhonoratione patris in peccatorum multiplicium commiſſione, quam de honore parentis, & exterioris pompæ feſti lætitia. Stabat ergo Dominus legis, obſervans legem, & inter alios converſans humiliter quaſi quilibet alius pauperculus. Conſummatis autem diebus feſtis, recedentibus parentibus, ipſe in Hieruſalem remanſit. Attende hic bene, & omnibus quæ dicuntur & fiunt, te præſentem exhibeas: valde enim devota materia & proficua eſt hæc. Dixit autem jam ibi ſupra in principio, quod Nazareth, ubi Dominus habitabat, a Hieruſalem diſtat quatuordecim, vel quindecim milliaribus, vel circa: Cum ergo mater & Joſeph per diverſas vias incedentes, venerunt in ſero ad locum, ubi Diæta explebatur, & ubi hoſpitari deberent. Videns Domina Joſeph ſine puero, quem cum ipſo rediiſſe credebat, quærit ab eo: Ubi eſt puer? Et iſte: Ego neſcio, non rediit mecum; tecum enim eum rediiſſe credebam. Tunc illa dolore vehementi concuſſa, cum lacrymis dixit: Non rediit mecum. Video quod non bene filium meum cuſtodivi, & velociter cœpit ire per domos, & quam decenter potuit, illo ſero circuibat, quærens de ipſo, & dicens: Vidiſtis vos filium meum? & vos vidiſtis ne filium meum? & vix præ dolore & ardore deſiderii ſe ſentiebat.

Supra hoc opuſc. c. 6

Quam magnus fuerit dolor Mariæ, & Joſeph, pro puero Jeſu amiſſo.

A Joſeph vero ſequebatur eamdem cum fletu. Quo non invento qualem quietem habere poterant, tu ipſe cogita, & maxime mater, quæ ipſum arctius diligebat. Et licet a notis confortaretur, non tamen poterat conſolari. Quid enim erat perdere Jeſum? Conſpice bene ipſam & vehementer compatere, quia in anguſtia eſt anima ſua: numquam ex quo nata fuit uſque tunc, fuit in tanta. Non ergo turbemur, quando tribulationes habemus, cum etiam matri non pepercit Dominus. Ad ſuos enim eas permittit venire, & ſigna ſunt ſuæ dilectionis, nobis autem expedit eas habere. Tandem Domina in B camera ſe recludens, ad orationem & planctum ſe convertit, dicens: O Deus & pater æterne, clementiſſime ac benigniſſime, vobis placuit mihi dare filium veſtrum: ſed ecce perdidi eum, & neſcio ubi ſit, reddite eum mihi. O Pater tollite mihi amaritudinem iſtam, & oſtendite mihi filium meum. Reſpicite pater afflictionem cordis mei, & non ad negligentiam meam: incaute enim me habui, ſed ignorans feci. Sed propter bonitatem veſtram reddite ipſum mihi, quia ſine ipſo vivere non poſſum. O fili dilectiſſime ubi es? quid eſt de te? apud quem nunc hoſpitaris? Numquid ad patrem tuum C rediiſti in cœlum? Scio enim quod Deus es, & Dei filius: ſed quomodo mihi non dixiſſes? ſed & numquid inſidioſe ab aliquo es quæſitus? Scio enim quod verus homo es ex me natus, & alias te ab Herode quæſitum, in Ægyptum portavi. Pater tuus te ab omni malo cuſtodiat fili mi. Indica mihi fili mi ubi ſis, & veniam ad te, vel tu redi ad me; parce mihi hac vice, quia numquam amplius continget mihi, ut te cuſtodiam negligenter. Numquid aliquam offenſam feci tibi fili mi? propter quam ergo cauſam receſſiſti a me? Scio quod dolorem cordis mei cognoſcis. O fili mi, ne tardes venire ad me. Numquam ex quo natus es uſque modo ſine te fui,

Digitized by Google

fui, comedi, vel dormivi, niſi nunc ſolum. Modo autem ſum ſine te, & neſcio qualiter hoc factum ſit: tu ſcis quia tu es ſpes mea, vita mea, & omne bonum meum, & ſine te eſſe non poſſum. Indica ergo mihi ubi tu es, & quomodo te valeam invenire. Talibus & ſimilibus dictis, ſe mater per noctem anguſtiabat ſuper dilecto filio ſuo. Mane vero ſequenti die tempeſtive domum exeuntes, quærebant eum etiam per circumſtantia loca: nam per plures vias patebat reditus. Sicut qui de Senis vellet redire Piſas, poſſet ire per Podium Bonichi, & per Colle, & per alia loca. Die ergo ſequenti ibant per alias vias, quærentes eum inter cognatos & notos: quo etiam tunc non invento, mater quaſi ſine ſpe anxiabatur, & non poterat conſolari. Tertia vero die redeuntes in Hieruſalem, invenerunt eum in templo ſedentem in medio Doctorum. Tunc ipſa videns eum exhilarata, quaſi reviviſcens genuflexit, & cum lacrymis Deo gratias egit. Puer autem Jeſus videns matrem, venit ad eam, quem ipſa inter brachia ſuſcipiens, & ſtringens, & oſculans dulciter, ponit vultum ad vultum, & tenens eum in gremio ſuo aliquantulum cum eo ſic requievit: neque enim tunc aliquid præ teneritudine dicere potuiſſet. Poſtea reſpiciens eum, dicit: Fili, quid feciſti nobis ſic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et ille, quare me quærebatis? in his enim, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe, quod verbum illi non intellexerunt. Dicit ergo ei mater: Fili, volo quod redeamus ad domum noſtram, non vis redire nobiſcum? Et ille, ego faciam quod placuerit vobis, & rediit cum illis Nazareth.

Vidiſti ergo afflictionem matris in prædicto negotio. Sed quid fecit prædictus Puer in iſto triduo? Conſpice etiam eum attente, quomodo ſe reducit ad aliquod hoſpitale pauperum, & cum verecundia petit ſe hoſpitari, & ibidem comedit, & hoſpitabatur cum pauperibus Jeſus pauper. Conſpice eum ſedentem inter Doctores vultu placido, ſapienti, & reverenti, & audiebat, & interrogabat eos quaſi ignorans, quod ex humilitate faciebat, & etiam ne illi verecundarentur ſuper mirabilibus reſponſis ejus.

Conſiderare autem potes in prædictis tria valde notabilia. Primum, quia qui Deo vult adhærere, non debet inter conſanguineos converſari, ſed ab eis diſcedere. Nam & puer Jeſus a ſe dimiſit dilectiſſimam matrem cum operibus patris ſui intendere voluit: & etiam poſtea quæſitus, inter cognatos & notos inventus non fuit. Secundum quod qui ſpiritualiter vivit non miretur, ſi aliquando mente arida remanens, videtur ſibi ſe eſſe derelictum a Deo: cum etiam matri Dei hoc contigerit. Non ergo mente tabeſcat, ſed diligenter eum quærat in ſacris meditationibus & bonis operibus perſiſtendo, & reinveniet eum. Tertium, quod non debet quis eſſe proprii ſenſus, vel propriæ voluntatis. Nam cum Dominus Jeſus dixiſſet, quod oportebat eum operibus patris intendere, mutavit conſilium, & matris voluntatem ſecutus eſt, & receſſit cum ea & nutritio ſuo, & erat ſubditus illis. In quo etiam admirari potes humilitatem ipſius, de qua plenius infra proxime dicemus. Tria notatu digna.

CAPUT XV.

Quid Dominus fecit a duodecimo anno uſque ad triceſimum.

Reverſus ergo Dominus Jeſus a templo, & Hieruſalem, cum parentibus ſuis in civitatem Nazareth, erat ſubditus illis, & habitavit ibidem cum eis, ab inde uſque principium triceſimi anni. Nec in ſcripturis reperitur, quod in toto iſto tempore aliquid fecerit: quod mirabile videtur valde. Quid ergo mirabimur, & imaginabimur ipſum feciſſe? Stetitne Dominus Jeſus otioſus tanto tempore, ut nihil faceret dignum recitatione, *Luc. 2.*

tione, & ſcriptura? Si enim feciſſet, cur non fuiſſet ſcriptum, ſicut reliqua facta ſua? Omnino ſtupor videtur. Sed attende hic bene, quia patenter videre poteris, quod nihil faciendo fecit magnifica. Nihil enim de factis ejus a myſterio vacat. Sed ſicut virtuoſe operabatur, ſic virtuoſe tacebat, quieſcebat, & ſe ſubtrahebat. Magiſter ergo ſummus aliquando docturus virtutes & viam vitæ, cœpit a ſua juventute opera facere virtuoſa, ſed modo mirabili, & incognito, ac retroactis temporibus inaudito: ſe videlicet reddendo in conſpectu hominum inutilem, & abjectum, & inſipientem, ut devote & ſine omni temeraria aſſertione cogitari poteſt. Nulla tamen in hac meditatione tibi affirmo, quæ per auctoritatem ſacræ ſcripturæ, vel doctorum ſacrorum non probantur, ut etiam in principio tibi dixi. Subtrahebat ergo ſe a conſortio, & converſatione hominum. Ibat ad Synagogam, id eſt Eccleſiam. Stabat multum ibi in oratione in loco viliori ſe ponens. Redibat domum: ſtabat cum matre, & aliquando ſuum nutritium adjuvabat. Pertranſibat eundo, & redeundo inter homines, ac ſi non videret homines. Mirabantur cuncti, cernentes juvenem tam ſpecioſum nihil facere, quod apparebat laude dignum. Expectabant enim quod magnifica faceret, & opera probi viri. Cum enim puer erat, proficiebat ætate & ſapientia coram Deo, & hominibus: *Ibid.* ſed creſcens & perveniens a duodecimo anno uſque ad trigeſimum & ultra, nulla opera faciebat prætendentia ſpeciem aliquam probitatis, & virilitatis: ſtupebant vehementer, & deridebant eum, dicentes: Iſte eſt quidam inutilis, ipſe eſt idiota, & homo de nihilo, & ſtultus & inſipiens. Nec etiam litteras diſcit, & inter gentes in proverbium venit, quod erat grandis, & captivus. Et hunc vivendi morem ſic tenaciter tenebat, & continuabat, quod apud omnes communiter erat vilis, & abjectus reputabatur. Quod bene *Pſal. 21* A ante per Prophetam dictum fuit in perſona ejus: Ego ſum vermis & non homo, &c.

Vides ergo quid faciebat nihil faciendo: reddebat ſe vilem & abjectum, ut dixi, omnibus. Sed an hoc tibi parum videtur? Ipſe quidem non indigebat, ſed ego. Certe in operibus noſtris nullum majus reputo, nec difficilius cognoſco. Ad altiſſimum gradum mihi perveniſſe videtur, qui ad hoc pervenit, ut ex corde, & animo vero non ficto, ita ſe vincit ac dominatur animo ſuo, ac ſuperbo ſupercilio carnis ſuæ, quod nolit aliquid reputari, ſed ſperni, ut abjectus & vilis. Majus eſt hoc, B quam vincere urbes, juxta ſententiam Salomonis, dicentis: Melior eſt patiens viro forti: qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Uſque ergo quod pervenias ad hunc gradum, nihil tibi videaris feciſſe. Nam cum in veritate omnes ſimus inutiles, etiam cum omnia bene fecerimus, juxta verbum Domini: quouſque in hoc abjectionis gradu non ſumus, adhuc in veritate non ſumus, ſed in vanitate conſiſtimus, & ambulamus. Quod etiam Apoſtolus manifeſte oſtendit, dicens: Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Si ergo quæras, quare Dominus Jeſus hoc faciebat? Reſpondeo tibi, non quia indigeret, ſed ut C nos inſtrueret. Unde ſi non diſcimus, inexcuſabiles ſumus. Abominabile prorſus eſt, ſi ſe erigit vermiculus, & vermium eſca futurus, ubi ſic ſe humilians abjecit Dominus majeſtatis.

In operibus humanis quid majus, & difficilius.

Prov. 16

Luc. 17

Gal. 6

Si autem abſurdum alicui videtur, quod ſic inutiliter ſtaret, & quod Evangeliſtæ multa omiſerunt, & ſimilia dicat: reſponderi poteſt, quod non erat inutile tantæ virtutis exemplum præbere & facere, immo erat utiliſſimum, & omnium virtutum rectum ac ſtabile fundamentum. Sed ex verbis ipſius in Evangelio Joannis ſic habemus: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a patre ſpiritum veritatis, qui a patre procedit, ille teſtimonium perhibebit *Joan. 15*

Digitized by Google

bit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis, ſcilicet prædicatores. Et Petrus in electione Sancti Matthæi Apoſtoli dicit: *Act. 4* Oportet ex his viris, &c. quo intravit inter nos Dominus Jeſus, incipiens a baptiſmate Joannis, &c. *Luc. 3* Tunc autem erat incipiens quaſi annorum triginta, ſed nec ipſe Joannes ejus præcurſor fuiſſet, ſi Dominus Jeſus prius eos prædicare cœpiſſet. Item ſi prius incœpiſſet, quomodo non fuiſſet notus in tot annis a vicinis, qui dicebant: *Matt. 13* Nonne hic eſt fabri filius? cum poſtea in parvo tempore filius David vocaretur etiam a ſociis? Si ergo citius incœpiſſet, vel aliqua notabilia feciſſet, ſcripta eſſent, vel ſaltem aliqua ex eis, nec ſic ex toto omnes Evangeliſtæ tacuiſſent. Hoc autem quod dico, videtur ipſe Bernardus ſentire, ut habebis in proximo tractatu, in ultima auctoritate. Quocumque ſe habeat veritas, ego ſic meditari pium valde puto. Fabricabat ergo Dominus Jeſus ſic faciendo gladium humilitatis, ut per prophetam fuerat dictum ei: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. *Pſal. 44* Nullo quippe decentius gladio, quam humilitatis, decebat ſuperbum adverſarium jugulare. Nam gladio ſuæ magnitudinis non legimus quod fuerit uſus, ſed potius contrarium pro illo tempore, quo maxime indiguiſſet, ſcilicet tempore paſſionis. Idem Propheta conqueſtus eſt *Pſal. 88* ad Deum patrem pro filio, dicens: Avertiſti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello. *Act. 1* Habes ergo quo modo Dominus Jeſus cœpit prius facere quam docere, dicturus enim erat: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. *Matt. 11* Hoc ergo primo facere voluit, & non ficte, ſed ex corde faciebat, ſicut vere & ex corde humilis erat & mitis. Non poterat in eum cadere ſimulatio, ſed potius intantum fundavit & profundavit ſe in humilitate, & vilitate, & abjectione, & ſic etiam ſe in conſpectu omnium annihilavit: quod etiam poſtquam prædicare incœpit, & loqui altiſſima & divina, & etiam vere miracula & magnifica opera, non reputabant eum, ſed vilipendebant, & deridebant, dicentes: Quis eſt hic? Nonne hic eſt fabri filius? *Matt. 13* & alia ſimilia deriſoria & deſpectiva. Verificatum ergo eſt ſecundum hunc intellectum, verbum Apoſtoli, dicentis: *Phil. 2* Exinanivit ſeipſum formam ſervi accipiens, & non ſolum cujuſque ſervi per incarnationem, ſed inutilis ſervi per humilem & abjectam conſervationem.

Humilitas in Chriſti actibus maxime elucet.

Vis ergo videre, quod potentiſſime hunc gladium ſibi accinxerit, conſidera ſingulos actus, ſemper in eis relucet humilitas. Vidiſti in ſuperioribus, reducas bene in memoriam. Habemus in ſequentibus etiam in multis, quod augmentatam uſque ad mortem fidem ei ſervavit, & etiam poſt mortem, nec non etiam poſt aſcenſionem. Nonne in fine lavit pedes diſcipulorum? Nonne humiliatus eſt, ultra quam dici poſſet, crucis patibulum ſuſtinendo? Nonne poſt reſurrectionem glorificatus, vocavit diſcipulos ſuos fratres? Vade, dicit Magdalenæ, & dic fratribus meis: *Joan. 20* Aſcendo ad Patrem meum, &c. Nonne etiam poſt aſcenſionem locutus eſt Paulo humiliter, quaſi ad comparem ſuum: Saule, Saule quid me perſequeris? *Act. 9* Nec ibi nominavit ſe Deum, ſed ipſum. Nonne & in ſede maieſtatis ſuæ conſiſtens, dicturus eſt in die judicii: Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis? *Matt. 25*

Humilitas cur tantopere a Chriſto amata.

Non ſine cauſa virtutem hanc tantum amavit. Sciebat enim ſicut omnis peccati ſuperbia, ſic fundamentum omnis boni & ſalutis humilitas. Sine hoc fundamento fruſtra fit ædificium. Unde nec de virginitate, nec de paupertate, nec de aliqua virtute, vel opere, ſine humilitate confidas. Hic ergo ipſam fabricavit, ideſt, oſtendit qualiter poſſit acquiri, ſcilicet per vilificationem & per abjectionem ſuiipſius in ſuo, & aliorum conſpectu, & per continuum exercitium humilium operum. Vade

Digitized by Google

ergo & tu fac ſimiliter, ſi humilitatem vis adipiſci. Oportet enim quod præcedat humiliatio, id eſt, ſui vilificatio, & exercitium vilium operum, & humilium. De quo ſic ait *Bern. ep. 87 ad Ogerium canonicum reg. verſ. fin.* Bernardus: Humilitas ad quam utique ducit humiliatio, totius eſt ſpiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam ſi non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem *Idem Ser. 34 ſuper Cant. ſententia prin.* provehi. Idem: Oportet humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora: ne dum ſupra ſe extollitur, cadat a ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minime obtinentur, propterea qui ſubvehendus eſt, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto ſignum illud in bonum, omnino argumentum eſt gratiæ appropinquan*Prov. 18*tis. Nam ſicut ante ruinam exaltatur cor, ita & ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum *Jac. 4* ſcilicet & ſuperbis reſiſtere, & humilibus dare gratiam. *Et poſt pauca*. At parum eſt, cum per ſeipſum nos humiliat Deus, ſi tunc libenter accipimus, niſi quando & per alium hoc facit, ſapiamus ſimiliter. Quamobrem accipe hujus rei mirabile documentum de Sancto David. Aliquando maledictum eſt ei etiam a ſervo: at ille nec cumulatam injuriam ſenſit, quia præſenſit gratiam. Quid mihi, *2 Reg. 16* ait, & vobis filii Sarviæ? O vere hominem ſecundum cor Dei, qui ſe ulciſcenti potius, quam exprobranti ſuccenſendum, vel iraſcendum putavit. Unde & ſecura conſcientia lo*Pſal. 7*quebatur: Si reddidi retribuentibus, &c. Et de hac virtute hæc ad præſens ſufficiant.

Et redeamus ad intuendos actus, & vitam Domini Jeſu ſpeculi noſtri, ſicut eſt principale noſtrum propoſitum. Igitur te omnibus præſentem exhibeas, ut ſæpius tibi dixi. Et con-A ſidera illam ſuper omnes alias benedictam familiam parvam, ſed valde excelſam paupertatem, & humilem vitam ducentem. Felix Joſeph ſenex quærebat, quod poterat de arte lignaminis. Domina vero acu, & colu pretio laborabat. Faciebat & alia domus obſequia, quæ multa ſunt, ut melius noſti, parabat victum ſponſo, & filio, & alia expedientia faciebat, non enim habebat ſervientem. Compatere ergo ſibi, quam ſic ſuis manibus laborare oportet: compatere etiam Domino Jeſu, quia ipſe eam adjuvabat, fideliter laborabat in his quæ poterat. Venit enim *Matt. 20* ut ipſe ait, miniſtrare, & non miniſtrari. Nonne ergo in ponenda menſula, cubilibus aptandis, & aliis ſecretioribus domus eam adjuvabat? B Intuere ergo eum bene humilia obſequia per domum facientem, nihilominus etiam Dominam intuere. Conſpice etiam, qualiter ipſi tres ſimul comedunt ad unam menſulam per ſingulos dies, non lautas & exquiſitas, ſed pauperes & ſobrias cœnas ſumentes, & qualiter poſtea colloquuntur, non inania & otioſa verba, ſed plena ſapientia, & Spiritu ſancto: nec minus mente reficiuntur quam corpore. Sed qualiter poſt aliqualem recreationem, ad orationem ſe convertunt in cubilibus ſuis: non enim erat eis domus ampla, ſed par-C va. Meditare etiam circa cubicula, ſcilicet unum pro quolibet eorum, & intuere Dominum Jeſum ſuper humum in ſero, poſt orationem ſe componere per ſingulas noctes tam longiſſimi temporis, ſic humiliter, ſic viliter: ut quicumque alius pauperculus de populo. Sic etiam perſeveranter quolibet ſero in hoc ſtatu deberes eum aſpicere. O Deus abſcondite! quare ſic affligebatis corpus iſtud innocentiſſimum? unius quippe noctis peregrinatio ſufficere debebat, ad totius mundi redemptionem. Amor ad *Luc. 15* hoc compellebat immenſus, vehementer zelabatis pro ove perdita, veſtris humeris ad cæleſtia paſcua reportanda. Vos Rex Regum & Deus æter-

æter-

Digitized by Google

æterne, qui omnium penuriam ſublevatis, omnia ſubminiſtratis omnibus abundanter, prout exigit cujuſque conditio. Vobis tantam paupertatem, utilitatem, & aſperitatem, vigilando, dormiendo, abſtinendo, comedendo, & aliis veſtris omnibus actibus per tam longa temporis ſpatia reſervaſtis? Ubi ergo ſunt quærentes ot incorporis, quærentes curioſa ornamenta & varia? Non didicimus in ſchola huius magiſtri, qui talia volumus. Sed & numquid ſapientiores eo ſumus? Ipſe nos docuit verbo & exemplo humilitatem, paupertatem, afflictionem corporis, & laborem. Sequamur ergo ſummum magiſtrum, qui nec fallere vult, nec falli poteſt. Et habentes, juxta do- *Timot. 6*
ctrinam Apoſtoli, victum & veſtitum, his contenti ſimus, ad congruentem neceſſitatem, non ſuperabundantiam. Aliis etiam virtutum exercitiis, & ſpirituali ſtudio, continue, indeſinenter, & vigilantiſſime inſiſtentes, &c.

CAPUT XVI.

De Baptiſmo Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Completis ergo vigintinovem annis ætatis ſuæ, quibus, ut dictum eſt, ſic pœnoſe vixerat & abjecte, dicit Dominus Jeſus matri: Tempus eſt ut vadam, & glorificem, & manifeſtem patrem meum, & oſtendam me mundo, & operer animarum ſalutem, pro qua me pater huc miſit. Conforteris ergo mater bona, quia cito redibo ad te, & genuflectens humilitatis magiſter petiit benedictionem. Ipſa vero ſimiliter genuflectens, & cum lacrymis eum amplexans, tenerrime dixit: Fili mi benedicte, vade cum benedictione patris tui, & mea, eſto memor mei, citoque redire memento. Sic ergo reverenter ſe licentians ab ea & nutritio ſuo Joſeph, iter arripuit a Nazareth verſus Hieruſalem ad Jordanem, ubi erat Joannes ba-A ptizans: qui locus diſtat a Hieruſalem decem & octo milliaribus. Vadit autem ſolus Dominus mundi, nondum enim habebat diſcipulos. Intuere ergo eum pro Deo diligenter, quo modo vadit ſolus, pedibus nudis per tam longa itinera, & vehementer eidem compatere. O Domine, quo tranſitis? Nonne vos eſtis ſuper omnes reges terræ? O Domine, ubi ergo ſunt Barones & Comites, Duces, & Milites, equi, & cameli, elephantes, & currus, harneſii, & famuli, & frequentia comitivæ: Ubi ſunt qui vos circumdent, & defendant ab irruentibus turbis, ut moris eſt aliorum regum, & virorum ma-B gnorum? Ubi ſunt tubarum clangor, inſtrumentorum ſonitus, & vexilla regalia? Ubi ſunt qui præcedunt ad hoſpitia, & neceſſaria præparanda? Ubi ſunt honores, & pompæ, quibus nos vermiculi utimur? Nonne Domine pleni ſunt cæli & terra gloria veſtra, quo modo ergo ſic itis inglorius? Nonne vos eſtis *Dan. 7*
cui mille millia miniſtrabant in regno veſtro, & decies centena millia aſſiſtebant? Cur ergo ſic ſolus inceditis, calcando terram pedibus nudis? Sed non eſtis in regno veſtro modo, quam puto cauſam. Nam re- *Joan. 18*
gnum veſtrum non eſt in hoc mundo. Exinaniſtis voſipſum, ſumendo *Phil. 2*
C formam ſervi, non regis. Factus eſtis *Pſal. 38*
ſicut unus ex nobis, peregrinus & advena ſicut omnes patres noſtri, factus eſtis ſervus; ut nos Reges ſiamus. Veniſtis enim, ut nos ad regnum veſtrum adduceretis, viam ponendo ante oculos noſtros, per quam illuc aſcendere valeamus. Sed quare illam negligimus? Quare vos non ſequimur? quare non humiliamus noſipſos? quare honores & pompas caduca & vana ſic avide poſcimus & tenemus? Certe quia regnum noſtrum eſt de hoc mundo, nec conſideramus nos eſſe peregrinos, & propterea omnia iſta mala incurrimus. O vani filii hominum cur vana pro veris, caduca pro firmis & certis, temporalia pro æternis acceptamus, & ſic ſtudioſe

dioſe amplectimur? Certe bone Domine, ſi mente fixa ſuſpiceremus, nos eſſe peregrinos & advenas, faciliter vos ſequeremur, & ex his viſibilibus tantum neceſſaria ſumentes, non *Cant. 1.* retardaremus poſt vos currere in odorem unguentorum veſtrorum. Eſſemus enim ſine ſarcina, & iſta tranſitoria quaſi iam tranſacta reputaremus, & leviter ſperneremus. Vadit ergo Dominus Jeſus ſic humiliter, continuatis diætis quouſque perveniat ad Jordanem. Cum ergo venit ad Jordanem, invenit Joannem baptizantem peccatores, & turbam magnam, quæ illuc concurrerat ad prædicationem ipſius. Habebant enim eum quaſi Chriſtum. Dicit ergo ei Dominus Jeſus: B Rogo te, ut me cum iſtis baptizes. Joannes vero intuens, & eum ſpiritu cognoſcens, timuit & reverenter di- *Matt. 3.* xit: Domine ego a te debeo baptizari. Cui Dominus Jeſus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Non dicas hoc modo, nec me divulges, quia nondum venit tempus meum, ſed me baptiza. Nunc enim eſt tempus humilitatis, & ideo implere volo omnem humilitatem.

Attende ergo tu etiam hic de humilitate, nam locus eſt de ipſa tractandi, & debes ſcire, quod ſicut *Tres humilitatis gradus.* in hoc loco dicit gloſſa: Humilitas habet tres gradus. Primus eſt ſubdere ſe maiori, & non præferre ſe æquali. Secundus eſt ſubdere ſe æquali, & non præferre ſe minori. Tertius & ſummus eſt ſubdere ſe minori: & hunc gradum hic tenuit Chriſtus, & ideo omnem humilitatem implevit. Vides quo modo augmentata eſt eius humilitas a præcedenti tractatu. Subiecit enim hic ſe ſervo, ſe vilificat, & ſervum ſuum juſtificat, & magnificat. Sed in alio conſidera quo modo crevit humilitas. Nam uſque modo converſatus eſt humiliter quaſi inutilis & abiectus, hic etiam peccator voluit apparere. Peccatoribus enim prædicabat Joannes pœnitentiam, & baptizabat, & Dominus Jeſus inter eos, & coram eis voluit baptizari. Hic autem quantum ad hoc, ſic dicit Bernar- *Bern. ſer. 1 in Epiph. poſt med.* dus: Inter populares turbas ad baptiſmum Joannis advenit. Venit tamquam unus de populo, qui ſolus erat ſine peccato. Quis eum crederet filium Dei? quis putaret Dominum maieſtatis? Valde quidem humilias te Domine, nimis abſconderis: ſed Joannem latere non poteris. Huc uſque Bernardus. Licet idem dici poſſet de circumciſione, quia ibi voluit apparere peccator: tamen hic plus, quia hic coram turba publice, ibi occulte. Sed nonne hic timendum fuerat, cum ipſe admodum vellet intendere ad prædicandum, ne ſperneretur tamquam peccator? Sed non propterea dimiſit humilitatis magiſter, quin profundiſſime ſe humiliaret. Ipſe ergo voluit apparere quod non erat, in abiectionem & deſpectum ſui, ſemper nos inſtruendo: e contra nos volumus apparere quod non ſumus, in laudem & gloriam noſtram. Si quid enim in nobis videtur eſſe probitatis, oſtendimus: defectus vero celamus, cum ſimus peccatores & mali. Qualis humilitas noſtra? Audi ſuper hoc non me ſed Bernardum qui ait: Eſt humili- *Bern. Ser. 42 ſuper Cant. parum ante med.* tas, quam charitas format, & inflammat: & eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calo- C rem. Atque hæc quidem in cognitione, illa in affectu conſiſtit. Etenim ſi tu temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione dijudices, non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior tibi, ex hac vera cognitione tui: quamvis necdum fortaſſe illud eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris ergo humilis, ſed de opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes: voluiſſes proculdubio, quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſe apud te veritatem habere cognoſcis.

Sa-

Digitized by Google

Satis quod in te dixerim, quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus, omnia quæ nos ſcimus de nobis, atque ipſa veritatis charitate & charitatis veritate vetamur palam fieri, quod noceat agnoſcenti. Alioquin ſi privato amore tui tentus, detines pariter intra te judicium veritatis incluſum, cui dubium eſt minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? *Et infra*: Tunc ſi jam apud temetipſum humiliatus fueris neceſſaria illa humilitate, quam ſcrutans corda & renes veritas ſenſibus ingerit animæ vigilantis, adhibe voluntatem, & fac de neceſſitate virtutem, quoniam nulla eſt virtus ſine convenientia voluntatis. Tunc autem fiet illud, ſi nolis aliter apparere foris, quam te invenis intus. Alioquin time, ne de teipſo legas: Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium. Pondus inquit, & pondus abominatio eſt apud Deum. Quid enim? Tute depretiaris in ſecreto apud teipſum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretii mentiens, majori te pondere vendis nobis, quam ab ipſa accepiſti? Time Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas. Hoc enim eſt reſiſtere veritatis, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquieſce Deo, & ſit voluntas ſubdita veritati, nec tantum ſubdita, ſed & devota. Nonne Deo, inquit, ſubiecta erit anima mea? At parum eſt eſſe ſubiectum Deo, niſi ſis & omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Abbati tamquam præcellenti, ſive prioribus ab eo conſtitutis. Ego plus dico, ſubdere paribus, ſubdere & minoribus. Sic enim decet nos, inquit, implere omnem juſtitiam. Vade & tu ad minorem, ſi vis in juſtitia eſſe perfectus, defer inferiori, minori te inclinato. Hucuſque Bernardi. Idem ſic dicit: Quis iuſtus niſi humilis? Denique cum ſe manibus Baptiſtæ ſervi, Dominus inclinaret, & ille expaveſceret maieſtatem. Sine, inquit, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam, conſummationem perfectæ juſtitiæ in humilitatis perfectione conſtituens. Juſtus ergo humilis. Hucuſque Bernardus. Hæc autem juſtitia in hoc apparet in humili, quia redditur unicuique jus ſuum: non ſumit alienum, ſed honorem dat Deo, & ſibi retinet vilitatem. Hoc vero melius cognoſces, ſi conſideraveris iniuſtitiam elati, qui bona Domini ſibi attribuit. De quo idem Bernardus ſic dicit: Sicut de magnis bonis mala oriri ſolent, cum facti eximii de bonis Domini utimur donis tamquam non datis, nec damus gloriam Deo: ita profecto qui maximi videbamur pro accepta gratia, pro non reddita, minimi reputantur apud Deum. Ego autem parco vobis. Uſus ſum modeſtioribus vocibus, maximo minimoque, ſed quæ ſentio, non expreſſi. Diſcrimen involvi, ipſe nudabo: optimum peſſimumque dixiſſe debueram. Nam vere & abſque dubio eo quiſque peſſimus, quo optimus eſt, ſi hoc ipſum quo optimus eſt, aſcribat ſibi. Nempe peſſimum hoc. Quod ſi dicat quis: Abſit, agnoſco, gratia Dei ſum id quod ſum, ſtudeat autem optare gloriam, pro gratia quam accepit: nonne fur eſt & latro? Audiat qui huiuſmodi eſt: Ex ore te judicio ſerve nequam. Quid nequius ſervo uſurpante ſibi gloriam Domini ſui? Hucuſque Bernardus. Vides quomodo perfectio juſtitiæ in humilitate conſiſtit, & non ſurripit honorem Deo, nec ſibi attribuit quæ non debet. Item nec lædit proximum: Non enim dijudicat eum, nec alicui ſe præfert humilis, ſe minorem omnibus reputat, & locum noviſſimum eligit ſibi. De quo idem Bernardus ſic dicit: Quid ſcis o homo, ſi unus ille, quem forte omnium viliſſimum, atque miſerrimum reputas, cuius vitam ſceleratiſſimam, ac ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum putas ſpernendum non modo præ te, qui

Pſal. 41 — *Prov. 20* — *Pſal. 61* — *Idem Ser. 47 ſuper Cant. poſt med.* — *Matt. 3* — *Idem Ser. 84 Sup. Cant. non longe a pr.* — *1 Cor. 15* — *Luc. 19* — *Idem Ser. 37 ſuper Cant. circ. fin.*

qui forte jam ſobrie, & juſte, & pie vivere te confidis, ſed etiam præ cæteris omnibus ſceleratis, tamquam omnium ſceleratiſſimum: quid ſcis, inquam, ſi melior, & te & illis mutatione dexteræ excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero jam ſit? & propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter noviſſimos eligere locum nos voluit. *Luc. 14* Sed recumbe, inquit, in noviſſimo loco, ut ſolus videlicet omnium noviſſimus, ſedeas, teque nemini, non dico præferas, ſed nec comparare præſumas. Hucuſque Bern. Hæc humilitatis virtus multiplicibus auctoritatibus commendatur in eodem Bernardo. *Idem Ser. 85 ſuper Cant. cir. fin.* Dicit enim: Magna mater & ſublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur: digna adipiſci quod non valet addiſci: digna a verbo, & de verbo concipere, quod ſuis ipſa verbis explicare non poteſt. Cur hoc? Non quia ſit meritum: ſed quia ſic eſt placitum coram patre verbi ſponſi animæ Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. *Idem trac. de 12 grad. humil. non longe a pr.* Idem: Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione, ſibiipſi vileſcit. *Idem Ser. 2 in Nat. Dom. circa fin.* Idem alibi: Sola virtus humilitatis læſæ eſt reparatio charitatis. *Idem epi. 42 ad Hier. Senonen. poſt med.* Idem alibi: Sola profecto non ſolet gloriari, non novit præſumere, contendere non conſuevit humilitas. Non contendit judicio, non prætendit juſtitiam, qui vere humilis eſt. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo placet in nobis. *Idem ſer. 4 ſup. Miſſ. eſt poſt med.* Idem: Semper ſolet eſſe divinæ gratiæ familiaris virtus humilitatis. Nimirum conſervandæ humilitatis gratia divina ſolet pietas ordinare, ut quando quis plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe. Nam uſque ad extremum exercitii ſpiritualis gradum, ſi quis profecerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquetur, ut vix primum ſibi videatur adeptus. *Idem ſer. 3 ſup. Miſſ. eſt cir. med.* Idem pulchra permixtio virginitatis & humilitatis. Nec mediocriter placet illa anima, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quanta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem. Si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas: ſed magis humilitas neceſſaria. Illa conſulitur: iſta præcipitur. Ad illam invitaris: ad iſtam cogeris. De illa dicitur: Qui poteſt capere, capiat. *Matt. 19* De iſta dicitur: Niſi quis efficiatur ſicut parvulus iſte, non intrabit in regnum cælorum. *Matt. 18* Illa ergo remuneratur: iſta exigitur. Potes denique ſine virginitate ſalvari: ſine humilitate non potes. Poteſt inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam. Sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuiſſet. Super quem, inquit, requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum? &c. *Iſa. 66* Si ergo Maria humilis non fuiſſet, ſuper eam Spiritus ſanctus non repuieviſſet. Si ſuper eam non requieviſſet, nec imprægnaſſet. Quomodo enim de ipſo ſine ipſo conciperet? Pater itaque, quia ut de Spiritu ſancto conciperet, ut ipſa perhibet. Reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ, potius quam virginitatem. *Luc. 1* Unde conſtat, quia ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. Quid dicis Virgo ſuperba? Maria ſe Virginem oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? Reſpexit, ait illa, humilitatem ancillæ ſuæ. Quæ illa? Virgo utique ſancta, virgo ſobria, virgo devota. Numquid tu caſtior illa? numquid devotior? numquid tua forte pudicitia gratior caſtitate Mariæ? ut, ſcilicet ſine humilitate placere ſufficias ex tua, quæ illa non potuit ex ſua? Denique quanto honorabilior es ex ſingulari munere caſtimoniæ, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quanto vitæ decorem fœdas permixtione ſuperbiæ. Idem: Charitas, caſtitas, & humilitas nullius decoris ſunt, ſed nonnullius decoris, nec mediocris decoris, quæ divinos *Idem ep. 42 ad Hie. Senon. Archiep. longe an. med.*

nec

nec mediocris decoris, quæ divinos A quoque delectare poſſit aſpectus. Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter ſe Angelus & pudicus homo, ſed felicitate, non virtute. Sed & ſi illius caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quemdam immortalitatis gloriæ repræſentat. Sola inter ſolemnia nuptiarum morem illius beatæ regionis vendicat ſibi: in qua neque nubent neque nubentur, præbens quodammodo iam cæleſtis illius converſationis experientiam. Vas in- B terim fragile quod portamus, in quo & crebro periclitamur, tenet caſtitas in ſanctificationem, inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur. Senſus ipſa & artus continet & ſtringit, ne diſſolvantur in otiis, ne corrumpantur in deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant. *Et poſt pauca:* Verum quantalibet venuſtate ſui, caſtitas eminere appareat: ſine charitate tamen, nec pretium habet nec meritum. Nec mirum. Quod enim abſque illa bonum ſuſcipitur? fides? Sed nec ſi montes transferat. Scientia? Nec illa, quæ linguis loquitur Angelorum. Martyrium? nec illud ſi tradidero, inquit, C corpus meum, ita ut ardeam. Nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, neque cum illa quodlibet exiguum reſpuitur. Caſtitas ſine charitate, lampas ſine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, caſtitas non placet. *Et poſt multa circa medium Epiſtolæ*: Jam de tribus, quæ propoſuimus, ſola tractanda eſt humilitas, quæ duabus præmiſſis virtutibus intantum eſt neceſſaria, ut abſque iſta, illæ nec eſſe virtutes videantur. Nempe ut caſtitas, ſive charitas obtineatur, humilitas meretur. Quoniam humilibus Deus dat gratiam. Servat humilitas etiam virtutes acceptas: quia nec

1 Cor. 13 · *Jacob. 4* · *Iſa. 66*

tum & humilem. Servatas conſummat: requieſcet ſpiritus niſi ſuper quietum nam virtus in infirmitate perficitur, hoc eſt, in humilitate. Inimicam omnis gratiæ, omniſque initium peccati debellat ſuperbiam, & tam a ſe quam ab aliis virtutibus ſuperbam illius propulſat tyrannidem. Siquidem cum ex aliis quibuſque bonis virium magis ſuarum capere ſolea incrementum ſuperbia. Sola hæc omnium propugnaculum quoddam, turriſque virtutum, ejus fortiter reſiſtit malitiæ, obviat præſumptioni. Huc uſque Bernardus. Igitur habuiſti multa & pulchra de humilitate in tractatu præſenti a veriſſimo Bernardo, atque humillimo. Vide ut ea etiam, quæ de aliis virtutibus tangit, mente intelligas, & opere compleas. Sed iam ab baptiſmum Domini redeamus. Poſtquam ergo Joannes vidit Domini voluntatem, obedivit, & eum baptizavit.

Nunc ergo cum bene conſpice. Spoliat enim ſe Dominus majeſtatis, ſicut quilibet alius humunculus, & mergitur in aquis frigidis, tempore frigoris magni: pro noſtro amore operatur noſtram ſalutem, conſtituens ſacramentum baptiſmi, & lavans crimina noſtra. Deſponſat ergo univerſalem Eccleſiam, & ſingulariter omnes animas fideles. Nam in fidei baptiſmate deſponſamur Domino Jeſu Chriſto, dicente Propheta in perſona ipſius: Sponſabo te mihi in fide. Unde hæc ſolemnitas & hæc operatio magna, & utilis valde eſt. Et ideo cantat Eccleſia, quod hodie cœleſti ſponſo iuncta eſt Eccleſia: quoniam in Jordane lavit Chriſtus eius crimina. Et in hoc opere excellentiſſimo, tota ſe Trinitas modo ſingulari manifeſtavit, & deſcendit, & requievit Spiritus ſanctus ſuper eum, in ſpecie columbæ, & vox patris intonuit. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. In hoc autem loco dicit Bern. Ipſum, inquit, audite: Ecce Domine Jeſu, vel nunc iam loquere, licen-

Oſe 2. · *Matth. 3* · *Mar. 1* · *Bern. ſer. 1 in Epiph. ver. fin.*

centiam loquendi habes a patre. A Quamdiu Dei virtus, & Dei ſapientia, quaſi infirmus aliquis & inſipiens, lates in populo? Quamdiu nobilis Rex, & Rex cœli, fabri filium te pateris appellari, pariter & putari? Etenim Lucas Evangeliſta teſtatur, quoniam adhuc filius Joſeph putabatur. O humilitas Chriſti, quantum confundis ſuperbiam meæ vanitatis; parum aliquid ſcio vel magis ſcire mihi videor, & jam ſilere neſcio. Nam impudenter & imprudenter me ingerens, & oſtentans promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cum ſeipſum abſcondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria patris? Utique timebat, ſed non ſibi? nobis timebat ab illis, quibus noverat eſſe timendum. Nobis cavebat, nos inſtruebat: tacebat ore, ſed inſtruebat opere, & quod docuit poſtea verbo, jam clamabat exemplo: Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde. Nam de infantia Domini parum aliquid audio ex tunc. Jam uſque ad hunc trigeſimum annum nihil invenio. Nunc vero iam latere non poteſt, quia tam manifeſte demonſtratur a patre. Hucuſque Bernardus. Et hæc eſt auctoritas, quam in ſuperiori tractatu allegavi, per quam habes quomodo ſiluit Dominus Jeſus humiliter ad noſtram inſtructionem. Vides ergo ubique redolere humilitatem. De hac libenter tibi loquor, quia magnifica virtus eſt valde, & ea pluzimum indigemus, eoque ſtudioſius quærenda, affectuoſiuſque amanda, quo Dominus in ſingulis ſuis actibus tam ſignanter ſtuduit eam obſervare.

Luc. 2

Matt. 11

B

C

CAPUT XVII.

De jejunio & tentationibus Chriſti. Item de reditu ejus ad Matrem. De quatuor, quibus pervenitur ad cordis puritatem. De oratione plura bona. De reſiſtendo gulæ. Quare & pro quo, Deus fecit mirabilia.

POſtquam Dominus Jeſus fuit baptizatus, incontinenti perrexit in deſertum ſuper quemdam montem ibi ad quatuor milliaria vel circa, qui vocatur Quarentana, & ieiunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus & juxta Marcum, erat ibi cum beſtiis. Conſidera ergo hic & attente conſpice ipſum: plurium enim virtutum exempla tibi demonſtrat. Vadit enim in ſolitudine, ieiunat, orat, & vigilat: iacet & dormit in plana terra, & humiliter cum beſtiis converſatur. Compatere ergo ei, quia ſemper & ubique ſed hic maxime vita ſua pœnoſa eſt, & corporis afflictiva. Ac ejus exemplo diſce ab eo in his exercitari. Nam quatuor hic tanguntur, quæ ſpiritualis exercitii ſunt, & mirabiliter ſe invicem adiuvant, ſcilicet ſolitudo, ieiunium, oratio, & afflictio corporis. Et per iſta maxime pervenire poſſumus ad cordis puritatem, quæ puritas utique eſt nimium peroptanda, eo quod in ſe omnes virtutes quodammodo comprehendit. Continet enim charitatem, humilitatem, patientiam, & ceteras virtutes, & remotionem omnium vitiorum: quia cum vitiis, vel cum defectu virtutis non ſtat puritas cordis. Et propterea in collationibus ſanctorum Patrum traditur; quod totum exercitium monachi debet eſſe ad cordis puritatem habendum; hæc enim eſt per quod homo meretur videre Deum, dicente Domino in Evangelio: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Et ſecundum Bernardum, qui clarior eſt ille Deo propinquior. Eſſe autem clariſſimum, perveniſſe eſt. Ad hanc autem habendam, multum valet oratio fervens, & aſſidua de qua plenius in-

Matt. 4

Mar. 1
Luc. 2

Quatuor ad ſpirituale exercitium pertinentia.

Joan. Caſſ. Col. 1 c. 7

Matt. 5.

infra doceberis. Sed oratio cum crapula, vel ingurgitatione corporis, vel eius mollitie, vel otioſitate parum valet. Et ideo requiritur ieiunium, & afflictio corporis, diſcreta tamen: nam indiſcreta impedit omne bonum. Præterea ad omnium prædictorum conſummationem videtur facere ſolitudo: nam cum tumultu & ſtrepitu non poteſt decenter oratio fieri: & videre, & audire multa, vix fieri poteſt ſine impuritate, & offenſa. Mors enim intrat per feneſtras noſtras ad animas, & ideo Domini exemplo vade in ſolitudinem, id eſt quantum potes te ſepara ab aliarum conſortio, & ſis ſolitaria, ſi vis ei coniungi, & per puritatem cordis eum videre. Fuge etiam collocutiones, & maxime ſæcularium perſonarum. Non quæras novas devotiones & amicitias. Non impleas oculos, & aures phantaſmatibus vanis. Et omnia quæ quietem animi & tranquillitatem mentis perturbant, tamquam venenoſa & animæ inimica devita. Non enim ſine cauſa ſancti patres petebant nemora, & loca remotiſſima ab omni hominum converſatione. Et non ſine cauſa mandabat his, qui in cœnobiis remanebant, quod eſſent cæci, ſurdi, & muti. Ut autem hoc melius intelligas. Audi quid ſuper hoc dicit Bernardus: Tu inquam, ſi ad Spiritus ſancti incitamenta moveris, & inardeſcis dare operam, quo modo animam tuam facias ſponſam Dei, ſedeas ſecundum prophetam ſolitarius quoniam levaſti te ſuper te, volens Angelorum Domino deſponſari. An non ſupra te, adhærere Deo, atque unum ſpiritum eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius ſicut turtur nihil tibi de turbis, nihil cum multitudine ceterorum, etiamque obliviſcere populum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum. O ſancta anima, ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves te ipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & ab intimis, etiam

Hier. 9

Ber. ſer. 40 ſup. Cant. cir. med.

Thren. 3

Pſal. 44

A & ab illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit ibi indulgere præſentiam, præſentibus ceteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore: ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Chriſtus Dominus, ſpiritusque requirit non corporis ſolitudinem. Quamquam interdum & corpore non otioſe te ſeparas, cum opportune potes, præſertim tempore orationis. *Et infra*: Solus es, ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſcipiunt, ſi faſtidias, quod multi deſiderant, ſi iurgia deviB tes, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum: alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es. Vides ne poſſe te eſſe ſolum etiam inter multos, & inter multos cum ſolus es? Solus es, in quacumque hominum converſeris frequentia, tantum cave alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Hucuſque Bernardus. Vides quomodo neceſſaria ſit ſolitudo, & quomodo non ſufficit corporalis ſine mentali: ſed ut mentalis habeatur, oportet corporalem eſſe altiſſimam, ut mens per exteriora non effluat, ut ſe cum ſponſo ſuo recolligere poſſit. Igitur toto affectu, toto poſſe tuo coC neris imitari Dominum Jeſum ſponſum, & ſolitudine, & oratione, & jejunio, & corporis afflictionibus diſcretis.

In eo vero, quod converſatur cum beſtiis, diſce inter alios humiliter converſari, & æquanimiter tolerare, etiam eos, qui tibi videntur aliquando irrationabiliter ſe habere. Ipſum autem Dominum ſæpe in hac ſolitudine viſita. Conſpicies eum qualiter converſatur ibidem, & maxime, qualiter iaceat de nocte in terra. Quælibet enim anima fidelis, deberet eum in die ſemel ad minus viſitare, maxime ab Epiphania uſque ad quadraginta dies quibus ibi manebat. Completis autem quadraginta diebus Dominus eſurivit. Tunc tentator acceſſit ad eum, volens explorare, u- *Matt. 4*

trum

trum fuiſſet filius Dei, tentavitque eum de gula, dicens: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Sed non potuit magiſtrum decipere: taliter enim reſpondit, & ſic ſe habuit, quod nec in tentatione gulæ ſuccubuit, nec ſcire adverſarius potuit, quod voluit. Non enim negavit nec aſſeruit eſſe filium Dei, ſed eum auctoritate ſcripturæ convicit. Et nota hic exemplo Domini eſſe reſiſtendum gulæ: nam ab eo inchoandum eſt, ſi vitia volumus ſuperare. Videtur enim, quod qui gulæ ſuccubuit, imbecillis reddatur ad alia vitia devincenda. Sic enim dicit gloſſa in loco iſto ſuper Matthæum: Niſi prius gula refrenetur, fruſtra contra alia vitia laboratur. Poſtea diabolus aſſumpſit eum, & portavit eum in Hieruſalem, quæ diſtat inde per decem & octo milliaria, vel circa. Has autem locorum diſtantias, quas pluries in opuſculo tibi narro, ab his audivi, qui in illis partibus fuerunt. Conſidera hic benignitatem, & patientiam Domini. Permiſit enim ſe portari & contrectari ab illa cruenta beſtia, quæ ſuum & omnium amatorum ſuorum ſanguinem ſitiebat. Statuens autem eum ſuper pinnaculum templi, tentavit eum de vana gloria, ſimiliter volens explorare quod ſupra: ſed & hic auctoritate ſcripturæ devincitur, & ſua intentione fruſtratur. Ex tunc ergo ſecundum Bernardum, quia Dominus nihil oſtendit divinitatis, arbitratus eſt hoſtis eum eſſe hominem, tentavit eum tertio, ut hominem. Exinde ergo aſſumens eum reportavit in montem excelſum prope dictum montem de Quarantena per duo milliaria. Et tunc tentavit eum de avaritia: ſed & hic homicida ille ſccubuit. Vidiſti quomodo Dominus Jeſus fuit contrectatus & tentatus. Miraris ergo ſi nos tentemur? fuit etiam ipſe alias tentatus. Unde Bernardus dicit: Qui quartam tentationem de Domino non legit, ignorat ſcripturam, quæ dicit, quod tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Apoſtolus quoque dicit eum

Ber. ſer. 1 in die S. Paſch. poſt med.

Idem ſer. 14 in Pſ. Qui habitat, ante med. Job 7 Heb. 4

A fuiſſe tentatum per omnia, pro ſimilitudine abſque peccato. Victoria itaque facta, venerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Hic autem diligenter attende, & conſpice Dominum comedentem, ſolum circumdantibus Angelis, & conſidera bene omnia, quæ ſequentur, quia pulchra ſunt, & devota valde. Et quæro quid Angeli miniſtrabant, ut comederet poſt tam longum jejunium? De hoc ſcriptura non loquitur. Poſſumus autem hoc victorioſum prandium ſicut volumus ordinare. Et quidem ſi ejus potentiam conſideremus, expedita eſt quæſtio, quia res quas vellet creare, & de creatis habere, poterat pro ſuæ

B arbitrio voluntatis. Sed non invenimus, quod hac potentia pro ſe, vel pro diſcipulis ſuis uſus fuerit: pro turbis autem fecit, quas pavit duabus vicibus in multitudine magna de panibus paucis. De diſcipulis autem legimus, quod eo præſente ſpicas vellebant propter famem, & comedebant. Similiter cum fatigatus ex itinere ſedebat ſuper puteum loquens cum Samaritana, non dicitur, quod creavit cibos, ſed quod miſit diſcipulos in civitatem, ad quærendum cibos. Nec eſt veriſimile quod per miraculum: quia miracula faciebat ad aliorum ædificationem, & in præſentia plurium. Sed hic non erant

C niſi Angeli, quid ergo circa hoc meditabimur in mente? Namque illic non erat habitatio hominum, nec cibi parati, ſed aliunde parata cibaria portaverunt Angeli ei, ſicut contingit Danieli. Cum enim Abacuc propheta paraſſet pulmentum pro meſſoribus ſuis, portavit eum Angelus Domini per capillos de Judæa in Babylonem ad Danielem, ut comederet, & poſtea in momento eum reportavit. Immoremur ergo hic, & hunc modum aſſumamus, & jucundemur cum Domino in hoc prandio ſuo, ſentiatque mater ſua excellentiſſima de hac eadem jucunditate & victoria. Pie autem ac devote ſic meditemur. Veniunt Angeli, Satana repulſo, in multitudine magna ad Do-

Matt. 14 & 15 Joan. 6 Joan. 4

Dan. 14

Dominum Jeſum Chriſtum, & adorantes eum prociderunt in terram, dicentes: Salvete Domine Jeſu Deus Dominus noſter, & Dominus humiliter ac benigne recepit eos, & cum capitis inclinatione, cogitans ſe fore hominem minoratum paulominus ab Angelis. Dicunt ei Angeli: Domine multum jejunaſtis, quid vultis ut vobis paremus? Et ille: Ite ad matrem meam chariſſimam, & ſi quid habet ad manus, deferte: quia de nullis cibis ſic libenter veſcor, ſicut de ſuis. Tunc duo ex ipſis pergentes in momento fuerunt cum ea, & eam reverenter ſalutantes, ambaſiatam faciunt, & modicum pulmentum, quod ſibi & Joſeph paraverat, & panem cum tobalia, & aliis opportunis portant, & forte Domina etiam aliquos piſciculos, ſi potuit, procuravit. Reverſi ergo portant in plana terra, & menſæ benedictionem ſolemniter peragunt. Conſpice autem eum hic bene in ſingulis quæ agit. Sedet enim in terra compoſite ac curialiter, & ſobrie comedit. Circumſtant Angeli miniſtrantes Domino ſuo. Alius ſervit ei de pane, alius de vino, alius parat piſciculos, & alii cantant de canticis Sion, & jucundantur, & idem feſtum agunt coram eo. Si liceat dici, permixtum eſt hoc feſtum compaſſione per maxima, propter quam & nos deberemus plorare. Conſpiciunt enim eum reverenter, & conſiderantes Deum & Dominum ſuum, & totius mundi creatorem, qui dat eſcam omni carni, ſic humiliatum, & ſuſtentatione cibi corporalis indigentem, & comendentem ſicut ceteros de populo, moventur compaſſione: clamares & diceres: O Domine quanta feciſti, omnia opera veſtra ſunt plena ſtupore, adjuvate me, ut ego aliqua patiar pro vobis, qui pro me tot & tanta ſuſtinuiſti. Certe hoc ſolum te in ejus amore deberet vehementer accendere. Tandem ſumpta refectione, dicit Angelis, ut reportent res, & dicant matri, quod cito redibit ad eam. Ipſis autem reverſis, dicit omnibus: Redite vos ad patrem & ad gaudia vera, me enim adhuc peregrinari oportet: rogo autem vos, ut me recommendetis patri, & toti curiæ cœleſti. Qui procidentes in terram, & benedictionem petentes, ea recepta, redierunt ad patriam ejus juſſa complentes, & de ejus victoria, & de his novis totam cœleſtem curiam impleverunt. Dominus autem Jeſus volens redire ad matrem, cœpit de monte deſcendere. Conſpice nunc etiam bene eum, quomodo ſolus vadit pedibus nudis Dominus omnium, & ei vehementer compatere. Venit autem ad Jordanem quem Joannes videns ad ſe venientem, oſtendit eum digito, dicens: Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi, ipſe eſt ſuper quem vidi Spiritum ſanctum quieſcentem, quando baptizavi eum. Et etiam altera die dum videret ambulante juxta Jordanem, dixit ſimiliter. Ecce agnus Dei. Tunc Andreas, & etiam unus alius ex diſcipulis Joannis, iverunt poſt Jeſum. Benignus autem Dominus ſitiens eorum ſalutem, ut daret eis de ſe fiduciam, vertit ſe ad eos, & dixit: Quid quæritis? At illi dixerunt: Rabbi, ubi habitas? & ipſe duxit eos ad domum, in qua tunc ſe reducebat in partibus illis, & ſteterunt cum eo una die. Poſtea duxit Andreas Petrum fratrem ſuum ad Jeſum, quem alacriter ſuſcepit. Sciebat enim quid de eo erat facturus. Et dixit ei: Tu vocaberis Cephas, & ſic in aliqualem notitiam & familiaritatem venit cum eis. Poſtea valens Dominus Jeſus redire in Galileam ad matrem, diſceſſit de partibus illis, & cœpit reverti. Quem etiam nunc compatiendo, reſpice, & vade ſemper cum eo, nam ſolus vadit more ſolito, nudis pedibus per tam longam quatuordecim milliarium viam. Cum autem domum devenit, mater eum videns, ultra quam dici poſſet, exhilarata ſurgit, occurrit, & in amplexus ſtrictiſſimos recipit: cui ipſe reverenter inclinavit,

Pſal. 135 · Joan. 1

vit, & etiam nutritio ſuo Joſeph, A & cum eis more ſolito manſit.

QUINTA FERIA.

CAPUT XVIII.

De Apertione libri in Synagoga.

HUcuſque per Dei gratiam, vitam Domini Jeſu ordinate tetigimus, parum vel quaſi nihil de his, quæ ſibi contigerunt, vel per ipſum facta ſunt omittentes: ſed non ſic deinceps facere intendo. Nimis enim eſſet longum, omnia quæ dixit & fecit, in meditationes redigere, B maxime quia noſtræ ſolicitudinis debet eſſe, facta Chriſti continue more Beatæ Cæciliæ, portare in ſecreto pectoris noſtri. Igitur aliqua ex geſtis eius colligamus, in quibus meditando verſemur aſſidue, & hoc uſque ad paſſionem ſuam: ex tunc enim nihil eſt omittendum. Alia etiam non debemus ex toto dimittere, quin pro loco & tempore meditemur in eis. Meditationes autem non intendo deinceps prolixius tractare, niſi per raro. Sufficit enim, quod rem per eum geſtam vel dictam ante oculos mentis ponas, & quod cum eo converſeris, & familiaris ei ſias. Nam in hoc videtur haberi major C dulcedo, & devotio efficacior, & quaſi totus fructus harum meditationum conſiſtere: ut ubique & ſemper intuearis eum devote in aliquo actu ſuo, ut quando ſtat cum diſcipulis ſuis, quando cum peccatoribus, quando etiam loquitur eis, quando prædicat turbæ, quando vadit, & quando ſedet, quando dormit, & quando vigilat, quando comedit, & quando aliis miniſtrat, quando ſanat ægrotos, & quando alia facit miracula. In his autem & ſimilibus conſidera omnes geſtus ſuos, maxime contemplans faciem eius, ſi potes imaginari, quod ſuper omnia prædicta mihi videtur difficilius. Illud etiam attente obſerva, ſi forte ipſe tecum benignitate reſpiciat. Et ubi hæc ſunt pro recurſu & doctrina omnium, quæ ſequuntur, & ubicumque narravero, ſi aliter non expreſſero ſingulares meditationes, vel iſtas omiſero, recurras ad hunc locum & ſufficit tibi. Ad narrationem autem ſequentium accedamus. *Quod pro ſequentibus animadvertendum.*

Poſtquam ergo Dominus Jeſus rediit a baptiſmo, converſabatur humilitatis magiſter humiliter, ut ante ſolitus erat: cœpit tamen paulatim ſe manifeſtare aliquibus docendo & prædicando occulte. Non enim per totum annum ſequentem prædicationis officium publice dicitur aſſumpſiſſe, videlicet uſque ad miraculum de nuptiis, quod fuit eodem die, quando fuit baptizatus anno revoluto. Et ſi aliquando prædicabat, & diſcipuli baptizabant: non tamen adeo prædicationem ipſam per ſe, & ſuos frequentabat, ante Joannis incarcerationem, ſicut poſt. Ex hoc nobis tribuens ſtupendæ humilitatis exemplum, dum Joanni ſe longe, & longe inferiori in prædicationis officio, prout ex ſuperioribus pie percipi, aut cogitari poteſt, humiliter deferebat. Non ergo cœpit cum boatu, & pompa ſed humiliter & paulatim.

Quadam ergo die Sabbati, dum eſſet in ſinagoga cum aliis in Eccleſia Judæorum, ſurrexit legere in libro Iſaiæ, & legit locum, ubi ſcriptum eſt: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me. Et tunc cum plicuiſſet librum, dixit: Hæc ſcriptura impleta eſt hodie in auribus veſtris. Conſpice ergo eum, quomodo humiliter ſuſcipiens lectoris officium, benigno & placido vultu legit inter eos, & exponit ſcripturam, & quomodo humiliter ſe incipit manifeſtare, dum dicit; Hodie impleta eſt hæc ſcriptura, id eſt, ego ſum ille, de quo loquitur. Et ora omnium erant in eum intenta propter efficaciam verborum, aſpectum humilem, & decorum: fuit enim pulcherrimus, fuit etiam eloquentiſſimus. Et de utroque *Luc. 4* *Iſa. 61*

ſit

Pſalm. 44 ſic per Prophetam dictum fuerat: Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

CAPUT XIX.

De Vocatione Diſcipulorum.

COepit etiam Dominus Jeſus vocare diſcipulos, & ſe ſolicitum reddere circa noſtram ſalutem,
Joan. 1 ſemper humilitate ſervata. Et vocavit Petrum & Andream tribus vicibus. Prima, de qua dictum eſt ſupra, quando erat circa Jordanem, & tunc in aliqualem venerunt eius notitiam.
Luc. 5 Secunda de navi, quando coeperunt piſces, ut narrat Lucas. Tunc enim ſecuti ſunt eum animo redeundi ad propria. Coeperunt tamen audire doctrinam ipſius.
Matth. 4 Tertia de navi, ut narrat Matthæus, cum dixit: Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum. Tunc relictis retibus ſecuti ſunt eum. Similiter vocavit Jacobum & Joannem, in prædictis duabus vicibus ultimis, & in eiſdem locis continetur de ipſis, quibus continetur de Petro & Andrea. Vocavit etiam Joannem de nuptiis, ut dicit Hieronymus: in textu tamen Evangelii non habetur. Item vocavit
Hieronym. præfat. in Joan.
1 Joan. 1 Philippum, dicens: Sequere me. Si-
Matth. 9 militer Matthæum publicanum. De modo vero vocationis aliorum, non eſt ſcriptum. Conſidera ergo & conſpice eum in prædictis vocationibus, & converſatione cum ipſis, quam affectuoſe vocat eos, reddens ſe eis affabilem, & domeſticum, & obſequioſum, attrahens eos intus, & extra, ducendo etiam eos ad domum matris, & familiariter vadens ad domos eorum. Docebat & inſtruebat eos & curam de ipſis habebat præcipuam, ſicut mater de unico filio. Dicitur, quod beatus Petrus referebat, quod quando in aliquo loco dormiebat cum eis ſurgens de nocte, ſi aliquem eorum inveniebat diſcoopertum, recooperiebat eos, quia teneriſſime diligebat eos. Sciebat enim quid de ipſis erat facturus, quamvis eſſent homines rudis conditionis,

A & humilis nationis; tamen principes mundi, & duces in bello ſpirituale omnium, fidelium conſtituturus eos erat. Et conſidera pro Deo a qualibus coepit Eccleſia. Noluit enim Dominus eligere ſapientes & potentes huius ſæculi ne ipſorum probitati adſcriberentur opera, quæ fienda erant: ſed ſibi hæc reſervavit, & in ſua bonitate, potentia, & ſapientia nos redemit.

CAPUT XX.

De converſione aquæ in vinum ad nuptias.

B

QUamvis dubium ſit, cuius fuerant nuptiæ in Cana Galilææ, ſicut Magiſter in hiſtoria ſcholaſtica tangit; nos tamen meditemur Joan. 2
fuiſſe Joan. Evangeliſtæ, quod habetur in prologo ſuper Joan. ubi Hieron. affirmare hoc videtur. In eis Domina noſtra fuit non tamen invitata tamquam extranea, ſed quaſi maior, & dignior, & primogenita inter ſorores, fuit in domo ſororis quaſi in domo ſua, & tamquam adminiſtratrix, & domina nuptiarum: quod ex tribus colligere poſſumus. Primo ex eo
B. V. Mariam nuptiis in Cana interfuiſſe, tamquam miniſtram.
C quod in eis continetur, quod mater Jeſu erat ibi, & de Jeſu & diſcipulis, quod erant vocati, & ſic de aliis, qui ibi fuerunt, intelligi debet. Cum ergo ſoror eius Maria Salome uxor Zebedæi fuiſſet ad eam, Nazareth: quæ diſtat a loco de Chana, per quatuor milliaria, vel circa, dicens, quod volebat facere nuptias filio ſuo Joanni, ipſa fuit cum ea, & prævenit aliquot dies ad præparationem, ita quod quando alii erant invitati, ipſa iam erat ibi. Secundo ex eo colligere poſſumus, quod ipſa perpendit defectum vini, unde ipſa non erat ſicut una ex diſcumbentibus, ſed ſicut per cuius manus res ibant: & ideo vidit ſibi deficere vinum. Si enim tunc diſcubuiſſet, numquid juxta filium inter

Dd 2 ho-

homines mater verecunda ſurrexit? Et ſi alibi inter mulieres, numquid perpendiſſet defectum vini magis, quam alia? & ſi perpendiſſet, numquid ſurrexiſſet de prandio, & iret ad filium? Inconvenientia hæc viderentur. Et ideo veriſimile eſt, quod tunc non diſcumbebat. De ipſa namque dicitur, quod erat valde obſequioſa. Tertio colligitur ex eo, quod ipſa præcepit miniſtris, ut irent ad filium, & facerent quod mandaret: & ſic videtur, quod præcepiſſet, & quod nuptiæ gubernabantur per eam, & ideo ſolicita fuit, ne ibi defectus contingeret. Igitur ſecundum modum hunc conſpice Dominum Jeſum, inter alios comedentem, ſicut unum quemvis de populo, & ſedentem in loco humili, non inter maiores, prout ex loco ipſo colligimus. Non enim ſuperborum mora volebat primos recubitus in cœnis, nam docturus erat: Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco *Luc. 14* ipſe vero cœpit prius facere, quam docere. Conſpice etiam Domina obſequioſam alacrem, & ſolicitam in cunctis faciendis, & præbentem, & oſtendentem miniſtris quid & qualiter diſcumbentibus deferant. Cumque prope finem convivii redirent ad eam miniſtri, dicentes: Non habemus plus de vino, quod apponamus eis. Ipſa reſpondit: Ego procurabo quod habebitis: expectate parumper. Et exiens ad filium, qui humiliter, ut dixi, ſedebat in fine menſæ, prope oſtium cameræ, dixit ei: *Joan. 2* Fili mi, hic vinum deficit, & hæc noſtra ſoror eſt pauper, & neſcio qualiter habere poſſumus. Qui reſpondit: Quid mihi & tibi eſt mulier? Dura videtur reſponſio, ſed ad noſtram inſtructionem fuit, ſecundum Bernardum, qui in hoc loco ſic dicit: *Ber. ſer. 2 in Dom. 1 poſt Epiph. cir. med.* Quid tibi, & illi Domine? Nonne quod filio & matri? Quid ad illam pertinet, quæris, cum ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nonne ipſa eſt, quæ ſalvo pudore concepit, & ſine corruptione peperit? Nonne ipſa eſt, in cuius utero no-

A vem menſibus moratus es, cuius virgineis uberibus lactatus es, cum qua duodecim annorum factus, de Hieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illis? Nunc ergo Domine quid moleſtus es illi, dicens: Quid tibi & mihi? *Expoſitio reſponſionis Chriſti ad matrem in nuptiis.* Multum per omnem modum. Sed iam manifeſte video, quod non velut indignans, aut confundere volens, virginis & matris teneram verecundiam, dixeris: Quid mihi & tibi? Venientibus enim ad te juxta præceptum miniſtri, nihil cunctatus facis, quod ſuggeſſit. Ut quid ergo fratres, ut quid ſic reſponderat prius? utique propter nos, & converſos ad Dominum, ut iam non ſolici-

B tet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant exrecitium ſpirituale. Quamdiu enim de mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentibus. *Exemplum* At poſtquam reliquimus noſmetipſos, multo magis ab eorum ſolicitudine liberi ſumus. Unde legimus fratrem quemdam in eremo converſantem, cum ad eum carnalis frater auxilii gratia adveniſſet, reſpondiſſe, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique iam obiiſſet. Cumque admiratus qui venerat, reſponderet, quia ille obiit: Eremita quoque ſe ſimiliter obiiſſe reſpondit. Optime ergo docuit Dominus ne ſoliciti ſimus, ſuper propinquis carnis

C noſtræ prius, quam religio poſtulet, quoniam ipſe matri, & tali matri reſpondit: Quid mihi & tibi o mulier? Sic & in alio loco: Cum ſuggereret ei quidam, quoniam mater *Ibid.* eius, & fratres foris ſtarent, quærentes ei loqui. Reſpondit: Quæ eſt mater mea, & fratres mei? *Matt. 12* ubi modo ſunt, qui tam carnaliter, & inaniter ſuper carnalibus propinquis ſuis ſoliciti ſunt, ac ſi adhuc viverent cum eis, & ipſi cum eis? Huc uſque Bernardus. De hac ergo reſponſione mater non diffidens, ſed de ſua benignitate præſumens, rediit ad miniſtros, & dixit: Ite ad filium meum, & quidquid vobis dixerit facite. Qui euntes impleverunt, iuxta Domini mandatum, hydrias aqua. Quo

fa-

Digitized by Google

facto dixit eis: Haurite nunc & ferte architriclino. In hoc autem nota primo diſcretionem Domini, quia primo miſit magis honorabili viro. Secundo, quod ipſe ſedebat longe ab eo, cum diceret, forte illi, quaſi ab eo remoto. Sed cum ille ſederet in loco magis honorabili, colligere poſſumus, quod Dominus noluit ibi ſedere juxta eum, immo elegit ſibi humiliorem locum. Miniſtri ergo dederunt vinum illi, & aliis, divulgantes miraculum, quoniam ipſi ſciebant, quomodo factum fuerat, & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Finito autem convivio. Dominus Jeſus vocavit Joannem ſeorſum, dicens: Dimitte hanc uxorem tuam, & ſequere me, quia ad altiores nuptias te perducam, qui ſecutus eſt eum. In hoc ergo, quod Dominus nuptiis interfuit, matrimonium carnale approbavit, tamquam a Deo inſtitutum. Sed in hoc, quod vocavit Joannem de nuptiis, aperte dedit intelligere, quod longe dignus eſt ſpirituale matrimonium quam carnale. Receſſit ergo inde Dominus Jeſus, volens his, quæ ad ſalutem hominum pertinent, deinceps publice & palam intendere. Prius autem voluit reducere matrem ad domum ſuam, talem enim Dominam talem ſocietatem habere decebat. Accipit ergo & eam, & Joannem, & alios diſcipulos, & iverunt Capharnaum prope Nazareth, & poſt aliquot dies, Nazareth. Conſpice ergo eos perviam, qualiter vadunt pariter, mater & filius humiliter vadunt, & pedeſtres, ſed multum amanter. O quales duo ſunt illi, numquam alii tales duo in terra viſi fuerunt. Conſpice etiam diſcipulos reverenter ſequentes, & auſcultantes verba Domini. Non enim ipſe erat otioſus, ſemper quippe aliquid boni faciebat aut dicebat, non poterat in tali comitatu tædium commeantibus generari.

A

CAPUT XXI.

De Sermone Domini in monte, quem incœpit a paupertate.

Convocans Dominus Jeſus diſcipulos ſeorſum a turbis, aſcendit cum eis in monte Tabor, prope Nazareth ad duo milliaria, ut eos imbueret eloquiis ſuis. Decebat enim, quod eos prius & ſuper alios inſtrueret, quos ſuper alios conſtituturus erat magiſtros, & duces. Tunc ergo de multis inſtruxit, & [*Matth. 5. 6 & 7*] ſermo ille pulcherrimus fuit & copioſus: B nec mirum, quia os Domini compilavit eum. Docuit autem eos de beatitudinibus, de oratione, jejunio, & eleemoſyna, aliiſque plurimis ad virtutes pertinentibus, quæ in ipſo Evangelio poteris reperire. Legas eum diligenter & ſæpe, & commenda memoriæ, quæ in ipſo dicuntur: quia ſpiritualiſſima ſunt. Ea tamen nunc non proſequor, quia nimis foret longum, nec tales expoſitiones bene videntur ſemper in meditationes cadere: quamvis ad tuam inſtructionem talia, prout mihi occurrent, interſeram, & etiam moralia, & auctoritates ſanctorum. Hoc ergo hic tetigiſſe ſufficiat, C quod Dominus initium ſermonis huius a paupertate incœpit, dans intelligere, quod paupertas eſt totius ſpiritualis exercitii primarium fundamentum. Non enim expedite poteſt ſequi Chriſtum paupertatis ſpeculum, qui oneratus eſt temporalibus rebus. Nec eſt liber, ſed ſervus, qui animi affectionem ſubiicit iſtis rebus tranſeuntibus. Idcirco dixit Beati pauperes ſpiritu, &c. Ejus enim rei, quam affectuoſe diligo, me ſervum ſponte conſtituo. Nam amor eſt animæ pondus, portans eam quocumque ipſe fertur, ut dicit Auguſtinus. [*Aug. l. 13 conf. cap. 9 tom. 1*] Et ideo nihil omnino eſt amandum, niſi Deus, vel mere propter Deum. Merito ergo Beatus dicitur pauper, qui propter Deum cetera vilipendit. Jam enim

pro magna parte Deo ſuo conjunctus eſt. De hac autem paupertate ſic dicit Bernardus. Magna quædam penna eſt paupertas, qua tam cito volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ ſequuntur, promiſſio futuro tempore indicatur, paupertati non tam promittitur quam datur. Unde & in præſenti tempore enuntiatum eſt, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Et poſtea ſubdit*. Videmus enim pauperes aliquos, qui ſi veram paupertatem haberent, non adeo puſillanimes invenirentur & triſtes, ut pote reges, & reges cœli. Sed aliqui ſunt, qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Idem alibi: Et ego, ſi exaltatus fuero a terra audaciter dico, omnia traham ad meipſum. Nec enim temeraria uſurpo mihi fratris mei vocem, cuius me induo ſimilitudinem. Quod ſi ita eſt, non putent divites huius ſæculi fratres Chriſti ſola poſſidere cœleſtia, qui audiunt dicentem: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ipſi poſſident terram, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, non mendicantes ut miſeri, ſed ut domini poſſidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum eſt. Totus plane, quia tam adverſa, quam proſpera ipſius æque omnia ſerviunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena eſurit ut mendicus: fidelis contemnit ut dominus. Ille poſſidendo mendicat, iſte contemnendo ſervat. Quære a quovis eorum, qui inſatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his ſentiant, qui ſua vendentes, & dantes pauperibus regnum cælorum pro terrena mercantur ſubſtantia, utrum ſapienter agant nec non? Proculdubio reſpondebit, Sapienter. Quære recte cur approbat ipſe quod non facit? non poſſum, inquiet. Quare? profecto quia domina avaritia non permittit: quia liber non eſt, quia non ſunt ſua, quæ poſſidere videtur, ſed nec ſui juris. Si vero tua ſunt, expende ad lucra, & pro terrenis cœleſtia commutato. Si non vales facere, te pecuniæ tuæ non dominum eſſe dicam, ſed ſervum: cuſtodem, non poſſeſſorem. Hucuſque Bernardus. Sed redeamus ad meditationem. Conſpice ergo, & conſidera Dominum Jeſum humiliter in terra ſedentem ſuper illo monte, & diſcipulos ſuos circa eum, quomodo ſtat inter eos, quaſi ut unus ex eis, & quomodo affectuoſe, benigne, & pulchre, & efficaciter eis loquitur, inducens eos ad dictos actus virtutum. Et ſemper, ut ſupra in generali conſideratione tibi dixi, reſpicere coneris faciem ejus. Conſpice in diſcipulis, quomodo reverenter, humiliter, & cum tota mentis intentione aſpiciunt eum: & auſcultant illa verba mirifica, & ea memoriæ commendant, & jucunditate magna fruuntur, tam in verbis quam in aſpectu. In hac autem conſideratione iucunderis & tu aſpiciendo ac ſi videres eum loquentem, & approximando eis, ſi forte vocata fueris, & immorando ibidem, ut Dominus tibi dabit. Completo vero ſermone, conſpice illum Dominum Jeſum, una cum diſcipulis ipſis deſcendentem de monte, & cum ipſis familiariter loquentem, etiam eundo per viam & quomodo ille ſimplicium cœtus gregatim ſequitur eum, non curioſe ordinatus, ſed ſicut pulli poſt gallinam, ut quilibet melius audiat, magis eidem nititur approximare. Et quomodo turbæ ſibi affectuoſe occurrunt, & infirmos eidem ſanandos offerunt. Ipſe vero ſanabat omnes.

Ber. ſer. 4 de advent. — *Idem ſer. 21 ſuper Cant. Joan. 12* — *Matt. 11*

CAPUT XXII.

De ſervo Centurionis, & filio Reguli a Domino liberatis.

Capharnaum vero erat quidam Centurio, id eſt, centum militum ductor, & ſervum habebat infirmum. Miſit ergo fide plenus ad Do- *Matt. 8*

Dominum Jeſum, ut eum curaret. Humilis autem Dominus reſpondit. Ego veniam & curabo eum. Quod cum ſcivit Centurio, remiſit ad eum, dicens: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus Jeſus autem commendans fidem ejus, non ivit ulterius, & ſervum abſentem ſanavit. Cum autem in eadem civitate eſſet quidam regulus, id eſt, parvus rex, ivit perſonaliter ad Jeſum, rogans eum, ut veniret ad domum ſuam, & ſanaret filium ſuum infirmum. At Jeſus ire noluit, filium tamen ſanavit. In his autem conſidera meritum fidei propter Centurionem, & humilitatem Domini, volentis ire ad ſervum, & Reguli pompam refugientis. Conſidera etiam, quod non debemus acceptare perſonas. Plus enim honoravit hic Dominus ſervum militis, quam filium regis: ſic & nos debemus non ad oculus ſervire, nec ſecundum exigentiam exterioris pompæ: ſed ſecundum intentionem vel bonitatem eius qui ſervitio indiget, & non ex complacentia, ſed ex charitate ſerviamus.

Luc. 7 — *Joan. 4*

CAPUT XXIII.

De Paralytico miſſo per tectum, & a Domino curato.

IN civitate prædicta Capharnaum, cum Dominus Jeſus doceret in quadam domo, & eſſent ibi congregati Phariſæi, & legis doctores multi ex omni caſtello Judææ & Hieruſalem. Venerunt quidam, volentes ingredi domum cum paralytico, quem portabant, ut a Domino ſanaretur. Cumque propter multitudinem non poſſent, aſcenderunt ſuper tectum domus, & inde intromiſerunt eum, & poſuerunt eum ante Jeſum. Dominus vero Jeſus videns fidem eorum dixit: Dimittuntur tibi peccata tua. Ipſi autem Phariſæi & legis doctores obſervantes eum ex malitia intra ſe dicebant, ipſum blaſphemaſſe Deum: quia ſolus Deus poteſt dimittere peccata, & ipſe hoc attribuebat ſibi, quem purum hominem eſſe credebant. Ait ergo benignus & humilis Dominus, ſcrutans corda & renes hominum. Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Et addidit ut ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terram dimittendi peccata, &c.

Luc. 5 Mar. 2 — *Mat. 9* — *Ibid.*

A

Hic quatuor ſunt meditanda. Primum perſpicacitas intellectus Chriſti, qui cogitationes illorum vidit. Secundum, quia propter peccata veniunt infirmitates, & ex abſolutione a peccatis aliquando contigit liberatio infirmitatum. Sic etiam habetis infra de curato apud piſcinam, cui dicitur a Domino, ne amplius peccet, ne deterius ſibi contingat. Tertium conſidera quam magnum ſit meritum fidei, nam etiam alterius fides alteri prodeſt, ſicut ſupra proxime habuiſti in ſervo Centurionis: ſic & infra habebis in Chananæa, in cuius fide filia fuit ſanata. Hoc quotidie contingit in pueris, qui baptizantur, quod ſi ante annos diſcretionis moriantur, in alterius fide ſuſcipiunt arrham, propter quam in merito Chriſti ſalvantur, quod eſt contra quoſdam hæreticos maledictos. Circa quartum meditandum de ipſo inter illos ſedente, & benigne malignis reſpondente, & miraculum faciente, recurre ſupra ad generalem conſiderationem, quam tibi dedi.

Quatuor meditanda — B — *Joan. 5* — *Matt. 9* — C

CAPUT XXIV.

De Socru Simonis liberata.

COntingit, Dominum Jeſum in civitate prædicta Capharnaum divertere in domum Simonis Petri, ubi ſocrus eius magis febribus tenebatur. Humilis ergo Dominus familiariter tetigit manum ejus, & curavit eam, adeo ut incontinenti ſurrexerit, & ei & diſcipulis miniſtraverit. Sed quid miniſtravit eis, non eſt ſcriptum. Cogita ergo, quod in domo pauperis, paupertatis amatori aliqua cibaria, gloſſa & quæ

Matt. 8 Mar. 1 Luc. 14

Digitized by Google

quæ cito parari poterant, eis appoſita ſunt. Conſidera etiam ipſum Dominum Jeſum iuvantem præparare, maxime in domo diſcipuli ſui. Et quævis humilia cogita: ſive de tabula ponenda, ſive de ſtratis lavandis, & ſimilibus. Talia enim omnia faciebat humilitatis magiſter, qui miniſtrare venerat, & non miniſtrari. Et ſe familiariter ad ſedendum ponebat in medio menſæ, & comedebat alacriter, præcipue cum in prandio relucebat paupertas, quam ſic amabat.

CAPUT XXV.

De Dormitione Domini in navicula.

INtrans Dominus Jeſus in naviculam cum diſcipulis ſuis, poſuit ſe ad dormiendum, tenens caput ſuper cervicali. Ipſe enim multum vigilabat de nocte in orationibus, multumque de die in prædicationibus la-
Matt. 8 borabat. Cumque dormiret, orta tem-
Mar. 4 peſtate, diſcipuli periclitari timebant ſed non audebant eum excitare. Timore tandem coacti, excitaverunt
Luc. 8 eum, dicentes: Domine ſalva nos, perimus. Qui ſurgens increpavit eos de modica fide, & imperavit mari, & ventis, & ceſſavit tempeſtas. In prædictis ergo actibus ſuis intuere, & reſpice, eum, ſecundum generalem regulam, ſive traditionem ſupra traditam. Hoc autem hic conſiderare potes, quod licet nobis circa nos & facta noſtra Dominus videat dormire, maxime quando tribulamur: ipſe tamen diligentiſſimus eſt ſuper cuſtodiam noſtram. Et idcirco debemus eſſe in fide conſtantes, de nihilo hæſitantes.

CAPUT XXVI.

De Filio viduæ a domino ſuſcitato.

CUm ſemel iret Dominus Jeſus verſus civitatem Naim, obviavit multitudini hominum portantium quemdam juvenem filium viduæ mortuum ad ſepulchrum. Pietate ergo pius Dominus Jeſus motus, tetigit feretrum, & portantes ſteterunt. Ipſe autem dixit: Adoleſcens, tibi di-
co, ſurge. Et ſtatim ſurrexit, qui Luc. 7
fuerat mortuus, & reddidit eum matri ſuæ. Omnes autem ſtupuerunt, & laudaverunt Dominum. In conſiderationibus vero, recurre ut ſupra.

CAPUT XXVII.

De Puella ſuſcitata, & Martha curata.

B AD petitionem cujuſdam ex principalibus ibat Dominus Jeſus cum eo ad ſanandum filiam ſuam. Cum ergo turba magna iret cum eo, intererat quædam mulier graviter infirma, quæ dicitur fuiſſe Martha ſoror Mariæ Magdalenæ, quæ intra ſe
dicebat: Si tetigero tamen fimbriam Matt. 9
veſtimenti ejus, ſalva ero. Et cum timore approximans, tetigit, & liberata eſt. Dixit autem Dominus Jeſus Quis me tetigit? Et reſpondit Petrus Domine turbæ comprimunt te & affligunt, & tu dicis: quis me tetigit? Vide hic patientiam Domini. Nam ſæpe comprimebatur a turbis, quia volebant ei approximare. Jeſus autem ſciebat quid dicebat. Et iterum
C dixit: Ego ſenſi virtutem ex me exiiſſe. Tunc Martha negotium publicavit. Libenter eam Dominus curavit: cum qua multam familiaritatem po-
ſtea habuit. Et tunc dixit ei: Fi- Ibid.
des tua te ſalvam fecit. In hoc ergo miraculo habes fidei commendationem, habes etiam, quod Dominus vult miracula nota eſſe, propter utilitatem communem, ſed quantum in ſe propter humilitatem abſcondebat, ut hic etiam habes: quod enim divina fecerat poteſtate, fidei illius attribuebat. Habes etiam hic quoddam valde notabile ad humilitatis cuſtodiam, ſicut Beatus Bernardus hoc modo introducit: Quilibet perfecte Domino ſerviens, poteſt appellari fimbria quaſi ultima pars veſti-

Digitized by Google

ſtimenti Domini, propter ſuam humilem reputationem. Qui ergo ad dictum ſtatum pervenerit, quod ſciat ſe a Domino exaudiri in liberandis infirmis, vel aliis miraculis, non extollatur propterea, nec ſibi attribuat, quia non ipſe, ſed Dominus fecit. Quamvis enim hic Martha tangeret fimbriam, ad cujus tactum ſe liberari confidebat, & ſic contigit, non tamen a fimbria, ſed a Domino virtus liberationis exivit. Et propterea ipſe dixit: Senſi virtutem ex me exiiſſe. Nota ergo hoc bene, & nihil boni tibi in perpetuum attribuas, quia totum eſt a Domino Jeſu. Luc. 8 Tandem Dominus Jeſus ivit ad domum Principis, & inventam filiam mortuam ſuſcitavit.

CAPUT XXVIII.

De Converſione Magdalenæ, & aliis.

Luc. 7 CUrialiſſimus Dominus invitatur quadam die a Simone leproſo, ivit ad prandendum cum eo: quod facere ſolitus erat, tum ex ſua curialitate: tum ex benignitate, & zelo, quem habebat ad ſalvandas animas, pro quibus de cœlo deſcenderat, unde comedendo cum hominibus & converſando cum eis, ad amorem ſui eos attrahebat: Tum etiam ex amore paupertatis. Nam & ipſe pauperrimus erat, & de mundi hujus ſubſtantia pro ſe, & ſuis nihil ſumpſerat. Humiliter ergo, & cum gratiarum actione ſpeculum humilitatis Jeſus cum invitabatur, recipiebat pro loco & tempore. Audiens autem Magdalena, quod in domo Simonis prædicti recumberet, quæ jam forte ipſum ſæpe prædicantem audierat, & ardenter amabat, licet nondum hoc propalaſſet, tacta dolore cordis intrinſecus, pro peccatis ſuis, & amoris ejus igne ſuccenſa, conſiderans quod ſine ipſo ſalutem obtinere non poterat, & amplius differre non volens, perrexit ed locum convivii, facieque inclinata, ac oculis in terram demiſſis, ante convivas tranſiens, non quievit donec pervenit ad Dominum, ac dilectum ſuum, Et tunc illico ad pedes ejus proſtrata, viſceroſo dolore pariter & rubore repleta de peccatis ſuis, procumbens & ponens vultum ſuper ipſius pedes, cum confidentia quadam, quia jam intra ſe eum ſuper omnia diligebat, cœpit fortiter fletibus atque ſingultibus abundare, ac tacite intra ſe dicere: Domine mi firmiter credo, ſcio atque confiteor, vos Deum, ac Dominum eſſe meum. In multis autem, & magnis offendi majeſtatem veſtram, & multiplicavi peccata ſuper numerum arenæ maris: ſed ad veſtram miſericordiam confugio iniqua & peccatrix. Doleo & compungor, veniam peto, emendare peccata parata, & numquam a veſtra obedientia diſcedere propono. Non patiar quæſo repulſam a vobis, quia aliud refugium nec me poſſe habere ſcio, nec habere volo, quia vos ſolum ſuper omnia diligo. Non ergo me repellatis a vobis, ſed de meis ſceleribus me punite ut libet, miſericordiam tamen peto. Interim autem lacrymæ decurrentes largiter, pedes Domini balneaverunt, & laverunt. Unde hic manifeſte habere potes, quod Dominus Jeſus diſcalceatus ibat. Tandem a fletu ceſſans, & eum perpendit, indignum judicans, quod ſuæ lacrymæ pedes Domini contigiſſent, capillis ſuis eos abſterſit. Ideo autem capillis, quia ſecum aliud pretioſius non habebat, quo eos tergeret: & etiam quia ea quibus ad vanitatem uſa fuerat ad utilitatem convertere intendebat. Et etiam ne vultum a pedibus Domini elongaret, & amore creſcente, oſculabatur eoſdem amanter, & ſæpe. Et quia etiam pedes ipſius Domini propter itinera ſqualidi erant, ut eos ungebat pretioſo unguento. Conſpice ergo bene ipſam, & ſuper his moroſe mediteris ob devotionem ejus, quæ ita ſingulariter a Domino fuit dilecta, & etiam quia ſolemne feſtum fuit hoc valde. Conſpice etiam Dominum Jeſum, quam patienter ſuſcipit eam,

Chriſtus diſcalceatus incedebat.

&

& quam patienter ſuſtinet quidquid facit. Ceſſat & quieſcit a comedendo, donec negotium compleatur. Ceſſant etiam convivæ, & omnes ſuper hac novitate mirantur. Simon autem vehementer eum judicabat in corde ſuo, quod a tali fœmina ſe permittebat tangi, quaſi non eſſet propheta, nec eam cognoſceret. Dominus autem cogitationibus cordis ejus reſpondens, ſe verum oſtendit prophetam, & exemplo debitorum convicit. Et volens aperte demonſtrare, quod omnia in dilectione con-
Luc. 7 ſummantur, dixit: Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et ad eam dixit: Vade in pace. O verbum delectabile & ſuave, quam libenter illud Magdalena audivit, & quam jucunde receſſit. Et perfecte ad eum converſa, deinceps ſancte & honeſte vixit, ac eidem & matri ejus perſeveranter adhæſit. Meditare ergo hæc diligenter, & tantam charitatem imitari digneris, quæ hic maxime verbo, & opere ſic a Domino commendatur. Hic enim expreſſe habes, quod charitas inter Deum, & peccatorem pacem refor-
1 Pet. 4 mat. Unde & Beatus Petrus dicit, quod charitas operit multitudinem peccatorum. Itaque cum charitas omnes virtutes informet, nullaque Deo placeat ſine charitate, ut ad ipſam habendam tota virtute nitaris, quæ te ſponſo tuo Chriſto Jeſu acceptam faciat, aliquas de ipſa auctoritates adducam in medium. Dicit ergo de
Ber. ſer. 29 ſup. Cant. ante med. ipſa Bern. Chariſma peroptimum charitas eſt plane incomparabile, quod novæ ſponſæ cæleſtis ſponſus toties inculcare curabat. Nunc quidem, dicens: In hoc cognoſcent omnes,
Joan. 13 quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis adinvicem. Nunc ve-
Ibid. ro: Mandatum novum do vobis, ut
Joan. 15 diligatis invicem. Et: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Itemque orans unum eos fore, ſicut ipſe & pater unum ſunt. *Et paulo poſt*: Denique quidnam huic comparandum putamus, quæ ipſe præfertur martyrio, ac fidei transferenti

montes? Hoc eſt ergo quod dicit: Pax vobis, a vobis ſit, & omne quod Joan. 20
extrinſecus minari videatur, non terret, quia non nocet. Idem: Quan- Idem Ser.
titas cujuſque animæ æſtimetur de 27 ſuper
menſura charitatis, quam habet: ut Cant. poſt med.
verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna ſit: quæ parum, parva: quæ vero nihil, nihil, dicente
Apoſtolo: Si charitatem non habeo 1 Cor. 13
nihil ſum. Quod ſi quantulamcumque habere cœperit, ut ſaltem diligentes ſe diligere curet, ac ſalutare fratres ſuos, & eos qui ſe ſalutant: jam non nihil quidem illam animam dixerim, quæ in ratione dati & recepti, ſocialem ſaltem retinet charitatem. Verumtamen juxta ſermonem Domini quid amplius facit: nec amplam proinde: nec magnam, ſed plane anguſtam modicamque cenſuerim animam, quam adeo modicæ charitatis eſſe cognoverim. At ſi grandeſcat, & proficiat, ita quod tranſiens limites anguſti hujus, obnoxiique amoris, latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate ſpiritus apprehendat, quatenus largo quodam gremio bonæ voluntatis, ad omnem ſeipſam curet extendere proximum diligendo unumquemque tamquam ſeipſam numquid jam illi recte dicetur. Quid amplius facis? Quippe quæ ſeipſam tam amplam facit: amplum, inquam, gerit charitatis ſinum, quæ complectitur univerſos, etiam quibus nulla ſe novit carnis neceſſitudine junctam, nulla ſpe percipiendi commodi cujuſquam illectam, nulla ſpe percipiendi commodi cujuſquam illectam, nulla ſpe percepti retributione obnoxiam, nullo denique adſtrictam debito niſi illo ſane de quo dicitur:
Nemini quidquam debeatis, niſi ut Rom. 13
invicem diligatis. Verum ſi adiicias etiam uſquequaque vim facere regno charitatis, ut uſque ad ultimos ejus terminos occupare illud pius invaſor prævaleas, dum ne inimicis quidem viſcera claudere pietatis exiſtimes, benefacias his quoque qui te oderunt,
ores pro perſequentibus & calumnian- Matt. 5
tibus te, nec non & cum ipſis qui Pſal. 119
ode-

oderunt pacem, eſſe pacificus ſtudeas: tunc prorſus latitudo cæli, latitudo animæ, & altitudo non diſpar, ſed nec diſſimilis pulchritudo: Impleturque demum in ea quod dicitur: Pſal. 103 Extendens cœlum ſicut pellem, in quo jam miræ latitudinis, altitudinis & pulchritudinis cælo, ſummus, & immenſus atque glorioſus non modo dignanter habitat, ſed ſpatioſe deambulat. Hucuſque Bernardus. Vidiſti ergo quam ſit utilis, quamque neceſſaria charitatis virtus, ſine qua profecto impoſſibile eſt placere Deo, cum qua ſine dubio placet quicumque. Igitur toto corde, tota mente, totaque virtute ſtudeas ipſam habere, quæ te libenter faciet omnia dura & aſpera pro Deo portare, & proximo.

CAPUT XXIX.

Quomodo Joannes miſit Diſcipulos ad Jeſum.

GLorioſus Miles, & Præcurſor Domini Jeſu Joannes Baptiſta cum eſſet in vinculis incarceratus ab Herode propter juſtitiæ defenſionem: quia redarguebat eum, qui tenebat uxorem fratris ſui viventis, volens inducere diſcipulos ſuos, ut ſeque- Matt. 11 rentur Dominum Jeſum, cogitavit eos ad ipſum mittere, ut auditis verbis, & viſis operibus ejus, exardeſcerent in amorem ipſius, & ſequerentur eum. Iverunt ergo ad eum, & ex parte Joannis dixerunt: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Dominus autem Jeſus magnam turbam tunc habebat coram ſe. Conſpice bene ipſum, quomodo vultu placido recipit nuntios Joannis, & quomodo ſapienter primo factis, & poſtea verbis reſpondit eis. In eorum ergo præſentia ſurdos ſanavit, & mutos, & cæcos, & alia multa miracula fecit, & populo prædicavit, & poſtea illis inter alia dixit: Ite & renuntiate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis. Iverunt ergo, & ea retulerunt Joanni, qui ea libentiſſime au- A divit. Illi autem diſcipuli poſt mortem Joannis firmiter Chriſto adhæſerunt: Dominus Jeſus poſt illorum diſceſſum, valde Joannem coram populo collaudavit, ſcilicet, quod erat pluſquam propheta, quod inter natos mulierum major eo non ſurrexerat, & de aliis ut in Evangelio habes. Tu ergo aſpice Dominum Jeſum ſemper, & dum prædicat, & dum prædicta miracula facit, ut ſupra habuiſti.

CAPUT XXX.

De Obitu Joannis Baptiſtæ.

B HIc poteſt occurrere meditatio de morte ipſius Beati Joannis Baptiſtæ. Cum ergo Herodes ille nequiſſimus, & adultera illa peſſima ſimul forte condixiſſent, ipſum occidere, ut peccati ſui redargutionem non haberent: contigit, ut in die convivii ſaltanti miſeræ filiæ ipſius Herodiadis daretur caput Joannis. Et Matt. 14 Mar. 6 ſic fuit in carcere decollatus. Vide quantus vir, & quam viliter, & quam enormiter, regnante, ac imperante nequitia occubuit. O Deus qualiter Luc. 9 hoc fieri permiſiſti? Quid eſt hoc cogitare, quod taliter moriatur Joannes, qui tantæ perfectionis, & ſanctitatis erat, ut putaretur eſſe Chriſtus? C Igitur ſi vis bene hoc negotium ruminare poſt nefaria opera eorum, cogita Joannis magnitudinem, & excellentiam ſingularem, & tunc poteris ſtupere. Audiſti autem in ſuperiori tractatu, qualiter fuit à Domino commendatus in multis, audi nunc quomodo commendat eum Beatus Bernardus in quodam ſermone, Ber. ſer. de privilegio S. Joan. Bapt. poſt med. ſic dicens: Illa mater & magiſtra omnium Eccleſiarum Romana Eccleſia, & de qua eſt dictum: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: in honore Joannis Baptiſtæ poſt Salvatoris nomen conſecrata eſt & ſignata. Dignum namque fuit, ut ſingularem amicum ſponſæ, illuc proveheret, ubi principatum ipſa conſcendit. Crucifigitur Petrus, Paulus gla-

Digitized by Google

gladiatur, ſed tamen dignitas remanet Præcurſori. Purpuratur Roma multitudine martyrum, totaque ſublimitas Beato refunditur Patriarchæ, Joannes ubique major, in omnibus ſingularis, mirabilis ſuper omnes. Quis ſic glorioſe annuntiatus eſt? Quis ſic ſpecialiter intra matris uterum Spiritu ſancto legitur fuiſſe repletus? Quem legiſtis intra matris uterum exultaſſe? Cuius nativitatem audiſtis Eccleſiam celebrare? Quis ſic eremum cupivit? Quis ſic ſublimiter legitur converſatus? Quis pœnitentiam, & regnum cœlorum primus oſtendit? Quis regem gloriæ baptizavit? Cui ſe primum Trinitas ſic aperte revelavit? Cui tale teſti- B monium præbuit Dominus Jeſus Chriſtus? Quem ſic honoravit Eccleſia? Joannes Patriarcha, immo Patriarcharum finis & caput. Joannes Propheta, immo pluſquam Propheta: quia quem venientem nuntiat, digito monſtrat. Joannes, Angelus, ſed inter Angelos electus eſt, Salvatore

Mar. 1 teſtante, qui dicit: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Joannes Apoſtolus, ſed Apoſtolorum primus, & princeps, qui primus fuit homo miſſus a Deo. Joannes Evangeliſta, ſed Evangelii primus annuntiator, prædicator prædicans Evangelium regni Dei. Joannes virgo, immo virginitatis inſigne ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum. Joannes C martyr, ſed & martyrum lumen. Inter nativitatem mortemque Chriſti, martyrii conſtantiſſima forma. Ipſe vox in deſerto clamantis, præcurſor judicis, præco verbi. Ipſe eſt Elias, uſque ad eum lex & prophetæ, lucerna lucens, & ardens. Silentio tranſeo, quod ſic novem Angelorum ordinibus inſertus eſt, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur. Hucuſque Bernardus. Audi nunc qualiter eum commendat Pe-

Pet. Chr. ſer. de dec. S. Joan. Baptiſt. trus Chryſogonus Archiepiſcopus Ravennenſis in ſermone quodam, ſic dicens: Joannes ſchola virtutum, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma juſtitiæ, &c. Si ergo ad in- A vicem comparas excellentiam, & dignitatem Joannis, & profunditatem ſcelerum eorum, qui ipſum occiderunt, merito habebis materiam ſtupendi, & murmurandi, ſi fas ſit diceret, etiam contra Deum. Nam ad hunc talem, & tantum mittitur ſpiculator, ut amputetur caput ejus, ac ſi eſſet aliquis viliſſimus, & peſſimus homicida, & depopulator. Conſpice ergo eum reverenter & cum dolore, qualiter ad juſſum vilis, & nequam ſpeculatoris collum parat, humiliter genua flectit, & gratias Deo agens ponit ſacratiſſimum caput ſuper aliquo trunco vel lapide, & patienter ictus ſuſtinet, quouſque totaliter abſcindatur. Ecce quo modo vadit Joannes amicus intimus, & Domini Jeſu conſanguineus, & Dei maximus ſecretarius. Vere magna nobis confuſio, qui patientiam in quibuſcumque adverſitatibus non habemus. Joannes innocens mortem, & talem mortem ſuſtinuit patienter, & nos plerumque peccatis aggravati, & ira Dei digni, non poſſumus etiam parvas injurias, & gravamina tolerare: immo plerumque nec verba. Dominus autem Jeſus erat tunc in partibus Judææ, ſed non in terra illa. Cum autem obitus ejus fuerat ibi nuntiatus, flevit pius Deus pugilem ſuum & conſobrinum, fleverunt etiam Diſcipuli ejus cum eo, flevit Beata Virgo, quæ ipſum natum de terra levavit, & tenerrime eum dilexit. Sed Dominus conſolabatur matrem ſuam, ipſa vero dicebat: Fili, quare non defendiſti eum, ne ſic moreretur? Cui filius: Reverenda mater non expediebat ei talis defenſio. Nam ipſe pro meo patre mortuus eſt, & pro defenſione ſuæ juſtitiæ: cito autem erit in ejus gloria. Ipſe enim pater non intendit ſuos defendere tali modo in hoc mundo, quia non ſunt hic diutius moraturi, nec eorum patria hic eſt, ſed in cœlis. Joannes ſolutus eſt a vinculis corporis, nec eſt vis in mundo moriendi. Sæviit hoſtis in eum quantum potuit, ſed ipſe regnabit cum patre meo in æternum. Igitur con-

conſoleris chariſſima mater, quia Joanni ſemper erit bene. Poſtea vero aliquibus elapſis diebus, diceſſit Dominus Jeſus de partibus illis & reddit in Galilæam. Tu autem prædictis omnibus te præſentem exhibeas & ea mediteris devote, & quocumque Dominus ierit, eum ſequaris.

CAPUT XXXI.

De Locutione cum Samaritana.

Joan. 4

CUm Dominus Jeſus de Judæa in Galilæam rediret, quæ via eſt decem & ſeptem milliarium, & amplius, ut pluries tibi dixi, & tranſiret per Samariam, fatigatus eſt ex itinere. Conſpice pro Deo eum, hic quo modo fatigatur. Plane incedit, ſæpe fatigatus eſt, & tota vita ipſius laborioſa fuit: Poſuit ergo ſe ad ſedendum ſuper quemdam puteum, & quieſcebat. Diſcipuli autem iverunt ad civitatem ad quærendos cibos. Venit ergo mulier quædam, quæ vocabatur Lucia, pro aqua ad ipſum puteum. Dominus autem cum ipſa incœpit loqui, & de magnis factis tractare, & ſeipſum eidem manifeſtare. De quibus autem cum ea loquebatur, & qualiter diſcipuli redierunt, & qualiter ad verbum mulieris civitas ei obviam venit, & qualiter ipſe ivit cum eis, ſtetit, & diſceſſit, non intendo referre: plana eſt enim Evangelica hiſtoria: lege ipſam, & ipſum Dominum Jeſum conſpice in omnibus actibus. Ex ipſa autem hiſtoria quædam pulchra & utilia nota. Et primo humilitatem Domini Jeſu: tum quia ſolus remanſit humilis Dominus, diſcipulis in civitatem euntibus confidenter enim ſe habebant ad eum: tum etiam quia cum illa muliercula ſola de tam magnis factis ſic tractabat humiliter, ac de pari loquebantur ad invicem. Non enim dedignabatur eam, ſed talia cum ea dicebat, quod ſi multis ſapientiſſimis reſpondiſſet de talibus magnum fuiſſet. Non ſic ſuperbi faciunt. Si enim ampulloſa verba ſua funderent inter paucos, ne dum

Lucia fuit nomen Samaritanæ.

Chriſti humilitas.

Superborum mos.

A cum uno, ea perdita reputarent, ſed nec illos judicarent dignos ſuſcipere verba ſua. Secundo paupertatem ipſius & corporis afflictionem conſidera, ſed & humilitas eſt immixta cum eis. Habes enim hic, quod diſcipuli iverunt ad civitatem ad quærendum cibos, & quæſitos portaverunt, & volebant quod manducaret. Sed ubi manducaſſet? certe ibi ad puteum vel ad aliquam rivum, ſive fontem. Vide ergo qualiter fatigatus, ac famelicus reficiebatur. Non credas quod hac ſola vice caſu ſic factum fuerat, ſed ſecundum conſuetudinem ſuam. Unde aperte hic colligere potes, quod humilis Dominus ac paupertatis amator, B cum ibat per mundum, ſæpe comedebat extra civitatem, & hominum habitationes ad aliquem rivum vel fontem, quantumcumque fatigatus, vel afflictus foret. Non habebat etiam exquiſita cibaria, non vaſa curioſa: non delicata vina, ſed habebat aquam puram ex ipſo fonte vel rivo: Qui vineas fœcundabat, & creaverat fontes, & omnia quæ moventur in aquis, & panem, tamquam pauper ſedens in terra humiliter comedebat. Tertio conſidera quo modo intentus erat ſtudio ſpirituali. Nam cum diſcipuli eum ut comederet, invitarent, dixit. Ego cibum habeo manducare, quem vos C neſcitis. Meus cibus eſt: ut faciam voluntatem ejus qui miſit me, nec voluit manducare, ſed expectabat illos, qui veniebant, de civitate, ut eis primo prædicaret, prius opereri volens ea quæ ſpiritus erant, non corporis, quantumcumque tunc indigeret. Conſpice ergo eum in prædictis, & eius virtutes ſtudeas imitari.

CAPUT XXXII.

Quo modo voluerunt præcipitare Dominum de ſupercilio montis.

CUm rediſſet Dominus Jeſus Nazareth, & illi ab eo miracula peterent, & ipſe eos miraculis indignos oſtenderet, furore accenſi, ex- *Luc.* 4

pu-

Digitized by Google

pulerunt eum extra civitatem. Be- A nignus ergo Dominus ante eos fugiebat, & illi perſequebantur eum. Quid tibi videtur? Intantum furor eorum exarſit, & crevit, quod ipſum uſque ad ſupercilium montis duxerunt, ut eum inde præcipitarent. Dominus vero divina virtute tranſiens per medium illorum ibat, nondum enim mori elegerat. Et dicit hic Gloſſa: Quia dicitur quod cum Dominus Jeſus de manibus illorum elapſus, de monte deſcenderet, & ſub rupe lateret, ſaxum ſubterfugit, locum ei dedit quanta erat ſua capacitas, ac ſi fuiſſet de cera: & rugæ veſtis ipſius ibi remanſerunt, ac ſi ibi ſculptæ eſſent. Conſpice ergo B eum ante eos fugientem, & latentem ſub rupe, & compatere afflictionibus ſuis, & in humilitate ac patientia ipſum imitari coneris. Gl. Luc. 3.

CAPUT XXXIII.

De Habente manum aridam, & a Domino curato.

QUamdam die ſabbati docebat Dominus Jeſus in ſynagoga: & ibi erant quidam habens manum aridam, & fecit eum Jeſus ſtare in medio, & quæſivit ab illis ſapientibus, ſi liceat in die ſabbathi bene facere. Ipſi vero tacuerunt. Dixit ergo Jeſus habenti manum aridam: Extende manum tuam. Et ſanatus eſt. Pluries in diebus ſabbathorum fecit Dominus miracula ad confuſionem Judæorum, quod carnaliter legem intelligebant, quam Deus ſpiritualiter obſervari volebat. Non enim in die ſabbathi a bono erat abſtinendum, & ab operibus charitatis, ſed a peccatis, & operibus ſervilibus. At illi ſcandalizabantur inde multum, & conſpirabant contra eum, ac dicebant: Non eſt hic homo a Deo, qui ſubbatum non cuſtodit. Dominus autem propterea non dimittebat, immo ſtudioſius faciebat, ut eos erueret ab errore. Conſidera eum ergo in prædictis operationibus & ejus exemplo non ceſſes a bono opere, quamvis alius inde ſcandalizetur injuſte. A bono namque opere neceſſario ad ſalutem animæ, ac etiam ad profectum ſpiritus conferente, ceſſare non debes propter alicujus ſcandalum. A commodo vero corporali ſecundum perfectæ charitatis exigentiam, abſtinendum eſt propter ſcandalum fratris. Propter quod dicit Apoſtolus ad Romanos: Bonum eſt non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Luc. 6. Rom. 14.

CAPUT XXXIV.

De Multiplicatione panum, & quomodo ſe diligentibus ſubvenit.

DE duabus vicibus legitur, quod benignus Dominus multiplicavit paucos panes, & inde multa millia hominum ſatiavit. Tu autem redige in unam meditationem & in ea conſidera verba & facta ipſius. Dixit enim tunc: Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent, & ſi dimiſero eos jejunios deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt. Et poſtea panes multiplicavit, ita quod omnes comederunt abundanter. Conſidera ergo C hic plura & bona, & ſpecialiter quomodo Dominus Jeſus erat miſericors, & curialis, & gratus, quo modo diſcretus & circumſpectus. Primo ergo conſidera, quod erat miſericors, quia miſericordia traxit eum ad ſubveniendum illis, & ideo dicit. Miſereor ſuper turbam. Nam: Et miſericordia ejus plena eſt terra. Matt. 15. Mar. 8. Joan. 6. Pſal. 32.

Secundo erat curialis, & gratus ex cauſa quam aſſignat: Quia ecce inquit, jam triduo ſuſtinent me. Vide curialitatem, & gratitudinem magnam ac mirabilem. Nam quaſi pro beneficio ab eis recepto ſic loquitur, cum in veritate ipſorum bonum eſſet, & non ſuum. Sed ſic eſt, ut alibi dicit: Deliciæ fuæ ſunt eſſe

Digitized by Google

Prov. 8 cum filiis hominum, cum ſibi nihil boni accreſcat, nobis autem proveniat ſalus. Illos autem qui eum ſequuntur, & præcepta & monitiones ejus cuſtodiunt, diligit Dominus, nec manum ſuam eis claudit, quin ſubveniat, cum expedit eis.

Tertio diſcretus & circumſpectus fuit, eo quod conſiderabat eorum indigentiam & impotentiam, qualiter deficere poterant, & qualiter aliqui eorum de longe venerunt. Vides ergo quam ſapida, & quam melliflua iſta verba fuerunt. Sic quotidie nobis ſpiritualiter contingit. Non enim habemus quid manducemus, niſi ipſe det: & in via deficimus, ſi nos jejunos dimittit: & ſine ipſo non poſſumus nobis in aliquo ſpirituali negotio providere. Non ergo habeamus elationis materiam, cum de manu Domini aliquam conſolationem percipimus, vel cum aliquem profectum ſpiritualis exercitii ſentimus; quia non a nobis, ſed ab ipſo eſt. Et ideo ſi bene attendimus, quanto perfectiores fuerint ſervi Dei, & Deo propinquiores, in donis ejus excellentiores, tanto humiliores videbis: quia nihil ſibi attribuunt niſi peccata, & defectus. Et quanto quis ei magis appropinquat, tanto eſt amplius illuminatus: & ideo Dei magnificentiam, & miſericordiam clarius videt, & ſic in eo locum habere non poteſt ſuperbia, vel vana gloria, quæ ex ignorantiæ cæcitate procedunt. Non enim qui Deum vel ſe bene cognoſceret & examinaret, ſuperbire poſſet. Eſt etiam longa via, qua ad Deum venimus, & ſpecialiter de me, & mei ſimilibus loquor, qui in tam longam regionem ab eo diſceſſimus propter peccata. Ad eum ergo rediens quis dicitur de longa via venire. Poſt verba ergo dicta, fecit Chriſtus facta. Conſpice ergo eum, qualiter illos panes accipiens, & patri gratias agens, dedit diſcipulis, ut apponerent turbæ, & in manibus eorum iſta multiplicavit, ut omnes pro ſuo libito comederent, & multa ſuperarent fragmenta. Conſidera etiam,

A qualiter aſpicit illos, comedere, & in jucunditate eorum lætatur. Conſpice etiam illos, qualiter ſuper illo miraculo mirantur, & unus ad alterum inde loquendo lætantur, & cum gratiarum actione manducant non ſolum corporaliter, ſed ſaltem aliqui ex ipſis mentaliter forte refectionem percipientes. Sed numquid fuit ibi Domina noſtra, ut & ipſa de panibus libenter mulieribus porrigeret, & de ipſarum recreatione gauderet? Scriptura de hoc non loquitur. Tu autem meditare, prout Dominus tibi donat.

CAPUT XXXV.

B

De Fuga Domini, quando voluerunt eum facere Regem. Item contra mundi honores.

POſtquam Dominus ſatiavit turbas Joan. 6 ut in ſuperiori tractatu continetur, illi voluerunt eum facere regem. Conſiderabant namque, quod poſſet eorum neceſſitatibus ſubvenire, & ſub tali rege videbatur eis non poſſe egere. Dominus autem Jeſus cognoſcens voluntatem eorum fugit ab eis in montem: ita quod illi non perpenderunt, nec eum invenire tunc potuerunt. Noluit ergo temporaliter honorari. Et vide quo modo vere, & non ficte hunc fugit C honorem: miſit enim diſcipulos per mare, & ipſe aſcendit in montem, ut ſi eum ulterius inter diſcipulos quærerent, ipſum invenire nequirent. Diſcipuli autem nolebant ſeparari ab eo, ſed ipſe coegit eos intrare in naviculam, & transfretare. Bonum erat ipſorum deſiderium, ſtare, ſcilicet velle cum Domino ſuo ſemper: ſed ipſe aliter providebat. Conſpice nunc ergo eos quo modo invite ab eo diſcedunt, & quo modo Dominus Jeſus coegit eos, oſtendens penitus ſe ita velle, quod vadant in navem ſine ipſo, & tunc ipſi humiliter obediunt, quantumcumque grave, & durum videatur eis. Sic quotidie ſpiritualiter nobiſcum facit. Nol-

le-

lemus enim quod ipſe a nobis diſce-
deret ullo tempore, ſed ipſe aliter
ſe habet cum anima, vadit, & reddit
pro ſuo velle, ſed pro noſtro bono.
Propter quod audire te volo, quid
in hac victoria dicat Bernardus: Ait
Ber. ſer. 32 ſup. Cant. non longe a prin. enim ſic. Cum ſponſus vigiliis, &
obſecrationibus, & multo imbre la-
crymarum quæſitus fuerit, ſubito
dum teneri putatur, elabitur, &
rurſus lacrymanti, & inſectanti oc-
currens: comprehendi patitur, ſed
minime retineri, dum ſubito iterum
quaſi a manibus evolat, & ſi inſti-
Pſal. 20 terit precibus & fletibus devota a-
nima, denuo revertetur, & volun-
tate labiorum ejus non fraudabit eam.
Sed rurſum mox diſparebit & non
videbitur, niſi iterum toto deſiderio
requiratur. Ita ergo in hoc corpo-
re poteſt eſſe de præſentia ſponſi
frequens lætitia, ſed non copia: quia
& ſi viſitatio lætificat, ſed moleſtat
viciſſitudo. Et hoc tamdiu neceſſe eſt
pati dilectam, donec ſemel, poſita
corporeæ ſarcinæ mole, avolet, &
ipſa levata pennis deſideriorum ſuo-
rum, libere iter carpens per cam-
pos contemplationis, & mente ſe-
quens expedita dilectum quocumque
ierit, nec tamen vel in tranſitu præ-
ſto erit ſic omni animæ, niſi illi
dumtaxat, quam ingens devotio, &
deſiderium vehemens, & prædulcis
affectus ſponſam probat, & dignam
ad quam gratia viſitandi acceſſurum
verbum, decorem induit, formam
ſponſi accipiens. Idem alibi. Forte
Idem ſer. 64 ſuper Cant. ante med. ideo ſubtraxit ſe, quo avidius re-
vocaretur, teneretur fortius. Nam
& aliquando ſimulabat ſe longius ire
non quia hoc volebat, ſed quia vo-
Luc. 24 lebat audire: Mane nobiſcum, quo-
niam adveſperaſcit. *Et mox ſubdit:*
Ergo iſtiuſmodi piam ſimulationem,
immo ſalutarem diſpenſationem, quam
tunc corporaliter verbum corpori in-
terdum exhibuit, non ceſſat identi-
dem ſpiritus, modo ſuo ſpeciali, cum
devota ſibi anima ſedulo actitare:
Præteriens teneri vult, abiens revo-
cari: & ire quidem illi diſpenſato-
rium, redire vero ſemper volunta-

A rium eſt, utrumque autem plenum judi-
cii, ac penes ipſum horum ratio. Nunc
vero conſtat in anima fieri huiuſce-
modi viciſſitudines, euntis, & re-
deuntis Verbi, ſicut ait: Vado &
venio ad vos, item: Modicum, & *Joan. 14*
non videbitis me, & iterum modi-
cum & videbitis me. O modicum *Joan. 16*
& non modicum! o modicum, &
longum, pie Domine! Modicum di-
cis, quod non videbimus te. Sal-
vum ſit verbum Domini mei, lon-
gum eſt & multum valde nimis: ve-
rumtamen utrumque verum, & modi-
cum meritis, & non modicum vo-
tis. Habes utrumque in Propheta:
Si moram fecerit, inquit, expecta *Abac. 2*
B eum: quia veniet & non tardabit.
Quo modo non tardabit, ſi moram
fecerit? niſi quod ad meritum ſa-
tis eſt, non tamen ſatis ad votum.
Porro anima amans votis fertur, &
trahitur deſideriis, diſſimulat meri-
ta, maieſtati oculos claudit, ape-
rit voluptati, ponens ſpem in ſalu-
tari, & fiducialiter agens in eo.
Intrepida denique, & inverecunda
revocat verbum, & cum fiducia re-
petit delicias ſuas, ſolita libertate
vocans non Dominum, ſed dilectum,
& dicens: Revertere dilecte mi. *Cant. 2*
Idem alibi: Has alternare vices non *Idem ſer. 17 ſuper*
ceſſat, in his qui ſpirituales ſunt, *Cant. ad med.*
vel quos potius ſpirituales proinde
C ipſe creare intendit, viſitans dilucu-
lo, & ſubito probans. Hucuſque
Bern. habes ergo quo modo Domi-
nus Jeſus ſpiritualiter viſitat ani-
mam atque ab ea diſcedit, & quid
tunc anima facere debeat. Revoca-
re enim debet eum ſolicite: & in-
ſtanter, interim autem patienter ſu-
ſtinere diſceſſum ſponſi, & exemplo
diſcipulorum hic obedientium ſine ipſo
navem intrantium, ſuſtinere procel-
las, & ipſius adiutorio liberationem
expectare. Sed redeamus ad ipſum
Dominum Jeſum. Ingreſſis namque
diſcipulis in mare, ipſe ſolus aſcen-
dit, & ſic evaſit manus illorum,
qui eum quærebant. Fides enim
quanto ſtudio, & cautella fugit, &
declinavit regni honorem.. Exem-
plum

Digitized by Google

plum nobis dedit, ut & nos ſimiliter faciamus. Non enim pro ſe, ſed pro nobis fugit. Cognoſcebat namque quantæ ſit temeritatis, ſi ad honores adſpiremus. Honor enim de majoribus laqueis eſt ad captionem, & gravioribus ponderibus ad animarum ſubverſionem, quam ego cognoſcam ſive ſit honor prælationis & potentiæ, ſive ſcientiæ. Vix enim fieri poteſt, quod qui delectatur honore, in periculo & præcipitio magno non ſit, vel quod pejus eſt, jam præcipitio colliſus, & hoc oſtendam tibi pluribus rationibus. Prima, quia animus ultra modum in honore delectatur, & ſolicitus eſt, quo modo ipſum conſervet, & augeat. At ſecundum beatum Greg. Tanto quis a ſuperno amore diſiungitur, quanto inferius delectatur. Secunda, quia intendit ad habendos amicos ſequaces, & complices, quibus mediantibus & adiuvantibus tueatur, & augmentet honorem, propter quod multa occurrunt, in quibus contra Deum, & conſcientiam propriam ad talium amicorum complacentiam operatur, ut illos pro ſe faciat operari. Tertia, quia æmulatur habentes, & detrahit eis, ut ipſe magis honoratus remaneat, & ſic in odium, & invidiam labitur. Quarta, quia ſe putat & reputari optat honore dignum, & ſic cadit in elationem & ſuperbiam. Sed juxta Apoſtolum: Qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Et propterea dicit Dominus in Evangelio: Cum omnia bene feceritis, dicite: Servi inutiles ſumus: ſed quando dicit hoc, qui vult honorari? Quinta, quia non ſecundum ſpiritum ambulat, ſed ſecundum carnem, non enim habet animum adunatum, & elevatum ad cæleſtia, ſed vagum, & ad multa ſparſum. Sexta & ultima, quia ex quo in honore incipit delectari, intantum allicitur, quod ſatiari non poteſt, & novos quotidie, & majores procurat, & quanto plures recipit, tanto ad plures anhelat: quia ſemper honorabiliorem ſolito, & digniorem in ſuis, & aliorum oculis eſſe ſe credit: & ſic labitur in ambitionem, quæ eſt vitium peſſimum, & multorum aliorum vitiorum radix & cauſa. De huiuſmodi malignitate audi non me, ſed Bern. qui ſic ait. Ambitio, inquit, ſubtile malum, & ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Et quantos hæc peſtis nequiter ſupplantatos, turpitur quoque deiecit: ut ceteri quoque quos latuit occultus effoſſor, ſubitam expaveſcerent ad ruinam. Quid vero hunc vermem alit, quam mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid niſi veritas hunc prodendum inveſtigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc eſt, quæ dicit: Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat? Et item: Potentes, inquit, potenter tormenta patientur. Hæc eſt quæ ſedula ſuggeſtione reducit in mentem, quam ſit in ambitu frivola conſolatio, grave judicium, uſus brevis, finis ignotus. Et ideo tentatio Domini de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promiſit, ſi cadens adoraret eum. Vides enim, quod ambitionis via, adoratio diaboli eſt, qua videlicet ad honores mundi, & gloriam perveniendum ſuis ille adoratoribus pollicetur. Idem alibi: Cupidi ſiquidem ſumus aſcenſionis, exaltationem concupiſcimus omnes. Nobiles enim creaturæ ſumus, & magni cuiuſdam animi: ideoque altitudinem naturali appetimus deſiderio. Sed væ nobis, ſi voluerimus eum ſequi, qui ait: Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Heu miſer in lateribus Aquilonis. Frigidus eſt mons ille, non te ſequimur, poteſtatis habes concupiſcentiam, altitudinem præſumis potentiæ. Quanti tamen uſque hodie fœda ſequuntur, infeliciaque veſtigia tua, immo vero quam pauci eva-

Greg. hom. 30 in Ev. ante med. — *Gal. 6* — *Luc. 17* — *Ber. ſer. 7 ſuper Pſ. Qui habitat, circa med.* — *Matt. 16* — *Sap. 6* — *Idem ſer. 4 de Aſc. Dom. ante med.* — *Iſa. 14*

Digitized by Google

evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Quem ſequimini miſeri? Quem ſequimini? Nonne iſte eſt mons in quem aſcendit Angelus, & diabolus factus eſt? Et illud advertite, quod poſt caſum ſuum invidia cruciante, male ſolicitus de ſupplantando homine, ſimilem ei montem alterum demonſtravit. Eritis, inquit, ſicut dii, ſcientes bonum & malum. *Poſt aliqua*: Et iſta poteſtatis ambitio Angelum felicitate privavit angelica. Scientiæ etiam appetitus, hominem immortalitatis gloria ſpoliavit. Conetur quis aſcendere in montem poteſtatis, quantos putas habebit contradictores quantos inveniet expulſores, quanta obſtacula, quam difficilem viam? Quid ſi tandem adipiſci eum contingeret, quod optabat? Potentes potenter, ait ſcriptura, tormenta patientur, unde præſentes ſolicitudines, & anxietates quas ipſa poteſtas parit, omittam. Cupidus alter eſt inſtantis ſcientiæ, quantum laborabit, quantum anxiabatur ſpiritus ejus, & tamen audiet. Nec ſi te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus eius, quoties videre contigerit cui ſe poſteriorem judicet, aut ab aliis reputari putet. Quid cum intumuerit multum? Perdam, inquit, Dominus ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Jam ne multis immorer, vidiſtis, ut arbitror, quam fugiendus nobis ſit mons uterque, ſi præcipitium Angeli, ſi caſum hominis expaveſcimus. Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniant ſuper vos. Quid tamen agimus? Aſcendere ſic non expedit, aſcendendi tenemur concupiſcentia, quis docebit nos aſcenſum ſalubrem? quis niſi de quo legimus: Quoniam qui deſcendit, ipſe etiam aſcendit? Et ab ipſo demonſtranda erit nobis aſcenſionis via, ne ductoris immo ſeductoris iniqui, aut veſtigium aut conſilium ſequerentur. Quia ergo non erat qui aſcenderet, deſcendit altiſſimus, & ſuo nobis deſcenſu ſuavem ac ſalubrem dedicavit aſcenſum. Deſcendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus, de monte deſcendit ſcientiæ, quoniam placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui ſola matris ubera novit? Quis impotentior eo, cui omnia membra clavis ſunt affixa, cuius dinumerantur omnia oſſa? Quis inſipientior videtur eo, qui tradebat in montem animam ſuam, & quæ non rapuit tunc exoluebat? Vides qui multum deſcenderat, quantum a potentia, quantum a ſapientia exinaniverit ſeipſum? ſed non potuit altius in montem bonitatis aſcendere, nec ſuam expreſſius commendare charitatem. Nec mirum ſi deſcendendo Chriſtus aſcendit, quando priorum uterque cecidit aſcendendo. Idem alibi: Propterea chariſſimi perſeverate in diſciplina, quam ſuſcepiſtis, ut per humilitatem ad ſublimitatem aſcendatis; quia hæc via eſt, & non eſt alia præter illam: Qui aliter vadit, cadit potius quam aſcendit: quia ſola eſt humilitas quæ aſcendit, & quæ exaltat, hæc eſt quæ ſola ducit ad vitam. *Et infra*: O perverſitas, o ambitio filiorum Adam quod cum aſcendere difficillimum, deſcendere autem facillimum ſit, ipſi & leviter aſcendunt, & deſcendunt difficilius, parati ad honores ad celſitudines graduum Eccleſiaſticorum, ipſis etiam angelicis humeris formidandos. Ad ſequendum autem te Domine Jeſu, vix invenitur, vel qui trahi patiatur, qui velit duci per viam mandatorum tuorum. Hucuſque Bern. Habet ergo ex prædictis, qualiter ad verum honorem pertingere poſſis, ſcilicet per humilitatem, & qualiter fugiendus eſt hic temporalis, & falſus honor. Sed forte blandiuntur ſibi aliqui ambitioſi ſcientiæ, ac honoris ſub ſpecie lucri animarum, quaſi ſic melius poſſint intendere aliorum ſaluti. Sed audi quid eis reſpondeat Bernardus: Utinam tamen quiſquis ſic intrat, ſi fieri poſſet, tam fideliter

Margin notes: Gen. 3 — Sap. 6 — 1 Cor. 1 ex Iſ. 16 & Abd. 1 — 1 Reg. 1 — 1 Cor. 1 — B — C — Idem ſer. 2 de Aſcenſ. Dom. poſt med. — Idem ſer. ad clericos c. penult. in fin.

ter miniſtraret, quam fiducialiter ſe ingeſſit. At difficile fortaſſis, ac poſſibile eſt, ut ex amare radice ambitionis, ſuavis fructus prodeat charitatis. Hucuſque Bernardus. Ad hoc autem ut honores vilipendas, ut condecet, neceſſaria eſt virtutis præcellentiſſimæ magnitudo. Nam ſicut dicit Chryſoſtomus: Tale quid eſt uti bene honoribus, ac ſi aliquis cum puella ſpecioſiſſima converſetur, & leges accipiat, ne in ipſam umquam oculos iniiciat impudicos. Ideoque procul dubio valde forti opus eſt animo, ut quis poteſtate vel honore ſibi conceſſo, in his quibus oportet utatur.

CAPUT XXXVI.

Quo modo Dominus oravit in monte, & deſcendens ambulavit ſuper aquas, & multa plura de oratione.

Mar. 6 *Joan. 6* *Matt. 14* SIcut in ſuperiori tractatu habuiſti, Dominus Jeſus coegit diſcipulos intrare navem, & ipſe aſcendit in montem. Compleamus ergo, quæ Dominus operatus eſt poſt illud miraculum de panibus, quia illa materia contigua eſt, & ea quæ iſtis tractatibus continentur, ſimul facta fuerunt. Ipſe tamen dimiſi, ut melius poſſes capere, & ut eorum moralitates poſſent clarius explicari. Poſtquam ergo diſcipuli navem intraverunt, ipſe in montem aſcendit, & ibi ſtetit in oratione uſque ad quartam vigiliam noctis, id eſt, uſque ad partes tres noctis quæ receſſerant & quarta reſtabat. Ex quo habes, quod Dominus Jeſus pernoctabat in orationibus, & pluries legitur, eum orationi intendiſſe. Conſpice ergo eum, qualiter orat, & ſe humiliat coram patre. Quærit ſolitaria loca, & ſolus vadit ad ea, affligit ſe, & vigilat vigilias longas. Intercedit paſtor fidelis pro ovibus ſuis, orat enim non pro ſe, ſed pro nobis, tamquam advocatus noſter & mediator apud patrem. Orat etiam, ut exemplum nobis daret orandi. Frequenter *1 Joan. 2*

A etiam diſcipulos monuit de hoc, & opere comprobavit. Dicebat namque eis, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere. Et quomodo importunitas orationis impetrat quod poſcit proponens eis exemplum ad hoc de judice & vidua, ut habes in Luca. Hortabatur eos etiam ad confidentiam impetrandi petita, dicens: Petite & dabitur vobis. Ad hoc aliud proponens exemplum de amico, qui propter importunitatem amici petentis panes neceſſarios commodat, ut ſimiliter habetur in Luca. Et hoc dicebat, ut nobis commendaret virtutem orationis. Eſt quippe virtus ejus inæſtimabilis, & efficax ad omnia proficua impetranda, & nociva removenda. Si vis enim patienter tolerare adverſa, ſis homo orationis. Si vis tentationes & tribulationes ſuperare, ſis homo orationis. Si vis pravas affectiones conculcare, ſis homo orationis. Si vis aſtutias ſatanæ cognoſcere, ac ejus fallacias vitare, ſis homo orationis. Si vis lætanter vivere in opere Dei, & laboris, & afflictionis viam incedere, ſis homo orationis. Si vis ſpiritualis vita te exercere, & carnis curam non agere in deſideriis, ſis homo orationis. Si vis vanas muſcas cogitationum effugare, ſis homo orationis. Si vis animam tuam ſanctis, & bonis cogitationibus, deſideriis, fervoribus, & devotionibus impinguare, ſis homo orationis. Si vis cor tuum virili ſpiritu, & conſtanti propoſito in Dei beneplacito ſtabilire, ſis homo orationis. Denique ſi vis vitia extirpare, & virtutibus imbui, ſis homo orationis. In ea enim recipitur ſancti Spiritus unctio, quæ de omnibus mentem docet. Item ſi vis ad contemplationem aſcendere, frui amplexibus ſponſi, ſis homo orationis. Ad eam namque contemplationem & cœleſtium deguſtationem, per orationis exercitium, devenitur. Vides quam magnæ potentiæ, & virtutis ſit oratio. Ad quorum omnium confirmationem omiſſis ſcripturorum probationibus, hoc tibi ſit pro afficaci probatione, quod

Luc. 18 *Ibid.* *Luc. 11* *Multiplex fructus orationis.*

B C

Digitized by Google

audimus, & videmus quotidie per experientiam, illitteratas perſonas & ſimplices, prædicta & alia plura majora, per virtutem orationis fuiſſe adeptos. Multum ergo animam debent ad orationem dare omnes, qui Chriſtum imitari deſiderant, & præcipue religioſi, quibus major debet eſſe vacandi copia. Quare te hortor tibique quantum poſſum, mando diſtrictius, ut pro principali exercitio tuo, ſumas orationem, nihilque aliud neceſſariis curis tantum exceptis, te delectet niſi oratio: quia tantum te delectari debet, quam morari cum Domino, quod per orationem fit. Ut autem melioris hortatoris fungaris conſilio, audi melliflua, quæ ſuper iſta materia narrat Bernardus. Dicit enim ſic: Quibus ſtudium eſt frequenter orare, experti ſunt quod dico. Sæpe corde tepido, & arido accedimus ad altare: orationi incumbimus, perſiſtentibus autem repente infunditur gratia, pingueſcit pectus, replet viſcera inundatio pietatis, & ſi ſit qui premat lac conceptæ dulcedinis, ubertim ubera fundere non tardabunt.

Ber. ſer. 9 ſup. Cant. poſt med.

Idem in principio quadrageſimæ: Quoties, inquit, de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde meo. Quid enim eſt quod licet numquam ab oratione ceſſemus, vix unquam experiri videtur aliquis veſtrum, quis ſit orationis ſuæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, ſic & redire videmur, & nemo reſpondet nobis verbum, nemo quidquam donat. Sed judicium fidei ſequere, non experimentum tuum. Quoniam fides quidem verax: ſed experimentum fallax. Quæ eſt igitur veritas fidei, niſi quod promiſit filius Dei dicens: Quidquid autem orantes petitis, credite: quia accipietis & fiet vobis. Nemo veſtrum fratres parvipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus, non parvipendit eam. Prius quam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe eam ſcribi jubet in libro ſuo. Et unum e duobus indubitanter ſperare poſſumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit nobis utilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorantia noſtra, & orationem benigne ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt utile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minime tribuit. Oratio tamen infructuoſa non erit, ita ſane ſi fecerimus quod monemur in Pſalm. ſcilicet ſi delectemur in Domino. Ait enim Sanctus David: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. *Et poſt pauca*: Sed conſidera, quod petitiones cordis *dixerit*, quas approbat judicium rationis. Nec habes quod cauſeris, ſed unde magis toto affectu in gratiarum actione verſeris. Quandoquidem tanta ſuper te cura eſt Deo tuo, ut quoties quæris quod tibi inutile eſt, non te audiat ſuper hoc, ſed mutet illud meliori dono. Sicut pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porrigit: quærenti cultellum, quem non neceſſarium putat, non conſentit, ſed magis ipſi panem quem ei dederit, ipſe frangit. Porro petitiones cordis in tribus crede conſiſtere, nec video, quid præter illa electus quiſquis ſibi debeat poſtulare. Duo quidem hujus temporis ſunt, ſcilicet bona corporis, & bona animæ: tertium autem beatitudo vitæ æternæ. Nec mireris quod bona corporis a Deo dixerim eſſe quærenda: quoniam ejus ſunt corporalia omnia ſicut ſpiritualia bona. Ab eo enim eſt petendum & ſperandum, nobis evenire, ut poſſimus in ejus ſervitio ſuſtentari. Verumtamen pro neceſſitatibus animæ orandum eſt nobis, & frequentius & ferventius, id eſt pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate, totoque nobis orandum eſt deſiderio: ubi nimirum & corporis, & animæ plena, & perfecta eſt beatitudo. *Et infra*. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus eſt, circa ſolas neceſſitates reſtricta. Sit oratio quæ pro virtutibus animæ eſt, ab omni impuritate li-

Idem ſer. 3 de Quadr. circa med.

Mat. 11

Pſal. 36

libera, & circa ſolum beneplacitum Dei intenta. Sit ea quæ fit pro vita æterna, in omni humilitate præſumens, de ſola miſeratione divina. Idem: Non modo locum, ſed & tempus obſervare oportet eum, qui ſibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius, aptiuſque maxime autem cum profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, tunc plane liberior exit, puriorque oratio. Conſurge in nocte, inquit, in principio vigiliarum tuarum, & effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini Dei tui. Quam ſecure de nocte aſcendit oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam? Quam grata & lucida, verecundo colorata rubore? Quam ſerena, & placida, nullo interim turbata clamore, vel ſtrepitu? Quam denique munda, & ſincera, nullo reſperſa pulvere terrenæ ſolicitudinis, nulla aſpiciente laude, ſeu adulatione tentata? Propter hoc igitur ſponſa non minus verecunde, quam caute, & lectuli ſecretum petebat, & noctis: orare, hoc eſt, verbum quærere volens. Unum eſt enim. Alioquin non recte oras ſi orando præter verbum aliquid quæſ ſes, aut quod propter verbum non quæris: quoniam in ipſo ſunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi ſubſidia neceſſitatum, ibi reſarcitus defectuum, ibi profectum copiæ. ibi denique quidquid accipere, vel habere omnibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Sine cauſa ergo aliud a verbo petitur, cum ipſum ſit omnia. Nam ſi iſta temporalia, cum neceſſe eſt, poſtulare familiarius videmur, ſi verbum in cauſa eſt, ut quidem dignum eſt, non utique illa, ſed hoc potius quærimus, propter quod alia poſtulamus. Huc uſque Bernardus. Audiſti igitur verba pulcherrima altiſſimi contemplantis, & orationum dulcedinem deguſtantis Bernardi. Rumines ea ſi vis, ut ſapiant tibi. Ideo autem libenter ipſius verba in hoc Opuſculo inter-

Idem. ſer. 86 ſuper Cant. cir med.

Thren. 2

Auctoritas S. Bern. teſtimonium.

A ſero, & adduco, quia non ſolum ſpiritualia ſunt, & cor penetrantia, ſed & decore plena, & ad Dei ſervitium excitantia. Ipſe enim fuit eloquentiſſimus, & ſpiritus ſapientiæ plenus, & ſanctitate præclarus: quem te deſidero imitari, & ipſius monita, & verba, opere exercere, propter quod ſæpe tibi propono eundem.

Sed redeamus ad Dominum Jeſum. Dum igitur Dominus eſſet orans in monte, diſcipuli erant in mari afflicti, & anguſtiati vehementer quia ventus erat eis contrarius, & navis procellis, & fluctibus jactabatur. Conſpice ergo eos, & compatere eis, B quia in magna ſunt tribulatione & anguſtia. Tempeſtas enim invaſit eos, tempus nocturnum eſt, & abſque Domino ſuo ſunt. Quarta autem vigilia noctis deſcendit Dominus de monte, & ambulans ſupra mare, appropinquavit eis. Conſpice ergo eum bene hic pro Deo, & vide quo modo fatigatus ex vigilia longa, & oratione prolixa ſolus deſcendit noctis tempore de monte laborioſo, & forte petroſo, pedibus nudis, & quo modo vadit ſupra mare firmo veſtigio ſicut ſuper terram. Cognovit ergo creatura ſuum Creatorem. Cum autem appropinquavit navi, diſcipuli timentes, clamaverunt, C putantes eſſe phantaſma, at benignus Dominus nolens amplius eos vexari, aſſecuravit eos dicens: Ego ſum, nolite timere. Tunc Petrus confiſus de potentia Domini, ad juſſum ejus cœpit & ipſe ſupra mare ambulare: ſed poſtea titubans cœpit mergi, ſed dextera Domini eum ne dermegeretur, erexit. In hoc autem loco dicit Gloſſa: Super mare ambulare facit eum, ut oſtendat divinam potentiam: mergi facit, ne infirmitatem obliviſcatur, ne putet ſe æqualem Deo, & ne ſuperbiat. Intravit autem Dominus navem, ceſſavit quaſſatio, & omnia ſunt pacata. Diſcipuli vero eum reverenter recipiunt, multumque gaviſi ſunt, & in quiete magna remanſerunt. Conſpice bene-

Matt. 14

ne ipſum, ac diſcipulos in omnibus prædictis, quia pulchra & devota ſunt valde. In hoc igitur facto moraliter conſiderare potes, quia Dominus quotidie ſic nobiſcum facit ſpiritualiter, patitur, & ſuſtinet, ut electi affligantur in hoc mundo, in interiori, & exteriori homine, quia flagellat omnem filium quem recipit. Qui enim extra diſciplinam ſunt, ut ait Apoſtolus, non filii, ſed adulteri ſunt. Expedit autem nobis tribulari, & affligi hic, nam inde erudimur, inde virtutes acquirimus, & acquiſitas conſervamus, & quod majus his eſt, inde futura, & æterna præmia expectamus. Et ideo non debemus in eis frangi, vel eſſe impatientes: ſed ipſas affectare, & diligere. Sed quia magna a multis tamen incognita eſt utilitas tribulationum, & idcirco talibus difficiles & importabiles videntur. Ut tu inſtruaris, & patienter eas ſuſtineas, adduco tibi more ſolito verba Bernardi, qui ait ſic: Utilis eſt tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. Cum ipſo ſum, inquit, in tribulatione, & cetera. Agamus ergo gratias patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione, & in omni tribulatione noſtra nos conſolatur. Res enim, ut dixi, neceſſaria eſt tribulatio, quæ in gloriam vertitur, quæ mutatur in gaudium. Gaudium ſane longum, quod nemo tollet a nobis, gaudium multum, gaudium plenum. Res neceſſaria eſt, iſta neceſſitas, quæ parit coronam. Non contemnamus, fratres, ſemen modicum eſt, magnus exinde fructus exurgit. Forte inſipidum, forte acerbum eſt, forte granum ſinapis. Non conſideramus quæ videntur, ſed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna. *Et infra:* Cum ipſo in tribulatione ſum ait Dominus, & ego non aliud meritum quam tribulationem requiram. Mihi adhærere Deo bonum eſt. non ſolum autem, ſed & ponere in Domino Deo ſpem meam, quia eripiam & glorificabo eum, cum ipſo ſum in tribulatione. Deliciæ, inquit meæ eſſe cum filiis hominum. Deſcendit ut prope ſit his qui tribulato ſunt corde, ut nobiſcum ſit in tribulatione noſtra, erit autem quando rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus, ſi tamen curemus eum interim habere nobiſcum. Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipſe ſis mecum, quam regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari. Vaſa figuli probat fornax, & viros juſtos tentatio tribulationis. Quid trepidamus? Quid cunctamur? Quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, ſed Dominus nobiſcum eſt in tribulatione. Si Deus nobiſcum, quis contra nos eſt? Nihilominus quoque ſi ille eripit, quis eſt qui eripiat de manu ejus? Poſtremo ſi iſte glorificat, quis humiliabit? Idem. Non ſolum igitur in ſpe, ſed gloriamur in tribulatione. Libenter ait, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Optanda infirmitas quæ Chriſti virtuti compenſatur. Quis dabit mihi non ſolum infirmari, ſed deſtitui, ac deficere penitus a memetipſo, ut Domini virtutum virtute ſtabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Denique ait: Quando infirmor tunc fortior ſum, & potens. Idem: Propterea ſponſa non faſcem, ſed faſciculum dilectum dicit, quod leve præ amore in ipſis ducat, quidquid laboris immineat, & doloris. Bene faſciculus, quia parvulus natus eſt nobis. Bene faſciculus, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim, inquit, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operabitur in nobis. Erit igitur quandoque nobis ingens cumulus gloriæ qui modo eſt faſciculus myrrhæ. An non faſciculus cujus jugum ſuave eſt, & onus leve? non quia leve in ſe, nec enim levis paſſionis

Margin notes: *Heb. 12* *Ibid.* *Ber. ſer. 17 ſuper Pſal. Qui habitat, ante med.* *Pſal. 90* *Pſal. 72* *Prov. 8* *Eccl. 27* *Idem ſer. 25 ſuper Cant. poſt med.* *2 Cor. 12* *Ibid.* *Idem ſer. 43 ſuper Cant. ſtatim a prin.* *Rom. 8* *2 Cor. 4*

nis aſperitas mortis amaritudo, ſed levis tamen amanti. Idem ſuper iſtum verſum: *A ſagitta*. Si magnum illud Eccleſiæ corpus conſiderare libet, facile ſatis advertimus, longe acrius impugnari ſpirituales viros ipſius Eccleſiæ quam carnales. Agit hoc ſane ſuperna, ſemperque invidioſa malitia, perfectiores quoſque vehementius pulſans, juxta illud: Eſca ejus electa. Agit, inquam, & non ſine certa divini diſpenſatione conſilii: qui quidem nec imperfectiores non ſuper id quod poſſunt ferre tentari permittit, faciens cum tentatione proventum: & perfectioribus non modo glorioſiores, ſed numeroſiores parat ex hoſte triumphos. *Et poſt pauca*: Longe ampliori ſolicitudine, & calliditate multipli pars adverſa vulnerare in nobis dexteram ſatagit, quam ſiniſtram, nec tam corporis profecto, quam cordis laborat auferre ſubſtantiam. *Et infra:* Illic autem ſtudioſius repugnandum, ubi gravior urget neceſſitas, ubi totum belli imminet pondus, ubi colluctationis ratio univerſa conſiſtit. Unde nobis tota paratur, aut victis ignominioſa captivitas, aut vincentibus gloria triumphalis: *Et poſt aliqua*: Hæc denique gratia, & miſericordia Dei in ſervos ejus, & reſpectus in electos illius, ut in eorum interim ſiniſtram quidem velut diſſimulans, dexteræ ſemper ſtudioſus protector aſſiſtat. Hinc eſt, quod de ipſo Propheta teſtatur. Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi ne commovear. *Et infra*: Utinam mihi ſemper a dextris ſis Jeſus bone, ut ſemper teneas manum dexteram meam. Scio enim & certus ſum, quod nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim & tundatur ſiniſtrum latus pulſetur injuriis, vellicetur opprobriis, libens illud expono, dum a te cuſtodior, dum ſis ipſe protectio mea, ſuper manum dexteram meam. Idem: Aliud eſt animo virtute agi, aliud ſapientia regi, aliud dominari in virtute, aliud in ſuavitate deliciari. Licet namque ſapientia potens, & virtus ſuavis exiſtat, ut tamen proprias quibuſque reddamus vocabulis ſignificantias, vigor virtutem, ſapientiam placiditas animi, cum ſpirituali quadam ſuavitate demonſtrat. Hanc puto ab Apoſtolo deſignatam: ubi poſt multa hortamenta, ad virtutem pertinentia, adjecit, quod ſapientia eſt in ſuavitate in Spiritu ſancto. Igitur reſiſtere, vim vi repellere, quæ utique in partibus virtutis deputantur, honor quidem, ſed labor eſt. Non eſt enim idem ipſum honorem tuum laborioſe defendere, & quiete poſſidere. Non idem virtute agi, & virtute frui. Quidquid virtus elaborat, ſapientia fruitur: & quod ſapientia ordinat, & deliberat, moderatur virtus, & exequitur. Sapientiam ſcribe in otio ait Sapiens: ergo ſapientiæ, otia, negotia ſunt, & quo otioſior ſapientia, eo exercitatior in genere ſuo. E regione virtus exercitata clarior eſt, eoque probatior quo officioſior. Et ſi quis ſapientiam, virtutis amorem definierit, non mihi a veris deviare videtur. Ubi autem amor eſt labor non eſt, ſed ſapor. Et forte ſapientia a ſapore denominatur, quaſi virtuti accidens quoddam, velut condimentum ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa & aſpera quoddammodo ſentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, ſi quis ſapientiam ſaporem boni definiat. *Et infra:* Itaque ad virtutem ſpectat tribulationes fortiter ſuſtinere, ad ſapientiam gaudere in tribulationibus. Confortare cor tuum, & ſuſtinere Dominum, virtutis quidem eſt guſtare, & videre quoniam ſuavis eſt Dominus, ſapientiæ eſt. Et ut magis ex proprio bono naturæ bonum utrumque clareſcat, modeſtia animi probat ſapientiam, conſtantia virum virtutis oſtendit. Et bene poſt virtutem ſapientia, cum virtus ſit quoddam ſtabile fundamentum, ſuper quod ſapientiam ædificet ſibi domum. Idem: Felix, qui paſſiones corporis ſui propter juſtitiam ordinat ut quidquid patitur, propter Dei

Idem ſer. 7 ſuper Pſal. Qui habitat.

Abac. 1

Pſal. 15

Idem ſer. 85 ſuper Cant. poſt med.

Eccl. 38

Pſal. 33

Prov. 9

Idem ſer. de paſſione Dom. in Feria 4 hebdomadæ panoſæ verſ. fin.

filium patiatur: quatenus & a corde A tollatur murmuratio, & in ore verſetur gratiarum actio, & vox laudis. Qui ſic extulerit ſe, iſte tollit grabbatum ſuum, & vadit in domum ſuam. Grabbatum noſtrum corpus eſt, in quo prius languidi jacebamus: ſervientes deſideriis, & concupiſcentiis, noſtris. Nos portamus illud, cum ſpiritui cogimur obedire. Idem: Vere multiplex ſpiritus qui tam multipliciter filiis hominum inſpiratur, ut non ſit qui ſe abſcondat a calore ejus. Siquidem conceditur eis ad uſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium, ad fervorem. Ad uſum quidem vitæ, bonis & malis, dignis pariter & indignis omnia bona abundantiſſime tribuens: ita ut videatur hic diſcretionis limitem non timere. Ingratus eſt, qui in his quoque beneficia ſpiritus non agnoſcit. Ad miraculum in ſignis, & prodigiis, in variis virtutibus quas per quorumlibet manus operatur, ipſe eſt antiqua miracula ſuſcitans, ut ex præſentibus fidem aſtruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam ſine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad ſalutem, cum in toto corde noſtro revertimur ad Dominum Deum noſtrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem noſtram. Nam cum teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus, ea inſpiratio eſt ad conſolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius ſpirans validum ignem charitatis accendit, ut non ſolum in ſpe gloriæ filiorum Dei, etiam in tribulationibus gloriemur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, deſpectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus eſt ſpiritus ad ſalutem: ad fervorem non ita. Pauci enim ſunt qui hoc ſpiritu repleantur, pauci qui ſtudeant æmulari. Contenti ſumus anguſtiis, nec reſpirare in libertatem illam, nec ſaltem ad illam ſpirare conamur. Hucuſque Bernardus. Vides igitur quam pulcherrimis & pluribus rationibus, nobis oſtendit facundiſſimus Bern. quod tribulationes nobis expediunt. Non igitur mireris, ſi Dominus permittebat diſcipulos ſuos, quos ita diligebat vexari procellis, utilitatem ipſorum exinde cognoſcens. Pluries enim legitur, eorum naviculam fluctibus, & contrariis ventis exagitatam, ſed nunquam ſubmerſam. His ergo monitis, cor tuum ſtabilire, ac ordinare procures, ut in contingentibus adverſis, & in quibuſcumque diſplicentiis, & patienter & lætanter te habeas, & in via ſpiritus te ita exerceas ut ejus repleta fervore etiam appetas pro amore Domini Jeſu tribulari, qui in ſe & ſuis hanc viam excelſam tenuit, & monſtravit.

Idem ſer. 3 de Pent. verſ. fin.

B

DE CHANANÆA

CAPUT XXXVII.

Quomodo Angeli noſtri nobis fideliter ſerviunt notabilis diſcurſus.

CUm Dominus Jeſus laborans circuiret prædicando, & infirmos curando; acceſſit ad eum mulier Chananæa, id eſt, de terram Chanaan, quæ erat gentilium & non Judæorum, rogans eum ut liberaret filiam ſuam, quæ a dæmonio vexabatur. Erat enim fidens in eo, quod hoc facere poſſet. Et Domino non reſpondente nihilominus inſtabat, & perſeverabat clamans, & petens ab eo miſericordiam: in tantum, ut diſcipuli pro ea rogarent. Cumque Dominus reſponderet, non debere dare panem filiorum canibus, ipſa ſe humilians reſpondit, ut ſaltem more canis de micis poſſet habere, & ſic meruit exaudiri. Conſpice ergo Dominum & diſcipulos, & ipſum in prædictis, juxta conſiderationem ge- *Matt. 15*

C

neralem, quam dedit tibi ſupra. Nihilominus etiam conſidera virtutes hujus mulieris, & eas ad totam tuam utilitatem converte, quæ maxime tres fuerunt. Prima fuit fides magna, ut etiam uſque ad filiam ſe extenderet, & de ipſa fuit commendata hæc a Domino. Secunda fuit orationis perſeverantia, & non ſolum perſeverans fuit, ſed etiam importuna. Quam importunitatem etiam Dominus acceptat, & eam invitat, ut in priori tractatu certa habuiſti. Tertia fuit humilitas profunda, nam nec negavit ſe canem, nec dignam putavit ſe inter filios reputari, vel habere panem integrum, ſed contenta fuit de micis accipere. Unde valde ſe humiliavit, & ideo quod poſtulavit, obtinuit. Sic & tu ſi corde integro, fideli & puro in oratione perſeverans coram Deo tuo te humiliaveris, indignam te reputans omni bono ſuo, certiſſime credas, quod quidquid petieris, obtinebis. Et ſicut Apoſtoli rogaverunt pro Chananæa: ſic & Angelus tuus pro te rogabit, & offeret orationem tuam Domino. Super quo audi Bernardum dicentem: Suſpiranti animæ meæ frequenter, immo ſine intermiſſione oranti, & affligenti ſe præ deſiderio, cum interdum deſideratus ille, qui ita quæritur, miſeratus occurrit, puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum Hieremia: Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te. Sed & Angelus ejus qui unus eſt de ſodalibus ſponſi, in hoc ipſum deputatus miniſter profecto & arbiter, ſecretæ mutæque ſalutationis. Is, inquam, Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur, & condelectatur, & converſus ad Dominum dicit: Gratias ago tibi Domine majeſtatis: Quia deſiderium cordis ejus tribuiſti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum: Ipſe eſt qui in omni loco ſedulus quidem pediſſequus animæ non ceſſat ſolicitare, & aſſiduis ſuggeſtionibus monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rurſum. Expecta Dominum, & cuſtodi viam ejus. Item ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Ad Dominum autem: Sicut cervus, inquit, deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat iſta ad te Domine. Deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritus tuus in præcordiis ejus. De mane vigilavit ad te. Et iterum: Tota die expandit ad te manus ſuas. Dimitte illam, quia clamat poſt te. Convertere aliquantulum, & deprecabilis eſto. Reſpice de cœlo & vide & viſita deſolatam. Fidelis paranymphus, qui mutui amoris conſcius, ſed non invidus, non ſuam quærit, ſed Domini gloriam. Diſcurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, dona referens, excitat iſtam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræſentat eos pariter ſibi, ſive hanc rapiens, ſive illum adducens. Si quidem domeſticus eſt, & notus in palatio, nec veretur repulſam, & quotidie videt faciem patris. Hucuſque Bernardus.

Idem ſer. 31 ſuper Cant. ante med.
Thren. 3
Pſal. 20
Pſal. 36
Ibid.
Abac. 2
Pſal. 41
Pſal. 87
Matt. 15
Pſal. 89

Angelos quanta reverentia proſequi debeamus.

Vides quam fideliter Angeli noſtri ſerviunt nobis ex quo autem occurrit de ipſis aliqua loquendi materia. Scire te volo, quod magnam erga eos reverentiam habere debemus, & eos quotidie laudare, honorare, ac eis gratiarum actiones referre tenemur, & in eorum præſentia, qui ſemper nobiſcum adſunt, nihil illicitum, nihil turpe cogitare, dicere, vel operari debemus. De quo etiam a beato Bernardo monemur qui ſic dicit ſuper Pſalmum, Qui habitat: Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro preſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Caute ambula, ubi adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Nec tu audeas illo præſente, quod vidente me non auderes. *Et paulo poſt:* Adſunt igitur tibi non tantummodo tecum, ſed

Bern. ſer. 12 ſup. Pſ. Qui habitat circa med.

ſed etiam pro te. Adſunt ut protegant, adſunt ut proſint. Quid retribues Domino pro omnibus quæ tribuit tibi? Si quidem ei ſoli honor & gloria. Quare ei ſoli? Quia ipſe mandavit, & omne datum optimum non niſi ab illo eſt. Verumtamen ſi ille mandavit ipſis quoque, qui & ei ex tanta charitate obediunt, & nobis ſubveniunt in tanta neceſſitate, ingratos eſſe non licet. Simus ergo devoti, ſimus grati tantis cuſtodibus, redamemus eos, & honoremus eos quantum poſſumus, quantum debemus. Hucuſque Bernardus. Habes ergo in prædictis commendatum Angelorum obſequium, & adiutorium, & orationis virtutem. Hanc tenere ſtudeas, & illis omnem quam potes reverentiam exhibe.

Pſal. 115
Luc. 2

CAPUT XXXVIII.

Qualiter aliqui ex verbis Domini ſcandalizati fuerunt.

NOn mireris, ſi aliquando ex verbis & factis noſtris ſcandala oriuntur, quantumcumque fideliter & bene fiant: cum ipſi Domino, qui errare non poterat, pluries contigerit. Dum enim quadam vice Phariſæi Dominum interrogarent, quare diſcipuli non lavabant manus quando manducabant? Dominus dure reſpondit eis, increpans, quod exteriorem munditiam non interiorem quærebant. De quo illi ſcandalizati ſunt, ſed Dominus non curavit. Alia vice cum ſpiritualia verba doceret in Synagoga, aliqui ex Diſcipulis ejus tamquam carnales, non intelligentes receſſerunt. Sed ad duodecim diſcipulos ait: Numquid & vos vultis abire? Et Petrus pro ſe & aliis reſpondit: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Conſidera ergo cum in prædictis, & aliis ſimilibus, quo modo cum poteſtate loquebatur, & docebat veritatem, non curans de ſcandalo pravorum ſive inſipientium. Notandum, igitur primo, quod propter alterius ſcandalum non debemus recedere a virtute juſtitiæ. Secundo, quod de interiori munditia magis, quam de exteriori honeſtate curare debemus, quod etiam alibi expreſſius Dominus dixit in Luca: quod ſpiritualiter vivere debemus, ita quod verba Domini non videantur nobis extranea, ſicut illis diſcipulis, qui quando Chriſtus dixit in Joanne: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & cet. non poterant ſuſtinere, ſed receſſerunt: ſed potius recognoſcamus ipſa eſſe verba vitæ æternæ, ut una cum duodecim, ipſum imitemur perfecte.

Matt. 15
Mat. 7
Joan. 6
Luc. 2
Joan. 6

CAPUT XXXIX.

De Retributione relinquentium omnia.

CUm fidelis & prudens diſcipulus Simon Petrus, quæreret a Domino Jeſu pro ſe & ſociis, de retributione ipſorum: reſpondit Dominus inter alia, quod omnes qui temporalia dimittentes ipſum ſequerentur, centuplum accipient in hoc mundo, & vitam æternam in futuro. Nota bene hanc retributionem, & gaude gaudio magno, & gratias, & laudes Domino referas toto affectu, quod ad talem negotiationem te adduxit, ut manualiter de uno centum lucreris, & nihilominus etiam vitam æternam. Hoc autem centuplum ſpiritualium non corporalium rerum eſt, videlicet conſolationum internarum, & virtutum, quas per experientias cognoſcimus, non per doctrinam. Cum enim anima guſtat odorem paupertatis, caſtitatis nitorem, & patientiæ ceterarumque virtutum, & delectatur in eis: nonne centuplum recepiſſe videtur tibi? Et ſi ulterius aſcendat, ut viſitationem ſponſi recipiat, & ad ejus præſentiam glorietur: nonne tunc recipit plus quam millecuplum omnium quæcumque fuerint, & quomodocumque fuerint, quæ pro eo dimiſerat? Vides quemodo

Matt. 19
Centuplum Euangelii.

modo verum eſt quod loquitur veritas, non fallit quin centuplum reddat in hoc ſæculo, etiam non tantum ſemel ſed pluries, & ſæpe animæ ſibi devotæ, adeo ut ſic afficiat eam, ut non ſolum quæ reliquit, ſed totum mundum arbitretur ſtercora, ut ſponſum ſuum lucrifacere poſſit. Ut autem ſuper hoc centuplo plenius inſtruaris, audi quid inde dicat Bernardus: Si forte adhuc ſæcularis quiſpiam dicat. Oſtende mihi centuplum quod promittis, & libens univerſa relinquo. Ut quid oſtendam? Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An homini potius oſtendenti, quam veritati crederes promittenti? Deficis ſcrutans ſcrutinio. Niſi credideris, non intelliges. Manna abſconditum eſt, quod in Apocalypſi Joannis, victori promittitur, nomen novum, quod nemo novit, niſi qui accipit: *Et paulo poſt*: An non denique omnia poſſidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu ſancto, qui Chriſtum habet in pectore? Niſi quod longe plus, quam centuplum eſt viſitatio Paracleti ſpiritus, & præſentia Chriſti. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te, perfeciſti eis, qui ſperant in te. Vides quo modo memoriam abundantiæ ſuavitatis hujus eructet anima ſancta quo modo exprimere geſtiens verba multiplicet. Quam inquit, magna multitudo. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum eſt, libertas & primitiæ ſpiritus deliciæ charitatis, gloria conſcientiæ, regnum Dei quod intra nos eſt. Non utique eſca vel potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium, in Spiritu ſancto. Gaudium ſane non modo in ſpe gloriæ, ſed in tribulationibus. Hic eſt ignis, quem voluit Chriſtus vehementer accendi. Hæc virtus, quæ Andream fecit amplecti crucem. Laurentium deridere carnifices. Stephanum in morte pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam ſuis reliquit Chriſtus, quando dedit & ſuam, ſi quidem donum, & pax eſt electis Dei. Pax utique patris, & donum futuræ gloriæ. Illa ſuperat omnem ſenſum, ſed & huic quidquid ſub ſole placet, quidquid in mundo concupiſcitur, non poteſt comparari. Hæc gratia devotionis, & unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat, quam nemo ſcit niſi qui accipit. Hucuſque Bernardus. Gaude ergo, & lætare, ut dixi, & gratias age, quod ad hoc centuplum recipiendum vocata es, & hunc paradiſum ſæpe ingredere, quem ex orationis ſtudio conſequi poteris.

Ber. in declam. ſuper Ecce nos reliq. om. ex Mat. 19 non longe a fin. ex Greg. hom. 26 in Ev. non longe a prin.

Apoc. 2

Pſal. 30

Luc. 12

Sap. 1

CAPUT XL.

Qualiter Dominus quæſivit a Diſcipulis quid diceretur de eo?

VEniens Dominus Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, quæſivit a Diſcipulis, quid diceretur de ipſo, & etiam quid inde ipſi ſentirent, & de aliis. Quidam reſponderunt & dicebant: Alii, &c. De ſe autem dixit Petrus pro ſe, & aliis: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Dominus ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc, &c. Et tunc dedit ei pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis claves ligandi, atque ſolvendi ſuper terram. Conſpice igitur eum & etiam ipſos, juxta generalem formam ſuperius tibi traditam. Et nota, quod etiam hic habes, quod Petrum, quem ita magnificaverat, parum poſt vocavit ſatanam, eo quod propter amorem carnalem, quem ipſe Petrus habebat ad ipſum, diſſuaſit ei de paſſione ſua, ut non fieret. Sic & tu Domini exemplo, habeas omnes pro adverſariis, qui pro corporali alleviatione ab exercitio, & bono ſpirituali te trahere vellent.

Mat. 16

CA-

CAPUT XLI.

De Transfiguratione Domini in Monte.

Matt. 17 ASſumens Dominus Jeſus tres ex Diſcipulis, aſcendit in montem Thabor, & transfiguratus eſt ante eos, oſtendens ſe eis glorioſum. Venerunt inſuper Moyſes, & Elias loquentes cum eo de paſſione ſua futura. Dicebant autem: Domine non expedit, ut moriaris, quia una gutta ſanguinis tui redimeret mundum. Joan. 10 Dominus autem Jeſus dicebat: Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus, ſic & facere me oportet. Affuit ibi Spiritus ſanctus in ſpecie nubis lucidæ, & vox patris facta eſt in nube, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Diſcipuli vero ceciderunt in terram, & cum excitati ſunt, non viderunt niſi Dominum Jeſum. Conſpice igitur bene prædicta, & te præſentem exhibeas, quia magnifica ſunt.

CAPUT XLII.

De Ejectione ementium, & vendentium de Templo.

Joan. 2 DUabus vicibus ejecit Dominus Jeſus ementes, & vendentes de templo, quod inter ejus magna miracula deputatur. Matt. 21 Nam licet alias eum vilipenderent, tunc tamen omnes ante eum fugerunt. Et quamvis eſſent multi, non ſe defenderunt, ſed ipſe ſolus cum quibuſdam funiculis omnes ejecit. Et hoc ideo, quia terribilem ſe eis oſtendit in facie. Accenſus eſt enim zelo vehementi, eo quod pater ſuus ſic inhonorabatur ab illis, maxime in loco, ubi magis honorari debebat, fecit ipſas ejectiones. Conſpice bene ipſum, & compatere, quia ipſe compaſſionis dolore plenus eſt. Ac nihilominus time. Nos enim qui in tem-A plo Dei ſumus de ſpeciali, & magna ipſius gratia deputati, ſi ſæcularibus negotiis, ut illi faciebant, nos implicemus, cum ad laudem ejus ſemper debeamus intendere, merito ejectionem ab eo, & indignationem ipſius timere poſſumus, & timemus. Si ergo non vis hoc timore vexari, nulla ratione vel cum ſæcularibus curis, vel negotiationibus te audeas implicare. Opera quoque curioſa ne feceris, quæ tempus laudibus Dei debitum occupant, & pompis ſæcularibus correſpondent.

CAPUT XLIII.

B *De Probatica Piſcina. Item ne ſcis fratris judex temerarius.*

ERat in Hieruſalem quædam congregatio aquarum, in qua lavabantur oves, de quibus fiebant ſacrificia. Joan. 5 In ea dicitur fuiſſe lignum Crucis. Quolibet autem anno, cum ſemel commovebatur ab Angelo ſanabantur aliquis infirmus, ſcilicet qui deſcendebat in aquam poſt ejus ab Angelo motionem: Unde multi propterea infirmi juxta eam continue morabantur. Erat autem ibi quidam infirmus, jacens in grabbato paralyticus per triginta & octo annos. C Hunc igitur Jeſus quadam die ſabbati ſanavit. Conſpice eum humilites euntem ad infirmum, & loquentem more ſolito. In hoc igitur facto tria nota. Primum quia ſicut hic Dominus requiſivit infirmum, ſi vellet ſanari: ita nobis ſine noſtro conſenſu ſalutem non dabit, & inexcuſabiles ſunt peccatores non conſentientes voluntati Domini, & ſuæ ſaluti. (Tria notanda in curatione paralytici.) Quia ſecundum Auguſtinum: Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te. (Aug. de verſ. Ap. ſer. 15 poſt med. t. 10) Secundum cavere debemus, ne relabamur a Domino, quia ſi ſanati a Domino recidivamus, digne noſtra ingratitudo acrius punietur, ſicut huic dixit Dominus: Vade noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi

A tibi contingat. Tertio, quia maligni de omnibus perdunt, ſicut boni de omnibus lucrantur. Nam cum hic liberatus portaret grabbatum, & diceretur ei a Judæis, quod hoc non licebat in die ſabbati, ipſe reſpondit: Qui me ſalvum fecit, ille mihi dixit, tolle grabbatum tuum. Non dicebant, quis eſt ille, qui te ſalvum fecit? Et ſic accipiebant, quod poſſent reprehendere, non quod poterant laudare: Sic & carnales homines ſæpe in malam iudicant partem, quæ vident, & quaſi de omnibus perdunt. Spiritualiter autem viventes omnia referunt ad laudem Dei, ſive ſit proſperitas, ſive ſit adverſitas, & non dubitant, quin re- B cte omnia fiant, Deo cuncta vel recte operante, vel juſte permittente, & omnia in bonam partem interpretantur, juxta doctrinam beati Bernardi, qui ſic ait: Cave alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius judex. Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic judices proximum. Magis autem excuſa intentionem, ſi opera non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temeipſum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi in me accepiſſet, ſimiliter poteſtatem? Hucuſque Bernardus. Quod autem de omnibus lucrantur ſpirituales, etiam de ſuis, & alienis peccatis & de rebus nocivis, & etiam de diaboli operibus, ſic docet Bernardus: Irrationalis, & brutalis ſpiritus, & ſi ad ſpiritualia non pertingat, ad ea tamen capeſſenda pro ſuo corporali, temporalique obſequio, noſcitur juvare illos, qui omnem uſum rerum temporalium ad fructum transferunt æternum, utentes hoc mundo tamquam non utentes. *Et poſt multa*: Si qua animantia quantum ad uſum ſui reperiantur incommoda, & ſi nociva, & ſi etiam perniciosa temporalium hominum conſtat eſſe ſaluti. Non tamen deeſt eorum corporibus, unde cooperentur in bonum, his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, & ſi non cedendo in cibum, aut exhibendo miniſterium, certe ingenium exercendo, juxta eum, qui utique omni utenti ratione præſto eſt, communis diſciplinæ profectum præbens, quo inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Nam & diabolus ejuſque ſatellites cum ſit eorum ſemper maligna intentio, nocere quidem ſemper cupiunt, ſed ſi boni æmulatores fueritis, abſit ut obſint, magis autem proſunt, & nolentes, cooperantur in bonum bonis. *Et infra*: Eſt enim qui bonum operatur non volens, ſive homo malus, ſive Angelus malus, & conſtat non fieri propter eum, cum prodeſſe nullum bonum poſſit invito. Igitur ei quidem diſpenſatio tantum credita eſt, ſed neſcio quomodo gratius jucundiuſque ſentimus bonum, quod per malum diſpenſatorem miniſtratur. Ipſa eſt ergo cauſa cur, & per malos Deus faciat bona bonis, non autem ut opera eorum indigeat in benefaciendo. Idem: Quid ſuperbis terra & cinis? & de Angelis tranſiit Dominus execrans eorum ſuperbiam. Ergo repudiatio Angelorum, fiat emendatio hominum. Scriptum eſt enim ad eorum correptionem: Cooperetur mihi in bonum C etiam diaboli malum, & lavem manus meas in ſanguine peccatoris. Qualiter inquis? audi. Superbo certe diabolo horrenda, & formidoloſa maledictio intorquetur. *Et infra*: Si ſic eſt actum cum eo, quid de me fiet terra, & cinere? Ille in cœlo tumuit ergo in ſterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite ſuperbiam, quam in paupere dicat? Væ mihi. Si tam dure in potente illo animadverſum eſt, quid de me exiguo, & miſero, & ſuperbo: Bern. etiam loquens de ſponſa Eccleſia, quæ poſt multa peccata venit ad Dominum, nam de gentibus collecta, quæ idola colebat, quod eidem de Synagoga improperabatur: ſic in ſuam uti-

Ber. ſer. 40 ſup. Cant. quaſi circa fin.

Idem ſer. 5 ſup. Cant. ante med.

Rom. 1

Idem ſer. 54 ſuper Cant. cir. med.

Pſal. 57

Idem ſer. 54 ſuper Cant.

Luc. 7 utilitatem torquet, dicens: Ipſa eſt cui plus dimiſſum eſt, & quæ plus diligit, quod æmula improperat ei ad convitium, hoc ſibi ipſa inflectit ad commodum. Inde manſuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem, inde ardentior ad amorem, inde ſagacior ad cautelam, inde humilior pro conſcientia, inde acceptior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior, ac ſolicitior. Hucuſque Bernard. Vide quo modo ſpiritualiter viventes, omnia interpretantur in bonam partem, & de omnibus lucrum faciunt. Sis ergo ſpiritualis, & omnia tibi cedent in bonum. Et valet hujuſmodi deſideratio, etiam ad tolerantiam tribulationum, & tentationum, & animi quietem. Nam per hujuſmodi continuum exercitium, ad tantam tranquillitatem animi quis poſſet pervenire, quod vix, & raro de aliqua re turbaretur, vel haberet locum in eo quod ait

Prov. 12 ſapiens: Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.

CAPUT XLIV.

Quomodo diſcipuli Chriſti vellebant ſpicas. Item de paupertate.

Mat. 12 Diſcipuli Domini Jeſu quadam die Sabbathi eſurientes, cum nec haberent unde procurarent quod comederent, ibant per agros, in quibus erant ſegetes, & vellebant ſpicas, fricabant manibus & comedebant. Reprehendebantur autem a Phariſæis dicentibus, hoc non licere die ſabbathi. Dominus defendebat eos, & multa talia faciebat Dominus in die ſabbathi, ut dixi ſupra de habente manum aridam ſanato. Tu autem diſcipulos intuere, & compatere eis in tanta neceſſitate conſtitutis, quamvis ipſi gaudentes hoc facerent ob paupertatis amorem, quam ante omnes virtutes, & beatitudines comendaverat eis eorum Magiſter, & Dominus. Quid tamen eſt cogitare principes mundi, præſente omnium conditore, ad tam tenuem paupertatem reductos, ut tali

A pabulo, more animalium oporteat ſuſtentari? Aſpiciebat eos Dominus, & compatiebatur eis, quia tenerrime diligebat eos: ſed nihilominus gaudebat, & tam propter eos quos in hoc multum mereri ſciebat, quam propter nos, quibus relinquebat exemplum. In hoc enim exemplo, ad multas virtutes proficere poſſumus: nam hic mirabiliter paupertas relucet, pompa mundi contemnenda oſtenditur, ſumptuoſitas, & ſaporoſa ciborum præparatio deſtruitur, & gulæ voracitas cum turpi ſua unctuoſitate, & inſatiabili appetitu totaliter enervatur. Tu ergo hoc animadverte, & tanto exemplo, totis viſce-

B ribus eam amplectere, quæ ſic emicuit in Domino, & Domina matre ſua, & præfatis mundi principibus, & omnibus, qui eorum exemplum perfecte imitari voluerunt. Sed attende de qua paupertate intelligere debes. Scio enim, quod in monaſterio conſtituta, paupertatem profeſſa es, & nihil habere potes: de quo gratias age Deo tuo, & ipſam inviolabiliter ſerva. Sed ulterius te aſcendere volo, quod tamen a profeſſione non diſcrepet, quin immo profeſſio ipſa, ſine hoc intellecta verbalis eſſet, & vacua. Dico igitur de illa paupertate quæ radicatur in corde, virtutes enim in anima collocandæ ſunt, non in exterioribus.

C Optime ergo profeſſionem paupertatis imitaris, ſi corde conſentias. Nam ſi rerum penuriam exterius pateris, quia forte non abundas, ut ſenſualitas vellet, interius autem cupiditatem habeas, & plus quam neceſſe ſit: deliberato animo appetas: non vivis in paupertate, ſed in egeſtate. Quia non eſt hæc paupertas virtuoſa, & meritoria, ſed egeſtas laborioſa & demeritoria. Sufficit enim ad perdendum meritum, & ad omne peccatum perpetrandum concupiſcentia cum conſenſu. Et cum tali paupertate non credas te poſſe aſſurgere ad orationem, vel contemplationem, vel centupli conſequi retributionem. Quando enim cor terre-

Paupertas quam profeſſa eſt virgo, qualis eſſe debeat.

re-

Digitized by Google

renarum cupiditatum pondere aggravatum, ſurſum poſſet aſcendere? quando ipſo luto & fæce coinquinatum, & terrenum, & groſſum effectum, ad Dei & cæleſtium puritatem poſſet appropinquare? Igitur corde diligas paupertatem, pro matre aſſume illam, placeat tibi decor ejus, delecteris in ea, numquam pro re aliqua ipſam lædere velis. Nihil habeas, & nihil omnino habere velis ultra neceſſitatem. Et ſi quæris quæ erit illa neceſſitas? Reſpondebo, quod quanto intimius paupertatem dilexeris, tanto ſubtilius de neceſſitate judicabis. Illa namque neceſſaria ſunt, ſine quibus eſſe non poſſumus. Vide ergo ea, ſine quibus eſſe commode potes, & illa nec habere, nec petere, nec procurare, nec a ſponte dantibus recipere velis. Nec tamen Dominum Jeſum perfecte in paupertate imitari poteris, quantumcumque te ſtrinxeris, nec video quod noſtra paupertas ſuæ poſſit æquiparari, quantumcumque ſit a nobis totis conatibus obſervata. Et hoc tibi breviter oſtendo una & pulchra ratione, omiſſis aliis quæ reddi poſſunt, ſcilicet quia Deus, & quia ditiſſimus, & Dominus omnium, & quia perfectiſſimus, & hujuſmodi: ſed eam rationem adduco, quia ipſe non ſolum penuriam paupertatis, ſed etiam ejus opprobrium aſſumpſit. Nam noſtra paupertas, quia voluntarie aſſumpta eſt, & pro amore Dei virtuoſa reputatur, & eſt: & ideo non opprobrioſa, sed honorifica reputatur, etiam apud malos. Ipſius vero non ſic: non enim cognoſcebatur, & neſciebatur, quod voluntarie pauper eſſet, ſed neceſſaria paupertas parit opprobrium, & contemptum. Cum ergo eſſet abſque domo, & poſſeſſionibus, & omni hujuſmodi ſubſtantia, ſcientibus univerſis, magis habebatur contemptui. Hujuſmodi enim pauperes ab omnibus conculcantur, & ſi ſapientes ſunt, non creditur eis: ſi nobiles, nihilominus deridentur, & contemnuntur, immo quod plus eſt, & nobilitas, & ſapientia, & probitas, & omnis virtus in reputatione hominum videtur in eis extincta. Deiciuntur enim quaſi ab omnibus, ut nec amicitiæ antiquæ, nec ſanguinis vincula proſint eis, ut plurimum, cum omnes tales amicos, vel conſanguineos habere recuſent. Vides bene, quomodo nec ejus paupertati æquiparari, nec eum imitari potes; in tam profundæ paupertatis, & humilitatis abjectione. Propterea non ſunt contemnendi pauperes mundi, qui ipſum Dominum repræſentant. Igitur deſiderabilis eſt multum hæc virtus paupertatis, & maxime a nobis qui eam promiſimus. Ipſam itaque propterea omni reverentia & devotione obſervare curato. Si vero etiam vis Bernardum audire, attende quid de ipſa loquitur. Imitemur quoad poſſumus eum, qui dilexit ſic paupertatem, ut quamvis in manu ejus eſſent fines terræ, tamen non habuit ubi caput ſuum reclinaret: ita ut diſcipulos adhærentes ei, legamus fame compulſos, ſpicas manibus confricaſſe, cum per ſata tranſirent. Idem inquit: Cur ipſe Salvator, cujus eſt aurum pariter, & argentum, ſacram in ſuo corpore dedicat paupertatem? Aut certe cur paupertas ipſa, tam ſolicite enarratur ab Angelo? Hoc, inquit, vobis ſignum, invenietis infantem pannis involutum. In ſignum poſiti ſunt panni tui Domine Jeſu, ſed in ſignum cui a multis uſque hodie contradicetur. Exemplum dedit nobis, ut & nos ita faciamus. *Et poſt pauca:* Utilior ſiquidem in conflictu lorica ferrea, quam ſtola linea: licet oneri ſit illa, hæc honori. Idem: Vere magna abuſio, & nimis magna, ut dives velit eſſe vermiculus vilis, propter quem Deus majeſtatis, Dominus Sabaoth voluit eſſe pauper. Idem: Non paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor: Idem: Amicitia pauperum, regum amicos conſtituit, amor paupertatis reges. Regnum cœlorum denique pauperum eſt. *Et infra:* Beatus qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Hucuſque Ber-

Margin notes:

Paupertatem profitenti quæ ſint neceſſaria.

B *Ber. ſer. 4 de advent. cir. fin.*

Idem ſer. 4 Nat. Dom. non longe a prin.

Luc. 2

C *Idem ſer. 5 de Reſurr. parum a prin.*

Idem ep. 100

Idem ep. 107

Bernard. Habes igitur Apoſtolorum exemplo, & auctoritatibus Beati Bernardi prædictis, & aliis poſitis ſupra, de nativitate Domini, & de ſermone ipſius in monte, qualiter paupertatem, tamquam virtutem excellentiſſimam debes affectare. Sed de abſtinentia, & contra guloſitatem quid dicemus, quæ ſimiliter in hoc exemplo relucet? Et quidem de iſtis virtutibus tractare, præter principale propoſitum eſt, maxime propter multiplicitatem auctoritatum; ſed quia utilitatem tuam conſidero, quæ in talibus nec experta es, nec apta doceri, nec in quibus legis habeas libros, ideo ſtudioſe tibi ſcribo de ipſis, ut ſaltem per hunc modum innoteſcat tibi virtutum natura, in quibus earum magiſtrum, cujus vitam principaliter inquirimus, valeas imitari. Contra gulam igitur ſcire debes, multum eſſe inſiſtendum, & bellum continuum eſſe, ſed omnino vitandam. Multum quidem ſancti patres, & qui ſpiritualibus exercitiis dediti fuerunt, in hoc ſtuduerunt. Contra quam audi quid dicat Bern. Unde hæc tanta puſillanimitas, & abiectio tam miſerabilis, ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis, & gloriæ magni Dei, utpote cujus ſit inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita, cruore redempta, fide dotata, ſpiritu adoptata, miſeram non erubeſcat, ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem? Merito plane, nec eos quidem apprehendere poteſt, qui talem deſerens ſponſum, tales ſequitur amatores. *Et paulo poſt:* Inſanus ſiquidem labor paſcere ſterilem, quæ non parit, & viduæ benefacere nolle: omittere curam cordis & curam carnis, agere in deſiderio: impinguare cadaver putridum: quod paulo poſt vermium eſca futurum, nullatenus dubitatur. Hucuſque Bernardus.

Idem ſer. ad cler. c. 13

Habes igitur quomodo vitanda eſt guloſitas, ſed condeſcendere poſſumus corpori ad neceſſitatem ſuam, & ſanitatem. Unde idem Bern. ſic dicit: Sunt autem omnia bona corporis, & A quæ ei ſolummodo debeamus, ſanitas. Nihil autem ultra ei dandum eſt, nihil quærendum, ſed hoc termino obligandum, & firmandum eſt, cum fructus ejus nullus ſit, & mors ſit finis illius. *Et paulo poſt:* Quod ſi voluptati ſervitur, non ſanitati, hoc de natura non eſt, ſed ſub natura, quæ morti manus dat, cum magiſtram conſtituit voluptatem. Inde etiam eſt, quod multi ad tam beſtiales impetus deſcenderunt, vel, ut dicam verius, ceciderunt, voluptatem præferant ſanitati, vel illis epulis ſæpiſſime voluptentur, quas ſciunt difficiles, & acutiſſimas ſubſequi paſſiones. Sicut autem corporis neceſſitas eſt ſanitas, ita cordis neceſſitas B eſt puritas: quo turbato oculo non videbitur Deus: & cor humanum ad factum eſt, ut ſuum videat creatorem. Si vero ſanitati corporis ſolicita eſt providenda cuſtodia, puritati cordis tanto eſt ſolicitior impendenda, quanto pars iſta dignior illa convincitur. Idem: Suſpicionem generat mihi obſervatio iſta ciborum, verum tamen ſi de regula medicorum hoc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo umquam odio habuit. Hucuſque Bern. Hoc tamen faciendum non eſt ſuperſtitioſe, vel nimis curioſe, vel ultra, quam expediat. Unde quando non C habemus actu impedimentum corporale, propter quod appetamus vel fugiamus ciborum obſervantiam, illam tenere, ac phyſice vivere non debemus. Unde idem Bernard. Videſne ſententia magiſtri mei carnis ſapientiam condemnari, per quam utique aut in luxum voluptas diſſolvitur, aut ipſa quoque valetudo corporis, ultra quam oportet appetitur. *Et poſt:* Quid vero prodeſt temperare a voluptatibus, & inveſtigandis diverſitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram autem porri ac-

Idem ſer. de triplici gen. bon.

& vigil. ſup. cogita ante med.

Id. ſer. 6 ſup. Cant. cir. med.

Id. ſer. 36 ſup. Cant. poſt med.

porri accendunt, piſces de ſtagno, A aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale eſt hoc, ut in tot fluviis, agris, hortis cellariiſve, reperiri vix poſſit quod comedas? Puto te quæſo monachum eſſe non medicum, nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione. Parce obſecro primum quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium, parce gravamini domus, parce conſcientiæ. Conſcientiæ dico, non tuæ, ſed alterius, illius videlicet qui prope te ſedens, & edens quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari jejunio murmurat. Scandalo quippe ei eſt, aut tua odioſa ſuperſtitio, aut duritia quam forte putat illius qui B tibi habet providere. *Et infra*: Fruſtra quidem ſibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis diſcipulum non bibere aquam, ſed modico uti vino propter ſtomachum & frequentes ſuas infirmitates. Qui attendere debent primum quidem Apoſtolum minime ſibi ipſi rem iſtiuſmodi ſuadere, ſed neque diſcipulum æque expetere ſibi. Deinde non monacho hoc intimari, ſed Epiſcopo, cuius vita teneræ, & adhuc naſcenti Eccleſiæ perneceſſaria eſſet. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum, & ciba etiam ſi vis auro, & pota balſamo. Ceterum tu tibimetipſi diſpenſas miſertus tui. Suſpecta eſt mihi fateor tuæ ipſius vitæ diſpenſatio, & vereor tibi illudi ſub tegmine, & nomine diſcretionis a carnis prudentia. Id te ſaltem volo eſſe admonitum, ut ſi tibi auctoritas Apoſtoli placet de bibendo vino: modico, quod ille adjunxit, non prætermittas. Huculque Bern. Habes igitur ex prædictis auctoritatibus ſanitati corporis poſſe intendi, ſed a ſuperſtitioſa obſervatione ciborum cavendum.

1. Tim. 5. d

Sed quid de abſtinentia? Audi non me, ſed Bernardum eumdem, qui ſic dicit. Non enim ſpiritus, & caro, ignis, & tepiditas in uno domicilio commorantur: præſertim cum tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum provocare. Si enim Apoſtoli, carni adhuc Dominicæ adhærentes, quæ ſola ſancta, quia Sanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequierunt, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ quæ ſordida eſt & diverſarum ſpurcitiarum phantaſiis repleta, adſtrictus & conglutinatus illum meraciſſimum Spiritum te poſſe putas ſuſcipere niſi iſtis carnalibus conſolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum inceperis, triſtitia implebit cor tuum: ſed ſi perſeveraveris triſtitia convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, voluntas renovabitur, vel nova creabitur: ut omnia quæ prius difficilia, immo impoſſibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine, & aviditate. Idem: Non redarguimus Paulum, quod caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit, abſtinendo a vino: quia in vino luxuria eſt. Aut ſi modico infirmus utatur, juxta conſilium Apoſtoli, abſtinebo a carnibus, ne dum nimis nutriam carnem, ſimul & carnis nutriam vitia. Panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi Propheta, quod, panem meum comederim in ſaturitate. Sed nec ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtenſio ſane ventris uſque ad titillationem C pertingat libidinis. Idem, Vinum & ſimilia, mulſum, & pinguia, corpori militant, non ſpiritui, frixuris non anima ſaginatur, ſed caro, Piper, zinziber, ciminum, ſalvia & mille hujuſmodi ſpecies ſalſamentorum, palatum quidem delectant, ſed libidinem accendunt. Prudenter ſobrieque converſanti, ſatis eſt ad omne condimentum, ſal cum pane, & fames qua ſola non expectata neceſſe eſt alias atque alias, de neſcio quibus ſuccis extraneis confici permixtiones, quæ videlicet palatum reparent, gulam, provocent, & excitent appetitum. Idem: Ubi cœperit ſpiritus reformari ad imaginem conditoris ſui, mox etiam refloreſcens caro, ex voluntate ſua incipit ad reformationem ſpiritus reformari.

Idem ſer. 3 de Aſcenſ. Dom. poſt med.

Idem ſer. 66 ſuper Cant. ante med.

1 Cor. 9.

Eph. 5. d

Hier. 44.

Idem ep. 1 ad Rob. ne. poſt med.

Idem ep. ad frat. de monte Dei, de vi. ſolit. longe ſatis an. med.

Nam & contra ſenſum incipit eam delectare, quidquid delectat ſpiritum. Inſuper & pro multiplici defectu ſuo, ex pœna peccati multipliciter ſitiens ad Deum, nonnunquam etiam contendit præcedere rectorem ſuum. Delectationes enim non perdimus, ſed mutamus a corpore ad animam, a ſenſibus ad conſcientiam. Panis furfureus, & ſimplex aqua, olera vel legumina ſimplicia, nequaquam res delectabiles ſunt: ſed in amore Chriſti & internæ delectationis deſiderio, ventri bene morigerato, gratanter ex his ſatisfacere poſſe, valde delectabile eſt. Quot millia pauperum ex his, vel ex aliquo horum delectabiliter ſatisfaciunt naturæ? Facillimum quippe, & delectabile eſſet, adiuncto Dei amoris condimento, ſecundum naturam vivere, ſi inſania noſtra nos vivere permitteret, qua ſanata, ſtatim arridet naturalibus natura. Eodem modo & de labore ruſticus duros habet nervos, fortes lacertos: exercitatio hoc facit. Si in ea cum tempore inoleſcit. Voluntas facit uſum: uſus exercitium: exercitium in omni labore vires ſubminiſtrat. Hucuſque Bern. Ex his auctoritatibus conſtat aperte, abſtinentiam plurimum commendabilem omnino eſſe faciendam. Eam namque tam antiqui Patres, quam beatus Franciſcus, ac duciſſa ſua beata Clara, ut in eorum vita patet, arctiſſime ſervaverunt. Videtur tamen ſecundum eundem Bernardum in tribus caſibus abſtinentia temperanda. (*Ber. ſer. 19 ſup cant. poſt med. in ſenſu.*) Primum cum fieret contra voluntatem Prælati: hoc enim nullo modo fieri debet. Secundus quando fieret cum notabili ſcandalo ſociorum: magis enim confert ad exercitium ſpirituale, ex charitate uti vita communi, quam ex ſcandalo fratris, ſupra vitam communem ſpiritualem abſtinentiam exhibere. Tertius caſus eſt, quando fieret ultra corporis poſſibilitatem: nam indiſcreta abſtinentia, non virtutis, ſed vitii eſſe perhibetur. Unde de his, ſic dicit Bernardus (*Bern. ibide.*): Non vultis eſſe communi contenti vita. Non ſufficit vobis regulare ieiunium, non ſolemnes vigiliæ, non impoſita diſciplina, non menſura quam vobis partimur in veſtimentis, & alimentis: privata præfertis communibus. Qui veſtri curam ſemel nobis credidiſtis, quid rurſum de vobis nos intromittitis? Nam illam, qua toties Dominum conſcientiis veſtris teſtibus offendiſtis, propriam, ſcilicet voluntatem veſtram, ecce nunc iterum magiſtram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parere, rationi non acquieſcere, non obtemperare ſervorum conſilio vel exemplo, non obedire nobis, *Et infra*. An neſcitis, quia angelus Satanæ multoties transfigurat ſe in Angelum lucis? (*2 Cor. 11 d*) Sapientia eſt Deus, & vult ſe amari, non ſolum dulciter, ſed ſapienter. Unde Apoſtolus: Rationabile, inquit, ſit obſequium veſtrum. (*Rom. 12 a*) Alioquin facillime zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas; nec habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem quam ſi efficere poſſit ut incaute, & non cum ratione ambuletur. Idem (*Idem ſer. 33. ſuper Cant. poſt med.*): Videas, proh pudor! illos importune ſuperflua quæritare, qui prius neceſſaria obſtinatiſſime recuſabant. Quamquam ſi qui in ſua ſorte invicti obſtinatione perdurant, indiſcretius abſtinentes, & ſingularitate notabili conturbantes eos, cum quibus habitare debent unius moris in domo, haud ſcio ſane, an ſe æſtiment pietatem retinere, cum hujuſmodi mihi videantur & longius abjeciſſe. Nam ſapientes, qui in oculis ſuis decreverunt, apud ſe, nec conſilio acquieſcere, nec præcepto, videant quid reſpondeant, non mihi, ſed dicenti, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolatriæ nolle acquieſcere. Præmiſerat autem, quia melior eſt obedientia, quam victima, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum, (*1 Reg. 15. d*) id eſt, abſtinentiam contumaciam. Idem. Quid illud quod nos

Idem ſer. 64. ſuper Cant. circ. med. nos quoque toties in domo iſta & A tam graviter inquietat, notabilem loquor quorundam, qui inter nos ſunt ſuperſtitioſamque abſtinentiam, ex qua ſe omnibus, ſibique omnes moleſtos reddunt? Quo modo non hæc ipſa diſcordia tam generalis, & ſuæ illius conſcientiæ diſſipatio eſt, & quod in ipſo eſt grandis vineæ hujus, quam plantavit dextera Domini, noſtræ, ſcilicet omnium unanimitatis demolitio? Væ homini per quem ſcandalum venit. *Matt. 26. b* Qui ſcandalizaverit, inquit, unum de his puſillis, durum eſt quod ſequitur; quanto duriora meretur, qui tantam, & tam ſanctam multitudinem ſcandalizat? Duriſſimum prorſus judicium portabit, quicumque eſt ille. B Idem: Illis *Idem ſer. 3 de circ. Domini, circa fin.* qui ad devotionis gratiam perveniunt unum dicitur reſtare periculum, & omnino timendum eis a dæmonio meridiano. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. *2. Cor. 11. d* Hoc eſt ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit: ne dum ſequitur affectionem, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem, ac deinde neceſſe habeat non ſine magno ſpiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat, qui currit, illuminari neceſſe eſt lumine diſcretionis, quæ utique mater eſt virtutum, & conſummatio perfectionis. C *Diſcretio mater virtutum.* Hæc nimirum docet, ne quid nimis, vel minus fiat. Atque hæc eſt octava dies, in quo circumciditur puer, quia diſcretio vera circumcidit ut nec plus, nec minus fiat. Nam & qui nimius eſt, fructum boni operis abſcindit, non circumcidit: ſicut qui tepidus eſt, minus facit. In hac igitur die nomen imponitur, & nomen ſalutis, nec de eo qui ſic converſatur, dubitem dicere, quod ſuam ipſius ſalutem operetur. Uſque ad hunc enim diem dicere poſſunt Angeli, qui noverunt ſecreta cœleſtia, ſed ego nunc primum ei fiducialiter nomen ſalutis impono. At vero, quia omnino rara iſta avis eſt in terris, hujus diſcretionis locum in vobis fratres, ſuppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum ſit, faciatis. Idem. *Idem ep. ad ad frat. de Monte Dei, de vi. ſolit. circ. med.* Sunt corporis exercitia, in quibus neceſſe eſt corpus laborare: ſicut ſunt vigiliæ & huiuſmodi, quæ quidem ſpiritualia non impediunt, ſed adiuvant ſi cum ratione & diſcretione fiant. Quæ ſi ex indiſcretionis vitio ſic agantur, ut vel deficiente ſpiritu, vel languente corpore ſpiritualia impediantur: qui ſic eſt, corpori ſuo tulit bonum effectum, ſpiritui affectum proximo exemplum, Deo honorem, ſacrilegus eſt, & omnium horum in Deum reus. Non quod ſecundum ſenſum Apoſtoli non videatur etiam humanum hoc, & non deceat, & non juſtum ſit, caput aliquando dolere in ſervitio Dei, quod olim ſæpe uſque ad dolorem laboravit in vanitate ſæculi: eſurire ventrem uſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt uſque ad vomitum; ſed modus eſt habendus. Affligendum eſt corpus aliquando, ſed non conterendum. *1. Tim. 4. b* Nam etiam corporalis exercitatio ad modicum quidem valet, & pietas ad omnia utilis eſt: propter quod modicum hoc eſt, non in concupiſcentiis, ſed tamen cura eſt carnis agenda, agenda vero eſt ſobrie & cum quadam ſpirituali diſciplina: ut neque in modo, neque in qualitate ejus, neque in quantitate appareat aliquid, quod non deceat ſervum Dei. Huc uſque Bernardus.

Sed ut virtus diſcretionis tibi melius innoteſcat, audi breviter quid de ipſius commendatione dicat idem Bernardus: *Idem ſer. 23. ſuper Cant. circ. med.* Virtus ſiquidem diſcretionis abſque fervore charitatis iacet, & fervor vehemens abſque diſcretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis cui neutrum deeſt, quatenus & fervor diſcretionem erigat, & diſcretio fervorem regat. Idem *Idem ſer. 49. ſuper Cant. circ. med. Pſ. 118. m* Diſcretio quidem virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem etiam, & perpetuitatem. Denique ait: Ordinatione tua perſeverat dies, diem virtutem appellans.

lans. Eſt igitur diſcretio non tam virtus, quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaque affectio naturalis in perturbationen magis convertetur, exterminiumque naturæ. Hucuſque Bernardus. Habuiſti igitur ex prædictis, quo modo in hoc diſcipulorum exemplo deſtruitur ſuperfluitas, & guloſitas. Sed quo modo pompa mundi etiam deſtruatur, nondum tibi dixi, quod tamen proſequi non intendo, ſed nec ex toto omittens. Sed hoc dicere ſufficere puto ad præſens: quod hoc exemplo renovata videtur primæ ætatis beata ſimplicitas, in qua erant homines contenti fructibus arborum, & radicibus herbarum, & ſimplici aqua. Si igitur ſic hodie fieret, non indigeremus molendinis, nec clibanis, nec utenſilibus, & apparatu rerum, nec ſuppellectili varia & pompoſa, in quibus humanum genus eſt inextricabiliter intricatum.

FERIA QUINTA.

CAPUT XLV.

De Miniſterio Marthæ & Mariæ. Item de ordine contemplationis, & quod duas habet partes.

Luc. 10. 8 CUm quadam vice Dominus Jeſus iret Bethaniam ad domum Marthæ & Mariæ, ipſe toto affectu diligentes eum, reverenter ac multum alacriter ſuſceperunt eumdem. Et Martha quidem ſoror Mariæ ſe incontinenti paravit, ad refectionem honorabilem ei, & diſcipulis procurandam. Maria vero ad pedes Domini ſe poſuit. Et cum Dominus nolens exiſtere otioſus, more ſuo loqueretur verba vitæ æternæ, ipſa oculis & auribus in eum intenta, A jucundabatur in verbis ſuis, ultra quam dici poſſit: nec quidquam aliud cogitabat. Martha vero moleſte hoc tulit, & eam compelli a Domino ad laborandum ſecum in miniſterio poſtulavit, ſed contrariam ſententiam reportavit, & Mariam optimam partem elegiſſe audivit. Maria vero quæ verbis Dei quieſcebat, ad clamorem ſororis, quaſi a ſomno evigilans, de quiete ſua timuit, & facie inclinata in terram ſiluit. Sed poſt Domini reſponſionem ſecurius, & jucundius ſedit. Deinde parata refectione, & Domino ceſſante loqui continuo ſurgit, aquam manibus eius parat, & deinceps eidem ſemper aſ- B ſiſtens, fideliſſime ſervit. Conſpice bene Dominum ingredientem, & illas ipſum lætiſſime ſuſcipientes, & deinceps alia in prædictis eorum actibus, quia pulcherrima ſunt.

Scire autem debes, quod per iſtas duas ſorores, dicunt ſancti duplicem vitam intelligi, ſcilicet activam, & contemplativam. De quibus tractare longa materia eſt. Sed quia tibi expedire credo, non longum tractatum habere, tamen tibi aliqua inde ſcribam, tum quia beatus Bernardus in diverſis locis ipſum copioſiſſime tractat: tum quia utiliſſimus, ſpiritualiſſimus, ac valde neceſſarius eſt. Nam ſecundum prædictam duplicem vitam continue vivimus, & qualiter C nos vivere oportet, ignoramus frequenter, quod non eſt magnum periculum, & jactura non levis, præcipue religioſam vitam gerentibus. Eſt igitur vita activa, quæ deſignatur per Martham. Sed activæ vitæ, ſicut, ex dictis Bernardi colligere poſſum, duæ ſunt partes. Primo pars qua quis ſe exercet ad ſuam principaliter utilitatem corrigendo ſe, emendando a vitiis, & informando virtutibus. Et idem ſecundario fit ad utilitatem etiam proximi per opera juſtitiæ, & obſequia pietatis, & charitatis. Secunda pars ejus eſt quo modo quis principaliter ſuum exercitium confert in utilitatem proximi, quamvis ad ſuum etiam majus meritum, ut alios re-

Per Martham & Mariam duæ vitæ intelliguntur.

re.

regendo, docendo, & adiuvando in animarum ſalutem, ut faciunt Prælati, & Prædicatores, & huiuſmodi? & inter has duas partes vitæ activæ, eſt vita contemplativa, ut iſte ſit ordo, quod primo quis ſe exerceat, & laboret in oratione, & ſacrarum ſtudio litterarum, & aliis operibus bonis, & obſequiis in converſatione, quaſi corrigendo ſe a vitiis, & acquirendo virtutes. Secundo quieſcat in contemplatione, ſolitudinem mentis quærens, & ſoli Deo vacans toto poſſe. Tertio per prædicta duo exercitia, virtutibus, & vera ſapientia imbutus & illuminatus, & ſerviendus effectus, ad aliorum ſalutem intendat. Primo igitur, ut tetigi, oportet, quod in prima activæ parte, mens expurgetur, depuretur, & roboretur per exercitia virtutum: deinde in contemplativa informetur, illuminetur & inſtruatur: poſtea confidenter poteſt ad aliorum profectus ut exire, eos poſſit adiuvare. Quod autem iſte ſit ordo rectus, iſtis auctoritatibus probatur, & primo, quod prima pars activæ præcedat contemplativam.

CAPUT XLVI.

Activa præcedit Contemplativam.

Bern. Ser. 3. de Aſſump. Virg. ante med. Dicit enim Bernardus: Intrante Jeſu in hoc caſtellum, duæ ſorore Martha & Maria, id eſt operatio & intellectus exceperunt illum. Jeſus autem, cum ad illas venit duo confert congruentia ſingulis, virtutem, & ſapientiam, virtutem operationi, ſapientiam intellectui. Unde *1. Cor. 1. d* & ab Apoſtolis prædicatur Dei virtus, & Dei ſapientia. Sed quid eſt, quod intrantem eum Martha excipit, diſcurrit, & miniſtrat? Maria vero ſecus pedes ſedens ingreſſi, in ejus verbum cor ſuſpendit, niſi quia prius eſt actio, poſtea vero contemplatio? Quiſquis enim ad intelligentiam pervenire deſiderat, profecto neceſſe eſt, ut prius per opera bona ſe diligenter *Eccli. 1. d* exerceat, ſicut ſcriptum eſt: Fili concupiſcens ſapientiam, conſerva, conſervat iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. Et alibi: A mandatis tuis intellexi. *Pſal. 118.* Et: Fide purgans corda eorum. *Act. 15* Qua fide? Fide per dilectionem operante. Idem: En forte *Idem Ser. 46. ſuper Cant. circa med.* appetis & ipſe contemplationis quietem: & bene facis, tantum ne obliviſcaris flores, quibus lectulum ſponſæ legis ſparſum. Ergo cura & tu tuum ſimiliter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tamquam flore fructuum ſanctum otium prævænire. Alioquin delicato ſatis otio dormitare voles, ſi non exercitatus quieſcere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, ſolis cupiat Rachel amplexibus oblectari. Sed & præpoſterus ordo eſt ante meritum exigere præmium, & ante laborem ſumere cibum, cum dicat Apoſtolus: Qui non laborat, non manducet. *2. Theſ. 3. c* A mandatis tuis intellexi, inquit, ut ſcias niſi propter obedientiæ *Pſal. 118. n* mandatorum contemplationis guſtum penitus nemini deberi. Non igitur putes de proprio amore quietis, ſanctæ obedientiæ actibus, ſeniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum ſponſus in lectulo tuo: illo, præſertim quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis ac urticis inobedientiæ aſperſiſti, propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatuſque non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam ſui tantus obedientiæ amator, qui mori quam non obedire maluerit. Sed neque approbat tuæ contemplationis inane otium, qui dicit per prophetam. Laboravi ſuſtinens, *Hier. 6. e* ſignans tempus quo exul cœlo, & patria ſummæ quietis, operatus eſt ſalutem in medio terræ. *Et paulo poſt*: Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, & qui cum omnes nos ſua ſingularitate turbaverint, ſua impatientia irritaverint, ſua inobedientia coinquinaverint: audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum, omni orationum inſtantia totius puritatis Dominum invocare. At cum *Iſa. 1. b* extenderitis, ait, manus veſtras, ante

te oculos meos, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Quid enim lectulus non eſt floridus, magis autem & putidus eſt, & tu illuc regem gloriæ trahis? Ad pauſandum hoc facis, an ad cauſandum? *Et infra*: Perge ergo tu tota die expandere ad Deum tuum manus tuas, qui fratres tota die moleſtas, unanimitatem impugnas, ab unitate te ſeparas. Et quid vis me facere, inquit? Profecto ut primo quidem emundes conſcientiam ab omni inquinamento iræ, & diſceptationis, & murmuris, & livoris, & quidquid omnino adverſari cognoſcitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ ſeniorum, de cordis habitaculo eliminare feſtines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum, id eſt quæcumque ſunt vera, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ. Hæc cogitare, in his te exercere curato. Ad iſtiuſmodi ſecure vocabis ſponſum quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris, & tu: Quia lectulus noſter floridus, ſed redolente nimirum conſcientia pietatem, ſed pacem, ſed manſuetudinem, ſed juſtitiam, ſed obedientiam, ſed hilaritatem, ſed humilitatem. Hæc Bernardus. Ex prædictis apparet, quomodo pars activæ, quam vocavit primam, præcedit contemplativam.

CAPUT XLVII.

De Oratione. Item ſeptem quæ præcedunt bonum Doctorem.

SEquitur videre, qualiter contemplativa præcedit activam in ſecunda parte ipſius, & ſic contemplativa ſtat in medio inter ipſas duas partes activæ. Dicit igitur Bernardus. Sane cavendum eſt, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus, retinere. Rem profecto Chri- *Bern. Ser. 18. ſuper Cant. non longe a prin.*

A ſti retinens tibi, ſi, verbi cauſa, plenus virtutibus cum ſis, foriſque nihilominus donis ſcientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu forte, aut ſegnitie, aut minus diſcreta humilitate verbum bonum, quod poſſet prodeſſe multis, inutili, immo damnabili ligas ſilentio, certe maledictus, quod frumenta abſcondis in populis. Rurſum quod tuum eſt, ſpargis, & perdis, ſi priuſquam infundaris, tu totus ſemiplenus feſtinas effundere, contra legem arans in primogenito bovis, & ovis primogenitum tondens. *Deut. 15.* Nimirum vita atque ſalute, quam alteri das, te fraudas, dum ſana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis B veneno inficeris, & lethali apoſtemate turgens, interis. Quamobrem ſi ſapis concham te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem pene ſimul recepit, & refundit: illa vero donec impleatur, expectat, & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum, qui partem ſuam fecit deteriorem. *Et infra*: Ceterum tu frater, cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc aut nulla eſt, aut adeo tenera, aut arundinea, quod omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circumferatur doctrinæ vento: immo cui tanta eſt charitas, & ultra C mandatum, quidem diligas proximum tuum plus quam teipſum, & rurſum tantilla, ut contra mandatum favore liqueſcat, pavore deficiat, perturbetur triſtitia, avaritia contrahatur, protrahatur ſuſpicione, ambitionibus inquietetur, conviciis exagitetur, curis eviſceretur, honoribus tumeat, livore tabeſcat: tu, inquam, in propriis teipſum ſentiens, quænam dementia quæſo, aliena curare, aut ambis aut acquieſcis? Sed audi quid conſulat cauta, vigilque charitas. Non ut aliis, inquit, ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. Noli nimium eſſe juſtus. Sufficit ut diligas proximum tuum tamquam teipſum: hoc quippe eſt ex æqualitate. *Et infra*: Implere prius, *2. Cor. 8. Eccleſ. 7. Rom. 13.*

& ſic

& ſic curato effundere. Benigna, pru-
denſque charitas affluere conſuevit,
Prov. 3. e non effluere. Fili mi, ne pereffluas,
Hebr. 2. a ait Salomon. Et Apoſtolus: Propter-
ea, inquit, debemus intendere his,
quæ dicuntur, ne forte pereffluamus.
Quid enim tunc Paulo ſanctior? ſa-
pientior Salomone? *Et poſt pauca:*
Sed jam audite, quæ & quanta ſalu-
ti propriæ ſint neceſſaria, quæ &
quanta infundi oporteat, priuſquam
effundere præſumamus. *Et poſt:* Ac-
cedit medicus ad vulneratum, ſpiri-
tus ad animam. Quam enim non re-
periat gladio diaboli vulneratam?
Et infra: Quid ei primo opus eſt?
Revera ut tumor vel ulcus, quod for-
te ſupercrevit in vulnere, & poteſt
impedire ſanitatem, ante omnia am-
putetur. Abſcindatur itaque ferro a-
cuto compunctionis ulcus inveteratæ
conſuetudinis. Sed eſt acerbus do-
lor. Leniatur proinde unguento de-
votionis, quod non eſt aliud, niſi
concepta de ſpe indulgentiæ exulta-
tio. Hanc continenti parit facultas,
Pſal. 115. b ex victoria de peccato. Jam gratias
agit, & dicit: Dirupiſti vincula mea,
tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. De-
inde apponitur medicamentum pœ-
nitentiæ, malagma jejuniorum, vi-
giliarum, orationum, & ſi qua ſunt
alia pœnitentium exercitia. In la-
bore cibandus eſt, cibo boni operis,
Joan. 4. b ne deficiat. Quod opus ſit cibus, in-
de doceris. Meus, inquit, cibus eſt,
ut faciam voluntatem patris mei.
Itaque comitentur pœnitentiæ labo-
res pietatis opera, quæ confortant.
Tob. 5. b Magnam, ait, fiduciam præſtat apud
altiſſimum eleemoſyna. Cibus ſitim
excitat, potandus eſt. Accedat cibo
boni operis, orationis potus, com-
ponens in ſtomacho conſcientiæ, quod
bene geſtum eſt, & commendans
Deo. Orando bibitur vinum lætifi-
cans cor hominis, vinum ſpiritus
quod inebriat, & carnalium volu-
ptatum infundit oblivionem, hume-
ctat interiora arentis conſcientiæ,
eſcas bonorum actuum digerit, &
deducit per quædam animæ membra

A fidem roborans, ſpem confortans,
vegetans, ordinanſque charitatem,
& impinguans mores. Sumpto cibo,
potuque quid reſtat, niſi ut pauſet
ægrotus, & quieti contemplationis
poſt ſudorem actionis incumbat?
Dormiens in contemplatione, ſom-
niat Dominum: Per ſpeculum ſiqui- 1. Cor. 13. b
dem in ænigmate, non autem facie
ad faciem interim intuetur. Cum ſic
non tam ſpectati quam conjectati,
idque raptim, & quaſi ſub quodam
coruſcamine ſcintillæ tranſeuntis te-
nuiter vix attacti inardeſcit amore,
ait: Anima mea deſideravit te in
nocte, ſed & ſpiritus meus in præ-
cordiis meis. Talis amor zelat, hic
B decet amicum, vel amorem ſponſi.
Hinc neceſſe eſt, quod ardeat fide- Mat. 24. d
lis ſervus, & prudens, quem conſti-
tuit Dominus ſuper familiam ſuam, hic
replet, hic fervet, hic ebullit, hic jam
ſecurus effundit exundans, & erumpens,
& dicens: Quis infirmatur, & ego non
infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego 2. Cor. 11. g
non uror? prædicet, fructificet, inno-
vet ſigna, & immutet mirabilia. Non
eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi
totum occupat charitas. Siquidem Rom. 13. c
plenitudo legis & cordis eſt charitas,
ſi tamen plena. Deus denique cha-
ritas eſt, & nihil eſt in rebus, quod
poſſit replere creaturam factam ad
imaginem Dei, niſi charitas Deus,
C qui ſolus major eſt illa. Eam non-
dum adeptus, periculoſiſſime promo-
vetur, quantumlibet videatur aliis pol-
lere virtutibus. Si habuerit omnem 1. Cor. 13. a
ſcientiam, ſi dederit omnem ſubſtan-
tiam ſuam pauperibus, ſi tradiderit
corpus ſuum, ita ut ardeat, abſque
charitate, vacuus eſt, ait Paulus.
En quanta prius infundenda ſunt, ut
effundere audeamus. Primo quidem
compunctio. Secundo devotio. Ter-
tio pœnitentiæ labor. Quarto pieta-
tis opus. Quinto orationis ſtudium.
Sexto contemplationis otium. Septi-
mo plenitudo dilectionis. Hæc om-
nia operatur unus, atque idem ſpi-
ritus ſecundum operationem, quæ
infuſio appellatur, quatenus illa,

Digitized by Google

quæ effuſio dicta eſt, pure, & ob hoc tute jam adminiſtretur, ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Idem: Hoc ſiquidem vera & caſta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo, & deſiderio acquirendi Deo, qui eum ſimiliter diligat, ut otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſime intermittat. Et rurſum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipſum, quanto ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit. Et iterum ſumpto contemplationis guſtu, valentius ad conquirenda lucra ſolita alacriter recurrat. Ceterum inter has viciſſitudines plerumque mens fluctuat, metuens, & vehementer æſtuans, ne forte alteri horum, dum ſuis affectionibus hinc inde diſtrahitur, plus juſto inhæreat, & ſic in utroque, vel modicum a divina deviet voluntate. Et fortaſſis aliquid tale ſanctus Job patiebatur, cum diceret: Si dormiero dico: Quando conſurgam, & rurſum expectabo veſperam? hoc eſt, & quietus, neglecti operis, & occupatus, perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum ſanctum inter fructum operis, & ſomnum contemplationis graviter æſtuare, & in bonis licet ſemper converſantem, ſemper tamen quaſi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis ſingulis inquirere voluntatem. Unicum quippe in hujuſmodi remedium ſeu refugium oratio eſt, quia frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, & quatenus nos facere velit, aſſidue nobis demonſtrare dignetur. Hucuſque Bernardus. Patet igitur ex prædictis, quo modo duæ ſunt partes activæ vitæ, & quo modo inter eas eſt contemplativa, & per conſequens de modo, & ordine ipſarum. Reſtat, ut de ipſis ſingulariter inſpiciamus. Sed de tertio membro, id eſt, de ſecunda parte activæ, qualiter ad lucrum animarum, & ad utilitatem proximi ſit exeundum non intendo tractare; quia tuus ſtatus hoc non requirit. Sufficit tibi in hoc totum ſtudium tuum ponere, ut vitiis emendata ac virtutibus imbuta, per primam partem activæ, Deo tuo vacare poſſis per contemplationem.

Idem Ser. 57. ſuper Cant. poſt med.

Job. 7. 4.

CAPUT XLVIII.

De Exercitio activæ vitæ.

DE ipſa ergo activa, quamvis in parte jam habueris; & maxime in Serm. 46 Bernard. ſuper Cant. Tamen adhuc alias ejuſdem Bern. auctoritates adducam, ut cautius vitia fugere, ac plenius virtutes valeas adipiſci. Dicit itaque idem in eiſdem canticis: Seminate vobis ad juſtitiam: metite ſpem vitæ, & tunc demum illuminate vobis, ait, lumen ſcientiæ. Ultimam poſuit ſcientiam tanquam picturam, quæ ſtatum habere nequeat ſuper inane: & ideo illa duo præmiſit, & ſubjecit illi tanquam ſi ſolidum aliquid picturæ ſubſterneret. Securus jam intendam ſcientiæ, ſi vitæ prius per beneficium ſpei ſecuritatem accepero. Tu igitur ſeminaſti tibi ad juſtitiam, ſi ex vera notitia tui evigilaſti timere Deum, teipſum humiliaſti, fudiſti lacrymas, eleemoſynas profudiſti, ceteriſque pietatis actionibus mancipaſti, ſi jejuniis, & vigiliis afflixiſti corpus, ſi pectus tunſionibus, cœlos clamoribus fatigaſti. Hoc ſi quidem ſeminare eſt ad juſtitiam. Semina ſunt bona opera, bona ſtudia, ſemina lacrymæ ſunt: Ibant enim, inquit, & flebant, mittentes ſemina ſua. Idem in perſona ſponſæ loquentis ad ſodales ſponſi, & petentis oſculum, id eſt, contemplationis exceſſum, ſic dicit: Si cura eſt ei ulla de me, Oſculetur me oſculo oris ſui. Non ſum ingrata, ſed amo. *Et infra*. In gratia ipſius multis jam annis caſte, ſobrieque vivere curo, lectioni inſiſto,

Bern. Ser. 37. ſuper Can. ante med. Oſee. 10. 8

Pſal. 125.

Idem Ser. 9. ſuper Cant. non longe a prin.

ſto, reſiſto vitiis, orationi incumbo frequenter, vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ, ſine querela me arbitror, quantum in me eſt, converſari inter fratres, ſuperioribus poteſtatibus ſubdita ſum, ſive egrediens & regrediens ad imperium ſenioris. Aliena non cupio, mea potius & me pariter dedi, in ſudore vultus mei comedo panem. Ceterum quod in his omnibus eſt totum conſtat: de conſuetudine, de dulcedine nihil. *Et poſt pauca:* Mandata forſan utcumque adimpleo, ſed anima mea ſicut terra ſine aqua in illis. Ut igitur holocauſtum meum pingue fiat, oſculetur me quæſo oſculo oris ſui. Idem: Tu quoque ſi donum, quod deſuper accepiſti, nobis contubernalibus tuis libenter impartiaris, ſi te exhibeas ubique inter nos officioſum, ſi affectuoſum, ſi gratum, ſi tractabilem, ſi humilem, teſtimonium habebis ab omnibus, quod fragres & ipſe unguentis optimis. Omnis in nobis qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animarum, non ſolum patienter ſupportat, ſed inſuper, ſi licet ei, & ſi valet, juvat obſequiis, confortat alloquiis, conſiliis informat. Si hoc non poteſt propter diſciplinam, ſollicitis ſaltem orationibus, ſolatiari non ceſſet infirmo. Omnis, inquam, qui talia operatur in nobis, bonum omnino ſpargat odorem inter fratres, odorem de unguentis optimis, balſamum in ore. Hujuſmodi frater in congregatione monſtratur digito, dicunt de eo omnes: Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael. Hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate. Idem: Hi ſunt magiſtri, qui a magiſtro omnium vias vitæ plenius didicerunt, & docent nos uſque in hodiernum diem. Quid igitur docuerunt, vel docent nos ſancti Apoſtoli? Non piſcatoriam artem, nec ſcenofactoriam, vel quidquid hujuſmodi eſt, non Platonem legere, non Ariſtotelis verſutias inverſare, non ſemper diſcere, & numquam ad veritatis ſcientiam pervenire.

Idem Ser. 22. ſuper Can. circa med.

2. Mac. 15

Idem Ser. 1. in feſto SS. Pet. & Pau. circa med.

A Docuerunt me vivere. Putas parva res ſit ſcire vivere? Magnum aliquid, immo maximum. Non vivit, qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur, qui ceteris inficitur peſtibus: quoniam non eſt hoc vivere, ſed vitam confundere, & appropinquare uſque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto & mala pati & bona facere, & ſic perſeverare uſque ad mortem. Dicitur vulgo: Qui bene ſe paſcit bene vivit. Sed mentita eſt iniquitas ſibi, quoniam non bene vivit, niſi qui bonum facit. Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es bene vivis, ſi vivis ordinabiliter, ſociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter B tibi, ſociabiliter aliis, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in converſatione tua ſolicitus ſis obſervare vias tuas in conſpectu Domini, & in conſpectu proximi: cavens & tibi a peccato, & illi a ſcandalo. Sociabiliter, ut ſtudeas amari & amare, & blandum te, & affabilem exhibere, ſupportare non ſolum patienter, ſed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quam corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, ſpiritum vanitatis ſtudeas exſufflare, qui ex hujuſmodi naſci ſolet: & quantumcumque illum ſenſeris, nega omnino conſenſum. Sic & in patiendo malum, quoniam triplex eſt, triplicem oportet adhibere providentiam. C Eſt enim quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo. Primum eſt auſteritas pœnitentiæ. Secundum vexatio alienæ malitiæ. Tertium flagellum correptionis divinæ. In eo, quod a te pateris, debes voluntarie ſacrificare: quod a proximo, patienter ferre: quod a Deo, ſine murmuratione, & cum gratiarum actione ſuſtinere. Hucuſque Bernardus. Et hæc de exercitio primæ partis activæ ſufficiant ad præſens.

Triplici malo triplex providentia adhibenda.

CA-

CAPUT XLIX.

De Exercitio Vitæ contemplativæ.

Bern. Ser. 52. ſuper Cant. ſtatim a princ. SEquitur ut de contemplativa videamus. De qua ſic dicit Bernardus. Propterea dulciſſimus ſponſus lævam ſuam capiti ſponſæ ſuppoſuit, quatenus in ſinu eam quieſcere faceret, & dormire. Et nunc cuſtos illius dignatiſſime, & benevolentiſſime vigilat ſuper eam, ne adoleſcentularum crebris, minutiſque neceſſitatibus inquietata vigilare cogatur. *Et infra*. Non me capio præ lætitia, quod illa majeſtas tam familiari dulcique conſortio noſtræ ſeſe inclinare infirmitati minime dedignatur, & ſuperna deitas animæ exulantis inire connubia non deſpicit. Si ſic in cœlo eſſe non ambigo, ut lego in terra, ſentit pro certo anima quod continet pagina, niſi quod non ſufficit omnino iſta exprimere, quantum capere illa tunc poterit, ſed nec quantum jam poteſt. Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, vel donatur, ut Dei brachiis amplecti ſe ſentiat, & Dei ſinu foveri, Dei cura, cuſtodia, & ſtudio cuſtodiri, ne dormiens forte a quopiam, donec ultro evigilet, excitetur? *Et mox ſubdit*: Non eſt autem is ſponſæ ſomnus, dormitio corporis. *Et poſt*: Magis autem iſtiuſmodi vitalis, vigilque ſopor, ſenſum interiorem illuminat, & morte propulſata, vitam, tribuit ſempiternam. Revera enim dormitio eſt, quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat. Eſt & mors, quod non dubius dixerim, quoniam Apoſtolus, quaſdam adhuc in carne viventes, commendando ſic loquitur: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. *Col. 3. a.* Proinde & ego, & non abſurde ſponſæ ecſtaſim vocaverim mortem, quæ tamen non vita, ſed vitæ eripiatur laqueis, ut poſſit dicere: *Pſal. 123. a.* Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium: Inter medios namque laqueos, in hac vita inceditur: qui utique toties non timetur, quoties ſancta aliqua, & vehementi cogitatione anima a ſemetipſa abripitur: ſi tamen eo uſque mente ſecedat, & avolet, & hunc communem tranſcendat uſum, & conſuetudinem cogitandi. Etenim fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prov. 1. b* Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita ſentitur? Excedente quippe anima, & ſi non vita, certe vitæ ſenſu, neceſſe etiam eſt, ut nec vitæ tentatio ſentiatur. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? *Pſal. 54. b* Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non ſentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vel obſtupeſcam ad ſenſum libidinis, ad æſtum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ ſtimulos, ad angores ſollicitudinum, & moleſtias curarum. Moriatur anima mea morte juſtorum, ut nulla illaqueet injuſtitia, nulla oblectet iniquitas. Bona mors quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius, Bona, qua non corpus cadit, ſed anima ſublevatur; verum hæc hominum eſt. Sed anima mea moriatur morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, ut præſentium memoriam excedens, rerum ſe inferiorum, corporearumque non modo cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque illi pura cum illis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo; talis, ut opinor, exceſſus aut tantum aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri humanæ virtutis eſt: corporum vero ſimilitudinibus ſpeculando non involvi, Angelicæ puritatis eſt: utrumque tamen divini muneris, utrumque excedere, utrumque temetipſum tranſcendere eſt, ſed non longe unum, alterum non longe. *Ibidem.* Beatus qui dicere poteſt: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Non fuit contentus exire, niſi & longe ſe faceret, ut poſſet quieſcere. Tranſiliſti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiſcentiis ejus, nec tenearis illece-

Digitized by Google

crebris: proficiendo ſeparaſti te, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia undique phantaſmata corporearum ſimilitudinum tranſvolare mentis puritate prævaleas. Hucuſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi citra invenire te exiſtimas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis ſerenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc venerit, & incunctanter fateor quieſcentem, qui merito dicat: Convertere anima mea in requiem tuam, *Pſal. 114.* quia Dominus bene fecit tibi. Atque hic vere in ſolitudine locus, & lumine habitatio. *Et paulo poſt*: Puto ergo in ſolitudinem hanc exiſſe ſponſam, ibique pro amœnitate loci inter amplexus ſponſi ſuaviter obdormiſſe, id eſt, ſpiritu exceſſiſſe, quando prohibitæ ſunt adoleſcentulæ expergefacere illam, quoad ipſa voluerit. *Cant. 3 d* At illud qualiter? Non ſimpliciter neque levi, ut aſſolet, commonitione prohibitæ ſunt, ſed omnino nova, & inſueta conteſtatione, per capreas ſcilicet, cervoſque camporum. Quo quidem genere ferarum videntur mihi ſatis congruenter expreſſæ, ſanctæ animæ exutæ corporibus, ſimul & qui cum Deo ſunt Angeli, nimirum propter acumen viſus, & ſaltus celeritatem. Utrumque hoc ſiquidem utriſque ſpiritibus convenire cognoſcimus. Nam facile, & petunt ſumma, & intima penetrant. Quorum quoque in campis deſignata converſatio evidenter liberos atque expeditos ſignificat in contemplatione diſcurſus. Quid ſibi vult igitur adjuratio facta per iſtos? Profecto ne inquietæ adoleſcentulæ audeant levi ex cauſa evocare dilectam a tam reverendo collegio, cui abſque debito toties admiſcetur, quoties contemplando excedit. Pulchre itaque horum auctoritate terrentur, a quorum ſocietate conſtat evelli illam, ipſarum importunitate. Ponitur ſane in voluntate ipſius, & vacare ſibi, & curæ illarum intendere, prout oportere judicaverit, cum vetatur excitari ab illis, quouſque ipſa velit. Novit ſponſus quanta fragret dilectione erga proximos ſponſa: & ſatis propria charitate ſolicitari matrem de profectibus filiarum, nec ſe ullo pacto illis ſubtracturam, ſeu denegaturam, quantum & quoties opus fuerit: proptereaque ſecuræ diſcretionis ejus credendam cenſuit hanc diſpenſationem. Hucuſque Bernardus.

CAPUT L.

De tribus generibus Contemplationis.

B

SCire autem debes contemplationis tria eſſe genera, duo principalia propter perfectos, tertium additur pro imperfectis. Duorum perfectorum, ſunt contemplatio majeſtatis Dei, & contemplatio cœleſtis curiæ. Tertium pro incipientibus, imperfectis eſt contemplatio humanitatis Chriſti, quam in hoc libello tibi deſcribo. Et ideo ab hac tibi incipiendum eſt, ſi vis aſcendere ad majora, alias non tam aſcendere, quam revereri poſſes. Vide igitur quam neceſſaria ſit tibi hujus libelli doctrina. Numquam enim ad ſublimia Dei, mente elevare te poſſe confidas, niſi in hac te diligenter, & longo tempore exerceas. Super hac autem materia dicit ſic Bernardus:

C

Duo liquet contemplationis genera eſſe. *Idem ſer. 82. ſuper Cant. circa med.* Unum de ſtatu & felicitate, & gloria civitatis ſupernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cœleſtium civium occupata ſit multitudo: alterum de regis ipſius majeſtate, æternitate, & divinitate. Illa in maceria, iſta in petra: Sed hæc quanto difficilius cavatur, tanto ſuavius, quod inde eruis, ſapit. *Et infra*: Sed quia non ex omni ſe interim parte adhuc ad petram perforandam accedere Eccleſia poteſt, neque enim omnium eſt, qui in Eccleſia ſunt, Sacramenta divinæ voluntatis inſpicere, aut apprehendere per ſemetipſos profunda Dei, ideo non ſolum in foraminibus petræ, ſed etiam in caver-

A vernis maceriæ habitare oſtenditur. Ergo in perfectis quidem qui rimari, & penetrare arcana ſapientiæ, & puritate conſcientiæ audent, & intelligentiæ acumine poſſunt, habitant in foraminibus petræ. De reliquo in caverna maceriæ: ut qui in petra fodere per ſemetipſos, aut non ſufficiunt, aut non præſumunt, in maceria fodiant, contenti vel gloriam ſanctorum mente intueri. Si cui nec hoc quidem poſſibile ſit, huic ſane propone Jeſum, & hunc crucifixum: ut & ipſe abſque ſuo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laboravit. Judæi in his laboraverunt, & ipſe in labores infidelium introibit, ut ſit fidelis. Nec verendum, quod patiatur repulſam, qui vocatur ut intret. *Iſa. 2* Ingredere, inquit, in petram, abſconde te in foſſa humo a facie timoris Domini, & a gloria majeſtatis ejus. Infirmæ adhuc, & inerti animæ foſſa oſtenditur humus, ubi lateat, donec convaleſcat, & proficiat: ut poſſit & ipſa per ſe cavare ſibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora verbi, animi utique *Pſal. 21. d* vigore, & puritate. Et ſi intelleximus foſſam humum illam, quæ ait: Foderunt manus meas, & pedes meos, non erit ambigendum de ſanitate animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim eſt tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandum mentis aciem, quam Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Verum donec purgata & ſanata perfecte fuerit, non videbo qualiter illi *Can. 2. d* aptari poſſit, quod dicitur: Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Quo modo denique faciem ſuam oſtendere audet, vel levare vocem, cui & latere indicitur? Abſcondere, inquit, in foſſa humo. Quare? quia non eſt pulchra facie, nec digna ut videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit idonea videre. Cum autem per inhabitationem foſſæ humi in ſanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie ſpeculari gloriam Dei, & ipſa poſſit: tunc demum quæ videbit, fiducialiter jam loquitur voce, & facie placens. Placeat neceſſe eſt facies, quæ in Dei claritatem intendere poteſt. Neque enim illud poſſet, niſi clara quoque eſſet & pura: utique transformata in eamdem quam conſpicit, claritatis imaginem: alioquin ipſa diſſimilitudine reſiliret inſolito reverberata fulgore. Ergo cum pura puram intueri poterit veritatem, tunc faciem ipſius ſponſus videre cupiet, conſequenter & vocem audire. Hucuſque Bernardus. Vides quam neceſſaria ſit tibi vitæ Chriſti meditatio: nam ut ex auctoritate patet, niſi in ea depureris, numquam ad ſublimia Dei aſcendere poteris. Unde

B vigilanter, & indeſinenter exerceris in ea. Vidiſti etiam quomodo tria ſunt genera contemplationis, ſcilicet humanitatis Chriſti, cœleſtis curiæ, ac majeſtatis divinæ. *Tria contemplationis genera* Scire autem debes, quod in qualibet harum duo ſunt mentis exceſſus, intellectualis, & affectualis. De quibus ſic dicit Bernardus: Cum duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, *Bern. Ser 49. ſuper Can. circa med.* in intellectu unus, & alter in affectu: unus in lumine, & alter in fervore: unus in agnitione, alter in devotione: pius ſane affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ devotionis infuſio etiam, & vehemens ſpiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam ex cella vinaria reportantur. Hucuſque Bernardus,

C & in aliis, & in iſto.

CAPUT LI.

De contemplatione Humanitatis Chriſti.

DIcit ergo circa hoc primum: *Ber. Ser. 3. de Aſcenſ. Dom. non longe a prin.* Duo ſunt quæ in nobis purganda ſunt, ſcilicet intellectus, & affectus. Intellectus ut noverit, affectus ut velit. *Et paulo ante:* Intellectus, dico, tunc deprimitur cum multa cogitat, cum non colligit ſe circa unam & unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipſum. *Et mox ſubdit:* Affectiones vero, quæ corpore

cor-

corrupto diverſis paſſionibus afficiuntur, mitigari numquam poſſunt, ne dicam ſanari, donec voluntas unum quærat, & tendat ad unum. *Et infra:* Sed Chriſtus intellectum illuminat, Chriſtus affectum purgat. Venit enim filius Dei, & tot, & tanta mirabilia in mundo operatus eſt, ut non immerito intellectum noſtrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit, ut ſemper cogitemus, & numquam cogitare ſufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latiſſimos nobis ad ſpatiandum intelligentiæ campos dereliquit, & torrens iſtarum cogitationum profundiſſimus eſt. Quis enim cogitare ſufficiat, qualiter rerum Deus prævenerit nos, venerit ad nos, ſubvenerit nobis: & ſingularis majeſtas voluit mori ut viveremus, ſervire ut regnaremus, exulare ut repatriaremus, & uſque ad ſerviliſſima opera inclinari, ut conſtitueret nos ſuper omnia ſua. Idem: Unde nobis in his tenebris veritas? Unde charitas in hoc ſæculo nequam, in hoc mundo, qui totus poſitus eſt in maligno. Putas erit, qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum. Erit, ſi convertamur ad Chriſtum, ut velamen de cordibus auferatur. Idem: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Et ego fratres ab ineunte mea converſatione pro acervo meritorum, qua mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Dei mei. Primum videlicet infantilium illarum neceſſitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, poſtremo periculorum in falſis fratribus, convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumque ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſilva Evangelica copioſiſſime noſcitur protuliſſe. *Et infra:* Hæc

Idem Ser. 6. de Aſcen. Dom. circa med.

Ser. 43. ſuper Cant. circa med.

A meditari dixi ſapientiam, in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis, ex his ſurſum ſuavis unctio conſolationis. Hæc me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaque vitæ præſentis via regia incedenti, tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Hæc mihi mundi judicem conciliant, dum tremendum poteſtatibus mitem humilemque figurant: dum non ſolum placabilem, ſed amicabilem repræſentant eum, B qui inacceſſibilis eſt principibus, terribilis apud reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter ſicut vos ſcitis: hæc in corde ſemper, ſicut Deus ſcit: hæc ſtylo meo admodum familiaria ſicut apparet: hæc mea ſubtilior interiorque Philoſophia, ſcire Jeſum, & hunc crucifixum. Huc uſque Bernard. Et hæc de contemplatione humanitatis ſufficiant, quia totum hunc librum de ipſo habes. Scire tamen debes, quod hanc contemplationem non oportet quod præcedat vita activa, quia de rebus corporalibus eſt ſcilicet de actionibus Chriſti ſecundum humanitatem. Unde tamquam familiarior non tantum C perfectioribus, ſed etiam rudibus proponitur intuenda: tum quia in ea ſicut in activa, & a vitiis purgamur, & virtutibus imbuimur, unde hæc cum activa concurrit. Cum igitur dicitur, quod activa debet præcedere contemplativam: verum eſt in aliis ſublimioribus ſuis generibus, ſcilicet cœleſtis curiæ, & majeſtatis Dei, quæ tantum perfectis reſervantur. Et ideo iſta de humanitate Chriſti rectius & proprius meditatio, quam contemplatio nominari debet. De prædictis autem duabus etiam per auctoritates Bernardi videamus.

Ca-

CAPUT LII.

De contemplatione cœleſtis Curiæ.

Bern. Ser. 62. ſuper Can. ante med.

DIcit ergo de cœleſti curia contemplanda hoc modo: Licebit unicuique noſtrum in hoc tempore mortalitatis, nunc quidem Patriarchas reviſere, nunc ſalutare Prophetas, nunc Senatui immiſceri Apoſtolorum, nunc Martyrum inſeri choris: ſed & beatarum Virtutum ſtatus & manſiones a minimo Angelo, uſque ad Cherubim & Seraphim, tota mentis alacritate percurrendo luſtrare, prout quemque ſua devotio feret. Apud quos magis afficietur immittente ſibi ſpiritu, prout vult, ſi ſteterit & pulſaverit, confeſtim aperietur ei.

Idem Ser. 4. de Aſcen. Dom. parum poſt med.

Idem: Felix cujus meditatio in conſpectu Domini eſt ſemper, qui in corde ſuo delectationes dexteræ Domini uſque in finem, ſedula cogitatione revolvit.

Rom. 8. d.

Quid illi grave poterit videri, qui ſemper tractat mente, quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiſcere poterit in hoc ſæculo nequam, cuius oculus ſemper videt bona Domini in terra viventium, & ſemper videt æterna præmia? *Et poſt pauca*: Quis mihi tribuat, ut omnes ſurgentes ſteteris in excelſo, & videatis exultationem, quæ ventura eſt nobis a Domino? *Et infra*: Quid enim tam bonum eſt, immo, quid aliud bonum videtur, quam in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non poteſt? *Et mox ſubdit*: Quis enim ex vobis ſecum cogitans futuram illam vitam, ſcilicet lætitiam, jucunditatem, beatitudinem, & gloriam filiorum Dei: quis, inquam, talia tranquilla ſecum conſcientia, volens, non continuo de plenitudine intimæ ſuavitatis eructat:

Mat. 17. a.

Domine bonum eſt nos hic eſſe? Non ſane in hac ærumnoſa peregrinatione, ubi corpore detinetur, ſed in ſuavi ac ſalubri illa cogitatione, in qua corde verſatur.

Pſal. 54.

A Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? *Et poſt pauca*. Obſecro vos fratres mei, non graventur corda veſtra in curis ſæcularibus: exonerate obſecro corda veſtra gravi mole terrenarum cogitationum. *Et infra*: Formate in cordibus veſtris jam non modo Patriarcharum, & Prophetarum tabernacula, ſed omnes domos illius curiæ cœleſtis, & multiplices manſiones ſecundum eum qui circuibat, immolans in tabernaculo Domini hoſtiam vociferationis, & pſalmum illum dicens Domino: Quam dilecta tabernacula

Pſal. 83. a

tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

B Circuite & vos fratres cum pietatis, & devotionis hoſtia, viſitantes animo ſedes ſupernas, & multas, quæ in domo patris ſunt manſiones, humiliter proſternentes corda veſtra ante thronum Dei & agni, cum reverentia ſupplicantes ſingulis ordinibus Angelorum, Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, Senatum Apoſtolorum ſalutantes: conſpicientes coronas Martyrum purpureis rutilantes floribus, & redolentes liliis, choros Virginum admirantes, atque ad melliſluum novi cantici ſonum, quantum prævalet infirmitas cordis erigentes auditum. Hæc recordatus ſum, Propheta loquitur, *& effudi in me ani-*

Pſal. 41. a

mam meam: quoniam tranſibo in

C locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Hucuſque Bernardus. Et hæc de cœleſtis patriæ contemplatione ſufficiant.

CAPUT LIII.

De Contemplatione Majeſtatis Dei. Item quatuor ſunt genera Contemplationis.

VEniamus autem ad ſublimiorem, ad quam credo paucos attingere, videlicet ad contemplationem Domini. Revereamur tamen quæ dicit Bernardus, ut ab eo aliqualiter introducti tentemus, ſi quando Dominus dignetur aliquid gratum inde per-

Bern. Ser. 41. ſuper Cant. circa med.

percipere. Dicit ergo loquens de ſodalibus ſponſi, id eſt, Angelis dicentibus: Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Aurum divinitatis eſt fulgor. Aurum ſapientia, quæ de ſurſum eſt. Hoc auro fulgentia quædam, quaſi varietatis ſignacula ſpondent ſe figuraturos, hi quibus id miniſterii eſt, ſuperni aurifices, atque internis animi auribus inſerturos. Quod ego non puto eſſe aliud, quam texere quaſdam ſpirituales ſimilitudines, & in ipſis puriſſima divinæ ſapientiæ ſenſa, animæ contemplantis conſpectibus importare, ut videat ſaltem per ſpeculum in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri. Divina ſunt, & niſi expertis prorſus incognita quæ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore fide adhuc habente ſtatum & necdum propalata perſpicui ſubſtantia luminis interni, puræ interdum contemplatio veritatis, partes ſuas agere intra nos, vel ex parte præſumit: ita, ut liceat uſurpare alicui noſtrum, cui hoc datum deſuper fuerit illud Apoſtoli: Nunc cognoſco ex parte. Item: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autem divinius aliquid raptim, & veluti in velocitatem coruſci luminis interluxerit menti, ſpiritu excedenti, ſive ad temperamentum nimii ſplendoris, ſive ad doctrinæ uſum: continuo, neſcio unde, adſunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines, infuſis divinitus ſenſibus accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus puriſſimus ille, ac ſplendidiſſimus veritatis radius, & ipſi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit capabilior. Exiſtimo tamen ipſas formari in vobis ſanctorum ſuggeſtionibus Angelorum, ſicut econtrario, contrarias & malas ingeri immiſſiones per Angelos malos, dubium non eſt. Idem: Felix mens, quæ ſibi in hac materia frequenter cavare ſtuduit, ſed quæ in petra felicior. Licet quidem cavare & in petra, ſed ad hoc puriore

1. Cor. 13. d

Ibidem.

Idem Ser. 62. ſuper Cant. ante med.

A mentis acie opus eſt, & vehementiori omnino intentione, etiam & meritis potioribus ſanctitatis. Et ad hoc quis idoneus? Nempe ille qui dixit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Nonne tibi videtur ipſis ſe verbi penetralibus immerſiſſe, & de abditis pectoris quamdam ejus intimæ ſapientiæ ſacroſanctam eruiſſe medullam? *Et infra*: Sed in petra quanto difficilius cavatur, tanto ſuavius, quod inde eruis, ſapit. Nec verearis illud quod ſcriptura minatur ſcrutatoribus majeſtatis: tantum affer purum, & ſimplicem oculum, non opprimeris a gloria, ſed admitteris, niſi non Dei, ſed tuam quæſieris B gloriam. Alioquin ſua quiſque opprimitur, non Dei gloria: dum proclivis in iſtam, ad illam levare cervicem non ſinitur, nimirum gravi cupiditate. Hac excuſſa ſecure ſcrutemur in petra, in qua theſauri abſconditi ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt. Sed ſi adhuc dubitas, audi ipſam petram: Qui operantur in me, non peccabunt. Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ibi invenit requiem manſuetus, & ſimplex, ubi doloſus opprimitur, & elatus & cupidus inanis gloriæ. *Et paulo poſt*: Non opprimitur, qui non ſcrutator eſt majeſtatis, ſed voluntatis: Nam quod majeſtati C attinet, interdum quidem & in ipſam intendere audet, ſed quaſi admirans, non quaſi ſcrutans. Sed ſi quando per exceſſum rapi in illam contingat, digitus Domini eſt iſte, dignanter levans hominem, non hominis temeritas inſolenter Dei alta perſuadens. Cum ergo Apoſtolus raptum ſe commemoret, ut auſum excuſet: quiſnam alter præſumat mortalium huic ſe divinæ majeſtatis horrendo ſcrutinio propriis intrare conatibus, & importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde majeſtatis tamquam irruptores dici reor, non qui rapiuntur in eam, ſed qui irruunt. Ipſi itaque opprimuntur a gloria. Ergo formidoloſa ſcrutatio

Joan. 1

Prov. 25

Eccl. 24

Pſal. 54

2 Cor. 12

ratio majeſtatis: at voluntatis tam A tuta, quam pia. Quid ni tota diligentia ſcrutando inſtem Sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia ſcio? Suavis gloria, quæ non aliunde, quam de ipſius ſuavitatis contemplatione procedit, quam de divitiarum bonitatis ac multæ miſerationis intuitu. Denique vidimus gloriam hanc quaſi unigeniti a patre totum nempe benignum & vere, paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria iſta, totis licet viribus intendentem in ſe: ego potius imprimar illi. Etenim revelata facie ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, cum confirmamur. Abſit autem ut in B gloria majeſtatis, & non magis in voluntatis modeſtia, Dei ab homine conformitas præſumatur. Gloria mea hæc eſt, ſi unquam de me audiero: Inveni hominem ſecundum cor meum. Cor ſponſi, cor patris ſui. Ipſum quod? Eſtote, ait, miſericordes, ſicut pater veſter qui in cœlis eſt, miſericors eſt. Hæc forma quam videre deſiderat cum Eccleſiæ dicit: Oſtende mihi faciem tuam, forma pietatis eſt & manſuetudinis. Hanc cum omni fiducia levat ad petram, cui ſimilis eſt. Accedite [inquit] ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Quo pacto humilis ab humili confundetur, a C pio ſancta, a manſuetudo modeſta? Non plane abhorrebit a puritate petræ pura facies ſponſæ, non magis quam a virtute virtus, a lumine lumen. Idem: Duæ iſtæ ſorores, duas vitas amatorum paupertatis ſignant. Quidam cum Martha ſoliciti Domino Jeſu duo pulmenta præparant, ſcilicet correctionem operis cum ſalſamento contritionis, eſt opus pietatis cum condimento devotionis. Hi vero, qui cum Maria ſoli Deo vacant, conſiderantes, quid ſit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, quid in ſeipſo, quid in reprobis, contemplantur, quia Deus eſt mundi rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, Angelorum ſapor, & decor, in ſeipſo principium & finis, reproborum terror, & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis deſiderabilis, in ſeipſo incomprehenſibilis, in reprobis intolerabilis. Hucuſque Bernardus. In hac autem majeſtatis contemplatione quatuor modis ſpeculamur, de quibus idem Bernardus ſic dicit: Quatuor ſunt contemplationis ſpecies. Prima & maxima contemplatio eſt admiratio majeſtatis. Hæc requirit cor purgatum, ut a vitio liberum, atque exoneratum peccatis, facile ad ſuperna levet, & interdum quoque per aliquas morulas ſtupore, & ecſtaſi ſuſpenſum teneat admirantem. Secunda autem neceſſaria eſt huic. Eſt enim intuens judicia Dei. Quo ſane pavido aſpectu dum vehementius concutit mentem intuentis, fugat vitia, fundit virtutes, initiat ad ſapientiam, humilitatem ſervat. *Et infra:* Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur circa memoriam bonorum, & ne dimittat ingratum, ſollicitat memorantem ad amorem benefactoris. Quarta, quæ retro ſunt obliviſcens, in ſola quieſcit expectatione repromiſſorum, quæ cum ſit meditatio æternitatis [ſiquidem quæ promittuntur æterna ſunt] longanimitatem alit, ac etiam perſeverantiæ dat vigorem. Hucuſque Bernardus. Et hæc de contemplatione majeſtatis Dei ſufficiant ad præſens.

Joan. 1

2. Cor. 3

Act. 13. ex 1. Reg. 13. e

Luc. 6. f.

Can. 2. d

Pſal. 33. e

Idem in par. & var. ſermonibus ſer. 4.

Idem lib. 5. de conſ. c. ult. circa med.

CAPUT LIV.

De modo vivendi in activa vita. Item auctoritas Bernardi bona.

POſtquam vidimus de exercitio utriuſque vitæ, ſcilicet primæ partis activæ, & etiam contemplativæ, & de generibus ipſius contemplativæ: reſtat videre, quem modum tenere valeamus, ut in ipſam poſſimus facilius introduci, & eam efficacius adipiſci. Scire ergo debes, quod prima pars activæ requirit ſocialem inter alios converſationem, ſicut contemplatio ſolitudinem. Ideo autem in activa converſandum eſt inter alios, me-

Prima pars vitæ activæ conſiſtit in ſociali converſatione.

Digitized by Google

quia melius, & citius quis propoſitum ſuum conſequetur. Erubeſcit enim inter alios de vitiis quæ habet, & de virtutibus, quas non habet, & ideo in utriſque ſe corrigit: quod in ſolitudine non contingit, quia in ea nec ipſe quandoque perpenderet, nec eſſet qui corrigeret, nec coram quo erubeſceret. Propterea proficit in correctionibus, & moribus aliorum, cum eſt in congregatione: conatur enim vitare defectus, de quibus & adipiſci virtutes in quibus alii alii corripiuntur & diſplicent, commendantur, & placent. Sic ergo te facere oportet donec fueris in activa, ut caute obſerves & vites tua, & aliorum vitia ſecundum modum ſupra dictum in pluribus locis, maxime in exercitio activæ. Conſidera diligenter, quæ ibi dicta ſunt de virtutibus & vitiis, & ſecundum ea vivere ſtude, quo modo teipſam examinare & ad virtutes aliorum aſpicere debeas, & imitari, & exinde humiliari, & in timore ſemper manere, quia tu ſimiles virtutes non habes.

Bern. Ser. 54. ſuper Cant. poſt med.

Sic ergo docet Bernardus: Non ſine cauſa ab heri, & nudiuſtertius invaſit me languor animi, & mentis hebetudo inſolita quædam inertia ſpiritus. Currebem bene: ſed ecce lapis offenſionis in via: impegi & corrui. Superbia inventa eſt in me: & Dominus declinavit in ira a ſervo ſuo. Hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & devotionis inopia, quam patior. Quo modo ita exaruit cor meum, coagulatum eſt ſicut lac, factum eſt ſicut terra ſine aqua, nec compungi ad lacrymas queo, tanta eſt duritia cordis: meditationes ſolitas non invenio. Ubi illa inebriatio ſpiritus? ubi mentis ſerenitas, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, ſegnior & obtuſior ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquant. *Et*

A *poſt*: Nam alium quidem intueor ſingularis abſtinentiæ, alium vero patientiæ admirandæ, alium autem ſummæ humilitatis, & manſuetudinis, alium multæ miſericordiæ, & pietatis: illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulſare, & penetrare cœlos orationum inſtantia, aliosque in aliis præeminere virtutibus. Hos, inquam, conſidero omnes ferventes, omnes devotos, omnes in Chriſto unanimes, omnes in donis cœleſtibus & gratia affluentes tamquam ſpirituales revera montes, qui a Domino viſitantur, & ſponſum in ſe ſalientem frequenter recipiunt. Ego autem qui horum in me invenio ni-

B hil, quid me aliud putem, quam unum e montibus Gelboe, quem præterit in ira & in indignatione ſua ille, ceterorum omnium benigniſſimus viſitator? Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, viam ſponſi ſaltibus præparat. *Et infra*: Volo vos non parcere vobis, ſed accuſare voſmetipſos quoties forte in vobis, vel ad modicum tepere gratiam, virtutem langueſcere deprehenditis. *Et poſt*: Hoc facere hominis eſt, qui curioſus circumſpector eſt ſui, & ſcrutator viarum ſuarum, ac ſtudiorum, atque in omnibus ſemper ſuſpectum habet arrogantiæ vitium, ne ſurrepat.

C In veritate didici, nil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. Idem: Diſcito tibi præeſſe, & vitam ordinare, mores componere, temetipſum judicare: & te ipſum apud teipſum accuſare, ſæpe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedeat judicans juſtitia, ſtet rea, & temetipſnm accuſans conſcientia. Nemo te plus diligit, nemo te fidelius judicabit. Mane præteritæ noctis fac a temetipſo exactionem: & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Veſperæ præteritæ diei rationem exige, & ſupervenientis noctis fac indictionem.

Prov. 28. Idem Epiſ. ad fratres de monte Deil, de vi. ſol. longe ante med.

nem. Sic diſtricto numquam aliunde A laſcivire vacabit. Singulis horis ſecundum communis inſtituti canonem ſua diſtribue exercitia: cui ſpiritualia, ſpiritualia: cui temporalia, temporalia. In quibus ſic exolvat omne debitum ſpiritus Deo, corpus ſpiritui: ut ſi quid fuerit intermiſſum, ſi quid neglectum, ſi quid imperfectum, ſuo modo, ſuo loco, ſuo tempore, non abeat impunitum ſive irrecompenſatum. Idem: Quantum putas, ego illos admiror, quantum vereor in corde meo, quanto amplector charitatis affectu, qui velut neſcientes eos quos ſecum quotidie vident: unum forte, aut duos, vel etiam plures, quos in majori fervore ſpiritus vident, ſibi ex omnibus eligunt, & cum ipſi fortaſſe meliores ſint ſemper tamen illorum ſibi proponunt & præponunt ſancta in Domino ſtudia, & exercitia corporalia, ſeu etiam ſpiritualia. *Et infra:* Væ mihi (inquit) unus ex noſtris, quia monachum in vigiliis unum conſideravi, in quo triginta virtutes numeravi, quarum vix unam in me invenio, & fortaſſe nullam. Ille tantum habebat, quantum hæc ipſa religioſæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus ſit mei ſermonis, ut aliorum quiſque altiora ſemper attendat, quia in eo conſtat plenitudo humilitatis. Nam ſi forte in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur; ſed in multis ſi bonus æmulator fueris, judicare te poteris inferiorem. Quid ſi forte laborare, aut jejunare plus iſto potes, & ille patientia ſuperat; humilitate præcedit, ſupereminet charitate? quomodo tota die circa illud quod videris habere, inſipienti cogitatione verſaris? Eſto magis ſolicitus, ut ſcias quid deſit tibi. Hoc enim melius. Hucuſque Bernard. Vides quam magnum eſt circumſpicere, & examinare ſcipſum, & etiam alios, ut in ſuam utilitatem mores eorum convertat. In hoc igitur te multum exerceas, dum fueris in activa, ſemper tenendo charitatis, humilitatis, & pietatis obſequia. Super omnia

Idem Ser. 1. de altitudine, & humil. cordis.

vero teneas Meditationes Vitæ Chriſti, & Orationem, quam in utriſque miro modo illuminaberis circa vitia & virtutes, & ſuper omnia alia exercitia in eis ad puritatem animi proficies, ad quæ totis viribus te intendere oportet, quia omnes virtutes continet, ut dixi ſupra de jejunio Domini. Et ſi bene auctoritates ſupra de contemplatione poſitas intellexiſti, tanto quis majori puritate ſe munire debet, quanto ad celſiorem contemplationem aſcendere cupit. Depuratur autem anima in Meditationibus Vitæ Chriſti, & maxime paſſionis ipſius, ut habuiſti ſupra in generalibus contemplationibus ex ſermone ſeptuageſimo ſecundo Ber. B ſuper Cantica. Depuratur etiam in oratione quæ vicina, & proxima eſt contemplationi, & quod oratio laborioſis ſudoribus impetrat, contemplatio amœne quieſcendo deguſtat. Et hæc de modo vitæ activæ ſufficiant.

CAPUT LV.

De modo vivendi in vita contemplativa.

IN contemplativa vero aliter, & longe aliter te vivere oportet. Contemplator enim ſoli Deo vacare debet, & manere in ſolitudine ſaltem mentis, de qua habuiſti ſupra C de jejunio Domini. Nihil igitur ad eum de aliquibus rebus communibus vel propriis, nihil ad eum de proximis quantum ad obſequia corporalia pro illo tempore, ſed a ratione, & devotione, & compaſſione intendit ad eos. Nihil etiam ad eum de ſeipſo. Omnia breviter, debet poſt tergum proiicere, & tamquam inſenſibilis, & mortuus eſſe, ut ſoli Deo vacare poſſit, niſi eum neceſſitas implicet vel invitum. Oportet enim, quod hanc ſapientiam diſcat in otio: ut habuiſti ſupra, in tractatu de contemplationibus ex ſermone Bernardi ſuper Cantica quadrageſimo. Oportet quod minoretur actu & taceat, exemplo Mariæ, quantumcumque & quotieſcumque interpelletur: & ipſius exem-

exemplo dimittat Dominum reſpondere, & facere, ut omnia dignatiſſime providentiæ ſuæ committat. Super his autem audi Bernard. more ſuo facunde loquentem. *Bern. ſer. 5 de aſſum. Virgin. parum ante med.* Dicit enim ſic: Habet Martha dum agit formam bene operantis. Maria vero ſpeciem exprimit contemplantis, dum ſedet, dum tacet, dum interpellata non reſpondet; ſed tantum in Dei verbum toto mentis ſtudio intendit, ac ſolam quam diligit gratiam divinæ cognitionis, cetera reſpuens, medullitus haurit: foriſque ut inſenſibilis redditur, dum intus ad contemplanda Dei ſui gaudia feliciſſime rapitur. *Et paulo poſt*: Non miremur quempiam laborantem, & bene operantem, ſi adverſus fratrem vacantem murmurare videamus, quia & hoc in hoc Evangelio legimus Martham feciſſe adverſus Mariam. Quod autem Maria murmuraverit adverſus Martham, eo quod ejus actionibus implicari nollet, nuſquam omnino reperitur. Neque enim utrumque agere competenter ſufficeret, & curis exterioribus deſervire, & interius ſapientiæ deſideriis vacare. *Eccl. 38* De ipſa quippe ſapientia ſcriptum eſt, & qui minoratur actu percipiet illam. Propterea Maria ſedet, immotaque manet, nec vult interrumpere ſilentii quietem, ne jucundam amittat contemplationis dulcedinem, præſertim cum ipſum intus audiat Dominum dicentem: *Pſal. 33* Vacate & videte quam ſuavis eſt Dominus. Idem: Putas in domo, in qua Chriſtus ſuſcipitur, vox murmuris audietur? *Idem Ser. 3 de Aſſumpt. Virgin. non longe poſt princ.* Felix domus, & beata ſemper congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Maria Marthæ æmulari prorſus indignum, prorſus illicitum eſt: Alioquin ubi legis Mariam cauſantem, quia ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Abſit, abſit, ut qui Deo vacat, ad tumultuoſam aſpiret fratrum officialium vitam. Martha ſemper inſufficiens ſibi, & minus idonea videtur, aliiſque magis id operis quod adminiſtrat, optet imponi. Vide autem prærogativam Mariæ, quod in omni

A cauſa habet advocatum. Indignatur ſiquidem Phariſæus, conqueritur ſoror, & etiam diſcipuli murmurant, ubique Maria tacet, & pro ea loquitur Chriſtus. *Et infra*: Videat ergo Maria quemadmodum vacet, & videat, quoniam ſuavis eſt Dominus. Videat, inquam devota mente, quam tranquillo ſedeat animo ſecus pedes Jeſu, providens animo ſemper in conſpectu ſuo, & verba ex ejus ore excipiens, cujus affectus amabilis, & eloquium dulce. Diffuſa eſt enim *Pſal. 44* gratia in labiis ejus, & eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, immo ſuper omnem gloriam Angelorum. Gaude & gratias age Maria, quæ

B partem optimam elegiſti. Beati enim oculi, qui vident, quæ tu vides, & aures quæ merentur audire quæ tu audis. Beata plene quæ venas divini ſuſurri percipis in ſilentio, in quo utique bonum eſt homini Dominum expectare. Simplex eſto non tantum ſine dolo, ſed etiam abſque multiplicitate occupationum, ut tecum ſit ſermocinatio ejus, cujus & vox dulcis & facies decora. Unum cave, ne incipias abundare in ſenſu tuo, & velis plus ſapere quam oportet: ne forte dum lucem ſectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano. Hucuſque Bernard. Vidiſti quoniam contemplator debet o-

C mnia dimittere, occupationes, & exercitia corporalia, quæ occupatio recte opponitur vacationi, & eſt unum de majoribus impedimentis, quæ poſſit habere contemplator. Nam pluribus modis impedit eum: & non ſolum cum eſt in occupatione, ſed etiam poſtea, & primo reddendo mentem ſolicitam, & inquietam circa id quod fecit, vel facere habet, etiam & relinquendo imaginationes & phantaſmata, quæ multum impediunt contemplantem.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

De quatuor impedimentis contemplationis.

NUnc utique videamus, quæ impediunt contemplationem. Sunt autem impedimenta ejus quatuor, de quibus ſic dicit Bernard. In hoc arcanum contemplationis, & in hoc ſanctuarium Dei, ſi quem forte noſtrum aliqua ora ſic rapi, & ſic abſcondi contigerit, vel minime advocet, aut perturbet, vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certe ea quæ difficilius amoventur irruentia imaginum corporearum phantaſmata: poterit quidem hic cum ad nos redierit gloriari, & dicere: Introduxit me Rex in cubiculum ſuum. Hucuſque Bernard. Primum igitur impedimentum dicit, quod eſt ſenſus egens, ſcilicet corporis. Intantum enim anima ad corpus afficitur, quod ea in aliqua ſui parte, vel ſenſu defectum notabilem patiente contemplari non delectat. Tempore igitur infirmitatis non eſt locus contemplationis, niſi Dominus faceret de gratia ſpeciali. Simile contingit, cum valida fames, vel ſitis, vel frigus imminet, vel aliud corporis impedimentum. Secundum impedimentum, dicit quod eſt cura pungens, id eſt, ſolicitudo curarum, & occupationum, & hoc ſatis poteſt eſſe clarum per auctoritates ſupra proximo poſitas. Idem etiam Bern. prolixioribus verbis narrans impedimenta contemplationis, inter alia dicit, quod ſicut pulvis injectus in oculum corporalem impedit viſum, ſic cura terrenorum actuum oculum intelligentiæ confundit, atque a contemplatione veri luminis excludit. Tertium impedimentum dicit, quod eſt culpa mordens, id eſt, peccatum. Et hoc duobus modis poteſt contingere. Primo cum peccatum eſt in anima. Secundo cum fuit, & deletum eſt per contritionem, & confeſſionem, ſed in memoriam revocatur: utrumque enim impedit contemplationem, ut in eodem ſermone refert ſic inter alia dicens, quod ſicut tenebræ impediunt viſum corporalem, ſic peccatum cum eſt in anima impedit ipſam, quia tenebroſa eſt, ſed ad contemplandum requiritur puritas, & pulchritudo animæ: ſi tunc non eſt locus contemplationi. Similiter ſicut ſanguis, vel humor concretus fluens in oculum, impedit viſum, ſic peccatum cum redit in memoriam, influit in animam, & impedit viſum ejus, & propterea cavere debes tempore contemplationis, cogitare ſuper peccatis. Omni quidem tempore nos debemus peccatores reputare, ſed ſignanter non debemus cogitationem noſtram reflectere ſuper aliquo, vel aliquibus peccatis tempore quo volumus contemplari. Et de hoc idem Bernardus ſic dicit: Habemus quoque Mariam contemplantem in illis, qui progreſſu longioris temporis cooperante gratia Dei in aliquid melius, & lætius proficere poterunt, quando jam de indulgentia præſumentes, non tam verſare intra ſe ſoliciti ſunt triſtem imaginem peccatorum, quam certe in lege Dei meditari die ac nocte, & inſatiabiliter delectari. Interdum etiam revelata facie gloriam ſponſi cum ineffabili gaudio ſpeculantes, in eamdem imaginem transformantur: & de claritate in claritatem tamquam a Domini ſpiritu. Hucuſque Bernardus. Quartum impedimentum dicit, quod ſunt phantaſmata corporearum imaginum: & hoc eſt difficilius aliis ſupradictis, & propterea commendatur intantum in hoc ſtatu ſolitudo. Oportet enim contemplantem eſſe mutum, & ſurdum, & cæcum: ut videns non videat, audiens non intelligat, nec loqui delectetur, hoc eſt, ut ita ſit abſtractus ab his tranſitoriis, & ita Deo conjunctus, quod in audiendo, videndo, loquendo, non minuat curſum ſuum; ſed fugiat quantum poteſt. Et ſi quando neceſſitas ad id cogit, non ſecum reportet

Bern. Ser. 23 ſuper Cant. circa fin.

Idem Ser. 5 de Aſſump. Virg. poſt med.

Idem Ser. 57. ſuper Cant. circa fin.

tet imagines, quæ per has feneſtras intrant ad animam noſtram. Unde non debet contemplativus, ſicut activus obſervare mores aliorum, ne inde phantaſmata reportet. Multo ergo magis tu debes a ſæcularium collocutione ceſſare quantumcumque conjuncti ſint, ut inde te pluries monui. Si quando etiam obedientia, vel neceſſitas, vel obſequium, vel recreatio ad aliquid laborandum, vel operandum te impellit, fideliter facias: ſed non ſic adhæreas voluntate, vel delectatione, ut inde reportes imagines, ne poſtea Deo vacans, impediaris. De quo ſic ait Bernardus: Aliquid operandum eſt de manibus, quod injungi ſolet, non tam quod animum delectando detineat ad horam, quam quod ſpiritualibus ſtudiis delectationem conſervet, & nutriat: in quo remittatur ad horam animus, non reſolvatur. Unde ſe facile mox ut ad ſeipſum redeundum viſum fuerit, expediat abſque controverſia inhærentis voluntatis, abſque contagione contractæ delectationis, vel memoriæ imaginantis. Non enim vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Non ſpiritualia exercitia propter corporalia, ſed corporalia propter ſpiritualia. Propterea ſicut viro creato collatum, vel comparatum eſt ei adjutorium ſimile ſibi ex ipſa hominis ſubſtantia: ſic cum in adjutorium ſpiritualis ſtudii neceſſaria ſint corporalia, non tamen in hoc ſemper æque convenire videntur ſimilitudine, & affinitate. Sicut meditari quod ſcribatur, vel ſcribere quod legatur. Subdivalia tamen exercitia, ſic ſæpe etiam ſpiritum exhauriunt, ut cum graviori ruralium operum exercitio, ſit magna contritio corporis, uſque ad contritionem, vel humilitatem cordis. Fatigationis enim ſuæ preſſura exprimunt ſæpe vehementioris affectum devotionis. Servus tamen bonus & prudens ad otium ſæpe comparat laborem, nec in eum diſſolvitur, ſed per eum magis in ſeipſum colligitur, qui ſemper præ oculis habuit, non tam quod agit ſed quod agendo intendit, omnis conſummationis attendens finem. Hucuſque Bernard. Vides quam vigilanter cavere oportet, ne in manualibus laboribus animum occupes. Novi enim in hoc quantum impedimentum contemplationis incurres propter curam ſolicitudinum. Et hæc de impedimentis contemplationis dicta ſufficiant.

Idem Epiſt. ad fratres de monte Dei, de vi. ſol. longe ante med.

A

Ex quibus manifeſte apparere poteſt quam ſit nociva intricata curioſitas, quæ totam animam inficit, & facit inquietam, & impuram. Quam etiam nociva ſit cupiditas, & congregatio rerum, & per conſequens, quam ſit pretioſiſſima benedicta paupertas, quæ animam expeditam, & puram Deo continue repræſentat. Non autem te moveat, ut ſupra dixi, quod contemplativus proximis non intendit, nam intendit Deo, & in ejus dilectione activum excedit: ſed activus excedit contemplativum in dilectione proximi. De quo dicit Bernardus. Dico autem per gratiam Dei, quæ in nobis eſt; & ficus nos habere, & vineas. Ficus quidem, qui ſuaviores in moribus ſunt: vineas vero, qui ſpiritu ferventiores. Omnis qui ſe inter nos communiter, ſocialiterque habet, & non ſolum ſine querela converſatur inter fratres, ſed etiam cum multa ſuavitate fruendum ſe omnibus præbet in omni officio charitatis, quid ni illum vicem agere ficus convenientiſſime dicam? *Et infra*: Jam qui vineæ ſunt, ſeveriores nobis, quam ſuaviores ſe exhibent in ſpiritu vehementi agentes, zelantes pro diſciplina, vitia acerrime corripientes, & optantes ſibi convenientiſſime vocem illam: Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Item: Zelus Domus tuæ comedit me. Et mihi quidem illi in dilectione proximi, iſti in dilectionem Dei, eminere videntur. Hucuſque Bernardus: Vides quoniam contemplativi ad quos maxime ſpectat zelare pro Deo, præferuntur activis in dilectione Dei. Hoc tamen diſcrete intellige, quia num-

B C

Idem Ser. 60 ſuper Cant. poſt med.

Pſal. 138

Pſal. 68

quam contemplativus proximi charitatem omittit, ſed principalius intendit Deo, & ſecundario proximo, quamvis hoc ipſum determinationem recipiat. Nam rudis, & incipientis contemplantis eſt omnino, quam ſtrictius poteſt, ſoli Deo vacare, & in ſolitudine mentis, & etiam corporis ſi poteſt, manere, ut etiam zelum Dei, & ſeipſum, & proximum vel zelo Dei negligere videatur, cum ipſa ſolitudinis natura id requirat, & maxime quando ſponſi viſitatione & frequentia iucundatur, alias enim de facili poſſet eradicari. Cum vero jam perfectus, & ſublimatus eſt per longum contemplationis exercitium, tunc pro Deo fortiter zelat, & pro animæ ſalute, ut habuiſti ſupra ex ſermone Bernardi 18. ſuper Cantica in hoc tractatu, ſcilicet quomodo contemplativa præcedit ſecundam partem activæ. Cum vero neceſſitas imminet, quilibet contemplativus quomodocumque inſipiens, pro charitate proximi otium intermittit. Unde idem Bernardus ſic dicit: Orantem denique hominem, Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde charitate iubente, abducimur, & avellimur propter eos qui noſtra indigent opera, vel loquela? Quoties pie cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conſcientia ponitur codex, ut operi manuum inſudetur? Quoties pro adminiſtrandis terrenis iuſtiſſime ipſis ſuperſedemus celebrandis Miſſarum ſolemniis? Ordo præpoſterus: ſed neceſſitas non habet legem. Hucuſque Bernardus.

Idem Ser. 50 ſuper Cant. circa med.

CAPUT LVII.

Vita contemplativa præfertur activæ.

Quia ergo in præcedenti auctoritate Bernardi ex ſermone 60 ſuper Cantica habuiſti quod contemplantes præferuntur activis in dilectione Dei: videtur quod contemplativa præferatur activæ. De quo idem Bernardus ſic dicit: Quid tamen ſibi vult fratres quod optimam partem Maria dicitur elegiſſe? Ubi jam erit quod adverſus eam proferre ſolemus, ſi quando forte adminiſtrantis Marthæ turbationem inæqualitatem judicare voluerit? Melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier? ubi erit illud: Si quis mihi miniſtraverit honorificabit eum pater meus? & illud: Qui maior eſt veſtrum erit miniſter veſter? Poſtremo, quæ conſolatio eſt laboranti, quaſi in ejus ſuggillationem partem ſororis attollere? Unum igitur arbitror e duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quod pars ipſa quantum in nobis eſt, ſit in omnibus eligenda, aut certe ut neutrum deſuiſſe dicatur, nec in partem aliquam præcipitaſſe ſententiam, ſed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet ſit parata. Quis enim ſicut David fidelis, egrediens, & ingrediens ad imperium regis? Denique [inquit] Paratum cor meum non ſemel tantum, ſed & ſecundo, & vacare tibi, & proximis miniſtrare. Hæc plane pars optima quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur, quocumque vocaveris eam. Bonum enim acquirit gradum, qui bene miniſtraverit: forte meliorem, qui bene vacaverit Deo: optimum autem qui perfectus eſt in utroque. Unum autem dico adhuc, ſi tamen id de Martha licet ſuſpicari. Nonne enim quaſi otioſam reputaſſe videtur quam ſibi dare petiit adiutricem? Sed carnalis eſt, & omnino non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſi quis forte vacantem animam ſuam de vacatione redarguit. Audiat ergo optimam eſſe hanc partem, quæ maneat in æternum. Numquid enim non rudis quodammodo videtur anima, quæ divinæ contemplationis penitus expers, illam intraverit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum ſtudium, eadem vita? Idem: Duo quædam in intentione, quam faciem animæ diximus neceſſario requiruntur, res, & cauſa, id eſt, quid intendas, & propter quid. Ex his ſane duobus, animæ vel decor, vel deformitas iudi-

Bern. Ser. 4 de Aſſum. Virg. ante med. — *Eccl. 42* — *Joan. 12* — *Mat. 20* — *1 Reg. 22* — *Pſal. 56* — *Idem Ser. 49 ſuper Cant. ante med.*

catur

catur. *Et infra*: Porro intendere in aliud quam in Deum, tamen propter Deum non ſolum Mariæ, ſed Marthæ negotium eſt. Abſit autem, ut quæ hujuſmodi eſt, quidquam dixerim illam habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim perveniſſe decoris. Quippe quæ adhuc ſolicita eſt, & turbata erga plurima: & non poteſt terrenorum actuum vel tenui pulvere non reſpergi. Quem tamen cito facilemque deterget, vel in hora ſanctæ dormitionis caſta intentio, & bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum. Igitur ſolum inquirere Deum propter ipſum ſolum, hoc plane eſt utramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam, atque id proprium ac ſpeciale ſponſæ, cui merito ſingulari prærogativa audire conveniat: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Idem: Solitudo, & recluſio nomina miſeriæ ſunt. Cella autem nequaquam debet eſſe recluſio neceſſitatis, ſed domicilium pacis, oſtium clauſum, non latebræ, ſed ſecretum. Cum quo enim Deus eſt, numquam minus eſt ſolus, quam cum ſolus eſt. Tunc enim libere fruitur gaudio ſuo, tunc ipſe ſuus eſt ad fruendum Deo in ſe, & ſe in Deo. Tunc in luce veritatis, in ſereno mundi cordis, ultro patet ſibi pura conſcientia, & libere ſe infundit affecta de Deo memoria, & vel illuminatur intellectus, & bono ſuo fruitur affectus, vel libere ſeipſum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc ſecundum formam propoſiti veſtri habitantes in cœlis, potiuſquam in cellis, excluſo a vobis toto ſæculo, totos vos incluſiſtis cum Deo. Idem: Otium non eſt vacare Deo, immo negotium negotiorum. Hucuſque Bernardus: His auctoritatibus videtur, quod vita contemplativa præferatur activæ, & etiam alias auctoritates habuiſti in hoc tractatu, quæ ad hoc ipſum faciunt, & etiam ſupra ſub capitulo, quomodo Dominus fugit, quando turbæ voluerunt eum facere Regem, ex ſermone 32 Bernardi ſuper Cantica. Quæ autem ſint majoris meriti, Deus novit. Cre-

Idem Epiſ. ad fratres de monte Dei, ad vi. ſol. longe ante med.

Ibidem.

A de rem tamen, quod qui majori amore fertur, magis meretur, ſed in contemplativa videtur quis magis afſici ad amorem; & valde magnum eſt ſpeculari Deum, frui Deo, converſari cum Deo, & ejus cognoſcere voluntatem, quæ ad contemplativum ſpectant. Hæc enim eſt deguſtatio mercedis patriæ, quamvis imperfecte & raro. Et hoc videntur tenere ſancti, ſc. quod contemplativa ſit majoris meriti, quam activa. Sed quidquid ſit, Dominus vult de utriſque. Et ſicut multa in uno corpore membra non eumdem actum habent: ita nos multos in Eccleſia multis modis Domino ſervire oportet, & non omnibus idem ſpiritus datur, ſed alii datur, ſermo ſapientiæ, &c. Unuſquiſque igitur in ea vocatione, in qua vocatus eſt, maneat: & qui aptus eſt contemplationi, moretur in ea, qui vero miniſterio proximorum exerceat ſe in ipſo. Nam & Dominus ſicut hic dixit de Maria, quod optimam partem elegit, ita cum Petro ſuas oves recommendavit ſub ſui amoris examine, tribus ei vicibus hoc impreſſit. Et hoc ſenſu poteſt intelligi quod Bernardus ſcribit; dicens: Suſcipiat Martha Dominum in domum, cui nimirum credita diſpenſatio eſt domus. Suſcipiant & ceteri coadiutores ejus ſinguli, pro qualitate miniſterii excipiant Chriſtum, ſerviant Chriſto, miniſtrent ei in membris ſuis. Ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in ſuſcipiendis hoſpitibus, & peregrinis, quibus ita ſolicitis circa frequens miniſterium, videat Maria quantum ad Dominum vacet, & videat, quoniam ſuavis eſt Dominus. Hucuſque Bernardus: Tu igitur quia ſtatus tuus illud exigit, contemplativam totis viribus aſſume, præmiſſa activa moris, per quam pervenitur ad ipſam. Et gaude, & gratias age Domino Jesu, qui ad hanc te partem vocavit, quam optimam eſſe dixit.

1. Cor. 12

Joan. 21

Idem Ser. 3 de Aſſump. Virg. verſ. fin.

B C

CAPUT LVIII.

Ex tribus cauſis contemplator reducit ad activam. Item de eo quod fides ſine operibus mortua eſt.

QUamvis autem pluries ſupra tactum ſit, quod contemplator ſoli Deo vacare debet, ac cetera omittere: ſcias generaliter eſſe verum, ſed non ſemper. Nam tribus ex cauſis a jucunda contemplatione ſe ad tempus ſeparat, & ſe recipit in activam. Una cauſa eſt, propter lucrum animarum, ut habuiſti ſupra, quomodo contemplativa præcedit ſecundum partem activæ ex ſermonibus 18 & 62 Bernardi ſuper Cantica. Dicit etiam idem Bern. Surge amica mea, ſponſa mea, & veni. Commendat ſponſus multam dilectionem ſuam iterando amoris voces: nam iteratio, affectionis expreſſio eſt. Et quod rurſum ad laborem vinearum dilectam ſolicitat, oſtendit quam ſit de animarum ſalute ſolicitus. Nam vineas, animas eſſe jam audiſtis. *Et paulo poſt:* Sponſam tamen numquam, ut memini in toto hoc opere adhuc nominavi, niſi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. Hucuſque Bern. Sciens ergo ſponſa voluntatem ſponſi zelantis animarum ſalutem, exit ad tempus, videlicet cum eſt neceſſarium ad ipſam operandam, & poſtea redit ad ipſam contemplationem. Alia cauſa intermittendæ contemplationis eſt, ratione officii imminentis. Nam cum prælatus ſubditorum neceſſitatibus intendere habet, omittit tunc contemplationem. De quo idem Bern. de ſe ipſo loquens ad monachos ſuos, qui quandoque nimium infeſtabant eum, ſic dicit: Rara ſatis mihi ad feriandum a ſupervenientibus conceditur hora. *Et ſubdit:* Superſedeo, ne magis impatientiæ exemplum videar dare infirmis, puſilli enim Domini ſunt in eum credentes, non patiar, ut ex me ſcandalum patiantur. Non utar

In quibus liceat, a contemplatione ſubtrahi.

Ber. ſer. 61 ſuper Cant. in prin.

Idem ſer. 52 ſuper Cant. circa fin.

A hac poteſtate, magis autem ipſi me utantur ut libet, tantum ut ſalvi fiant. Parcent mihi, ſi non pepercerint: & in eo potius requieſcam, ſi non me inquietare timuerint pro neceſſitatibus ſuis. Geram eis morem quo ad potero, & in ipſis ſerviam Deo meo, quamdiu fuero in charitate non ficta. Non quæram quæ mea ſunt, nec quod mihi eſt utile, judicabo. Hoc ſolum deprecor, ut fiat acceptum eis, fructuoſumque miniſterium meum, ſi forte mihi ex hoc inveniam in die mala miſericordiam in oculis patris eorum. Idem ad utramque cauſam de prædictis, ſic ait: Loquor vobis experimentum meum,

Idem ſer. 51 ſuper Cant. ante med.

B quod expertus ſum. Si quando ſane comperi profeciſſe aliquos veſtrum ex meis monitis, tunc non piguit, fateor, curam prætuliſſe ſermonis proprio otio, & quieti. Cum enim, verbi gratia, poſt ſermonem iracundus quiſpiam reperitur mutatus in mitem, ſuperbus in humilem, puſillanimis in fortem: porro mitis, humilis, fortis in ſua quiſpiam gratia excreviſſe, & ſe ipſo melior factus eſſe cognoſcitur, ſed & qui forte tepebant, & languebant circa ſpirituale ſtudium torpentes, & dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referbuiſſe, & evigilaſſe videntur: & qui deſerto fonte ſapientiæ fode-

C rant ſibi propriæ voluntatis ciſternas, non valentes aquas continere, propterea que ad omne injunctum gravati corde arido murmurabant nullum in ſe habentes devotionis humorem: hi, inquam, cum de rore verbi & pluvia voluntaria, quam ſegregavit Deus hereditati ſuæ refloruiſſe probantur in opere obedientiæ, facti in omnibus voluntarii, & devoti. Non eſt dico vobis unde ſubeat mentem, quaſi pro intermiſſo ſtudio jucundæ contemplationis triſtitia, cum talibus fuero circumdatus floribus, atque fructibus pietatis, patienter avellor ab infœcundæ Rachel amplexibus, ut de Lia mihi exuberent fructus profectuum veſtrorum: Minime prorſus pigebit me intermiſſæ quietis pro

cura

cura ſermonis, cum video in vobis germinare ſemen meum, atque augeri incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Charitas enim, quæ non quærit quæ ſua ſint, id mihi jam dudum facile perſuaſit, nil ſcilicet deſiderabilium meorum veſtris præferre utilitatibus. Orare, legere, ſcribere, meditari, & quæ ſunt alia ſpiritualis ſtudii lucra, hæc arbitratus ſum propter vos detrimenta. Hucuſque Bernardus.

1 Cor. 13

Tertia cauſa intermittendæ contemplationis eſt, quando more ſuo recedente ſponſo, non ſentit anima ſolitas conſolationes: vadit enim, & redit ſponſus pro ſuo velle, prout habuiſti in cap. 35. quomodo Dominus fugit quando turbæ, & cetera. Cum igitur recedit, anima languet ex deſiderio ejus, & toto conatu ſuo revocat eum, dicens cum ſponſa in canticis: Revertere dilecte mi. Si nec tunc redit, invocat ſodales ſponſi, id eſt, Angelos in auxilium ſuum, & dicit: Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ut ſi videritis dilectum meum nuntietis ei, quia amore langueo. Si vero nec ſic redire dignatur, anima ſciens voluntatem ſponſi reducit ſe in activam, ut vel ſic fructificet ſponſo. Non enim decet contemplatorem eſſe deſidioſum. Dicit igitur tunc ſponſa: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. De hoc ſic ait Bernard. Fidem florem, fructum actum intellige. Nec incongrue, ut opinor, tibi videbitur, ſi advertas quomodo inſtar floris neceſſario præcedentis fructum, bonumque opus, fide oporteat præveniri. Alioquin ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Paulo atteſtante, magis autem æque ipſo docente: Omne quod non eſt ex fide, etiam peccatum eſt. Itaque nec ſine flore fructus, nec ſine fide opus bonum: ſed & fides ſine operibus mortua eſt, ſicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non ſequitur fructus. Igitur ex bonis operibus fides non ficta radicabitur, recipiet conſolationem mens aſſueta quieti, quoties ſibi lux, ut aſſolet, contemplationis ſubtrahitur.

Cant. 2 — Cant. 5 — Cant. 2 — Bern. in ſer. eod. 15 ſup. Cant. non longe a prin. — Heb. 11 — Rom. 14 — Jac. 2

Quis enim non dico continue, ſed vel diu dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruitur? At quoties, ut dixi, corruit a contemplativa, toties in activam ſe recipit. Inde nimirum tanquam e vicino familiarius reditura in idipſum, quoniam ſunt invicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter. Eſt quippe ſoror Mariæ Martha. Neque enim, & ſi a contemplationis lumine cadit, patitur tamen ullatenus ſe incidere tenebras peccati, ſeu ignaviam otii. Sane in luce bonæ operationis ſe retinens, ut ſcias etiam opera lucem eſſe. Luceat lux veſtra [inquit] coram hominibus, quod non dubium de operibus fuiſſe dictum, quæ homines poterant intueri. Hucuſque Bernardus. Hæ ſunt igitur tres cauſæ, propter quas contemplator a jucunda contemplatione recedit, & ſe recipit in activam, quamvis invitus in hac ultima ex diſpenſatione tamen divina, & in qualibet earum advertere potuiſti ex auctoritatibus Bernardi, quod ad tempus hod facit, & redit ad contemplationem. Unde hæc ipſa ſunt in argumentum, quod contemplativa præfertur activæ.

Matt. 5

Eia, Deo gratias, expediti ſumus de tractatu contemplationis: copioſa materia eſt, & utilis valde, in qua non ſolum de ipſa contemplatione, ſed de multis aliis, & quaſi de toto ſtudio ſpiritualis exercitii poteris edoceri. Igitur eam attente diligere, & diligenter opere adimplere coneris: nec tamen credas me tibi omnia in prædicto tractatu retuliſſe, quæ Bernardus inde tractat: ſed ſufficiant tibi quæ dicta ſunt, & cetera.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIX.

Quomodo Dominus dixit Judæis, quod Eccleſia devolveretur ad gentiles, ſub ſimilitudine cultorum vineæ: qui filium Domini ſui occiderunt.

DOminus ac Redemptor noſter zelans animarum ſalutem, pro quibus venerat poſiturus & ſuam, omnibus modis nitebatur eas ad ſe attrahere, & de inimicorum faucibus extirpare. Unde quandoque utebatur ſermonibus blandis, & humilibus: quandoque increpatoriis, & duris: quandoque exemplis, & ſimilitudinibus: quandoque ſignis, & virtutibus: quandoque minis, & terroribus, & variabat modos, & remedia ſalutis, prout expedire videbat, pro loco, & tempore, ac perſonarum audientium varietate. In hoc autem loco fuit uſus contra principes phariſæos verbis duris, & exemplo terribili, & adeo juſto & vero: quod ipſi iidem contra ſe tulerunt ſententiam. *Matt. 21* Proponit enim eis parabolam de cultoribus vineæ, qui nuntios Domini venientes pro fructibus occiderunt, & etiam filium ejus. Quærens autem qua pœna digni eſſent puniri ab illo domino? reſponderunt: Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis. Jeſus hoc approbans, intulit ſic: Auferetur a vobis regnum Dei, id eſt, Eccleſia, & dabitur genti facienti fructum ejus, id eſt, gentilibus, ex quibus ſumus nos, & univerſalis Eccleſia. Interpoſuit etiam exemplum de lapide angulari, qui ſignificabat ipſum, & debebat Judæos confringere. Et tunc illi intelligentes quod de ipſis parabola eſſet, non correcti ſed magis irati ſunt: quia eos excæcaverat eorum malitia. Tunc autem conſpice ipſum in prædictis, humiliter quidem ſedentem inter illos phariſæos, ſed cum auctoritate loquentem, & cum poteſtate, & vigore virtutis enuntiantem eis caſum proprium.

CAPUT LX.

Quomodo voluerunt Jeſum capere in ſermone.

SIcut multis modis Dominus Jeſus nitebatur operari Judæorum ſalutem, ita econtrario illi omnibus quibus poterant modis, conabantur ad ejus detractionem, & interitum. Cogitaverunt igitur eum decipere, ſed defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Miſerunt autem ex deliberato conſilio diſcipulos ſuos cum familiaribus Herodis regis, ut quærerent, ſi liceat dare cenſum Cæſari, an non? *Matt. 22* Cogitabant enim, quod ex hoc eum redderent exoſum, vel Cæſari, vel turbæ Judæorum, quaſi non poſſet niſi contra ſe reſpondere. At ipſe ſcrutator cordium cognoſcens eorum malitiam, reſpondit quod quæ ad Deum pertinebant, Deo, & quæ ad Cæſarem, Cæſari redderentur: vocans eos hypocritas, qui verbis blandis animo fallaci loquebantur. Illi ergo ſua intentione fraudati, cum verecundia receſſerunt. Conſpice igitur attente ipſum, ut ſupra in generali traditione habuiſti: & etiam conſidera hic, quod non vult Dominus, quod Prælati, & Domini temporales in ſuo debito defraudentur. *Peccatum eſt, defraudare principes in pedagiis.* Unde peccatum eſt, & inhibitum non ſolvere pedagia, & gabellas, & decimas, & dativa alia, quæ per temporales Dominos debite, & æqualiter ordinantur.

CAPUT LXI.

De Cæco illuminato in Hierico, & multis aliis.

BEnigniſſimus Dominus, qui ex nimia charitate de ſinu patris, pro noſtra ſalute deſcendit, ſciens, quod tempus ſuæ paſſionis inſtabat, ad eamdem verſus Hieruſalem ſe pro ipſa ſuſcipienda paravit: quam & divinitas tunc prædixit, ſed non intellexerunt eum. Cum igitur appro-

pin-

Luc. 18 pinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedens juxta viam & mendicans, cum intelligeret a turbis eum inde tranſire, fortiter cœpit clamare miſericordiam: & licet increparetur a turba, non verecundabatur, nec tacebat. Ad cujus fidem & fervorem Dominus Jeſus reſpiciens, fecit eum ad ſe adduci, & dixit: Quid vis ut faciam tibi? O dulciſſimum verbum! Quid vis ut faciam tibi? Et cæcus ad eum: Domine ut videam. Et pius Dominus conceſſit, dicens: Reſpice. Et ſic eum illuminavit. Conſpice ergo Dominum Jeſum, & curialitatem ejus diligenter. Et conſidera hic de virtute fidei, & orationis, & quod orationis importunitas non diſplicet Deo, immo placet, ſimile habuiſti *Ibid.* ſupra de Chananæa. Et ipſe docet in hoc eodem, quod oportet ſemper orare, & non deficere: dans exemplum de judice a quo vidua ex importunitate impetravit, quod petebat. *Luc. 11* Alibi etiam dat exemplum de eo, qui de nocte commodavit panes ex importunitate petentis. Et ſic perſeverantibus in petitione, facit Dominus quidquid juſte, ac debite petunt a Deo, ut dicat ſingulis: Quid vis ut faciam tibi? & facit. Immo plus etiam ſæpe facit, quam petatur, & quam audeat petere, ut habes, exemplum in Zachæo; de quo infra pro- *Luc. 19* xime dicemus. Igitur pro conſtanti habeas, quod quidquid fideliter, & perſeveranter petieris a Domino, obtinebis. Nec verecundari debes, ſicut nec ille cæcus, nec Chananæa, nec Zachæus verecundati fuerunt petere gratias, & eas obtinuerunt. Sic nec nos verecundari debemus ſervire Deo, & peccatum deponere, & gratias nobis neceſſarias poſtulare. Habere namque pudorem, & verecundiam, pertinet quandoque ad magnam virtutem, & quandoque ad magnum vitium. De quo ſic dicit Bern. *Bern. in li. de laude novæ militiæ, ſive ad milites templi, cap. 12* Eſt pudor adducens peccatum, & pudor adducens gloriam. Bonus pudor eſt, quo peccaſſe, aut certe peccare confunderis. Et licet omnis humanus arbiter forte abſit, divinum tamen

A tanto verecundius revereris aſpectum, quanto verius cogitas illum, plus quam hominem purum eſſe, tantoque eum gravius offendi a peccatore, quanto conſtat longius eſſe peccatum ab illo. Hujuſmodi proculdubio pudor fugat opprobrium, parat gloriam, dum peccatum omnino non admittit, aut certe admiſſum & pœnitendo punit, & confitendo expellit: ſi tamen gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *2 Cor. 1* Quod ſi quiſquam confiteri confunditur, & inde compungitur, talis pudor peccatum adducit, & gloriam de conſcientia perdit: quando malum quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere pudor B ineptus conſtrictor labiorum omnino non permittit exire. Idem: O verecundia *Idem ep. 185 ad Euſtach.* expers rationis, inimica ſalutis, totius ignara honoris, & honeſtatis. *Et mox:* Itane verecundum eſt homini vinci a Deo, probro ducitur humiliari ſub potenti manu Dei altiſſimi? *Et poſt:* Summum victoriæ *1 Pet. 5* genus, divinæ cedere majeſtati: & auctoritati matris Eccleſiæ non reluctari, ſummus honor & gloria. O perverſitas, non pudet inquinari, & ablui pedes pudet? Eſt pudor, juxta Sapientem, adducens gloriam, ſi vel *Eccl. 4* peccare pudeat vel peccaſſe, & ita vel certa gloria non carebit, reducente nimirum pudore, quam culpa C fugaverat. Idem: Neſcio an quidquam *Idem ſer. 86 ſuper Cant. ante med.* gratius verecundia adverti in moribus hominum queat. *Et ſubdit:* Quæ eſt certe omnium ornatus ætatum, ſed teneræ gratia verecundiæ in teneriori amplius, & pulchrius eniteſcit. Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quam pulchra hæc, & quam ſplendida gemma morum in vultu, & vita adoleſcentis. Quam vera, & minime dubia, bonæ ſpei nuntia, bonæ indolis index. Virga diſciplinæ eſt illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actuſque leves coerceat, & comprimat inſolentes. Quid itaque turpiloquii, & omnis deinceps turpitudinis verba, fugitans? Verecundia ſoror continen-

tinen-

Digitized by Google

tinentiæ eſt. Nullum æque manifeſtum indicium columbinæ ſimplicitatis, & ideo etiam teſtis innocentiæ. Lampas eſt pudicæ mentis jugiter lucens: ut nil in ea turpe, vel indecorum reſidere attentet, quod non illa illico prodat. Illa malorum impugnatrix, & propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ eſt, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus & inſigne totius honeſtatis. Rubor ipſe genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ & decoris ſuffuſo afferre vultui ſolet? Uſque adeo germen animi bonum verecundia eſt, ut & qui male agere non verentur, videri tamen verecundentur. *Subdit*: opera nimirum tenebrarum, & digna latebris occultantes. *Et infra*: Quid tam amicum verecundo animo quam ſecretum? Denique orare volentes, jubemur intrare cubiculum, utique ſecreti gratia. Illud quidem ad cautelam, ne palam orantibus nobis, laus humana, orationis furetur fructum, fruſtretur affectum. Sed quid tam proplium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, & vitare jactantiam? *Et paulo poſt*: Quid tam indecorum, maxime adoleſcenti, quam oſtentatio ſanctitatis: *Et poſt*: Bona commendatio ſecuturæ orationis, ſi præmittas verecundiam. Hucuſque Bernard. Quæ autem in hujus cæci conſideratione veniunt, potes conſiderare de duobus aliis cæcis tunc a Domino illuminatis, ſcilicet quando exivit de Hierico. Iſte enim fuit ante ingreſſum illuminatus. De illis autem dicitur in Matthæo & Marco, ubi ponitur nomen unius. Nam eodem modo, ut iſti clamaverunt, & reſponſum, & lumen a Domino receperunt.

Matt. 20 & Mar. 10

CAPUT LXII.

Qualiter Dominus intravit domum Zachei.

Luc. 19

CUm Dominus Jeſus ingrediens civitatem Hiericho ambularet per eam: Zachæus princeps publicanorum hoc audiens, & deſiderans vehementer eum videre nec valens propter multitudinem turbæ, quia ſtatura puſillus erat, aſcendit in arborem Sycomorum, ut vel ſic eum videre poſſet. Jeſus autem cognoſcens, & acceptans fidem, & deſiderium ejus, dixit: Zachæe feſtina deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Tunc ille deſcendit, & eum cum magno gaudio, & reverentia ſuſcepit, ac ei convivium magnum præparavit. Vidiſti curialitatem Domini Jeſu. Plus dedit Zachæo, quam ipſe deſideraſſet: dedit ei ſe ipſum, quod ille auſus petere non fuiſſet. Hic igitur habes de virtute orationis. Nam deſiderium maxima vox eſt, & magna oratio eſt. Et ideo dicit Phropheta: Deſiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua. Et Moyſi dixit Dominus. Quid clamas ad me? cum ipſe ore tunc taceret, ſed corde loquequetur. Conſpice ergo eum ſedentem, comedentem cum illis peccatoribus poſuit ſe in medio menſæ cum Zachæo, & aliquem ex illis honorans poſuit in capite, familiariter & domeſtice converſabatur, ut eos ad ſe attraheret. Conſpice etiam diſcipulos libenter cum eiſdem peccatoribus converſantes, colloquentes cum eis, & eos ad bona opera confortantes. Sciebant enim hanc eſſe voluntatem magiſtri ſui, & ſalutem eorum cupiebant.

Pſal. 9 *Exod. 14*

CAPUT LXIII.

De Cæco a nativitate illuminato.

Joan. 9

CUm iret Dominus Jeſus Hieruſalem, vidit cæcum a nativitate, cujus nomen dicitur fuiſſe Cælidonius, & inclinans ſe humilis Dominus, fecit lutum de ſputo, & linivit oculos ejus, mittens eum ad natatoriam Siloe, ut lavaret. Ivit ille cæcus, & oculos lavit, & lumen recepit. Quod miraculum fuit, ſolemniter examinatum ab illis malevolis, & ceſſit in confuſionem ipſorum.

Digitized by Google

rum. Vide hiſtoriam Evangelii, quia ſatis plana, & pulchra eſt. In prædictis autem conſpice Dominum Jeſum juxta generalem traditionem tibi datam, & conſidera quam magna fuit hujus cæci gratitudo, quia ita viriliter, & conſtanter defendit partem Domini Jeſu ante ipſos principes, & majores Judæorum, & nec in uno verbo pepercit eis, cum tamen adhuc non vidiſſet Dominum Jeſum. Multum commendabilis eſt virtus gratitudinis, & Deo accepta, & deteſtabile vitium ingratitudinis. De qua materia ſic dicit Bernardus: Diſce ad ſingula dona gratias agere. Diligenter, inquit, conſidera quæ tibi apponuntur: ut nulla videlicet Dei Dona a debita gratiarum actione fruſtrentur, non grandia, non mediocria, non puſilla. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, ideſt, nec minima beneficia obliviſci. Numquid non perit, quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, bonorum perditio. Ingratitudo eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Hucuſque Bernardus.

Ber. ſer. 51 ſuper Can. parum poſt med.

Ingratitudo quid.

CAPUT LXIV.

Quomodo Dominus fugit de templo, & abſcondit ſe, quando Judæi voluerunt eum lapidare.

Ecce modo incipiunt myſteria paſſionis Domini. Unde raro amodo auctoritates adducam ut circa paſſionem, & ejus præambula poſſim commodius immorari. Dum ergo quadam vice Dominus Jeſus prædicaret in templo, & diceret inter alia: Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit in æternum. Et illis reſpondentibus: Ergo tu es major patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt. Dixit Dominus Jeſus: Antequam Abraham fieret, ego ſum. Ex quo verbo ſumentes occaſionem, quaſi impoſſibile, vel mendacium loqueretur, tulerunt lapides, ut lapi-

Joan. 8

A pidarent eum. Ipſe vero abſcondit ſe, & exivit de templo. Nondum enim venerat hora paſſionis ſuæ. Conſpice ergo bene hic eum cum dolore vehementi, quomodo Dominus omnium ſic vilipendebatur ab illis nequiſſimis ſervis, & quomodo volens eorum furori cedere, abſcondit ſe in aliquo loco templi, poſt aliquam columnam, vel inter aliquas perſonas. Intuere ipſum, & diſcipulos mœſte, & inclinato capite tamquam imbecilles, & debiles recedentes.

B

CAPUT LXV.

Quomodo alia vice voluerint lapidare Jeſum.

Cum quadam alia vice in feſto Encæniorum, id eſt in feſto dedicationis templi. Dominus Jeſus eſſet in porticu Salomonis, circumdederunt eum lupi illi rapaces cum furore maximo, ſtridentes dentibus, & dicentes: Uſquequo tollis animas noſtras? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam? At mitiſſimus agnus humiliter reſpondit eis, dicens: Loquor vobis & non creditis mihi. Opera quæ ego facio nomine patri mei teſtimonium perhibent de me. Conſpice ipſum nunc bene pro Deo, & totum negotium. Ipſe quidem eis humiliter loquebatur, illi vero cum

Joan. 10

C furore caninis latratibus perſtrepebant in eum, ex omni parte ſicut eum circumdabant: tandem non potuerunt occultare venenum cordis. Acceperunt igitur lapides, ut jacerent in eum. Sed Dominus Jeſus nihilominus blando ſermone locutus eſt eis, dicens: Multa bona opera oſtendi vobis, propter quod eorum opus vultis me lapidare? Et illi inter alia, quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum. Vide mirabilem inſaniam. Ipſi volebant eum ſcire Chriſtum, & quia verbis, & operibus hoc comprobat, volebant eum lapidare. Nec aliquam excuſationem habere poſſunt quin potuerunt, & debuerunt credere Dominum Jeſum fuiſſe filium Dei. Quia vero

nec

Digitized by Google

necdum venerat hora ejus, exivit de manibus eorum, & receſſit trans Jordanem ad locum, ubi Joannes baptizaverat, qui diſtat a Jeruſalem per decem & octo milliaria, & ibi ſtabat cum diſcipulis ſuis. Conſpice ergo tam eum, quam diſcipulos contriſtatos recedere, & eis compatere toto poſſe.

CAPUT LXVI.

De Reſuſcitatione Lazari.

PRæſens miraculum valde celebre, multumque ſolemne cum devotione meditandi occurrit: & ideo ſic te attentam exhibeas, ac ſi præſens fuiſſes his, quæ hic dicta, vel facta fuerunt, & libenter converſeris, non ſolum cum Domino Jeſu, & diſcipulis eius, ſed etiam cum iſta benedicta familia ſic Domino devota, & a Domino dilecta, ſcilicet Lazaro, Martha, & Maria. Languente igitur Lazaro, ſorores ejus prædictæ, quæ familiariſſimæ Domino erant, ad eum miſerunt ad locum, in quem receſſerat ſc. trans Jordanem, ut in ſuperiori tractatu continetur, dicentes: *Joan. 11* Lazarus frater noſter, quem amas, infirmatur. Et amplius non dixerunt, vel quia hoc ſufficiebat amanti, & bene intelligenti, vel quia timebant ipſum ad ſe vocare, cum ſcirent, majores Judæorum inſidiari eidem, & cupere mortem ejus. Dominus autem Jeſus audito nuntio ſiluit per duos dies, & poſt dixit diſcipulis inter alia: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, quia non eram ibi. Vide mirabilem bonitatem, & dilectionem Domini, ac ſolertiam circa diſcipulos ſuos. Indigebant adhuc majori robore & virtute, unde ipſe libenter operabatur eorum profectum. Redierunt igitur, & venerunt prope Bethaniam Martha vero cum ſcivit exivit ei obviam, & procidens ad pedes ejus dixit: *Ibidem.* Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Dominus vero reſpondit, quod ſurgeret, & de reſurrectione ad invicem tractaverunt.

A Poſtea vero mittit eam pro Maria: hanc enim Dominus ſingulariſſime diligebat. Ipſa vero ut ſcivit, feſtina ſurrexit, & venit ad eum & procidens ſimilia verba Martha dicebat. Dominus autem Jeſus videns dilectam ſuam afflictam, lacrymoſam, & deſolatam de fratre ſuo, non potuit etiam ipſe lacrymas continere. Unde tunc lacrymatus eſt Jeſus. Conſpice nunc bene ipſum & illas, & etiam diſcipulos. An non credis, quod & ipſi fuerunt lacrymati? Poſt aliquam morulam ſic plorantibus cunctis, dixit Dominus Jeſus: Ubi poſuiſtis eum? Ipſe enim hoc ſciebat, ſed more humano locutus eſt. B Tunc illæ dixerunt: Domine veni, & vide. Et ducebant eum ad ſepulcrum. Vadit igitur Dominus Jeſus medius inter duas ſorores, conſolans, & confortans eas. Ipſæ vero tunc de ſua præſentia conſolabantur, quod quaſi omnis doloris, & omnis rei oblitæ in eum ſolummodo intendebant. Cumque ſic intercederent tres ſimul per viam, dicebat Magdalena: Domine qualiter fuit vobis, ex quo receſſiſtis a nobis, dolor vehemens fuit mihi de veſtro receſſu, & nunc cum vos rediſſe audivi, magnum gaudium habui, ſed nihilominus timui, & multum timeo. Scitis enim, quanta machinantur adverſum vos *principes*, & C majores noſtri, & propterea non fuimus auſæ mittere, ut veniretis. Gaudeo quod veniſtis, ſed rogo vos pro Deo, ut caveatis vobis ab illorum inſidiis. Dominus autem reſpondebat: Non timeatis, quia pater ſuper his providebit. Et ſic colloqnendo ad invicem, venerunt ad monumentum. Tunc juſſit Dominus Jeſus elevari ex eo lapidem ſuperpoſitum ſed contendebat Martha, dicens: Domine fœtet, quatriduanus enim eſt! *Ibidem.* O Deus vide mirabilem amorem iſtarum ſororum erga Dominum Jeſum: nolebant enim quod fœtor tangeret nares ejus. Nihilominus tamen, immo multo magis Dominus fecit lapidem elevari. Quo facto, ipſe Dominus Jeſus elevatis oculis in cœlum, dixit:

Digitized by Google

Ibidem. xit: Gratias tibi ago pater, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter iſtos dico, ut ſciant, quia tu me miſiſti. Aſpice nunc bene ipſum ſic orantem, & conſidera zelum ejus ad animarum ſalutem. Deinde clamavit voce magna, dicens: Lazare veni foras. Et ſtatim revixit, & prosiliit foras, ligatus tamen ſicut fuerat ſepultus. Diſcipuli vero ad Domini præceptum ſolverunt eum. Qui ſolutus, & etiam prædictæ ſorores genuflectentes, gratias egerunt Domino Jeſu de tanto beneficio, & duxerunt eum ad domum ſuam. Stupuerunt autem, qui ibi fuerant, & hæc viderant: & divulgatum fuit miraculum, adeo ut multitudo magna a Hieruſalem, & aliis partibus venirent ad videndum Lazarum. Et principes Judæorum ſe confuſos reputantes, de ipſo occidendo cogitaverunt.

CAPUT LXVII.

De maledictione ficus.

QUamvis ſecundum fidem hiſtoriæ maledictio ficus, & præſentatio adulteræ in templo, credantur, fuiſſe poſt adventum Domini Jeſu in Hieruſalem ſuper aſello, quia tamen videtur aptius nil poſt ipſum adventum meditari, niſi de ſua cœna & paſſione, & earum circumſtantiis, ideo cogitavi iſta duo hic ponere. Cum igitur Dominus Jeſus vadens verſus Hieruſalem eſuriret, vidit ficum ornatam, & pulchram de foliis. Et appropinquans, & non inveniens ficus, maledixit ei. Et ſtatim aruit, ita ut mirarentur diſcipuli. Conſpice igitur eum, & diſcipulos in prædictis, juxta formam generalem ſupra traditam tibi. Conſpice etiam, quia myſtice hoc factum eſt a Domino, cum ſciret non eſſe tempus ficuum. Per talem igitur arborem virentem foliis, intelligi poſſunt verboſi, & loquaces ſine operibus, necnon etiam hypocritæ, ac ſimulati, qui exteriorem apparentiam

Mat. 21

Mar. 11

A habentes, interius vacui ſunt, & infructuoſi.

B

C

CAPUT LXVIII.

De Muliere in adulterio apprehenſa.

VIgilabant in malitiis ſuis peſſimi Principes, & Phariſæi contra Dominum Jeſum, & ſolicite pertractabant, quo modo eum per aſtutias, & fallacias vincerent, & odibilem populo redderent: ſed retorquebantur in eos ſagittæ eorum. Cum igitur quædam mulier fuiſſet in adulterio deprehenſa, & ſecundum legem deberet lapidari: adduxerunt eam ad ipſum in templo, quærentes, quid de ipſa faciendum eſſet, quaſi volentes ei ponere perplexitatem, ut ſi legem ſervandam diceret, notaretur de crudelitate, & immiſericordia: ſi non ſervandam, notaretur de injuſtitia. Sapiens autem Dominus eorum retia cognoſcens, & declinare ſciens, inclinavit ſe humiliter, & digito ſcribebat in terra, & dicit Gloſſa: quod ſcribebat peccata eorum. Erat igitur illa ſcriptura tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoſcebat in ea peccata ſua. Dominus autem erigens ſe, dixit: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinavit curialis Dominus, etiam pro æmulis & adverſariis ſuis, ne verecumdarentur, At illi diſceſſerunt omnes, & evanuerunt eorum aſtutiæ. Mulierem autem monitam ne amplius peccaret, Dominus Jeſus licentiavit. Conſpice igitur bene ipſum in omnibus prædictis factis, & verbis.

Joan. 8

Gloſ. ſuper Joan. 8

CAPUT LXIX.

De conſpiratione Judæorum contra Jeſum. Et de fuga ejus in civitatem Effrem.

APpropinquante tempore quo Dominus Jeſus diſpoſuerat noſtram redemptionem per effuſionem proprii ſanguinis operari, armavit diabolus ſa-

Digitized by Google

ſatellites ſuos, & acuit corda eorum contra ipſum Dominum uſque ad occiſionem ipſius, & ex bonis operibus Domini, maxime autem propter ſuſcitationem Lazari, magis ac magis accendebantur, tamquam magis invidia tabeſcentes. Non valentes igitur ſuum furorem protelare, collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, in quo Caipha prophetante, deliberaverunt ipſum agnum innocentiſſimum occidere. (*Joan. 11*) O pravum concilium! O peſſimi duces populi, & conſiliarii nequiſſimi! Quid agitis miſeri? Quis vos furor exagitat tantus? Quæ ordinatio eſt hæc? Quæ cauſa occiſionis Domini Dei veſtri? Nonne ipſe in medio veſtrum eſt, quem tamen neſcitis, & intelligit omnia verba veſtra, & ſcrutatur renes, & corda? Sed ſic fieri oportet ut deſideraſtis, in manibus veſtris tradidit eum pater ſuus, per vos occidetur, ſed non pro vobis. Ipſe quidem morietur, & reſurget, ut ſalvet populum ſuum, & vos peribitis. Divulgatum fuit iſtud concilium, ſed ſapiens Dominus volens dare locum iræ, & etiam quia nondum erant omnia completa, abiit in regionem juxta deſertum in civitatem Effrem & ſic fugit humilis Dominus ante faciem nequiſſimorum ſervorum. Conſpice ergo prædictos nefarios in ſuo concilio peſſimo æſtuantes. Conſpice etiam Dominum Jeſum, ſimiliter & diſcipulos recedentes tamquam imbecilles, & pauperes. Quid tu putas Magdalenam dixiſſe? Sed & qualis animi mater Domini Jeſu erat, cum ſic eum recedere videret, & audiret cauſam, quia volebant eum occidere? Potes hic meditari Dominam, & ſorores tunc remanſiſſe cum Magdalena, & Dominum Jeſum eas omnes conſolatas fuiſſe de cita ſua reverſione.

CAPUT LXX.

Quo modo Dominus Jeſus rediit in Bethaniam, ubi Maria Magdalena unxit pedes ejus.

SIcut in ſuperioribus ad inſtructionem noſtram Dominus Jeſus fugiendo uſus eſt prudentia, oſtendens quod pro loco, & tempore furorem perſequentium caute declinare debemus: ita nunc utitur fortitudine, quia debito tempore imminente, *ſponte* redit, ut ſe offerat *paſſioni*, & ſe in manus ipſorum perſequentium tradat: ſicut alias fuit uſus temperantia cum fugit honorem, quando turbæ voluerunt eum facere regem. Et econtrario uſus eſt juſtitia, cum voluit tamquam rex honorari, quando populus cum ramis arborum occurrit eidem, ſatis modeſte tamen ipſum honorem voluit, & ideo aſellum aſcendit, ut hic refert Bernardus. Iſtis (*Bern. ſer. 3 in ramis palm.*) igitur quatuor virtutibus, ſcilic. prudentia, fortitudine, temperantia, & juſtitia uſus eſt Dominus virtutum propter noſtram inſtructionem. Dicuntur autem Cardinales eſſe ac principales, quia ab eis omnes aliæ virtutes morales deſcendunt. Non igitur æſtimandus eſt fuiſſe varius, vel inconſtans, ſicut nec aliquis alius, qui ſecundum diverſos caſus in diverſis virtutibus ſe exercet. Redit igitur (*Mat. 11*) Dominus Jeſus die ſabbati ante diem palmarum in Bethaniam, quæ eſt prope Hieruſalem, quaſi ad duo milliaria: & ibi fecerunt ei cœnam in domo Simonis leproſi, ſed & ibi fuerunt Lazarus, Martha, & Maria. Erant enim conſanguinei, vel multum domeſtici ejuſdem Simonis. Tunc (*Joan. 12*) autem Maria fudit ſuper caput ejus libram unguenti pretioſi, & ex eo unxit ei caput, & pedes. Et quod alia vice fecit in eadem domo ex contritione, nunc faciebat ex devotione. Diligebat enim eum ſuper omnia, & de obſequendo eidem ſatiari non poterat. Sed murmuravit

de

Digitized by Google

de hoc proditor Judas. Pro qua Dominus reſpondit, & eam debito more defendit. Nihilominus tamen proditor indignatus remanſit, & inde proditionis occaſionem aſſumpſit, & die Mercurii ſequenti Dominum Jeſum pro triginta argenteis vendidit. Conſpice igitur eum cœnantem cum illis ſuis amicis, & converſantem cum eis, illis paucis diebus, ſcilicet uſque ad paſſionem ſuam. Sed amplius in domo Lazari, domus namque ipſius, & ſororis ejus erat ſuum refugium generale. Ibi comedebat de die, & dormiebat de nocte cum diſcipulis ſuis. Ibi etiam mater ejus Domina noſtra cum ſororibus quieſcebat, & multum honorabant eam omnes & maxime Magdalena ſemper ſociando eam nec ab ea ullatenus diſcedendo. Conſpice ergo ipſam Dominam, quæ ſtat timore perterrita de dilectiſſimo filio ſuo, nec ſe ab illo ullo tempore ſeparabat. Et cum Dominus defendens Magdalenam a murmure proditoris
Matth. 26 dixit. Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit: an non credis, quod hujus verbi gladius matris animam pertranſierit? Quid enim de morte ſua poterat expreſſius dicere? Similiter & omnes alii ſtabant perterriti, & anxiis cogitationibus pleni, colloquentes ad invicem unus cum altero hinc inde, more illorum, qui habent dura, & adverſa tractare, & maxime timebant, quando ibat in Hieruſalem quod faciebat quolibet die. Multa enim ab iſta die ſabbati uſque ad diem cœnæ locutus eſt Judæis, & operatus eſt palam in Hieruſalem, de quibus non intendo referre niſi de adventu ſuper aſello, ne meditatio ipſius impediatur. Sumus enim in januis paſſionis. Vide, totum tuum recollige ſpiritum, ne ad alia ſis diſtracta: ut tam ad hæc myſteria quæ præcedunt quam ad ipſam paſſionem mente vacua curis, & valde pervigil poſſis intendere, & interim libenter converſeris in Bethania cum prædictis.

CAPUT LXXI.

De Adventu Domini in Hieruſalem ſuper aſello. Ibidem quomodo Jeſus dicitur tribus modis fleviſſe.

FRequentabantur miſteria implebantur ſcripturæ per Dominum Jeſum appropinquante tempore zelabat remedium mundo conferre per propriis corporis paſſionem. Igitur die ſequenti ſummo mane, ſcilicet die Dominica paravit ſe ad eundum in Hieruſalem novo & inconſueto modo, ſed ſicut fuerat prophetatum. Cumque pergere vellet, mater pio affectu retrahebat eum, dicens: Fili mi quo vis ire? Tu ſcis conſpirationem contra te factam, quomodo vadis inter eos? Rogo te, ut non vadas. Similiter & diſcipulis aliis videbatur intolerabile, quod ibat: & ut poterant, retrahebant eum. Dicebat Magdalena: Non eatis magiſter pro Deo. Vos ſcitis, quod deſiderant mortem veſtram. Si vos itis in manus eorum, hodie vos capient, & habebunt intentum ſuum. O Deus quo modo diligebant eum, & quo modo erat eis amarum, quid. quid læderet ipſum. Ipſe vero aliter diſpoſuerat, qui univerſorum ſalutem ſitiebat, & reſpondebat eis: Voluntas patris mei eſt, quod ego vadam, ſinite, non timeatis, quia ipſe defendet nos, & hoc ſero huc redibimus illæſi. Cœpit igitur ire, & illa parva comitiva, ſed fidelis, ſecuta eſt ipſum. Cum autem venit Bethphage Matth. 21
ſcilicet in viculum quemdam in medio itineris, miſit duos diſcpulos in Marc. 11 Luc. 19
Hieruſalem, ut ſibi adducerent aſinam & pullum ejus, alligatos in loco publico ad miniſterium pauperum deputatos. Quo facto, Dominus Jeſus primo ſuper aſinam, & parum poſt ſuper pullum humiliter aſcendit, ſuper quos diſcipuli veſtimenta ſua poſuerunt. Et ſic equitabat Dominus mundi. Et quamquam juſtiſſimum foret eum honorari, honoris tamen tempore talibus dextrariis,

& phaleris uſus fuit. Conſpice nunc A bene ipſum, & vide, quo modo in hoc ſuo honore, vituperavit honorabilem pompam mundi. Non enim fuerunt hæc animalia frenis, & ſellis deauratis, & phaleris ſericatis ornata, more ſtultitiæ mundialis, ſed vilibus pannis, & duobus funiculis, cum eſſet Rex regum, & Dominus dominorum. Turbæ autem cum ſciverunt, iverunt obviam ei, & ut regem cum laudibus, & canticis cum veſtium ſuarum, & ramorum arborum ſtratione ac lætitia magna ſuſceperunt eum. Immiſcuit autem cum iſta lætitia fletum. Namque cum vidit Hieruſalem, flevit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognoviſſes, & tu, ſupple, fleres.

Chriſtus ter flevit. Et debes ſcire, quod tribus vicibus legimus Dominum Jeſum fleviſſe. Una de morte Lazari, ſcilicet, humanam miſeriam. Alia hic ſcilicet, humanam cæcitatem, & ignorantiam. Hic enim flevit, quia non cognoverunt tempus viſitationis ſuæ. Tertia vice flevit in paſſione ſua, ſcilicet humanam culpam, & malitiam: quia videbat, quod paſſio ſua omnibus ſufficiebat, & tamen non omnibus proficiebat, quia non reprobis & duris corde, ac impœnitentibus. Et de hac refert Apoſtolus, ad Hebræos: dicens de tempore ſuæ paſſionis: Qui cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſua reverentia. De his tribus vicibus habetur in textu. Sed & alias tenet Eccleſia quod flevit, ſcilicet infantulus. Et ideo cantat: *Vagit infans inter arcta conditus præſepia.* Quod faciebat, ut myſterium incarnationis diabolo occultaret. Conſpice ergo bene ipſum nunc flentem, nam & flere deberes cum eo: Flet enim largiter, & fortiter, quia non ſimulate, ſed vere dolebat cum ipſis. Unde corde amaro flebat illorum periculum æternale. Prædixit etiam tunc ipſorum excidium corporale. Conſpice etiam diſcipulos, qui diligenter vadunt juxta eum cum tremore, & reverentia. Ipſi ſunt barones, & comites, ſui domicelli & dextratores. Conſpice etiam matrem cum Magdalena, & aliis fœminis ſequentes attente poſt eum. Nec credere debes quod ipſo flente, potuerunt mater & alii ſui lacrymas continere. Intravit ergo Dominus Jeſus cum iſto triumpho, & honore turbarum in civitatem, de quo civitas commota eſt. Venit autem ad templum, & ejecit ementes & vendentes. Et hæc fuit ſecunda ejectio. Et ſtetit Dominus Mat. 21 Jeſus publice in templo prædicans populos, & reſpondens principibus, & phariſæis uſque quaſi ſero. Et licet ſic honoratus fuiſſet ab illis, non eſt inventus aliquis, qui eum etiam ad bibendum invitaret. Tota igitur die, B ipſe & ſui jejunaverunt, & ſero cum eis Bethaniam rediit. Conſpice ergo & nunc bene ipſum, quia valde humiliter vadit per civitatem cum illis paucis, qui ſic honorifice venerat mane. Ex quo potes conſiderare, quod parum eſt de mundano curandum honore, qui ſic terminatur in brevi. Potes etiam conſiderare, quo modo Magdalena, & alii gaudeant, quando honorabatur a turbis, & multo magis quando Bethaniam redierunt illæſi.

Hebr. 5

CAPUT LXXII.

Quando Dominus Jeſus mortem ſuam prædixit matri.

C HIc poteſt interponi meditatio valde pulchra, de qua tamen ſcriptura non loquitur. Cœnante namque Domino Jeſu die Mercurii cum diſcipulis ſuis in domo Mariæ & Marthæ, & etiam matre ejus cum mulieribus in alia parte domus: Magdalena miniſtrans rogavit Dominum, dicens: Magiſter ſitis memor, quod facietis paſcha nobiſcum, rogo vos, ut hoc non denegetis mihi. Quo nullatenus acquieſcente, ſed dicente quod in Hieruſalem faceret paſcha: illa recedens miro cum fletu & lacrymis, vadit ad Dominam, & his ei narratis rogat, ut ipſa eum ibi in paſchate teneat. Cœna igitur facta,

vadit

vadit Dominus Jeſus ad matrem, & A ſedet cum ea ſeorſum colloquens cum ea & copiam ei ſuæ præſentiæ præbens quam in brevi ſubtracturus erat ab eo. Conſpice nunc bene ipſos ſedentes, & quo modo Domina reverenter eum ſuſcipit, & cum eo affectuoſe moratur, & ſimiliter quo modo Dominus reverenter ſe habet ad eam. Ipſis igitur ſic colloquentibus, Magdalena vadit ad eos, & ad pedes eorum ſedens dicit: Domina ego invitabam magiſtrum, ut hic faceret paſcha, ipſe vero videtur velle ire Hieruſalem ad paſchandum, ut capiatur ibi: rogo vos ut non permittatis eum ire. Ad quem mater: Fili mi, rogo te ut non ſic fiat, ſed faciamus hic paſcha. Scis enim quod B inſidiæ ad te capiendum ordinatæ ſunt. Et Dominus ad eam: Mater chariſſima, voluntas patris eſt, ut ibi faciam paſcha: quia tempus redemptionis advenit, & modo implebuntur omnia, quæ de me ſcripta ſunt, & facient in me quidquid volent. At illæ cum ingenti dolore hæc audierunt, quia bene intellexerunt, quod de morte ſua dicebat. Dicit igitur mater vix valens verba formata proferre: Fili mi tota concuſſa ſum ad vocem iſtam, & cor meum dereliquit me. Provideat pater, quia neſcio quid dicam. Nolo ſibi contradicere, ſed ſi ipſi placeret, roga C eum ut differat ad præſens, & faciamus hic paſcha cum iſtis amicis noſtris. Ipſe vero, ſi ſibi placebit, poterit de alio modo redemptionis ſine morte tua providere: quia omnia poſſibilia ſunt ei.

O ſi videres inter hæc verba Dominum plorantem, modeſte tamen & plane, & Magdalenam tamquam ebriam de magiſtro ſuo largiter, & magnis ſingultibus flentem; forte nec tu poſſes lacrymas continere.

Conſidera in quo ſtatu eſſe poterant, quando hæc tractabantur. Dixit enim Dominus, blande conſolans eas: Nolite flere, ſcitis quod obedientiam Patris me implere oportet: ſed pro certo confidite, quia cito revertar ad vos, & tertia die reſurgam incolumis. In monte igitur Sion ſecundum voluntatem Patris faciam paſcha. Dixit autem Magdalena, ex quo non poſſumus eum hic tenere, ſimus & nos in domo noſtra in Hieruſalem: ſed credo quod numquam habuit paſcha ſic amarum. Acquievit Dominus quod & ipſæ in dicta domo facerent paſcha.

CAPUT LXXIII.

De Cœna Domini. Item de menſa & modo ſedendi in menſa. Exemplum quinque virtutum Chriſti in cœna. Item quinque ex ſermone Domini.

ADveniente jam & imminente tempore miſerationum, & miſericordiarum Domini Jeſu, quo diſpoſuerat ſalvam facere plebem ſuam & eam redimere; non corruptibili auro & argento, ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo: voluit cœnam facere cum diſcipulis ſuis notabilem, antequam ab eis per montem diſcederet, in ſignum memoriale recordationis ac etiam ut compleret myſteria, quæ reſtabant complenda. Fuit autem hæc cœna magnifica valde, & magnifica ſunt quæ fecit ibi Dominus Jeſus. Ad quæ intuenda te cum ſumma attentione præſentem exhibe: quia ſi hoc digne & vigilanter feceris, non patietur te curialis Dominus redire jejunum. Circa ipſam igitur quatuor principaliter, quæ ibi notabiliter facta fuerunt, meditanda occurrunt. Primo ipſa corporalis cœnatio. Secundo pedum diſcipulorum per Dominum Jeſum ablutio. Tertio Sacramenti, ſui ſacratiſſimi corporis inſtitutio. Et quarto pulcherrimi ſermonis per ipſum compoſitio. De quibus per ordinem videamus.

1 Pet. 1

Circa primum attende, quod Petrus & Joannes iverunt iuſſu Domini Jeſu, ad quendam amicum ſuum in montem Sion, ubi erat cœnaculum grande ſtratum ad parandum Paſcha. Sed & Dominus cum aliis diſci-

De Cœna agni paſchalis. Mat. 26

Digitized by Google

diſcipulis die Jovis, adveſperaſcente die civitatem intravit, & ad ipſum locum ivit. Aſpice nunc igitur eum ſtantem in aliqua parte domus, & colloquentem cum ſuis diſcipulis ſalubria, & interim in cœnaculo parabatur pro eis per aliquos de ſeptuaginta duobus diſcipulis paſcha. Legitur namque in legenda ſancti Martialis, quod ipſe cum aliquibus de ſeptuaginta duobus diſcipulis fuit ipſo die ſero ad miniſtrandum Domino Jeſu, quando lavabat pedes diſcipulorum ſuorum. Cum autem eſſent omnia in cœnaculo parata, dilectiſſimus Joannes, qui ſolicite ibat & redibat ad parandum, & juvandum in præparatione præfata, venit ad Dominum Jeſum, dicens: Domine vos poteſtis cœnare, quando placet vobis, quia omnia ſunt parata. Conſpice nunc bene, & moroſe omnia quæ dicuntur, & fiunt: quia viſceroſa ſunt valde, nec abbrevianda ſunt ſicut cetera Domini Jeſu facta, ſed potius dilatanda. In hoc igitur eſt maxima vix omnium meditationum de ipſo, ſed & amoris iſtius magis, ſcilicet propter exceſſiva inſignia, quæ in hac cœna facta fuerunt. Surgit ergo Dominus Jeſus, & diſcipuli ejus cum eo. Joannes vero ejus lateri ſe jungens ab eo ſe deinceps nullatenus ſeparavit: nullus enim ſic fideliter ac familiariter adhæſit ei ſicut Joannes. Nam cum captus fuit introivit cum eo in atrium principis ſacerdotum, nec in crucifixione, nec in morte, nec poſt mortem dimiſit eum quouſque fuerat ipſe ſepultus. In hac autem cœna juxta eum ſedit, licet eſſet minor aliis. Intrant autem cœnaculum omnes lavant manus, & circumſtantes menſam devotiſſime benedicunt. Aſpice bene per ſingula. Scire autem debes, quod ipſa menſa erat in terra, & more antiquorum in terra ſederunt ad cœnam. Erat autem menſa quadra, ut creditur, de pluribus tamen tabellis, quam ego vidi Romæ in Eccleſia Lateranenſi, & ego eammet menſuravi. Eſt autem in uno quadro duorum brachiorum,

De modo qui in ultima cœna Chriſtus cum diſcipulis ſedit ad menſam, & de ipſa menſa.

A & trium digitorum vel palmi vel citra: ita quod licet arcte, tamen in quolibet quadro, ut creditur, tres diſcipuli ſedebant, & Dominus Jeſus humiliter in quodam angulo: ita quod omnes in uno catino comedere poterant. Et propterea non intellexerunt eum diſcipuli, quando dixit: Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet, quia omnes pariter intingebant. Benedictione igitur facta per dexteram Domini, ſedent circa menſam, Joanne ſedente iuxta Dominum Jeſum Chriſtum. Agnus paſchalis tunc eis defertur. Sed attende, quod dupliciter poteris hoc meditari. Uno modo quod B ſedeant ſicut jam dixi. Alio modo, ut ſtent recti cum baculis in manibus comedentes agnum cum lactucis agreſtibus, & ita obſervantes quæ in lege Domini mandantur, dummodo poſtea eos mediteris ſedere ad aliquid manducandum, ut ex pluribus locis textus poteſt colligi: quia nec Joannes recumbere ſupra pectus Domini aliter potuiſſet, niſi ſedendo. Delato ergo agno paſchali aſſo, accepit eum verus & immaculatus agnus, ſcilicet Dominus Jeſus, qui erat in medio illorum tamquam qui miniſtrat, ſciditque eum in fruſta, diſcipulis alacriter porrexit, & ad comedendum confortat. Ipſi vero comedebant, ſed alacritatem non capiebant ſemper pa- C vidi, ne novitas contra Dominum fieret. Cœnantibus autem eis, patefecit factum apertius, & inter alia ita ait: Deſiderio deſideravi, hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Unus autem veſtrum me traditurus eſt. Hæc vox in corda ipſorum, ut gladius acutiſſimus intravit, & comedere ceſſaverunt, aſpicientes ſeipſos, invicem & dicentes: Numquid ego ſum Domine? Aſpice nunc bene ipſos, & compatere tam Domino Jeſu, quam ipſis: quia in magno dolore ſunt poſiti. Ipſe autem proditor ne viderentur hæc verba pertinere ad ipſum, comedere non ceſſavit. Joannes vero ad inſtantiam Petri quæſivit & dixit: Domine quis eſt, qui tra-

Luc. 22

Joan. 13

Digitized by Google

tradet te? Et Dominus Jeſus tamquam ſingulari dilecto familiariter ei aperuit. Joannes vero ſtupefactus, & cordialiter gladiatus verſus eum ſe inclinavit, & ſuper pectus ejus recubuit. Petro autem Dominus non dixit, quia ut dicit Auguſt. ſi ipſum ſciviſſet, dentibus proditorem diſcerpſiſſet. Sed per Petrum ſignantur activi, per Joannem contemplativi, ut dicit Auguſtinus in eadem Homilia in Evangelium, quod legitur in feſto ſancti Joannis. Unde habes hic argumentum, quod contemplativus non intromittit ſe de actibus intrinſecis, & de ipſis etiam offenſis Domini vindictam non expetit, ſed gemit interius, & per orationes ſe ad Deum convertit, & fortius ei per contemplationem approximans, eique inhærens, omnia ſuæ diſpoſitioni committit. Nam aliquando ipſe contemplativus ex zelo Dei, & animarum, exterius exit, ut ſupra plenius habuiſti in tractatu de vita contemplativa. Hic etiam habes, quod nec ipſe Joannes dixit Petro, quamvis ad ipſius nutum Dominum quæſiviſſet. Ex quo potes colligere, quod contemplativus non debet ſecretum ſui Domini revelare. Legitur autem de beato Franciſco, quod revelationes occultas non revelabat exterius, niſi quantum fraternæ ſalutis urgebat zelus, vel ſupernæ revelationis dictabat inſtinctus. Nunc igitur conſpice Domini benignitatem quo modo dilectum ſuum ſupra pectus ſuum retinet tam benigne. O quam tenerrime ſe ad invicem diligebant. Conſpice etiam alios diſcipulos multum mœſtos ad hanc Domini vocem, non comedentes, ſed ſe invicem aſpicientes, & ſuper his conſilium capere neſcientes. Hæc de primo articulo ſufficiunt.

Aug. tract. 124 in Jo. tom. 9

De ablutione pedum. Joan. 13

Circa ſecundum vero diligenter attende. His namque ſic ſe habentibus, ſurgit Dominus Jeſus a cœna ſurgunt ſtatim & diſcipuli, ignorantes quo ire velit. Ipſe autem deſcendit cum eis in locum alium inferius in eadem domo, ut dicunt qui lo-

A cum viderunt, & ille omnes ſedere fecit, aquam iubet ſibi afferri, ponit veſtimenta ſua, linteo ſe præcingit & aquam mittit in pelvim lapideam ut lavaret ipſorum pedes. Recuſat Petrus, & totus ſtupefactus rem ſuo judicio ſic indecentem declinat. Sed audita Chriſti comminatione, ſapienter conſilium mutavit in melius. Conſidera nunc bene ſingulos actus & cum admiratione conſpice, quæ geruntur. Inclinat ſe ſumma majeſtas, & humilitatis magiſter uſque ad piſcatoris pedes, ſtat incurvatus, & genibus flexis, coram ipſis ſedentibus. Lavat propriis manibus, abſtergit, deoſculaturque omnium eorum pedes. B Sed & illud ſuperexaltat humilitatem, quod & ipſi proditori eadem obſequia ipſe præbet. Sed o cor nequam, & omni duritia durius! ſi ſic ad tantam humilitaten non emolliris, ſi ſic Dominum maieſtatis non vereris, ſi ſic uſque ad ipſius ſemper tibi benefici, ſemperque innocentis ſævis interitum. Sed væ tibi miſer, tu quidem obduratus quod concepiſti parturies, non tamen ipſe, ſed tu peribis. Admiranda eſt ergo merito tanta humilitatis, & benignitatis profunditas, &c. Hoc autem completo miniſterio, redit ad locum cœnæ, & iterum recumbens, eos ad ſuum exemplum imitandum confortat. C Potes autem hic meditari, quod Dominus Jeſus exemplum dedit nobis iſto ſero quinque magnarum virtutum, ſcilicet humilitatis, ut dictum eſt lavando: charitatis, in Sacramento corporis, & ſanguinis ſui, & in ſermone, qui eſt monitis charitatis plenus: patientiæ in ſuſtinendo proditorem ſuum, & multa opprobria quando fuit captus, & ductus ut latro: obedientiæ, in eundo ad paſſionem ſuam, & mortem ex obedientia patris: orationis, in orando in horto tribus vicibus. In his ergo virtutibus eum imitari conemur. Et hæc de ſecundo articulo.

Chriſtus Dominus in cœna quoque magnarum virtutum exempla præbuit.

Circa tertium vero meditando obſtupeſce illam chariſſimam dignationem, & dignatiſſimam charitatem, qua

De inſtitutione ſacramenti Euchariſtiæ.

qua nobis tradidit ſemetipſum, & reliquit in cibum. *ex Mat. 26* Cum ergo lotis diſcipulorum pedibus iterum recubuiſſet, volens finem dare legalibus inſtitutis, & ſacrificiis & novum incipere teſtamentum, ſeipſum ſacrificium novum facit, & accipiens panem, oculos ad patrem elevans, confecit altiſſimum Sacramentum corporis ſui, & dans diſcipulis ſuis: HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem, dicens. HIC EST SANGUIS MEUS, qui pro vobis effundetur. Aſpice nunc bene pro Deo, quo modo diligenter fideliter, & devote prædicta facit, & manibus propriis communicavit illam dilectam, & benedictam familiam ſuam. Et tandem in amoris recordationem, ſubjungit, dicens. Hoc facite in meam commemorationem. Hoc eſt illud memoriale, quod animam gratam cum ipſum ſuſcipit, manducando, vel fideliter meditando deberet totam ignire, & inebriare, & in ipſum Dominum præ amoris, & devotionis vehementia totaliter transformare. Nihil enim majus, charius dulcius, & utilius nobis relinquere poterat, quam ſeipſum. Ipſe namque, quem in Sacramento ſumimus, ille idem eſt, qui de virgine mirabiliter incarnatus & natus pro te mortem ſuſtinuit, & qui reſurgens, & glorioſe aſcendens ſedet a dextris Dei. Et ipſe eſt qui creavit cælum, & terram, & omnia: & qui ea gubernat, ac etiam moderatur. Ipſe eſt a quo dependet ſalus tua: in cujus voluntate & poteſtate eſt tibi dare, vel non dare gloriam paradiſi. Ipſe eſt qui eſt in tali hoſtia modica oblatus, & tibi exhibitus. Ipſe eſt Dominus Jeſus Chriſtus filius Dei vivi. Et hæc de tertio articulo.

De ſer. Dom. in cen. ex Jo. 13, uſque ad 17 cap. Aug. Expoſ. in Pſal. 40 tom. 8

Circa quartum vero ad omnium cumulum ſupereffluentem, attende alia dilectionis inſignia. Facit enim eis ſermonem pulcherrimum, plenum dulcedine, & amoris carbonibus ignitum. Communicatis namque diſcipulis & peſſimo Juda, ſecundum Auguſtinum, licet ſecundum aliquos non fuerit in communicatione, dicit ipſi Judæ Dominus Jeſus. Quod facis, fac citius. Ille autem infelix egrediens, *Joan. 13* ivit ad principes ſacerdotum, quibus cum præcedenti die Mercurii vendiderat triginta argenteis, & petiit ab eis cohortem ad ipſum capiendum. Interim vero Dominus Jeſus fecit diſcipulis dictum ſermonem. *Ex ſermone Domini quinque præcipue meditanda* Ex cujus ornata, utili, ac veneranda magnitudine, quinque principaliter meditando aſſumo. Primum qualiter prædicens eis diſceſſum ſuum eos confortavit. Dicebat namque: Adhuc *Joan. 14* modicum vobiſcum ſum, ſed non relinquam vos orphanos. Vado & venio *Joan. 16* ad vos. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Hæc & his ſimilia, quæ ſuccincte pertranſeo, dicebat eis, quæ corda ipſorum totaliter pertranſibant, & penetrabant. Non enim de ſuo diſceſſu poterant aliquid tolerare. Secundo circa ſermonem mediteris, qualiter cordialiter, & inſtanter inſtruxit eos de charitate, dicens pluribus vicibus. Hoc eſt mandatum meum, ut diligatis invicem. Et in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Et alia hujuſmodi quæ in textu plenius poteris reperire. Tertio circa ſermonem mediteris, quo modo monuit eos ad obſervantiam mandatorum ſuorum, dicens: Si diligitis me, mandata mea *Joan. 14* ſervate. Et: Si præcepta mea ſervaveritis, *Joan. 15* manebitis in dilectione mea. Et alia hujuſmodi. Quarto circa ſermonem mediteris, qualiter det eis confidentiam contra tribulationes, quas eis prædicit eſſe venturas, hoc modo: In mundo preſſuras habebitis, *Joan. 16* ſed confidite, quia ego vici mundum. Et iterum: Si mundus vos odit, *Joan. 15* ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Mundus quidem gaudebit, *Joan. 16* vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Quinto circa ſermonem eſt meditandum, qualiter ipſe Dominus Jeſus tandem aſpiciens in cœlum ſe convertit ad Patrem dicens: Pater ſerva iſtos quos dediſti mihi. Cum

eſſem

Digitized by Google

eſſem cum eis ego ſervabam eos. Nunc autem venio ad te. Pater Sancte ego pro eis rogo: non pro mundo, & non pro his tantum, ſed pro eis omnibus, qui in me credituri ſunt per eos. Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam. (*Ioan. 17*) Et alia hujuſmodi quæ vere erant corda ſcindentia. Mirum certe quo modo diſcipuli, qui tam vehementer Dominum Jeſum amabant, ad hæc verba ſubſiſtere potuerunt. Si ergo quæ in hoc ſermone dicta ſunt, attente diſcuſſeris, & meditando ruminaveris diligenter, & in eorum dulcedine requieveris, merito inardeſcere poteris ad tantam dignationem, benignitatem, & providentiam, indulgentiam, & charitatem, & etiam ad alia per eum hoc ſero facta. Conſpice ergo eum dum loquitur, quo modo efficaciter, devote, & delectabiliter loquens, imprimit diſcipulis ſuis quæ narrat, & paſcit in amœnitate aſpectus ejus, atque verborum. Conſpice autem diſcipulos quo modo ſtant mœſti capitibus inclinatis, lacrymantes, & ſuſpiria magna dantes, pleni ſunt triſtitia, uſque ad ſummum, & de hoc veritas ipſamet ferebat teſtimonium, dicens. (*Ioan. 16*) Quia hæc dixi vobis triſtitia implevit cor veſtrum. Inter alios autem conſpice Joannem eidem familiarius cohærentem, qualiter attente & diligenter aſpicit hunc dilectum ſuum, & tenerius anxiatus omnia verba ejus recolligit. Ipſe enim ſolummodo deſcribens hæc tradidit vere nobis. Inter alia quoque dicit eis Dominus Jeſus: (*Mar. 14*) Surgite, eamus hinc. O quantus pavor tunc in eos intravit, neſcientes quo, vel qualiter ire deberent, & de ipſius ſeparatione plurimum formidantes, & nihilominus poſtea locutus eſt eis complendo ſermonem, in alio loco eundo per viam. Conſpice nunc diſcipulos euntes poſt eum, & cum eo, quo modo, quilibet, qui magis poteſt magis ei approximat, congregatim pergentes, ſicut mox eſt pullorum pergere poſt gallinam, impellen- A do eum modo unus, modo alius ex deſiderio appropinquandi, & audienda verba ipſius. Ipſe vero libenter hoc ſuſtinebat ab eis. Tandem cunctis completis myſteriis, vadit cum eis in hortum trans torrentem Cedron & ibi ſuum proditorem, & armatos expectavit.

SEXTA FERIA

CAPUT LXXIV.

Meditatio de paſſione Domini in generali.

B Occurrit nunc, ut de paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti pertractemus. Qui ergo in paſſione, & Cruce Domini gloriari deſiderat, ſedula cordis meditatione debet in ipſa perſiſtere, cujus myſteria, & quæ circa eam facta ſunt, ſi toto forent perſpecta intuitu mentis, in novum, ut puto, ſtatum adducerent meditantem. Nam profundo corde & totis viſcerum medullis eam perſcrutanti, multi adſunt paſſus inſperati, ex quibus novam compaſſionem, novum amorem, novas conſolationes, & per conſequens novum quemdam ſtatum ſuſciperet, quæ ſibi præſagium, & participatio gloriæ viderentur. C Ad hunc autem ſtatum conſequendum, crederem tamquam ignarus, & balbutiens, quod totam illuc mentis aciem vigilantibus oculis cordis, omiſſiſque aliis curis extraneis, dirigi oporteret: & quod quis ſe præſentem exhiberet omnibus, & ſingulis, quæ circa Dominicam ipſam Crucem, paſſionem, & crucifixionem contigerunt, affectuoſe, diligenter, amoroſe, & perſeveranter. Te ergo hortor, ut ſi vigilanter attendiſti præmiſſa, quæ de ipſius vita dicta ſunt, hic multum vigilantius totum apponas animum, totamque virtutem: quia hic maxime apparet illa charitas ejus, quæ corda noſtra deberet totaliter concremare. Cuncta vero cum modificatione ſolita accipe, ſci-

Digitized by Google

licet quæ ſic meditari poterunt, ut narrabo. Non enim in hoc opuſculo aliquid affirmare intendo, quod non per ſacram Scripturam, vel dicta Sanctorum, vel opiniones approbatas affirmatur, vel dicitur. Videtur autem mihi non incongrue dici, quod non ſolum illa pœnalis, & mortalis crucifixio Domini, ſed ea quæ præceſſerunt eamdem, ſunt vehementiſſimæ compaſſionis, amaritudinis & ſtuporis. Quid enim eſt cogitare, quod ipſe Dominus noſter ſuper omnia benedictus Deus, ab hora qua de nocte captus eſt, uſque ad ſextam crucifixionis ſuæ horam, fuit in bello continno, doloribus magnis, opprobriis illuſionibus, & tormentis? Non enim ſibi datur vel modica requies. Sed in quali erat bello, & conflictu audi, & vide. Alius ipſum dulcem, & mitem, & pium Jeſum apprehendit, alius ligat, alius inſurgit, & alius exclamat, alius impellit, alius blaſphemat, alius expuit in eum, & alius vexat, alius circumvolvit, alius interrogat, alius contra eum falſos teſtes inquirit, & alius inquirentes aſſociat, alius contra eum falſum teſtimonium dicit, aliuſque accuſat, alius deludit & alius oculos eius velat, alius faciem eius pulcherrimam cædit, alius colaphizat, alius eum ad columnam ducit, & alius expoliat, alius dum ducitur percutit, alius vociferatur, & alius eum inſultanter ad vexandum ſuſcipit, & alius ad columnam ligat, alius in eum impetum facit, & alius flagellat, alius eum purpura in contumeliam veſtit, & alius ſpinis eum coronat, alius arundinem in manu eius ponit, alius furibunde accipit, ut ſpinoſum caput percutiat, alius nugatorie genuflectit, alius deridet genuflexionem, & plura ei intulerunt opprobria. Ducitur, & reducitur, ſpuitur, & reprobatur, volvitur, & circumflectitur huc atque illuc tamquam ſtultus, & ſtultiſſime imbecillis, ſed & tamquam latro, & impiiſſimus malefactor, modo ad Annam, modo ad Caipham, modo ad Pilatum, modo ad Herodem, & iterum ad Pilatum, & ibidem modo intus, modo foris ducitur, & attrahitur. Deus meus, quid eſt hoc? nonne tibi videtur hoc duriſſimum, amariſſimum & continuum, & magnum bellum? Sed expecta parumper, & duriora videbis: Aſtant contra eum conſtanter principes, & Phariſæi, ſeniores, & millia populi. Acclamatur ab omnibus unanimiter, ut crucifigatur. Crux humeris jam fractis, & laceratis imponitur, in qua crucifigitur, concurrunt undique cives, & advenæ, tam majores, quam ribaldi, vinique potatores non ad compatiendum, ſed viliſſime deridendum. Nemo eſt qui eum agnoſcat, ſed luto, & immunditiis impetuoſe eum commaculant, & affligunt, & dum ignominiam ſuam portat, factus eſt illis in parabolam. Contra eum loquebantur, qui ſedebant in porta, & in eum pſallebant qui bibebant vinum. Impellitur & anxiatur, trahitur & acceleratur: & ſic flagellatus, fatigatus, totuſque maceratus, & opprobriis ſaturatus uſque ad ſummum, non ſinitur requieſcere, non eſſe in otio, vix poteſt refocillare ſpiritum, quouſque perventum eſt ad Calvariæ locum, utique immundiſſimum & fœtidiſſimum. Et omnia cum impetu fecerunt, & furore. In ipſo autem loco, finis & quies bello imponitur, de quo tractamus, ſed eſt illa quies aſperior bello, & crucifixio, & lectus doloris. Ecce qualis quies. Vides ergo quomodo uſque ad ſextam horam paſſus eſt longum & durum bellum. Vere intraverunt aquæ uſque ad ſuam animam, & circumdederunt eum canes multi, terribiles, fortes & feroces, & conſilium malignantium eum obſedit, qui dire, & ut gladius bis acutus exacuerunt in eum linguas, & manus. Ex his ergo, quæ dicta ſunt expedita videntur, quæ de paſſione Domini dici poſſunt ſummatim in tribus horis primis, uſque ad ſextam, ſcilicet, matutinali, prima, & tertia. Sed non ſic, non eſt tanta amaritudo & pœna Domini Jeſu ſic leviter pertractanda: propter quod reflecte oculos,

Pœnas omnes quas Chriſtus paſſus eſt, in genere recenſet.

Pſal. 68 — *Ibid.* — *Pſal. 21* — *Pſal. 63*

&

& intende. Magna enim & multiplex conſideratio ſupereſt, multumque penetrativà, & pia, dummodo, ut dictum eſt, exhibeas te præſentem: hæc enim in quadam generalitate ſunt dicta. Sed videamus ſingula diligenter non enim debet nos tædere, iſta cogitare, quæ ipſum Dominum non tæduit tolerare.

CAPUT LXXV.

Meditatio Paſſionis Chriſti ante Matutinum.

REaſſume ergo meditationes iſtas a principio Paſſionis, & proſequere per ordinem uſque in finem, de quibus ſicut mihi videtur, modicum tangam: tu vero ut placet exerciteris in amplioribus, ut & ibi Dominus ipſe dabit. Attende ergo ad ſingula, ac ſi præſens eſſes, & cerne eum attente, cum a cœna exiens, ſermone completo, in hortum cum diſcipulis ſuis vadit. Ultimo nunc intra & perpende quo modo affectuoſe, ſocialiter, ac familiariter eis loquitur, & ad orationem hortatur, quo modo etiam ipſe puſillum, id eſt, per iactum lapidis progrediens, humiliter, ac reverenter poſitis genibus orat patrem. Hic parumper ſubſiſte, & mirabilia Domini Dei tui mentem pia revolve.

De oratione in horto. Orat nunc Dominus Jeſus. Sed hactenus legitur pluries ſic oraſſe: ſed pro nobis tunc ut advocatus noſter, nunc autem pro ſe orabat. Compatere, & admirare profundiſſimam ſuam humilitatem. Cum enim ſit Deus Patri ſuo coæternus & coæqualis, oblitus videtur ſe Deum eſſe, & orat ut homo, ſtat tamquam quilibet homunculus de populo, Dominum orans. Conſidera etiam perfectiſſimam obedientiam. Quid enim orat? certe orat Patrem, ut hora mortis ab eo transferatur, habet hoc expedire ut non moreretur, ſi ei placeret, & non exauditur, ſecundum aliquam dico voluntatem, quæ in eo erat. Fuit tamen in eo

A multiplex voluntas, ut dicam. Et hic etiam tu compatere, quia vult Pater ut penitus moriatur, & ei quamvis vero, & unico filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum ſic tradidit. Sic enim dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. *Ioan. 3* Dominus autem Jeſus hanc obedientiam ſuſcipit, & exequitur reverenter. Vide in tertio loco indicibilem ad nos charitatem, tam Patris, quam Filii, compaſſione, admiratione, venerationeque digniſſimam. Propter nos hæc mors indicitur, & ſuſtinetur propter nimiam charitatem ipſorum. Orat ergo Dominus Jeſus Patrem prolixe, dicens: B Mi pater clementiſſime rogo te, ut exaudias orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam. Intende mihi & exaudi me, quia contriſtatus ſum in exercitatione mea, & anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum. *Pſal. 54* Inclina ergo ad me aurem tuam, & intende voci deprecationis meæ. Tibi Pater, placuit me in mundum mittere, ut pro iniuria tibi ab homine facta ſatisfacerem. Et ſtatim cum voluiſti, dixi: Ecce vado. Et ſicut in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, ſic volui. Veritatem tuam, & ſalutare tuum annuntiavi. Pauper fui, C & in laboribus a juventute mea faciens voluntatem tuam, & omnia quæ mandaſti feci. Paratus ſum etiam complere quæ reſtant. Si tamen Pater mi fieri poteſt, tolle a me tantam amaritudinem, quanta mihi parata eſt ab adverſariis meis. Vide enim pater, quanta adverſantur adverſum me, & quot & quanta mihi imponunt, propter quæ accipere animam meam conſiliati ſunt. Sed Pater ſancte, ſi feci ea, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidit retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. *Pſal. 7* Ego enim quæ tibi placita ſunt, feci ſemper, Ipſi vero poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea, & diſcipulum meum corrupe-

perunt, & ſuum ducem ad me perdendum fecerunt, & appenderunt mercedem meam triginta argenteis, quibus appretiatus ſum ab eis. Rogo te Pater mi, ut transferas a me Calicem iſtum. Si autem aliter tibi videtur, fiat voluntas tua, & non mea. Sed exurge Pater in adiutorium meum, feſtina ut me adjuves. Dato enim dilectiſſime Pater, quod me neſcierunt filium tuum, quia innocentem vitam cum eis duxi, & multa bona eis contuli, non deberent, Pater, ſic mihi eſſe crudeles. Recordare namque, quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, ut avertam indignationem tuam ab eis. Sed væ, numquid redditur pro bono malum? ipſi autem foderunt foveam animæ meæ, & mortem turpiſſimam paraverunt. Tu vides Domine, ne ſileas, ne diſcedas a me: quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adjuvet. Ecce in conſpectu tuo ſunt, qui tribulant me, quærentes animam meam. Improperium expectavit cor meum & miſeriam. Et rediens Dominus Jeſus ad diſcipulos ſuos, excitat, & de orando confortat. Et iterum ſecundo & tertio ad orationem rediit, in tribus enim diverſis locis diſtantibus ab invicem per jactum lapidis, non quantum quis excutiens brachium projicere poſſet, ſed quantum ſine magna violentia lapidem mitteret, forte quanta eſt longitudo domorum noſtrarum, ut habeo a fratre noſtro, qui fuit ibi, & adhuc in ipſis locis ſunt veſtigia Eccleſiarum, quæ ibi factæ fuerunt. Rediens ergo ad orationem, ut dixi, ſecundo, & tertio eumdem ſermonem oravit, & addidit: Pater ſi ſic decreviſti, ut penitus crucis patibulum ſubeam, fiat voluntas tua. Sed recommendo tibi dilectiſſimam matrem meam, & diſcipulos meos, quos hucuſque ſervavi. Pater mi, ſerva eos amodo. Et interim, ſacratiſſimus ille ſanguis corporis ſui, in modum ſudoris erumpens in hac agonia, ſive certamine, dum prolixius orat, uſque ad terram abundanter decurrit.

Matt. 27
Matt. 26
Hier. 18
Pſal. 68
Ioan. 17

Conſidera nunc ergo eum, quanta nunc eſt animæ ſuæ anguſtia. Sed & hic illud animadverte contra impatientiam noſtram, quia Dominus tribus vicibus oravit, antequam a Patre reſponſionem acciperet.

Cum autem ſic orat anxiatus Dominus Jeſus: ecce Angelus Domini, Princeps militiæ cœleſtis exercitus, Michael ſcilicet aſtitit confortans eum, & dicens: Salutem Deus meus Jeſu. Ego orationem veſtram, & ſudorem veſtrum ſanguineum Patri veſtro obtuli in conſpectu totius curiæ ſupernæ, & omnes procidentes ſupplicavimus, ut Calicem hunc transferret a vobis. Et reſpondit Pater: Novit dilectiſſimus filius meus Jeſus, quod humani generis redemptio, quam ſic optamus, ſine ſanguinis ſui effuſione ſic decenter fieri non poteſt: & ideo ſi ſalutem vult animarum, oportet eum pro eis mori. Quid ergo diſcernitis? Tunc reſpondit Dominus Jeſus Angelo: Salutem animarum omnino volo, & idcirco potius eligo mori ut ſalventur animæ, quas ad imaginem ſuam Pater creaverat, quam velim non mori, & animæ non redimantur. Fiat ergo voluntas Patris mei. Et Angelus ad eum: Confortamini ergo, & viriliter agite, excelſum enim decet magnifica facere, & magnanimum ardua tolerare. Cito pertranſibunt pœnalia, & ſuccedent perpetuo glorioſa. Dicit Pater quod ſemper vobiſcum eſt, & quod matrem veſtram, & diſcipulos ipſe ſervabit, ipſoſque incolumes vobis reddet. Et humilis Dominus reverenter, & humiliter ſuſcipit hanc confortationem etiam a ſua creatura, conſiderans ſe eſſe minoratum paulo minus ab angelis, dum eſt in hac valle miſera tenebrarum. Et ſic contriſtabatur ut homo, & vale fecit ei. Et ſic ex verbis angeli fuit confortatus ut homo, rogans, ut eum Patri, ac cœleſti curiæ commendaret. Surgit ergo tertio ab oratione totus ſanguine madefactus, quem conſpice tergentem ſibi vultum, vel etiam forte in torren-

Michael angelus Chriſtum in agonia confortat.

rente lavantem, totumque afflictum reverenter cerne, eique intime compatere: quia ſine ingenti acerbitate doloris hoc ſibi contingere nullatenus potuit.

Dicunt Sapientes, & expoſitores, quod oravit Dominus Jeſus Patrem, non tam timore patiendi, quam miſericordia prioris populi: quia compatiebatur Judæis, quia pro ſua morte ſæviſſima perderentur. Non enim ipſi occidere eum debebant, quia ex ipſis erat, & in lege eorum continebatur, & tanta eis beneficia impendebat, dum orabat Patrem pro ſalute Judæorum, & dicebat: Ut credat multitudo gentium, non recuſo paſſionem. Si vero Judæi excæcandi ſunt ut alii videant, non mea voluntas, ſed tua fiat. Fuit enim in Chriſto tunc quadruplex voluntas, ſcilicet voluntas carnis, & hæc nullo modo volebat pati. Voluntas ſenſualitatis, & hæc remurmurabat, & timebat. Voluntas rationis, & hæc obediebat, & conſentiebat, nam juxta Iſaiam dicitur: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et fuit in eo voluntas divinitatis, & hæc imperabat, & ſententiam ipſa dictabat. Igitur quia verus erat homo, ut homo erat in magna anguſtia poſitus. Et ideo intime compatere ei, & conſidera, & vide diligenter omnes actus, & ſingulas affectiones Domini Dei tui. Venit autem ad diſcipulos ſuos dicens: Dormite jam, & requieſcite, qui ibi aliquantulum dormierunt. Bonus autem paſtor vigilat ſuper cuſtodiam gregis ſui puſilli. O grandis amor. Vere in finem dilexit eos, cum in tanta poſitus agonia eorum procurat quietem. Videbat autem a longe adverſarios ſuos venientes cum facibus, & armis, nec tamen diſcipulos excitavit, niſi cum prope, & juxta eos erant, tunc dicit eis: Sufficit, ſatis dormiſtis, ecce qui me tradet, appropinquat.

Quadruplex voluntas Chriſti dum orat in horto.

Iſa. 53

Et adhuc eo loquente, venit ante illos nequam Judas, peſſimus mercator, & oſculatus eſt eum. Dicitur enim quod moris erat Domini Jeſu, A diſcipulos quos emittebat, in oſculo recipere redeuntes, & propterea proditor ille in ſignum, Jeſum per oſculum tradidit, & præcedens alios cum oſculo rediit, quaſi dicat: Non ſum ego cum iſtis armatis, ſed rediens more ſolito, te oſculor & dico: Ave Rabbi. Intuere ergo bene, & proſequens Dominum, vide quo modo patienter, & benigne ſuſcipit ipſius infelicis amplexus, & oſcula proditoris, cujus paulo ante pedes laverat, & ſummo cibaverat cibo. Et quo modo ſe patitur capi, ligari, percuti, & furibunde duci, ac ſi eſſet malefactor, & omnino impotens ad ſe defendendum. Quo modo etiam compatitur B diſcipulis ſuis fugientibus & errantibus. Sed & ipſorum dolores cernere potes, quo modo inviti, & dolentes gemitus & ſuſpiria dabant, & velut orphani, & timore perterriti recedebant, & magis ac magis eorum augebatur dolor, cum videbant, & Dominum ſuum ſic viliter trahi, & canes iſtos trahentes eum ad victimam, & illum quaſi agnum manſuetiſſimum ſine reſiſtentia ipſos ſequi. Conſpice nunc eum, quo modo ducitur ab illis nequiſſimis de torrente ſurſum Hieruſalem feſtinanter, & anxie, manibus poſt tergum ligatis, exchlamydatus tunica, ſupercinctus non curioſe, capite diſcoopertus, C & curvus ex fatigatione, & vehementi acceleratione incedens. Cum autem præſentatur principibus ſacerdotum Annæ & Caiphæ & aliis ſenioribus congregatis illi, quaſi leo capta præda exultant, ipſum examinant, falſos procurant teſtes, qui eum condemnant & expuunt in ejus ſacratiſſimam faciem, oculos velant, colaphizant, alapis cædunt, dicentes: Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit? & multis opprobriis eum vexant, & in omnibus ſe patienter habebat. Et hic in ſingulis eum conſpice, & compatere.

Matt. 26 Chriſtus capitur.

Tandem illi majores receſſerunt mittentes eum in quemdam carcerem ibi ſubtus ſolarium, qui adhuc videri poteſt, vel ejus veſtigium, & liga-

verunt

verunt eum ad quamdam columnam lapideam, cujus pars poſtea comminuta eſt, & adhuc apparet, ut habeo ex fratre noſtro, qui vidit. Dimiſerunt nihilominus aliquos armatos ad tutiorem cuſtodiam, qui eum per totam noctem reſiduam vexaverunt deriſionibus & maledictis vacantes. Intuere ergo qualiter audaces, & peſſimi conviciantur eidem, dicentes: Credebas tu melior, & ſapientior eſſe principibus noſtris? quæ ſtultitia erat tua? non debebas aperire os tuum contra eos: quo modo fuiſti auſus ſic facere? Sed nunc apparet ſapientia tua, ut ſtes modo ſicut tuis convenit paribus, & dignus proculdubio es morte, & tu eam habebis. Et ſic per totam noctem modo unus, & modo alius inſultabat verbis, & factis contra eum. Quanta credis dicunt, & faciunt hi mercenarii? opprobriis viliſſimis indiſcrete, & irreverenter ei inſultant. Intuere nunc Dominum verecunde, & patienter tacentem ad omnia tamquam in culpa deprehenſum, & vultu in terram demiſſo, & ſibi compatere vehementer. O Domine ad quorum manus veniſti? quanta eſt patientia tua? Vere iſta eſt hora tenebrarum.

Et ſic ſtetit rectus ad illam columnam ligatus uſque ad mane. Interim autem Joannes vadit ad Dominam, & ſocias in domum Magdalenæ congregatas, in qua cœnam fecerant, & narrat cuncta quæ Domino, & diſcipulis contigerunt. Tunc indicibilis planctus, ejulatus, & clamor factus eſt ibi. Intuere eas, & compatere, quia in afflictione permaxima, & dolore vehementiſſimo ſunt de dilecto Domino ſuo, quia bene vident, & credunt nunc ipſum Dominum moriturum. Tandem Domina ſecedit ad parietem, & in orationem ſe convertit, dicens: Pater reverendiſs. Pater piiſs. Pater miſericordiſſime, recommendo vobis filium meum dilectiſſimum. Non ſis ei crudelis,; quia cunctis es benignus Pater æterne, morietur ne filius meus Jeſus? nihil enim mali fecit. Sed Pater juſte ſi redemptionem vultis humani generis, per alium modum obſecro faciatis, omnia namque poſſibilia ſunt vobis. Rogo vos Pater ſanctiſſime, ſi placet vobis, non moriatur filius meus Jeſus, liberate ipſum de manibus peccatorum, & reddite ipſum mihi. Ipſe propter obedientiam veſtram, & reverentiam non ſe juvat. Dereliquit ſeipſum, & tamquam imbecillis, & impotens eſt inter iſtos. Unde vos illum Domine adjuvate. Hæc & his ſimilia orabat Domina cum affectu ſuo toto, & conatu, & cum magna amaritudine cordis ſui. *Compatere* nunc ei, quam ſic *cernis* afflictam.

CAPUT LXXVI.

Meditatio Paſſionis Chriſti hora prima.

Mane autem tempeſtive redierunt principes, & majores populi, & fecerunt eum ligari manus poſt tergum, dicentes: Veni nobiſcum latro, veni ad judicium, hodie complebuntur maleficia tua, modo tua ſapientia apparebit. Et ducebant eum ad Pilatum, & ipſe tamquam nocens ſequebatur eos, cum eſſet agnus innocentiſſimus. Cum autem mater ejus, *Joannes & ſociæ*, *nam* & ipſæ ſummo mane exierunt foras, ut venirent ad eum, occurrerunt ei in bivio, & videntes eum ſic vituperabiliter & ſic enormiter a tanta multitudine duci, quanto repleti ſunt dolore, dici non poſſet. In iſto autem mutuo conſpectu, fuit dolor vehementiſſimus utriuſque. Nam ipſe Dominus multum affligebatur ex compaſſione, quam habebat ad ſuos, & maxime erga matrem. Sciebat enim, quod propter ipſum dolebant uſque ad animæ a corpore avulſionem. Conſidera ergo & intuere diligenter per ſingula: ſunt enim permultum, immo permaxime compaſſiva.

Mater Maria cum aliis Chriſto occurrit.

Ducitur ergo ad Pilatum, & illæ mulieres a longe ſequuntur, quia appropinquare non poſſunt. Accuſatur tunc

Ad Pilatum & Herodem ducitur Dominus

Digitized by Google

Luc. 23 tunc ab illis in multis, & Pilatus ipſum miſit ad Herodem. Herodes vero cupiens videre de ſuis miraculis, gaviſus eſt, ſed nec miraculum ab illo habere potuit, neque verbum. Igitur ex hoc reputans eum ſtultum, fecit in deriſionem ipſum indui veſte alba, & remiſit eum Pilato. Et ſic vide qualiter non ſolum malefactor, ſed & ſtultus eſt omnibus illis reputatus, ipſe autem omnia patientiſſime tolerabat. Intuere etiam hic eum, dum ducitur, & reducitur, demiſſo vultu, & verecunde incedentem, & omnium clamores, convitia & ſubſannationes audientem, & forte lapidum percuſſiones, & immunditiarum aliarum fœtores ſuſcipientem. B Et etiam matrem, & ſuos intuere diſcipulos cum indicibili mœrore a longe ſtantes, & inde ipſum ſequentes, reducto autem eo ad Pilatum, illi canes cum audacia magna atque conſtantia proſequuntur ſuas accuſationes: ſed Pilatus cauſam mortis non inveniens in eum, ipſum dimittere nitebatur. Dixit ergo: Ipſum corripiam, & dimittam. O Pilate! tu Dominum tuum caſtigas? neſcis quid agis, quia nec mortem, nec flagella meretur, recte ageres, ſi te ad ſuum nutum corrigeres. Juſſit autem eum duriſſime flagellari.

Flagellatur Chriſtus. *Pſal. 44* Spoliatur ergo Dominus, & ad columnam ligatur, & diverſimode flagellatur. Stat nudus coram omnibus juvenis elegans, & verecundus, ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſuſcipit ſpurciſſimorum flagella dura, & doloroſa, caro illa innocentiſſima, & tenerrima, mundiſſima, & pulcherrima. Flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ, repletur livoribus, & fracturis. Fluit undique regius ſanguis de omnibus partibus corporis, ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam, quo uſque tam tortoribus, quam inſpectoribus fatigatis ſolvi jdbetur. Columna autem, ad quam ligatis fuerat, veſtigia cruoris oſtendit, ſicut in hiA ſtoriis continetur. Hic ergo eum diligenter conſidera per longam moram, & ſi hic non compateris, cor lapideum puta te habere. Tunc impletum eſt quod ait Iſaias Propheta: *Iſa. 53* Vidimus, inquit, eum, & non erat aſpectus, & reputavimus eum quaſi leproſum, & humiliatum a Deo. O Domine Jeſu! quis fuit tam audax, & tam temerarius, qui te ſpoliavit? Et qui illi audaciores, qui te ligaverunt? Sed qui illi audaciſſimi, qui te tam duriſſime flagellaverunt? Sed tu ſol juſtitiæ tuos radios ſubtraxiſti, & ideo factæ ſunt tenebræ, ac tenebrarum poteſtas. Omnes ſunt te potentiores. Amor tuus, & iniquitas noſtra ſic te imbecillem fecerunt. Maledicta ſit tanta iniquitas, pro qua ſic affligeris.

Soluto Domino a columna, ducunt eum ſic nudatum, ſic flagellatum, per domum ſcrutando pro pannis qui ſparſim in domo projecti fuerunt ab expoliatoribus. Intuere eum ſic bene afflictum, & trementem duriſſime. Erat enim frigus ſicut dicit Evangelium. *Joan. 18* Cum ſe vellet reveſtire, contendunt quidam impiiſſimi, dicentes Pilato: Domine: Hic ſe fecit regem. *Chriſtus coronatur ſpinea corona.* Veſtiamus eum, & honore regio coronemus. Et accipientes quamdam chlamydem ſericam rubeam, & turpem, veſtiverunt eum, & ſpinis coronaverunt. C Cerne ergo eum in ſingulis actibus & afflictionibus ſuis, quia omnia facit, & ſuſtinet quæ & ipſi volunt. Purpuram ſuſcipit, ſuper caput ſpineam coronam portat, arundinem manu tollit, & ipſis genuflectentibus, & ut regem ſalutantibus tacet, & patientiſſime obmuteſcit. Cerne nunc in amaritudine cordis, & maxime caput ipſius plenum ſpinis arundine ſæpe percutitur. Et vide depreſſo collo, cum dolore tam magno acerbos ictus tunc ſuſcipit. Perforabant namque caput ejus ſacratiſſimum acerbiſſimæ illæ ſpinæ, ac totum madere faciebant ſanguine. O miſeri! quo modo tremendum adhuc apparebit vobis illud caput regale, quod vos nunc percutitis? Illudebant

enim

enim ei tamquam regnare volenti, & non valenti. Omnia autem ſuſtinet, quia eorum ſævitia nimia erat, ſed nec illis ſuffecerat, quod ad majorem illuſionem totam cohortem congregaverant, ſed & coram ipſo Pilato, & toto populo adducunt eum foras publice ſic illuſum, & portantem ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum. Cerne nunc pro Deo quo modo etiam ſtat facie ad terram demiſſa, coram multitudine vociferante, & clamante: Crucifige eum, & inſuper eum deridente, & inſultante quaſi ſapientiores eo fuerint: & quo modo appareat, quod ipſe ſe inſipienter habuerit contra principes, & phariſæos, qui ſic eum aptari fecerunt, & ad talem finem perducunt. Et ſic non ſolum dolores, & pœnas, ſed etiam opprobria ſuſcipiebat ab eis.

CAPUT LXXVII.

Meditatio Paſſionis Chriſti hora tertia.

Chriſtus ad mortem damnatur. PEtit ergo tota multitudo Judæorum, ut crucifigatur, & ſic condemnatur a miſero judice Pilato. Non recordantur beneficiorum, & operum ejus, nec moventur propter innocentiam ejus, & quod crudele videtur, non retractantur propter afflictionem, quam ei prius intulerunt, ſed gaudent principes, & majores, quod intentionem pravam perfecerunt. Ridenr, & deridenr eum, qui eſt verus Deus, & æternus, & mortem accelerant. Reducitur intus, ſpoliatur purpura, & ſtat nudus coram eis, nec datur ei reveſtiendi licentia. Attende hic diligenter, & conſidera ſtaturam ejus in ſingulis partibus. Et ut intime compatiaris, & ſimul paſcaris, averte parumper oculos a divinitate, & eum parum hominem conſidera, & videbis juvenem elegantem nobiliſſimum, & innocentiſſimum, & amantiſſimum, totum autem flagellatum, & ſanguine, livoribuſque reſperſum, pannos ſuos undique projectos ſparſim de terra A colligere, & cum quadam verecundia, reverentia, & rubore ſe coram eis, quamvis irridentibus reveſtire; ac ſi foret omnium infimus, derelictus a Deo, & omni auxilio deſtitutus. Intuere etiam eum diligenter, & pietate ac compaſſione movearis: nam modo colligit unam, modo aliam, & coram illis ſe reveſtit. Redeas poſt ad divinitatem, & conſidera illam immenſam, æternam, & incomprehenſibilem, & imperatoriam majeſtatem incarnatam, ſe flectentem humiliter, ad terram reclinantem & pannos recolligentem, ſe cum reverentia, & rubore ſimiliter veſtientem ac ſi eſſet homo viliſſimus, B immo ſervus emptitius ſub iſtorum dominio conſtitutus, & ab eis pro aliquo exceſſu correctus & caſtigatus. Intuere etiam eum diligenter, & humilitatem ejus admirare, & eidem etiam conſiderationibus compatiens, intueri potes eumdem cum ad columnam ligatus, ſic enormiter flagellatur. Et eo reveſtito ducunt eum foras, ne mortem ulterius differant, & tunc venerabile lignum crucis longum, & groſſum, & multum grave ponunt ſuper humeros ejus, quod agnus manſuetiſſimus patienter ſuſcipit, & portat. Et ut dicitur in hiſtoriis, opus eſt, crucem Domini quindecim pedes habuiſſe in altum, C & tunc ducitur, & acceleratur, & opprobriis ſaturatur, ut ſupra in principio tactum fuit hora matutina. Ductus autem fuit foras cum ſociis ſuis, duobus utique latronibus. Ecce hæc eſt ſua ſocietas. O bone Jeſu! quantam verecundiam faciunt vobis iſti veſtri amici, latronibus vos aſſociant, ſed & deterius faciunt, qui crucem vobis portandam imponunt, quod de latronibus ipſis non legitur. Unde non ſolum, juxta Iſaiam, cum iniquis deputatus eſt, ſed iniquorum iniquior. Indicibilis eſt, Domine, patientia veſtra.

Chriſtus ducitur ad crucifigendum.

Iſa. 53.

Cerne igitur hic eum bene, quo modo vadit curvus ſubtus crucem, & vehementer anhelat. Compatere ergo ei quantum potes, in tot anguſtiis,

Digitized by Google

ſtiis, & ludibriorum renovationibus A poſito. Et quia vere mœſta mater ejus propter multitudinem gentium ei appropinquare non poterat, nec videre, ivit per aliam viam breviorem cum Joanne, & ſociabus ſuis, ut alios præcedens ei approximare valeret. Cum autem extra portam civitatis in concurſu viarum eum habuit obvium, cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, ſemimortua facta eſt præ anguſtia, nec verbum ei dicere potuit, nec Dominus ei, quia acceleratus erat ab eis, qui eum ducebant ad crucifigendum. Ulterius autem Dominus procedens parum poſt convertit ſe ad mulieres flentes, & dixit B eis: Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me; ſed ſuper voſipſas flete, &c. ſicut in Evangelio plenius continetur. Et in his duobus locis apparent veſtigia Eccleſiarum adhuc quæ ibi factæ ſunt in memoriam hominum, ut habui a fratre noſtro qui vidit. Qui etiam dicit: quod mons Calvariæ ubi fuit Chriſtus crucifixus, diſtabat a porta civitatis, quantum locus noſter a porta ſancti Germani. Unde nimis longa portatio crucis erat. Cum ergo ulterius proceſſiſſet, & ita eſſet fatigatus, & contractus, quod amodo portare non poſſet, crucem depoſuit. Illi autem peſſimi differre nolentes mortem ſuam, timen- C tes ne ſententiam ejus revocaret Pilatus, quia oſtendebat voluntatem dimittendi eum: coegerunt quemdam crucem portare, ipſum autem ſic exoneratum, ut latronem ligatum ad Calvariæ locum duxerunt. Nonne igitur hæc quæ in matutinali, & prima, & tertia hora paſſus eſt, videntur tibi ſine iſta crucifixione vehementiſſimi dolores eſſe, & amariſſimi, & horrores valde ſtupendi? Certe ſic puto, & ad compaſſionem facientia motiva, quinimmo valde inferentia paſſionem. Sic completa videntur, quæ de his tribus dicenda ſunt ad præſens. Videamus ergo nunc quæ contigerunt in crucifixione, & morte, ſcilicet hora ſexta, & nona: poſtea videbimus de his, quæ contigerunt poſt mortem, ſcilicet hora veſpertina & completorii.

Luc. 23

CAPUT LXXVIII.

Meditatio Paſſionis Chriſti hora ſexta.

Cum ergo Dominus Jeſus ductu impiorum ad Calvariæ locum fœtidum pervenit, conſpicere potes operarios malos undique nequiter operari. His autem toto mentis intuitu te præſentem exhibeas, & intuere diligenter cuncta, quæ ſunt contra Dominum tuum, & quæ dicuntur, & fiunt ab ipſo, atque per ipſum. Videas ergo oculis mentis alios figere crucem in terram, alios parare clavos & martellos, alios parare ſcalam, & alia inſtrumenta, alios ordinare quidquid facere debeant, & alios ipſum ſpoliare. Spoliatur etiam, & nudus eſt nunc tertia vice coram tota multitudine, renovantur fracturæ per pannos carni applicatos. Nunc primo mater conſpicit filium ſuum ſic captum, & aptatum dolore mortis affligi. Triſtatur etiam ſupra modum, & cum rubore, quod videt eum totaliter nudum: nam & ei nec femoralia dimiſerunt. Accelerat ergo, & approximat filio, amplexatur, & cingit eum capitis ſui velo. O in quanta amaritudine eſt nunc anima ſua, non credo, quod ei verbum dicere potuit: ſi amplius facere poſſet; utique voluiſſet, ſed amplius non potuit eum adjuvare. Eripitur enim filius ſuus de manibus ejus furibunde ad pedem crucis.

Hic modum crucis diligenter attendo. Ponuntur duæ ſcalæ, una retrorſum ad brachium dextrum, alia ad ſiniſtrum brachium, ſuper quas malefici aſcendunt cum clavis, & martellis. Ponitur etiam alia ſcala ex parte anteriori, attingens uſque ad locum ubi debebant pedes affigi. Conſpice nunc bene ſingula, compellitur Dominus Jeſus crucem aſcendere per hanc ſcalam parvam: ipſe autem ſine rebellione, & contradi-

Modus, quo Dominus crucifixus fuit.

ctione

ctione facit humiliter, quidquid voluntate. Cum ergo in ſuperiori parte iſtius parvæ ſcalæ pervenit ad crucem, renes vertit, & illa regalia aperit brachia, & extendens manus pulcherrimas, in excelſum eas porrigit ſuis crucifixoribus. Aſpicit in cœlum, patri dicens: Ecce hic ſum pater mi, uſque ad crucem me humiliari voluiſti, pro amore & ſalute generis humani: placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dediſti mihi, & fratres eſſe voluiſti. Accepta igitur & tu pater, & deinceps placabilis eſto mei amore, & omnium maculas veteres abſterge, & elonga ab eis, me pro eis tibi offero pater. Qui autem retro crucem eſt, accipit manum ejus dexteram, & eam fortiter cruci affigit. Quo facto, ille qui eſt in latere ſiniſtro accipit manum ſiniſtram, & trahit quantum poteſt, & extendit, & alium clavum immittit, percutit & configit. Deſcendunt poſt hæc de ſcalis, & removentur omnes ſcalæ. Pendet Dominus ex gravedine corporis deorſum trahentis, ſolum clavis infixis manibus ſuſtentatur. Nihilominus occurrit & alius, & per pedes quantum poteſt eum trahit, & eo ſic extento, alius configit ejus pedes clavo diriſſimo. Sunt tamen quidam qui credunt, quod non hoc modo fuerit crucifixus, ſed cruce extenta in terra, eum elevaverunt, & crucem fixerunt in terram. Quod ſi hoc magis placet, conſpice, quo modo ipſum capiunt deſpicabiliter ſicut ribaldum viliſſimum, & proſternunt ſuper crucem in terra furibunde, brachia ipſius accipientes, & poſt violentam extenſionem cruci duriſſime affigentes. Similiter & de pedibus factum intuere, quos traxerunt quantum violentiſſime potuerunt.

Pſalm. 21 Ecce crucifixus eſt Dominus Jeſus, & ſic in cruce extenſus, quod dinumerari omnia oſſa ejus poſſent, ſicut ipſe conqueritur per Prophetam: Fluunt undique ſacratiſſimi ſanguinis rivuli ex illis magnis ſciſſuris. Sicque anguſtatus eſt, quod ſe movere non poteſt niſi in capite. Illi tres clavi ſuſtinent totius corporis pondus, dolores acerbiſſimos tolerat, & ultra quam dici poſſit, vel cogitari, affligitur. Pendet inter duos latrones. Undique pœnæ, undique opprobria, undique convitia. Nam ſic coanguſtato a convitiis non parcunt. Alii blaſphemant, dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei. Alii vero: Seipſum non poteſt ſalvum facere, & alia dicunt multa convitia. Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce, ut credamus ei. Sed & milites qui crucifixerunt eum, diviſerunt ſibi veſtimenta ejus in ipſius præſentia.

Et hæc omnia dicuntur, & fiunt præſente matre ſua mœſtiſſima: cujus compaſſio multum augmentat filio paſſionem, & econtrario. Ipſa cum filio pendebat in cruce, & potius elegit mori cum ipſo, quam amplius vivere. Undique ſunt anguſtiæ, & tormenta ſentiri poterant, narrari vero nullatenus poterant. Stabat mater juxta crucem ejus, & inter crucem latronis, non avertebat oculos a filio, anguſtiabatur ut ipſe, & tot corde orabat ad patrem, dicens: Pater & Deus æterne placuit vobis, ut filius meus crucifigeretur: non eſt tempus ut a vobis repetam. Sed videtis in quanta anguſtia eſt nunc anima ſua: *rogo ut mitigetis ei pœnam*, ſi placet. Pater recommendo vobis filium meum. Et filius ſimiliter orat Patrem pro ea, & tacite intra ſe dicebat: Pater mi, vides quo modo affligitur mater mea. Ego debeo crucifigi, non ipſa, ſed mecum eſt in cruce. Sufficit crucifixio mea, qui totius populi porto peccata, ipſa nihil tale meretur. Vides eam deſolatam, tota die mœrore confectam. *Thren. 1*
Recommendo eam tibi: dolores ejus *Joan. 19*
tolerabiles facias. Erant autem juxta crucem cum Domina Joannes & Magdalena, & duæ ſorores Dominæ, ſc. Maria Jacobi, & Salome, & forte etiam aliæ, quæ omnes, & maxime Magdalena dilecta Jeſu diſcipula, vehementer flebant, nec de ſuo Domino dilecto, ac Magiſtro poterant conſo-

ſolari, compatiebantur Domino, & Dominæ, & ſibi ipſis. Sæpe renovabatur eis dolor, quia ſemper eis renovabatur compaſſio, cum in conviciis, vel in factis ſuo Domino nova paſſio addebatur.

CAPUT LXXIX.

Meditatio Paſſionis Domini hora nona.

Septem verba Chriſti in cruce.

DOminus autem in cruce pendens uſque ad exitum ſpiritus non fuit otioſus, ſed faciebat & ducebat utilia pro nobis. Unde dixit ſeptem verba, quæ ſcripta reperiuntur in Evangelio.

Primum fuit in ipſo crucifixionis actu cum oravit pro ſuis crucifixoribus dicens. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Quod verbum magnæ patientiæ, magnique amoris indicium præſtat, & etiam fuit indicibilis charitatis. *Luc. 23*

Secundum fuit ad matrem, cum dixit: Mulier ecce filius tuus, & ad Joannem: Ecce Mater tua. Non vocavit eam matrem, ne præ amoris vehementis teneritudine amplius ipſa doleret. *Joan. 19*

Tertium fuit ad latronem pœnitentem, cum dixit. Hodie mecum eris in Paradiſo. *Matth. 27*

Quartum fuit: Eli, Eli, lamaſabacthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? quaſi dicat: Pater tantum dilexiſti mundum, ut dum me pro ipſo tradidiſti, dereliquiſſe me videaris.

Quintum fuit cum dixit: Sitio. In quo verbo fuit magna compaſſio matris, & ſociorum ejus, & Joannis & illis peſſimis magna fuit lætitia. Nam licet exponi poſſet, quod ſitiebat animarum ſalutem: tamen in veritate ſitivit, quia ſanguinis effuſione erat totus exſiccatus intus, & etiam areſactus. Et cum illi maligni cogitare non poſſent, in quo ei plus nocerent: tamen vexandi novam materiam acceperunt. Unde dederunt ei bibere acetum *Joan. 19*

A mixtum cum felle. Maledictus eorum furor, quia pertinax, & quantum poterant, nocuerunt.

Sextum verbum fuit, Conſummatum, eſt, quaſi diceret: Pater, obedientiam quam mihi dediſti, perfecte complevi. Adhuc pater etiam quidquid vis mihi filio tuo præcipe: paratus ſum quidquid reſtat, ulterius adimplere. Ego enim in flagella paratus ſum. Sed totum quod de me ſcriptum eſt, conſummatum eſt: ſi tibi placet Pater, revoca me modo tibi. Et pater ad eum: Veni dilectiſſime fili mi, omnia bene feciſti, nolo quod amplius anxieris: veni quia in ſinu meo, & inter brachia mea te B ſuſcipiam. Et ex tunc languere cœpit more morientium, modo claudendo oculos, modo aperiendo, & caput inclinare, modo in unam partem, modo in aliam deficientibus omnibus viribus. *Ibidem.* *Pſalm. 37*

Tandem addidit ſeptimum verbum cum clamore valido, & lacrymis, Patri dicens. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens, Emiſit ſpiritum, & inclinato capite ſuper pectus verſus patrem, quaſi gratias agens, quod ipſum revocabat, tradidit ei ſpiritum ſuum. Ad hunc clamorem converſus fuit Centurio, qui ibi erat, & dixit. Vere filius Dei erat iſte, audiens, quod clamans expiraſſet. Nam alii homines C cum moriuntur, clamare non poſſunt, & ideo in eum credidit. Fuit autem ita magnus ille clamor, quod uſque in infernum fuit auditus. O qualis tunc erat anima matris, cum ſic pœnoſe videbat eum deficere, languere, lacrymari, & mori! Credo quod vel propter anguſtiarum multitudinem abſorpta erat, & quaſi inſenſibilis facta, vel ſemimortua facta eſt, nunc quidem multo magis quam cum obviavit ei crucem portanti. Quid nunc Magdalena fidelis, & dilecta diſcipula, quid Joannes præ omnibus dilectus, quid aliæ duæ ſorores Dominæ faciebant? Sed quid facere poterant repletæ amaritudine, completæ doloribus, inebriatæ abſynthio? irremidiabiliter omnes flebant *Luc. 23* *Matth. 27*

Digitized by Google

Ecce ergo pendet Dominus in cruce mortuus, redit tota multitudo, remanet mater mœſtiſſima cum illis quatuor, ponunt ſe ad ſedendum juxta crucem, contemplantur dilectum ſuum, expectant a Domino auxilium, quo modo ipſum retrahere, & ſepelire tunc valeant. At tu ſi contemplatus bene fueris Dominum tuum, conſiderare potes, quod a planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; non eſt in eo membrum, nec ſenſus corporis, qui ſummam afflictionem, ſeu paſſionem non ſenſerit. Habes ergo quæ de crucifixione, & morte, in ſexta, & nona hora contigerunt, quæ modicitati meæ, vel tuæ ruditati ſcribenda videntur ad præſens. Tu autem ſtudeas devote fideliter, & ſolicite, his omnibus inhærere. Nunc de his, quæ poſt mortem contigerunt dicamus.

CAPUT LXXX.

De Apertione lateris Chriſti.

De his, quæ poſt mortem contigerunt.

Commorantibus ergo & ſedentibus reverenda Domina noſtra Maria, atque Joanne, Magdalena & Sororibus matris Domini ab una parte prope Crucem, & aſpicientibus quaſi ſine intermiſſione, Dominum Jeſum pendentem ſic in Cruce inter latrones, ſic nudum, ſic afflictum, ſic mortuum, ſic & ab omnibus derelictum: ecce armati multi veniebant a civitate verſus eos, qui mittebantur, ut ipſis crucifixis, crura frangerent, occiderent eos, ac ſepelirent, ne corpora in cruce pendentia, in magno die Sabbati remanerent. Tunc Domina & omnes ſurgunt, & aſpiciunt, & vident eos, & neſciunt quid hoc eſſe poſſit, renovatur dolor, & timor, & tremor creſcit. Multum quidem Domina timet, & neſcit quid faciat, & vertens ſe ad filium mortuum dixit: Fili mi dilectiſſime quare redeunt iſti, quid facere amplius tibi volunt, A nonne te occiderunt. Fili mi, putabam eos ſatiatos eſſe de te: ſed ut video adhuc te mortuum perſequuntur. Fili mi, neſcio quid faciam, te defendere a morte non potui; ſed veniam, & ſtabo juxta crucem tuam ad pedes tuos. Fili mi, roga patrem tuum, ut eos tibi placabiles faciat: ego autem quod potero faciam. Et omnes tunc quinque flentes iverunt, & appoſuerunt ſe ante crucem Domini Jeſu. Appropinquant autem illi cum furore & ſtrepitu magno, & videntes latrones adhuc vivere, frangunt eis crura, & ipſos occidunt, & deponunt & in aliquam foſſam velociter illos projiciunt. Redeuntibus B autem ipſis verſus Dominum Jeſum, timens mater ne ſimiliter faciant cum filio ſuo, tacta dolore cordis intrinſecus, cogitavit ad arma ſua currere, ſcilicet ad humilitatem innatam. Et genibus poſitis, & brachiis cancellatis, vultu lacrymabili, & voce rauca, ſic eos alloquitur, dicens: Viri fratres, rogo vos propter Deum altiſſimum, ne amplius me vexare velitis in dilectiſſimo filio meo. Ego enim ſum mœſtiſſima mater ejus, & ſcitis fratres vos quod numquam offendi, nec injuriam aliquam vobis feci, & ſi filius meus viſus eſt vobis contrarius, ipſum peremiſtis, & ego vobis remittam omnem injuriam, C & offenſam, & mortem filii mei. Hanc tamen miſericordiam mecum facite, ne ipſum confringatis, ut ſaltem integrum valeam tradere ſepulturæ. Non expedit, ut ejus crura frangantur: videtis enim quod jam mortuus eſt, & migravit. Hora enim eſt poſtquam diſceſſit. Joannes vero, Magdalena, & Sorores matris Domini, ſtabant genuflexi cum ea, & amariſſime omnes flebant. O Domina, quid eſt quod agitis, ad pedes nefandiſſimorum ſtatis, ibi oratis inexorabiles, pietate creditis flectere crudeliſſimos, & impiiſſimos, & humiliare ſuperbos? Abominatio eſt ſuperbis humilitas, incaſſum laboratis. Unus autem Longinus nomine, tunc impius, & ſuperbus, ſed poſt converſus,

Digitized by Google

verſus, & martyr, & ſanctus, porrigens lanceam de longe, eorum preces, & rogamina contemnens, latus Domini Jeſu dextrum vulnere grandi aperuit, & exivit ſanguis, & aqua. Tunc mater ſemimortua cecidit inter brachia Magdalenæ. Joannes vero dolore urgente, aſſumpto vigore inſurgit contra illos, dicens: Viri iniquiſſimi, quare hanc impietatem facitis, nonne videtis quod mortuus eſt. Vultis etiam matrem ejus mœſtiſſimam occidere? Diſcedatis, quia nos eum ſepeliemus. Tunc illi ſicut Deo placuit, diſceſſerunt. Excitatur autem Domina, ſurgens quaſi evigilans, quærens quid ſit de dilecto filio ſuo. Reſpondent ei, nihil eſſe factum de eo. Poſtea ſuſpirat, & anxiatur, & reſpiciens filium ſuum vulneratum, dolore mortis atteritur. Vides quoties mortua eſt hodie? toties certe, quoties contra filium ſuum videbat fieri novitatem. Unde vere impletum eſt in ea, quod ſibi dixerat Simeon: Tuam, inquit, ipſius animam gladius pertranſibit. Sed nunc vere filii corpus, & matris animam, hujus lanceæ gladius perforavit. Ponunt autem omnes ſe iterum ad ſedendum juxta crucem, quid facere debeant neſcientes. Corpus enim deponere, & ſepelire non poſſunt, quia vires non habent ſufficientes, nec inſtrumenta, quibus deponere ipſum poſſint. Recedere autem, ſic eo remanente, non audent, & diu ſic remanere, nocte appropinquante, non valent. Vides in quanta perplexitate ſunt. O Deus benigne, quomodo permittis tuam ex omnibus electam, mundi ſpeculum & reclinatorium noſtrum, ſic tribulari? Tempus autem eſſet, ut aliquantulum reſpiraſſet.

Lateris apertio.

Luc. 2

CAPUT LXXXI.

Horæ Veſpertinæ Meditatio.

Depoſitio corporis Chriſti de cruce.

ITerum autem vident alios plures, per viam venientes, qui erant Joſeph ab Arimathia, & Nicodemus A adducentes ſecum alios, portantes inſtrumenta, quibus corpus deponant de cruce, & portabant quaſi centum libras myrrhæ, & aloes, & veniebant ad ſepeliendum Dominum. Tunc ſurgunt omnes cum timore magno. O Deus quanta eſt iſta afflictio hodie! Circa conſpiciens autem Joannes dixit: Ego cognoſco ibi Joſeph, & Nicodemum. Tunc Domina, reſumptis viribus, dicit: Benedictus Deus noſter, qui mittit nobis auxilium, memor fuit noſtri, & non dereliquit nos. Fili occurras eis. Vadit ergo Joannes ejus obvius velociter, & attingentes ſe, adinvicem amplexantur cum fletu magno, non valentes per magnam B horam adinvicem ſibi loqui, ex compaſſionis teneritudine, & abundantia fletus & doloris, poſtea veniunt adverſus crucem. Quærit Joſeph, qui ſint ibi cum Domina, & quid ſit de aliis diſcipulis. Dicit illi Joannes iſtas, quæ ibi ſunt. De diſcipulis autem reſpondet ſe neſcire, quia nullus ibi fuit hodie. Quærit etiam de his, quæ circa Dominum facta ſunt, & narrat ei Joan. per ſingula. Cum autem fuerunt prope locum, genuflectentes, & flentes adoraverunt Dominum. Applicantes autem recepti fuerunt reverenter per Dominam, & alias ſocias, genibus flexis, inclinantes uſque ad terram. Similiter ipſi genuflectentes C cum ploratu magno, ſic fleterunt per longam horam. Tandem Domina dici: Benefacitis habentes memoriam Magiſtri veſtri, quia multum vos dilexit: & fateor, quod in adventu veſtro viſum eſt mihi novam oriri lucem. Neſciebamus enim quid facere deberemus: Dominus vobis retribuat. Et illi: Dolemus ex toto corde noſtro de his omnibus, quæ contra eum facta ſunt. Prævaluerunt enim impii contra juſtum, libenter eum eripuiſſemus de tanta injuſtitia, ſi potuiſſemus. Saltem hoc modicum obſequium Domino & Magiſtro noſtro præſtabimus. Surgentes ergo, paraverunt ſe ad deponendum corpus Jeſu.

Tu autem, ut aliis locis dixi tibi, diligenter & moroſe modum depoſitio-

Modus, depoſitionis Chriſti a Cruce.

tionis attende. Ponuntur duæ ſcalæ a lateribus crucis oppoſitæ, Joſeph aſcendit ſuper ſcalam lateris dextri, ſatagit extrahere clavum ipſius manus. Sed difficile eſt hoc: quia clavus groſſus & longus, eſt in ligno valde confixus, & ſine magna ſuppreſſione manus Domini, non videtur poſſe fieri. Sed non eſt vis, quia fideliter facit, & Dominus totum acceptat. Evulſo illo Joannes annuit Joſeph, dictum clavum ſibi porrigi, ne ipſum Domina videat. Deinde Nicodemus alium extraxit manus ſiniſtræ, & clavum ſimiliter dat Joanni. Deſcendit Nicodemus, & ivit ad clavum pedis. Joſeph vero ſuſtentabat corpus Domini, felix quippe ipſe Joſeph, qui corpus Domini meruit ſic amplexari. Tunc pendentem manum dexteram Domina ſuſcepit reverenter, & ponit ad vultum ſuum. Intuetur, & oſculatur cum lacrymis validis & ſuſpiriis doloroſis. Evulſo autem clavo pedum, pauliſper deſcendit Joſeph, & omnes accipiunt corpus Domini, & ponunt in terram. Domina ſuſcipit caput cum ſcapulis in gremio ſuo: Magdalena vero pedes, apud quos tantam gratiam olim invenerat. Alii circumſtant, omnes faciunt planctum magnum ſuper eum, omnes enim plangunt eum, quaſi unigenitum amariſſime.

CAPUT LXXXII.

Hora Completorii.

POſt aliquam morulam, cum nox appropinquaſſet, rogat Joſeph Dominam, ut permittat eum volvi linteaminibus, & ſepeliri. Ipſa contendebat, dicens: Nolite amici mei, tam cito filium meum accipere, vel me cum ipſo ſepelire. Flebat autem lacrymis irremediabilibus, aſpiciebat vulnera manuum & lateris, modo unum, modo aliud, aſpiciebat vultum ejus, & caput, & videbat ſpinarum puncturas, depilationem barbæ, faciem & ſputis & ſanguine de-

A turpatam, & caput tonſum, & de fletu & aſpectu non poterat ſatiari. Legitur autem in quadam ſcriptura, quod Dominus devotæ ſuæ revelavit, quod ipſe tonſus fuit capillis, & depilatus barba, ſed Evangeliſtæ non ſcripſerunt omnia. Et quidem quod ipſe fuit tonſatus, vel ſicut eſt, neſcio probare per ſcripturam, ſed de depilatione barbæ poteſt probari. Dicit enim Iſaias in perſona Domini: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Unde ipſa mater, hæc fideliter aſpiciebat, moroſe videre volebat. Tardante autem hora dicit Joannes: *Domina condeſcendamus Joſeph & Nicodemo*, & B permittamus aptari, & ſepeliri corpus Domini noſtri: quia propter nimiam moram poſſent pati calumniam a Judæis. Ad hanc vocem tamquam grata & diſcreta, cogitans quod ipſi Joanni commiſſa eſt per filium, noluit amplius contendere, & benedicens eum, permiſit aptari, & involvi. Tunc Joannes, & Nicodemus, & alii cœperunt involvere corpus, & aptare cum linteaminibus, ut mos erat Judæis. Domina tamen ſemper tenebat caput ipſius in gremio ſuo, quod ſibi reſervavit aptandum, & Magdalena pedes. Cum ergo venerunt ad crura prope pedes, dicit Magdalena: Rogo vos, ut permittatis me C aptare pedes, apud quos ſum miſericordiam conſecuta. Quibus permittentibus, illa pedes ipſos tenebat. Videbatur deficere præ dolore, & quos alias lacrymis compunctionis rigavit, nunc multo magis undis lacrymarum doloris, & compaſſionis, largiter lavit. Aſpiciebat pedes ſic vulneratos, perforatos, deſiccatos, & ſanguinatos, amariſſime multum flebat. Nam ut veritas de ipſa perhibuit teſtimonium, dilexit multum, & ideo flevit multum, & maxime in hoc ultimo obſequio magiſtri, & Domini ſui, ſic afflicti, ſic flagellati, ſic vulnerati, ſic mortui, & in nihilum ſic redacti. Vix cor ſibi in corpore ſtare poterat præ dolore: ſed bene cogitari poteſt, quod ſi poſſet, liben-

Iſa. 50

Luc. 7

libenter ad pedes Domini ſui expiraſſet. Non videbat remedium doloris, nec conſueverat ei in talibus obſequi. Nonum & ultimum eſt hoc obſequium, quod ei nunc præſtat, & in hoc præſtando amaricatur anima ſua, quia non poteſt illud facere, ut vellet intime, & deceret. Vellet enim totum corpus lavare, ungere, & bene aptare; ſed non eſt tempus & locus. Non enim poterat plus, non poterat aliud: facit quod poteſt. Saltem pedes lavit cum lacrymis, tandem devote abſtergit, amplexatur, deoſculatur, involvit, & aptat fideliter quantum melius novit & poteſt. Sic ergo aptato corpore, reſpiciunt ad Dominam, ut ipſa compleat, & omnes planctum recipiunt. Tunc ipſa videns quod amplius differre non poteſt, ponit vultum ſuper faciem dulciſſimi filii ſui, & dicit: Fili mi in gremio meo te mortuum teneo, durum eſt valde divortium mortis tuæ, jucunda & delectabilis fuit inter nos converſatio, & ſine querela, & offenſa fuimus inter alios, quamvis tu dulciſſime fili mi, ut nocens ſis modo occiſus. Fideliter fili mi ſervivi tibi, & tu mihi, ſed in hac pugna tua doloroſa, nec pater tibi auxiliari voluit, nec ego potui. Tu teipſum dereliquiſti propter amorem generis humani, quod redimere voluiſti. Dura, & nimis pœnoſa eſt iſta redemptio, de qua gaudeo propter ſalutem hominum. Sed in tuis doloribus, & morte tua multum affligor vehementer: quia ſcio quod numquam peccaſti, & ſine cauſa tam amare occiſus es morte tam turpiſſima. Modo ergo fili mi disjuncta eſt noſtra ſocietas, & me a te nunc oportet ſeparari. Sepeliam ergo te ego mater tua mœſtiſſima, ſed poſtea quo ibo? Ubi etiam morabor fili mi? Quo modo ſine te vivere poſſim? Tecum ergo libentius ſepelirer, ut ubicumque eſſes, ego ſimiliter eſſem tecum. Sed ex quo non poſſum corpore, ſepeliar tamen mente, animam meam in tumulo ſepeliam cum corpore tuo,

A eam tibi dimitto, eam tibi commendo. O fili mi, quam anxia eſt ſeparatio iſta. Et iterum ex abundantia lacrymarum, multo melius lavit faciem filii, quam Magdalena pedes. Abſtergit autem faciem ejus, & deoſculans os & oculos ejus, in quodam ſudario caput ipſum involvit, & diligenter aptavit. Tandem iterum benedixit eum. Et tunc omnes adorantes eum flexis genibus, & pedes ejus deoſculantes, accipiunt, & portant ad monumentum. Domina tenebat caput & ſcapulas, Magdalena pedes, reliqui vero ſtabant in medio. Erat prope locum crucifixionis ſepulcrum, quantum eſt longitudo Ecclesiæ noſtræ vel circa, in quo ſepelierunt eum reverenter flexis genibus, & cum fletibus magnis, & ſingultibus, & ſuſpiriis crebris & multis. Quo ſepulto, Mater iterum benedixit, amplexatur eum, & ſtat ſuper dilecto filio ſuo; ſed elevantes eam, poſuerunt magnum lapidem ad oſtium monumenti. De hoc monumento dicit Beda: quod fuit domus rotunda, de ſubjacente rupe exciſa, tantæ altitudinis, ut vix homo manu extenta culmen poſſet attingere, introitum habens ab oriente, in parte vero Aquilonari locus Dominici corporis, de eadem petra factus eſt, ſeptem pedes habens longitudinis. *Forma ſepulcri.*

B

C

CAPUT LXXXIII.

Meditatio poſt Completorium.

VOlens autem Joſeph redire in civitatem poſt officium ſic completum, dicit Dominæ: Domina mea ego vos deprecor propter Deum, & propter amorem filii veſtri & magiſtri mei, ſi placet, ut divertatis in domum meam; ſcio enim, quod domum propriam non habetis, utamini mea ut veſtra, quia omnia mea veſtra ſunt; ſimiliter & Nicodemus. O qualis compaſſio. Regina cœli non habet, ubi caput ſuum reclinet,

& hos dies lugubres, & viduitatis ſuæ ſub alieno tecto ducere oportebit. Vere dies viduitatis ſunt iſti, quia Dominus Jeſus erat ei filius & ſponſus, pater & mater, & omne bonum, & omnia ſimul, eo mortuo perdidit. Vere vidua eſt & derelicta, & quo divertat, non habet. Tunc ipſa ſe inclinans humiliter, & gratias agens, reſpondit ſe eſſe commiſſam Joanni. Quibus Joannes adhuc eam rogantibus, reſpondit, quod volebat eam ducere in montem Sion, in domum, in qua magiſter cœnavit heri ſero cum diſcipulis, & ibidem ſtare cum ea volebat. Illi vero inclinantes ſe Dominæ, & adorantes ſepulchrum abierunt, & iſti ut Evangelium dicit, remanſerunt ſedentes contra ſepulchrum. *Mat. 27* Appropinquante autem nocte, dicit Joannes Dominæ, non eſt honeſtum hic nimis morari, vel de nocte in civitatem redire: & ideo ſi vobis placet Domina, recedamus. Tunc Domina ſurgens & genuflectens ſepulcrum amplexatur, benedicenſque ſepulcrum dicit. Fili mi non poſſum amplius ſtare tecum, ego recommendo te patri tuo. Sublevatis etiam oculis in cœlum, dicit cum lacrymis & affectu magno: Pater æterne, recommendo vobis filium, & meam animam, quam dimitto. Et recedere tunc cœperunt. Cum autem venerunt ad crucem, ibi genuflexit ipſa & adoravit crucem, dicens: Hic requievit filius meus, & hic eſt pretioſiſſimus ſanguis ejus. Similiter & omnes fecerunt. Cogitare namque potes, quod ipſa prima fuit, quæ crucem adoravit. Exinde recedunt verſus civitatem, & per viam ſæpe vertebat retroſpiciens. Cum autem fuerunt in loco, ultra quem ſepulcrum & crucem amplius videre non potuerunt vertit ſe, inclinavit, genuflexit, & devotiſſime adoravit ſimiliter & omnes fecerunt. Appropinquantes ad civitatem, ſorores Dominæ velaverunt eam tamquam viduam cooperientes quaſi totum vultum ſuum, & præcedebant, Domina autem inter Joannem & Magdalenam ſequebatur mœſtiſſime ſic velata. Tunc Magdalena volens in ingreſſu civitatis ſumere viam, quæ ducit ad domum ſuam, & illuc eos ducere, prævidit ſibi ante, & dicit: Domina mea precor vos amore magiſtri mei, ut eamus ad domum noſtram, & ibi melius ſtabimus, ſcitis enim quo modo libenter veniebat ad eam, ipſa veſtra eſt, & omnia mea veſtra ſunt, rogo ut veniatis. Et hic plangere inceperunt. Domina autem tacente, & annuente verſus Joannem, adhuc illa rogat Joannem. Ipſe vero reſpondit: Decentius eſt, ut eamus uſque ad montem *Sion* & maxime, quia ſic reſpondeamus amicis noſtris tu potius venias cum ea. Tunc Magdalena reſpondit: Bene ſcis, quod veniam cum ea quocumque ierit, & numquam dimittam eam. Intrantibus autem illis civitatem concurrunt undique virgines & matronæ bonæ, cum perpendere eam potuerunt aſſociant eam per viam conſolando, ſed magnus utrique ſit ploratus. Sed & boni homines compatiebantur eidem, per quos tranſibant, & movebantur ad fletum, dicentes: Certe magna iniuſtitia eſt facta hodie per principes noſtros contra filium iſtius *Dominæ, & Deus pro eo magna ſi*gna oſtendit, caveant quid fecerint. Cum autem venerant ad domum, tunc ipſa ſe vertens verſus Dominas, & gratias agens devotiſſime inclinavit. Ipſæ vero inclinantes ſe, & genuflectentes, omnes cœperunt facere planctum magnum. Intravit ergo Domina domum, & Magdalena, & ſorores ſuæ. Joannes vero ponens ſe ſuper oſtio, rogavit omnes, ut redirent ad domos ſuas, quia tarda hora erat, & gratias agens eis, oſtium ille clauſit. Tunc Domina domum circumſpiciens ſic dicebat: Fili mi dulciſſime ubi es, quia hic te non video? O Joannes, ubi eſt filius meus? O Magdalena, ubi eſt pater tuus, qui te ſic tenerrime diligebat? O dilectæ ſorores, ubi eſt filius noſter *Lamentum Virginis.*

ſter? Receſſit a nobis gaudium noſtrum, dulcedo noſtra, & lumen oculorum noſtrorum, receſſit autem cum magna anguſtia, vos audiſtis. Et hoc eſt, quod mihi magis auget dolorem, quia receſſit totus laceratus, totus anxius, & ſitibundus, coactus, oppreſſus, & violentus, nec ei potuimus in aliquo ſubvenire, omnes reliquerunt eum, & pater ejus omnipotens Deus noluit eum juvare: & quam cito facta ſunt iſta, vos vidiſtis. Cujus umquam vel ſceleratiſſimi hominis fuit ſic accelerata, & fulminata damnatio? O fili, hac nocte captus fuiſti, perfide traditus: mane in tertia condemnatus, & in ſexta crucifixus, & ita mortuus es. O fili, quam amare eſt ſeparatio tua, & memoria turpiſſimæ mortis tuæ. Tandem Joannes rogans ut deſiſteret, conſolatus eſt eam. Tu autem ſi vires tuas experiaris, ſcies utique eis parere, ſervire, conſolari, & confortare eam, quod parumper comedat, & alios ad comedendum confortat, quia adhuc jejuni ſunt: poſtea benedictione a Domina & ſingulis aliis ſuſcepta, diſcedas.

CAPUT LXXXIV.

Meditatio de Domina, & Sociabus de Sabbato.

Mane autem ſabbati, ſtant in domo januis clauſis, Dominæ & aliæ ſociæ una cum Joanne afflictæ & doloroſæ tamquam orphanæ & plene mœrore, non loquentes, ſed memorantes ſedebant ſimul, aſpicientes ſe mutuo raptim, ſicut contingere conſuevit, magna preſſura & calamitate gravatis. Pulſatum autem fuit ad oſtium, & timebant, quia omnia timuerunt; ſecuritas enim eorum diſceſſerat. Tamen Joannes ibat ad oſtium & aſpiciens cognovit Petrum & dixit: Petrus eſt. Et Domina: Aperias ei. Ingreditur igitur Petrus verecunde, cum ſingultibus magnis, & fletibus, & tunc omnes plorare cœperunt, nec verbum loqui poterant præ mœrore. Poſtea veniunt ſucceſſim & alii diſcipuli etiam plorantes. Tandem ceſſantes a fletu, incipiunt de Domino ſuo loqui. Dicit ergo Petrus: Ego verecundor in meipſo, nec deberem in conſpectu veſtro loqui, vel hominibus apparere, quia Dominum meum, qui me tantum diligebat, ſic reliqui & negavi. Similiter & alii cum percuſſione palmarum, lacrymarumque effuſione ſeipſos redarguebant: quia Dominum ſuum dulciſſimum ſic reliquerant. Tunc dicit Domina: Magiſter bonus & paſtor fidelis receſſit a nobis, & nos remanemus velut orphani: ſed ſpero firmiter, B quod cito rehabebimus ipſum & vos ſcitis, quia benignus eſt filius meus, & vos multum diligebat. Non dubitetis, quia bene reconciliabitur, & libenter remittet omnem offenſam, ſive culpam. Tantus autem fuit, permiſſione patris, furor contra eum, & ita prævaluit malorum audacia, quod non potuiſſetis eum juvare, etiam exiſtentes cum eo: & ideo nolite turbari. Reſpondit Petrus: Vere Domina mea, ita eſt, ut dicis, nam & ego qui tantum initia vidi tanto fui timore percuſſus in atrio Caiphæ, quod vix credebam me poſſe evadere, & eum negavi. Nec fui memor verborum, quibus hoc C prædixerat mihi, quouſque me reſpexerat. Tunc Magdalena quærit quid ei prædixerat, & reſpondit de negatione, & narrat ei totum, & addidit, quod eis alia plura dixit in cœna de paſſione ſua. Tunc dicit Domina: Vellem audire de his quæ dicta & facta fuerunt in cœna per eum. Et Petrus annuit Joanni, ut ipſe referat. Joannes vero incipit & narrat totum, & ſic tam de his quam aliis, quæ fecerat Dominus Jeſus cum eis, narrant adinvicem, modo unus modo alius, ſicque totam diem de ipſo ſermonizando percurrunt. O quam attente auſcultabat Magdalena, ſed multum attentius ipſa Domina! O quoties in ipſa die dicebat in narratione geſtorum: Benedi-

ctus ſit filius meus Jeſus. Intuere ergo eos diligenter, & compatere, quia ſunt in afflictione magna, immo permaxima hodie conſtituti. Quid enim eſt videre, quod Domina cœli & terræ, & Princeps Eccleſiarum, & omnium populorum, & duces totius divini exercitus, ſic timoroſi ſtant recluſi in domuncula quadam, neſcientes, quid facere debeant, niſi quod ſe confortant, conferentes de factis, & verbis dulciſſimi Domini ſui. Domina tamen ſtabat mente tranquilla & pacata, quia certiſſimam ſpem habebat de reſurrectione filii ſui, & in ea ſola remanſit fides in ipſa die Sabbati: & propterea dies Sabbati attribuitur ei. Non tamen poterat ipſa Domina gaudenter ſtare, propter mortem filii ſui dulciſſimi Jeſu Chriſti. Sero autem facto, poſt ſolis occaſum, cum licuit operari, Maria Magdalenæ &, altera Maria iverunt emere aromata pro faciendis unguentis. Sero etiam præcedenti cum redierant a ſupultura Domini, cœperunt parare uſque ad ſolis occaſum, poſtea ſiluerunt. Nam Sabbatum obſervare oportebat a ſolis occaſu die Veneris, uſque ad alium occaſum. Nunc ergo vadunt emere aromata. Intuere tu illas diligenter, incedentes mœſtis vultibus, more viduarum, & ſe applicantes ad aliquam apothecam alicujus forte devoti Domini, eis compatientis, & libenter ſatisfacientis voluntati earum. Ipſæ vero poſtulant aromata, & eligunt quantum poſſunt meliora, & pretio ſoluto redeunt, parantes ſe ad facienda unguenta Domino ſuo. Conſpice ergo diligenter, quo modo humiliter, devote & fideliter laborant pro Domino ſuo, cum lacrymis magis & ſuſpiriis intimis. Domina vero & Apoſtoli aſpiciunt, & forte adiuvant, quibus facti, nocte ſiluerunt. Et hæc quidem eſt meditatio die Sabbati de Domina, Sociabus, & Diſcipulis.

Quare dies Sabbati attribuitur B. Virgini

Obſervatio Sabbati.

A

SABBATO DIE.

CAPUT LXXXV.

Meditatio de Domino Jeſu, die Sabbati deſcendenti ad infernum.

Venit etiam hoc in conſiderationem nunc: quid ſcilicet fecerit Dominus ipſa die Sabbati. Statim cum mortuus fuerat, deſcēdit ad inferos ad ſanctos Patres, & ſtabat cum eis. Et tunc fuerunt in gloria: nam viſio Domini, gloria eſt perfecta. Conſidera hic ergo & attende quanta B fuerit ejus benignitas, in infernum deſcendere, quanta charitas, quantaque humilitas. Poterat enim unum Angelum ad eos mittere, & omnes ſervos ſuos liberare, & ſibi præſentari ubi voluit: ſed hoc non ſuſtinuiſſet amor ſuus infinitus, & humilitas ſua. Per ſemetipſum ergo deſcendit, & non ut ſervos, ſed & ut amicos viſitaret Dominus omnium, & ſtetit cum eis ibidem uſque ad diem Dominicam, prope auroram. Cogita bene de his, & admirare, & imitari coneris Jubilaverunt autem ſancti patres in ſuo adventu, & repleti ſunt jucunditate immenſa, omni diſplicentia procul expulſa, & C ſtabant in laudibus & canticis coram eo, quas laudes potes hoc modo meditari: Imaginando eos ac ſi eſſent cum corporibus ſuis ſicut poſt reſurrectionem erunt: ſimiliter & animam illam benigniſſimam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cum ergo præſenſerunt ejus ſaluberrimum adventum, occurrerunt ei gaudenter, ſeipſos exhortantes, atque dicentes: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & cetera. Levate capita veſtra, quia ecce venit redemptio veſtra. Conſurge conſurge Heruſalem, ſolve vincula colli tui, ecce Salvator venit ſolvere nos a vinculis. Tollite portas Principes veſtras & elevamini portæ æternales, & introibit

Digitized by Google

bit Rex gloriæ. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, amantiſſime Deus noſter. Et procidentes adoraverunt eum, cum gaudio & lætitia magna. Ipſos autem conſidera, quia cum reverentia, & ingenti exultatione, & vultibus jucundis ſtant ei, & dicunt prædicta coram eo, & in hujuſmodi laudibus, & canticis, & jubilationibus ſteterunt in limbo, uſque prope auroram diei Dominici. In conſpectu etiam multitudinis Angelorum ibidem exiſtentium, & cum eis jubilantium. Tunc accepit eos Dominus educens ab inferis in exultatione, & ante eos glorioſe procedens, poſuit ipſos in paradiſo deliciarum. Aliqua vero morula facta, cum eis jucunde, & cum Elia, & Enoch eum recognoſcentibus, dixit eis: Tempus eſt, ut excitem corpus meum, vadam, & reaſſumam illud. Qui omnes procidentes, dixerunt: Ite Domine Rex gloriæ & cito redite, ſi placet: quia glorioſiſſimum corpus veſtrum videre plurimum affectamus.

Habes ergo, quæ circa Dominum Jeſum, & Matrem ejus, & diſcipulos, & ſanctos Patres meditari poſſis in die Sabbati, ante reſurrectionem. Verum quia totam paſſionem Domini tibi ſine auctoritatum interpoſitione tranſcurri, ne animus ad aliud quam ad ipſam paſſionem ſe converteret, cogitavi vel nunc auctoritates aliquas tibi referre, ut earum lectio mentem excitet ad ipſa ferventius & devotius meditanda. Accipe ergo Bernardum more ſolito, in quibuſdam ſententiis, ſic dicentem: Jeſu Chriſto debes totam vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro vita tua, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuo ſuſtineres. Si enim conferrentur in me omnes dies filiorum Adæ, & omnes dies ſæculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, & qui ſunt, & qui erunt nihil eſſet ad comparationem illius corporis, quod ſpectabile, & ſtupendum eſt, virtutibus etiam ſupernis, in conceptu de Spiritu ſancto, in ortu de virgine, in vitæ in-

A nocentia, in doctrinæ affluentia, in coruſcatione miraculorum, in revelationibus Sacramentorum. Sicut igitur exaltantur cœli a terra, ita, exaltata eſt vita ſua a vita noſtra, quæ tamen poſita eſt. Et ſicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita vita noſtra nullam habet ad vitam illius proportionem: cum illa dignior, iſta miſerior eſſe non poſſit. Cum ergo devovero quidquid poſſum, non eſt ſicuti ſtella ad ſolem, gutta ad flumen, lapis ad montem, granum ad acervum. Idem: Non ſimplex, aut modica Chriſti exinanitio fuit, ſed ſeipſum exinanivit uſque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis digne *Ber. ſer. 11 ſup. Cant. poſt med.*

B penſet, quantæ fuerit humilitatis, manſuetudinis, dignationis, Deum majeſtatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis: Non valuit opus ſuum reparare Creator abſque iſta difficultate. Valuit, ſed maluit cum injuria ſui: ne peſſimum atque odioſiſſimum vitium, ingratitudinis occaſionem, ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis aſſumpſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoveretque ad gratiarum actiones difficultas redemptionis, quem minus devotum eſſe fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus, & ingratus. Gratis quidem conditus ſum, ſed nullo condi-

C toris gravamine, vel labore. Siquidem dixit, & factus ſum, quemadmodum & univerſa. *Et infra:* Sed obſtructum eſt os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo, o homo, pro te diſpendium fecit. De Domino ſervus, de divite pauper, caro de verbo, & de Dei filio, hominis fieri filius non deſpexit. Memento jam te, & ſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At vero per totos triginta annos, operatus eſt ſalutem noſtram in medio terræ. O quantum laboravit ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes. Nonne ſibi crucis aggravavit ignominiam, mortis ſibi accumulavit hor- *Pſal. 148* *Pſal. 62*

Idem ſer. 20 ſup. Cant. ante med. rorem. Idem: Super omnia reddit amabilem te mihi, Jeſu bone, calix quem bibiſti opus noſtræ redemptionis. Hoc omnino amorem noſtrum facile vendicat totum ſibi. Hoc, inquam, eſt, quod noſtram devotionem, & blandius allicit, & juſtius exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. *Pſal. 32.* Illa denique, dixit & facta ſunt, mandavit, & creata ſunt. At vero hoc, & in dictis ſuis ſuſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. *Idem ſer. 22 ſup. Cant. ante med.* Idem: Ad cumulum pietatis tradidit Chriſtus in mortem animam ſuam, & de proprio latere protulit pretium ſatisfactionis, quo placaret patrem. Per quod plane ad ſe verſiculum illum traxit: *Pſal. 129.* Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Prorſus copioſa, quia non gutta, ſed unda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit. Quid tibi debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcum, ſolvit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non poſt illum libenter, alacriterque currat, qui & ab errore liberat, & errata diſſimulat, qui deinde vivendo merita tradit, præmia moriendo conquirit? Quam excuſationem habet, qui in odore horum unguentorum non currit, niſi ad quem forte minime odor pervenit. Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ. *Pſal. 32.* Quoniam miſericordia Domini plena eſt terra, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Ergo qui vitalem hanc ſparſam ubique fragrantiam non ſentit, & ob hoc non currit, aut mortuus eſt, aut putidus. *Idem ſer. 25 ſuper Cant. poſt med.* Idem: Non erubeſcit ſponſa nigredinem, quam novit præceſſiſſe in ſponſo, cui ſimilari quantæ etiam gloriæ eſt? Nil ergo proinde glorioſius eſt, quam Chriſti portare opprobrium. Unde vox illa prorſus exultationis & ſalutis: *Gal. 6.* Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Grata igno-

A minia crucis ei, qui crucifixo ingratus non eſt. Nigredo eſt, ſed forma & ſimilitudo Domini. Vade ad ſanctum Iſaiam, & deſcribet tibi qualem illum in ſpiritu viderat. *Iſa. 53.* Quem namque alium dixit virum doloris & ſcientem infirmitatem, & quia non erat ei ſpecies neque decor? Et addidit: Nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum a Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & livore ejus ſanati ſumus. *Et infra:* Denique ſeipſum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere ſane pannis ſordidum, plagis lividum, illitum

B ſputis, pallidum morte. Idem: Quid enim magis deforme, & nigrum oculis ſpectantium occurrebat: quam cum expanſis in cruce manibus medius duorum nequam, riſum malignantibus daret, fletum fidelibus, & ſolus erat viſui, qui ſolus poterat eſſe terrori, ſolus honori eſſe debuerat. *Idem ſer. 28 ſuper Cant. ante med.* Idem: Petra refugium herinaciis, & ubi tuta, firmaque infirmis requies, niſi in vulneribus Salvatoris? *Idem ſer. 61 ſuper Cant. ante med.* Tanto illuc ſecurior habito, quanto ille potentior eſt ad ſalvandum; fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado. Fundatus enim ſum ſupra firmam petram, peccavi peccatum grande, turbabitur conſcientia, ſed non perturbabitur, quo-

C niam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? *Et infra:* Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, ferrum pertranſiit animam ejus, & appropinquavit cordi, ut non jam neſciat compati infirmitatibus noſtris. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet illud magnum Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. Quid ni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuavis & mitis es & multæ mi-

miſericordiæ? Majorem enim miſerationem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro addictis morti & damnatis.

At etiam alibi Bernardus: Meditare paſſionem crucifixi corporis, & vide ſi aliquid eſt in eo, quod non peroret ad Patrem. Pro te divinum illud caput, multiplici ſpinarum denſitate denſatum, uſque ad cerebri teneritudinem confixum eſt, dum configitur ſpina. Spinis peccatorum ſuorum, ait Dominus per Prophetam, circumdedit me populus iſte. Ne doleret caput tuum, ne tua vulneretur intentio, caligaverunt in mortem oculi ſui, & illa luminaria, quæ illuminant orbem, ad horam B extincta ſunt. Nonne illis obtenebrantibus, tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram, & illa duo magna luminaria, cum aliis luminaribus ſubmota ſunt? Hoc autem totum factum eſt, ut avertant oculi tui, ne videant vanitatem, & ſi viderent, non attraherentur. Aures illæ quæ in cælis audiunt, Sanctus, Sanctus, *Joan. 7 & 19* Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth; audiunt in terris: Dæmonium habes Et crucifige eum, crucifige eum. Ut quid illud? ne aures tuæ obſurdeſcerent ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus ſuſciperent. *Psal. 44* Specioſa illa facies, ſpecioſa forma præ filiis hominum, C ſputis illita, afflicta colaphis addicta deluſionibus eſt. Sic namque *Matt. 26* ſcriptum eſt. Cœperunt conſpuere in eum, & percutere faciem ejus, & illudere ei, dicentes: Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit. Quare hoc? ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te. *2 Reg. 1* Vultus ejus non ſunt amplius in diverſa mutati. Os illud quod docet Angelos, & homines inſtruxit, quod dixit, & factum eſt, felle potatum eſt & aceto, ſed hoc factum eſt, ut veritatem, & judicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum Deum ſuum. Manus illæ, quæ fundaverunt cælos, extenſæ ſunt in cruce, clavisque verberatæ duriſſimis, ut manus tuæ extenderentur ad inopem, & dicere poſſes cum Pſalmiſta: *Psal. 118* Anima mea in manibus meis ſemper. Quod tenemus in manibus non de facili oblivifcimur, ſic & qui animam ſuam bonæ operationi imprimit, non tradidit eam oblivioni. Pectus illud, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, lancea militari perfoſſum eſt, ut pectus tuum a pravis cogitationibus mundaretur, mundatum ſanctificaretur, conſervaretur ſanctificatum. Pedes illi, quorum ſcabellum adorare debemus, quia ſanctum eſt, dura transfixione confoſſi ſunt, vel confixi, ne pedes tui feſtinarent ad malum, ſed currerent ad viam mandatorum Domini. Quid plura? *Psal. 21* Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Pro te carnem & animam ſuam poſuit, ut corpus & ſpiritum tuum ſibi vendicaret, toto ſe totum recuperavit.* Idem. Expergiſcere nunc anima mea, & excutere de pulvere, & contemplare virum hunc memorabilem quem in ſpeculo Evangelici ſermonis quaſi præſentem intuearis. Attende anima mea, quis eſt ille, qui ingreditur habens imaginem Regis, & nihilominus ſervi deſpectiſſimi confuſione repletus. Coronatus incedit; ſed ipſa ejus corona etiam cruciatus eſt illi. Et mille puncturis ſpecioſum ejus caput divulneratur. Regali purpura induitur: ſed potius in eo deſpicitur, quam honoratur. Sceptrum in manu geſtat ſed eo ipſo reverendum ejus caput feritur. Adorant coram ipſo poſitis in terra genibus, & Regem conclamant: & continuo ad conſpuendum amabiles ejus genas ſubſiliunt, Maxillas palmis concutiunt, & honorabile collum inhonorant. Vide anima mea, quomodo vir ille per omnia coarctatur, & ſpernitur. Sub crucis onere dorſum incurvare jubetur, & ſuam portare ignominiam ad locum deductus ſupplicii, Myrrha potatur & felle. In cruce ſublevatur, & dicit: *Luc. 23* Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt. Qualis eſt hic, qui omnibus preſſuris ſuis nec ſemel

* Quæ ſequuntur uſque in fin. capitis, ſunt Aug. in ſpec. Evang. ſer. cap. 12

Digitized by Google

mel os ſuum aperuit, ut aliquid querelæ aut excuſationis, aut cominationis, aut maledictionis, adverſus maledictos canes illos proferret, ſed noviſſime verbum benedictionis ſuper injuſtos ſuos, quale a ſæculo non eſt auditum, effudit? Quid hoc viro manſuetius, quid benignus, anima mea, vidiſti? Adhuc autem attentius illum intuere quam grandi admiratione & tenerrima compaſſione dignus appareat. Vide nudum, & verberibus laceratum in medio latronum, cruci ignominioſe ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & poſt mortem lancea in latere vulneratum, & copioſos ſanguinis rivos, ex quinque vulneribus manuum, pedum, & lateris effundentem. Fletum deducite oculi mei, & liqueſce anima mea igne compaſſionis ſuper contritione amabilis viri hujus, quem in tanta manſuetudine, tot vides afflictum doloribus. *Idem*: Reſpice Domine ſancte Pater de Sanctuario, & de excelſo cælorum habitaculo, & intuere hanc ſacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter, ſanctus puer tuus Dominus Jeſus Chriſtus pro peccatis fratrum ſuorum: & eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ. Ecce vox ſanguinis fratris noſtri Jeſu clamat ad te de cruce. Ecce gloria & honore coronatus ſum. In dextera majeſtatis tuæ aſtat vultui tuo pro nobis, caro enim & frater noſter eſt. *Idem* Reſpice Domine in faciem Chriſti tui, qui tibi obediens uſque ad mortem factus eſt, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum ut memineris, quantam ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem receperis. Utinam Domine appendantur in ſtatera peccata, quibus iram meruimus, & calamitas, quam pro nobis paſſus eſt innocens filius tuus. Certe hoc gravior apparebit, & hoc magis digne, ut propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiam tuam, quantum fuit illa, ne pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas. Gratias tibi Domine Pater referat

Ibid. c. 14

Ibid. c. 15

Job 11

A omnis lingua ſuper abundantia bonitatis tuæ, qui unico filio cordis tui non pepercisti, ſed pro nobis illum tradidiſti in mortem, ut tantum, tamque fidelem Advocatum haberemus in cælis coram te. *Idem*: Et tibi Domine Jeſu fortiſſime zelotes quid gratiarum, quid retributionis digne retribuam ego homo, pulvis, & cinis, & vile figmentum? quid enim pro mea ſalute facere debuiſti & non feciſti? Ab imo pedis uſque ad ſummum verticis, totum in aquas paſſionum te demerſiſti, ut me totum de illis extraheres. Et intraverunt aquæ uſque ad animam tuam. Nam & animam tuam in mortem B perdidiſti, ut meam perditam mihi redderes. Ecce me duplici debito obligaſti, nam & pro eo quod dediſti, & pro eo quod mei cauſa perdidiſti, debitor tibi ſum, & pro mea quidem vita bis a te mihi data, ſemel in creatione, ſemel in redemptione: quid magis juſte tibi reddam, quam ipſam, non habeo. Pro tua autem pretioſa anima ita conturbata, quid ab homine digne rependi poſſit, non invenio. Nam & ſi cælum, & terram, & omnem ornatum eorum, pro ea poſſem rependere, certe uſque ad menſuram debiti, nullatenus attingere poſſem. Ut autem idipſum, quod & debeo, C & poſſibile mihi eſt, retribuam tibi, tui Domine muneris eſt. Diligendus es mihi toto corde, tota mente, tota anima, tota virtute, & tua mihi ſequenda veſtigia, qui pro me mori dignatus es; & quomodo fiet illud in me, niſi per te? Adhæret anima mea poſt te, quia tota virtus ejus pendet ex te. Hucuſque Bernardus. Habes igitur a beato Bernardo more ſuo mellifluo eructantem de Domini Paſſione melliflua & pulcherrima. Videas ne in vacuum ea recipias. Sed toto corde, totoque affectu ipſius auctoritatibus incitata in Domini paſſione verſeris, quia ipſius meditatio, ſuper omnes alias, quæ de vita ipſius occurrere poſſunt, noſcitur eminere. De cetero ad

Ibid. c. 16

Re-

Digitized by Google

Reſurrectionem ipſius Domini Jeſu accedamus.

CAPUT LXXXVII.

De Reſurrectione Domini, & quomodo primo apparuit Matri Dominica die.

VEniens Dominus Jeſus cum honorabili multitudine Angelorum, ad monumentum die Dominico ſummo mane, & reaccipiens corpus iſtud ſanctiſſimum, & ipſo monumento clauſo, proceſſit propria virtute reſurgendo. Eadem autem hora, ſcil. ſummo mane. Maria Magdalenæ, & Jacobi, & Salome licentia petita prius a Domina, cœperunt ire cum unguentis ad monumentum. Domina autem domi remanſit, & orabat, dicens: Pater clementiſſime, Pater piiſſime, ſicut ſcitis, mortuus eſt filius meus, inter duos latrones cruci fuit affixus, & ego eum ſepelivi manibus meis: ſed potens eſtis Domine, eum mihi reſtituere incolumem, rogo majeſtatem veſtram, ut eum mihi reddatis. Quare tardat tantum ad me venire? Remittite obſecro eum mihi, quia non quieſcit anima mea, niſi videam ipſum. O fili mi dulciſſime, quid eſt de te? quid agis? quid moram contrahis? rogo te ne amplius differas venire ad me, tu enim dixiſti: Tertia die reſurgam. Nonne fili mi, eſt hodie tertia dies, non heri, ſed prius heri, id eſt, nudiuſtertius, fuit dies illa magna, & amara valde, dies calamitatis & mortis, tenebrarum & caliginis, ſeparationis & mortis tuæ. Ergo fili mi eſt hodie tertia dies. Exurge ergo gloria mea, & omne bonum meum, & redi. Super omnia deſidero te videre. Conſoletur me tuus reditus quam ſic contriſtavit diſceſſus. Revertere ergo dilecte mi, veni Domine Jeſu, veni ſpes mea unica, veni ad me fili mi. Illa ergo ſic orante, & lacrymas dulciter emittente, ecce ſubito Dominus Jeſus venit in veſtibus albiſſimis, vultu ſereno, ſpecioſus, glorioſus & gaudens, & dixit ei quaſi ex latere: Salve ſancta parens. At illa ſtatim ſe vertens: Es tu, inquit filius meus Jeſus? Et genuflexit adorans. Cui filius: Mater mea dulciſſima, ego ſum, reſurrexi, & adhuc tecum ſum. Eis autem ſurgentibus, ipſa cum lacrymis præ gaudio amplexans eum, & vultum vultui applicans fortiter ſtringebat, requieſcens totaliter ſuper eum, & eam alacriter ſuſtentabat. Poſtea conſedentibus eis pariter, diligenter & curioſe intuetur eundem in vultu & cicatricibus manuum, & per totum quærens, ſi omnis dolor ab eo diſceſſerat. Et ille. Reverenda mater, omnis a me dolor abſceſſit, & mortem & dolorem, & omnes anguſtias ſuperavi, nec de cetero inde aliquid ſentiam. Et illa: Benedictus ſit Pater tuus, qui te mihi reddidit: exaltatum, & laudatum ſit nomen ejus, & magnificatum in ſæcula. Stant ergo & colloquuntur ad invicem gaudentes, & Paſcha, ducentes delectabiliter, & amanter. Et narrat ei Dominus Jeſus, qualiter populum ſuum liberavit de inferno, & omnia quæ fecit in iſto triduo. Ecce nunc ergo magnum Paſcha.

Maria cum unguentis vadunt ad monumentum.

Matth. 27

CAPUT LXXXVIII.

Quomodo Maria, & aliæ duæ Mariæ venerunt ad monumentum, & de curſu Petri & Joannis.

MAgdalena vero, & aliæ duæ Mariæ ibant, ut dixi, ad monumentum cum unguentis. Dum ergo fuerunt extra portam civitatis, revocabant ad memoriam afflictiones & pœnas Magiſtri ſui, & in omnibus locis, in quibus aliquid notabiliter contra ipſum, vel per ipſum factum fuerat, aliquantulum ſubſiſtebant, genuflectentes, & oſculantes terram, gemitus & ſuſpiria dantes, & dicentes: Hic obviavimus ei cum cruce ſuper collo, quando Mater ejus ſemimortua eſt: hic ſe vertit ad Mulieres: hic crucem depoſuit fatigatus, & ſuper iſto lapide ſe appodiavit paru-

rumper: hic ſic crudeliter & fortiter impulerunt eum, ut velocius ambularet, & quaſi eum currere coegerunt: hic ſpoliaverunt eum, & totum nudum fecerunt, hic eum crucis patibulo affixerunt. Et tunc cum magno clamore, & inundatione lacrymarum, procidentes in facies ſuas adoraverunt crucem, & oſculatæ ſunt eam, pretioſo adhuc Domini ſanguine rubricatam. Deinde ſurgentes, & euntes verſus ſepulcrum, dicebant: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et aſpicientes, viderunt revolutum lapidem, & Angelum Domini ſedentem ſuper eum, qui dicit eis: Nolite timere, &c. ut in Evangelio continetur. Illæ autem fraudatæ ſpe ſua, quia putabant corpus Domini invenire non attendentes ad verba Angeli, conterritæ redeunt ad diſcipulos, dicentes, corpus Domini eſſe ſublatum. Tunc ergo Petrus & Joannes concurrerunt ad monumentum. Conſpice bene eos, currunt ipſi, currunt Magdalena & ſociæ poſt eos, omnes currunt ad quærendum Dominum ſuum, cor ſuum, & animam ſuam, currunt multum fideliter, multumque ferventer, multumque anxie. Cum autem pervenerunt ad monumentum reſpicientes in ipſo non invenerunt corpus ſed viderunt linteamina & ſudarium, & receſſerunt. Compatere ipſis, quia in afflictione magna ſunt. Quærunt Dominum ſuum, & non inveniunt, & neſciunt ubi amplius quærere debeant ergo dolentes & flentes diſceſſerunt.

Marc. 16 & Matt. 28 Ioan. 20.

CAPUT LXXXIX.

Quod Dominus apparuit tribus Mariis.

MAriæ autem remanſerunt ibidem, & reſpicientes in monumentum, viderunt duos Angelos, ſtantes in alibi, qui dicunt eis: Quem quæritis, viventem cum mortuis? Illæ autem nec tunc attenderunt ad verba eorum, nec aliquam conſolationem acceperunt de viſione Angelorum: quia non quærebant Angelos, ſed Dominum Angelorum. Iterum duæ Mariæ conterritæ, & quaſi abſorptæ elongaverunt ſe inde aliquantulum, & ſedebant dolentes. Magdalena vero neſciens, quid aliud facere deberet, & quia ſine Magiſtro ſuo vivere non poterat, & ibi eum non inveniebat, & ubi eum quæreret, ignorabat, ſtabat ad monumentum foris plorans. Iterum ergo reſpiciens in monumentum, quia ſemper ſperabat, ibi eum revidere, ubi eum ſepelierat, vidit ipſos Angelos ſedentes, qui dicunt ei: Mulier, quid ploras? quem quæris? Et illa: Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Vide mirabilem operationem amoris Paulo ante audierat ab uno Angelo, quod reſurrexerat, & poſtea a duobus quia vivebat, & non recordabatur, ſed dicit. Neſcio: Amor hoc faciebat, quia, ut dicit hic Origenes, anima ſua non erat, ubi ipſa erat, ſed ibi erat, ubi magiſter ſuus erat. Neſciebat cogitare, loqui nec audire, niſi de ipſo. Cum autem iſta ſic ploraret nec de Angelis aliquid curaret, amore ſuo magiſter ſuus non poterat amplius ſe tenere. Dominus ergo Jeſus refert hoc matri, & dicit quod vult ire ad conſolandum eam, quæ hoc multum acceptat, & dicit: Fili mi benedicte, vade in pace, & conſoleris eam, quia multum te diligit, & de tua morte multum doluit, & memento redire ad me, & amplexans dimiſit eum. Venit ergo ad monumentum in horto, ubi erat Magdalena, & dicit ei: Mulier, quem quæris? quid ploras? Et illa eum non cognoſcens adhuc ut ebria reſpondit, dicens: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum: & ego eum tollam. Conſpice bene eam, quomodo lacrymabili vultu, ſuppliciter, & devote eum exorat, ut doceat eam illum, quem quærit: ſemper enim ſperabat, audire aliqua nova de ſuo dilecto. Tunc Dominus ad eam dixit: Maria. Ipſa vero quaſi reviviſcens eum ad vocem indicibili gaudio dixit. Rabbi, id eſt, magiſter, Dominus vos eſtis, quem quærebam, quare tamdiu vos mihi ce-

Luc. 24

Ioan. 20

Orig. in diverſos hom. 10 t. 2

Dominus apparuit Mariæ Magdalenæ in horto.

cæleſtis? Et currens ad pedes oſculari volebat. Dominus vero volens animum ſuum elevare ad cæleſtia, ut non quæreret eum amodo in terra, dixit: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſed dic fratribus meis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, &c. Et addidit: Nonne prædixi tibi, quod tertia die reſurgerem, quomodo igitur me in ſepulcro quærebas? Et illa: Dico vobis magiſter, quod tantus dolor de acerbitate paſſionis & mortis veſtræ cor meum repleverat, quod omnium oblita, de nihilo recordabar, niſi de corpore veſtro mortuo, & de de loco, ubi ſepeliveram ipſum: & ideo unguentum hoc mane detuleram. Benedicta ſit magnificentia veſtra, quæ reſurgere, & ad nos redire, dignata eſt. Stant ergo ſimul dilecti, cum jucunditate & gaudio magno. Ipſa vero curioſe aſpicit eum, & interrogat de ſingulis, & reſponſum alacritatis recipit. Nunc ergo, & hic eſt magnum Paſcha. Licet autem ſic a principio Dominus ei reſponderet, vix credere poſſum, quin eum familiariter tangeret antequam inde diſcederet, oſculando pedes & manus. Sed diſpenſative ſic fecit a principio, vel quia talem ſe oſtendebat, qualis erat in corde ſuo, ſecundum communem expoſitionem: vel quia, ut dixi, volebat animum ſuum erigere ad cæleſtia, ſecundum quod Bernardus innuere videtur. Pie namque credi poteſt, quod quam ſic amanter & ſingulariter, ante omnes qui ſcripti reperiuntur, viſitabat, ad lætificandam eam non turbandam faciebat. Myſterialiter ergo, non pertinaciter dixit illud verbum: quia non pertinax, neque durus, benigniſſimus Dominus eſt, & maxime diligentibus ſe. Poſt aliqualem vero morulam diſceſſit Dominus dicens, quia & alios oporteret eum viſitare. Tunc Magdalena quaſi alterata, ſicut nolens ab eo unquam diſcedere, dicit: Domine, ut video veſtra converſatio non erit amodo nobiſcum, ſicut conſueverat, rogo ne obliviſcamini mei. Mementote Domine tot bonorum, quot mihi contuliſtis, & familiaritatis & dilectionis, quam habuiſtis ad me, & recordamini mei Domine Deus meus. Et Dominus ad eam: Noli timere confide & conſtans eſto, quia ſemper ero tecum. Tunc ipſa benedictione ab eo recepta, & Chriſto diſcedente, venit ad ſocias, & nunciat hoc eis. Illæ vero de reſurrectione Domini gaudentes, ſed quod non viderant eum dolentes, recedunt cum ea. Cum ergo iſtæ tres Mariæ in ſimul pergerent, antequam venirent ad civitatem apparuit eis Dominus Jeſus dicens: Avete. Illæ vero ultra quam dici poſſet exhilaratæ, procidentes tenuerunt pedes ejus. Hic ergo ſimiliter & quærunt & aſpiciunt, & reſponſum jucunditatis accipiunt, & faciunt magnum Paſcha. Dicit autem eis Dominus Jeſus. Dicite fratribus meis, ut veniant in Galilæam, ibi me videbunt, ſicut prædixi eis. Vides, quod magiſter humilitatis vocat diſcipulos ſuos fratres, numquid hanc virtutem dimiſit? Tu autem ſi in prædictis vis intelligentiam, & conſolationem habere, recordare de his, quæ ſuperius tibi dixi, ut, ſcilicet in omnibus locis & factis ita ſis animo, ac ſi præſens eſſes corpore. Et idem de infra dicendis.

Dominus apparuit tribus Mariis in via pariter pergentibus.

CAPUT XC.

Quod Dominus apparuit Joſeph, Jacobo minori, & Petro.

DIſcedens ergo Dominus Jeſus ab eis, appparuit Joſeph, qui eum ſepelierat. Captus enim erat propterea a Judæis, & recluſus in quodam cubiculo diligenter ſigillato, & poſt Sabbatum eum interficere volebant. Apparuit ergo ei Dominus Jeſus, & faciem ejus exterſit; & oſculum dedit, & inde ſalvis ſigillis in propriam domum reportavit. Apparuit etiam Dominus Jeſus Jacobo minori, qui voverat ſe non comeſturum, niſi videret Dominum reſuſcitatum. Dixit ergo ei & his, qui cum eo erant: Po-

1 Cor. 15

Ponite menſam. Deinde panem accipiens, benedixit, & dedit ei, dicens: Comede dilecte frater mi, quia filius hominis reſurrexit a mortuis. Iſta vero refert Hieronymus. Cum autem Magdalena & ſociæ redeunt domum, & narrant diſcipulis, reſurrexiſſe Dominum, Petrus mœrens quod Dominum ſuum non viderat, nec quieſcere valens propter amoris vehementiam, diſceſſit ab eis, & ſolus ibat verſus ſepulcrum. Neſciebat enim, ubi eum alibi quæreret. Dum ergo pergeret, Dominus Jeſus apparuit ei, dicens: Pax tibi Simon. Tunc Petrus percutiens pectus ſuum, & procidens, in terram cum lacrymis, dixit: Domine dico meam culpam, quia te dereliqui, & pluries negavi & oſculatus eſt pedes ejus Dominus autem ipſum erigens oſculatus eſt eum, dicens: Pax tibi, noli timere, omnia peccata ſunt tibi dimiſſa: ego bene ſciebam, & prædixi tibi. Nunc ergo vade, & confirma fratres tuos, & confide, quia mortem & omnes inimicos veſtros, & adverſarios devici. Hic ergo ſimiliter fit magnum Paſcha. Stant & colloquuntur adinvicem, & diligenter Petrus aſpicit eum, & ſingula notat. Benedictione vero accepta, rediens ad Dominam & ad diſcipulos, omnia narravit. Scire autem debes quod de apparitione facta Dominæ nihil continetur in evangelio: ideo autem ipſam poſui, & ante præmiſi, quia de ipſa videtur tenere Eccleſia, ut in legenda de reſurrectione Domini plenius habetur.

Hier. lib. de ſcript. Eccleſiaſt. in Jacobo c. 1

CAPUT XCI.

De Reditu Domini ad ſanctos Patres poſt reſurrectionem.

Dominus ergo Jeſus cum diſceſſit a Petro, quia nondum viſitaverat ſanctos Patres, poſt reſurrectionem ſuam, quos in Paradiſo deliciarum demiſerat, rediit ad eos, procedens in ſtola candida cum multitudine Angelorum. Quem ipſi in tanta gloria conſpicientes a longe, cum indicibili exultatione, & jubilo, canticis, & laudibus, ſuſcipiunt eum, dicentes: Ecce rex noſter, venite, occurramus Salvatori noſtro. Magnum principium & regni ejus non erit finis. Dies ſanctificatus illuxit nobis, venite omnes & adoremus Dominum. Et procidentes in terram adoraverunt eum, & ſurgentes, & ſtantes cum eo reverenter & jucunde compleverunt laudes ſuas, dicentes: Vicit Leo de tribu Juda, refloruit Domine caro mea, adimples nos lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem. Reſurrexiſti gloria noſtra, exultabimus & lætabimur in te. Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua uſque in generatione & generationem. Et nos non diſcedimus a te, reſuſcitabis nos, & nomen tuum exaltabimus. Præcurſor pro nobis ingreſſus eſt, Pontifex factus in æternum. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Hodie illuxit nobis dies redemptionis, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cæli: quia Dominus regnavit a ligno. Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. *Cantate ei canticum* novum, quia mirabilia fecit. Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus. Nos autem populus ejus & oves paſcuæ ejus, venite, adoremus eum. Appropinquante autem hora veſpertina, dicit eis Dominus Jeſus compatior fratribus meis, quia propter mortem meam contriſtati, & conterriti, diſperguntur ſicut oves errantes, & multum deſiderant me videre. Vadam ergo & oſtendam me ipſis, confortabo, & conſolabor eos, cito revertar ad vos. At illi procidentes dixerunt: Sic fiat Domine, ut dixiſtis.

CA-

CAPUT XCII.

Quod Dominus apparuit duobus Diſcipulis euntibus in Emaus.

CUm ergo duo ex diſcipulis ejus irent verſus caſtellum Emaus, quaſi jam deſperati de ipſo, & irent triſtes, de his quæ acciderant conferentes: venit Dominus Jeſus, & junxit ſe ipſis in ſpecie peregrini, & ibat cum ipſis interrogans eos, & reſpondens, & conferens verba ſalubria, ut in Evangelio habes. Tandem coactus ab eis, intravit cum illis & manifeſtavit ſe ipſis. Hic autem diligenter attende, & conſidera bonitatem & benignitatem Domini tui. Primo, quia non potuit ejus fervens amor, ſuſtinere ſuos ſic errare, & triſtari. Vere fidus amicus eſt, fidelis comes, & benignus Dominus jungit ſe ipſis, quærit triſtitiæ cauſam, & exponit eis ſcripturas, inflammans corda eorum, ad omnem rubiginem extirpandam. Sic quotidie nobiſcum facit ſpiritualiter. Si enim gravati aliqua perplexitate vel acedia de ipſo loquimur, ſtatim adeſt confortans & illuminans corda noſtra, & etiam inflammans in amorem ſui; optimum enim eſt, contra tales peſtes loqui de Deo. Unde dicit Propheta: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & favum ori meo. Et iterum: Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud. Similiter etiam cogitare de Deo; unde idem Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.

Luc. 24

Pſalm. 118

Ibidem.

Pſalm. 38

Secundo conſidera bonitatem ejus, non ſolum ex amore, ut dixi, ſed etiam ex humilitate profunda. Conſpice namque ipſum, quo modo humiliter vadit cum eis; vadit namque cum ſuis, quaſi unus ex eis Dominus omnium: nonne tibi videtur ad primordia humilitatis rediiſſe? exemplum nobis eſt ſimiliter faciendi. Sed & in alio attende Domini humilitatem: quia non eſt dedignatus hos diſcipulos inferioris gradus. Non enim erant iſti de Apoſtolis, ſed de aliis minoribus diſcipulis, & tamen familiariter jungit ſe ipſis, vadit & loquitur. Non ſic elati, nollent enim niſi cum præcipuis viris & magnarum opum, converſari & ambulare. Item in alio relucet hic ſua humilitas. Nam ſi conſideras elatos, videbis, quod nolunt ampulloſa verba ſua ſpargere inter paucos. Sed Dominus etiam cum duobus loquitur arcana ſua; non vilipendit paucos, immo nec etiam unum, ſicut fecit olim cum Samaritana. Tertio conſidera Domini bonitatem, quantum ad præſens negotium, quo modo inſtruit diſcipulos ſuos in moribus, reficit & conſolatur. Conſpicias ergo eum, quomodo fingit ſe longius ire, ut eorum augeat deſiderium, & invitetur, & teneatur ab eis: & quo modo poſtea benigne intrat cum eis, panem accipit, & benedicens ſuis ſacratiſſimis manibus frangit & porrigit, & ſeipſum eis revelat, & quotidie hoc facit nobiſcum inviſibiliter, nam teneri vult & invitari per deſideria, orationes, & ſanctas meditationes. Et ideo ſemper orare oportet, & non deficere, ut ipſe docuit, qualiter iſta fecit ad noſtram eruditionem, ut ſcilicet attendamus ad opera pietatis, & hoſpitalitatis. Et quo modo non ſufficit divina eloquia legere vel audire, niſi opere compleantur. De hoc in Homilia Gregorii ſuper hoc Evangelio poteris plenius edoceri. Non autem dedit iſtis Diſcipulis magnam ſui copiam, ſed ſtatim porrecto eis pane, evanuit ab oculis eorum. Nam etiam alios conſolari volebat, cum quibus tamen etiam iſtos eſt conſolatus.

Elatorum conſuetudo.

Luc. 18

CAPUT XCIII.

Quod Dominus apparuit recluſis in die Reſurrectionis.

Redierunt autem prædicti duo Diſcipuli ſtatim in Hieruſalem, & invenientes alios diſcipulos congregatos, abſente Thoma, eis iſta narraverunt. At pariter audierunt: quia ſurrexit Dominus, & apparuit Simoni. Tunc Dominus Jeſus intrans ad eos januis clauſis, ſtetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis. Diſcipuli vero procidentes in terram, & ſuam culpam dicentes, quod ſic eum dereliquerant, ipſum alacriter ſuſceperunt. Dominus ergo: Surgite, inquit, fratres mei, quia omnia peccata ſunt vobis dimiſſa. Stat ergo familiariter inter eos, & oſtendit eis manus & latus, & aperit eis ſenſum, ut intelligant ſcripturas, & cognoſcant Reſurrectionem ſuam. Petit ab eis, ſi habeant aliquid ad manducandum, & manducat coram eis partem piſcis aſſi, & favum mellis. Inſufflat in eos, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Vides quo modo iſta ſunt plena omni jucunditate & lætitia. Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino, lætantur coram eo, qui ante erant pavefacti. O quam libenter eidem illa porrexerunt, ut comederet, quam fideliter ei miniſtrabant, & quam jucunde aſſiſtebant ei. Conſpice etiam Dominam ibidem eſſe, quia Diſcipuli congregabant ſe ad eam. Vide ergo eam indicibili gaudio iſta conſpicere, & juxta filium familiariter ſedere, & ſicut expedit ſervire alacriter. Dominus etiam Jeſus libenter ſuſcipit omne ſervitium de manibus ejus, & eam reverenter honorat coram diſcipulis. Non autem omittas Magdalenam dilectam diſcipulam, & Apoſtolorum Apoſtolam. Conſpice etiam, qualiter more ſolito, ſedet ad pedes magiſtri ſui, diligenter audit verba ejus, & ſi quid poteſt etiam ipſa, gaudioſe, A ac toto affectu eidem miniſtrat. O qualis tunc eſt domuncula iſta, & quam gratioſum habitare in ea? Nonne tibi videtur etiam nunc eſſe magnum Paſcha, ſi aliquid devotionis habes? puto quod ſic. Sed parum ſtetit tunc Dominus cum eis, quia jam erat quaſi ſero. Tamen forte etiam ipſi coegerunt eum aliquantulum plus ſtare, rogantes ne ſic cito recederet. An non credis quod Magdalena, ſedens ad pedes juxta eum, teneret per pannos eum confidenter, & cum reverenti audacia, ne diſcederet ita cito. Erat enim indutus veſtimentis albiſſimis, *veſtibus gloriæ ſuæ. Sic enim eum tenebat,* non præſumptuoſe, ſed confidenter facie- B bat, ſic diligens, ſic dilecta, nec Domino diſplicebat. Teneri vult Dominus, ut patet in duobus diſcipulis ſupra, euntibus in Emaus. Tandem Dominus reverentia matri exhibita, ſimiliter & ab ea recepta licentia, benedicens omnes, receſſit ab eis; ipſi vero procidentes, de cita reverſione rogaverunt eumdem. Remanſerunt autem famelici, & ſitibundi de Domino, Pe quo tantam copiam habere conſueverant, cum ſæpe ſuſpiriis, & deſideriis revocantes. Vidiſti quoties hodie habuiſti Paſcha: nam omnes iſtæ apparitiones in die Paſchatis fuerunt. *Sed forte audiſti*, ſed non ſenſiſti, quia nec forte in C paſſione compaſſionem habuiſti. Credo enim, quod ſi in paſſione compati ſcires, & mentem haberes, unitam & non ſparſam ad ſæcularia, vel ſuperflua, vel curioſa, in qualibet vice ſentires Paſcha. Et hoc de quolibet die Dominico contingere poſſet, ſi mente integra diebus Veneris & Sabbati, te cum paſſione Domini præparares, maxime dicente Apoſtolo: Si fuerimus ſocii paſſionum, erimus & conſolationum.

Luc. 24

Joan. 20

Ibidem.

1 Cor. 1

CAPUT XCIV.

Quod Dominus apparuit Diſcipulis in octava Paſchæ, & erat cum eis Thomas.

Joan. 20. ADveniente autem die octava Reſurrectionis, iterum apparuit Dominus Jeſus Diſcipulis januis clauſis. Et erat Thomas cum eis, qui prima die cum eis non fuerat. Et cum alii narraſſent ei, quia viderant Dominum; reſpondit: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum, &c. ut in Evangelio continetur, non credam. Dicit ergo Paſtor bonus, & de puſillo ſuo grege ſolicitus: Pax vobis. Deinde, dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Tunc Thomas procidens, tetigit cicatrices Domini, & dixit: Dominus meus & Deus meus. Hominem enim vidit, & Deum credidit. Dixit etiam ſuam culpam de hoc, quod ipſe dereliquerat eum, ſicut & alii dixerunt. Dominus autem erigens eum, dixit: Noli timere, omnia peccata ſunt tibi dimiſſa. Hoc autem de Thomæ dubitatione diſpenſatorie permiſſum eſt, ut evidentioribus argumentis, Reſurrectio Domini probaretur. Conſpice autem hic diligenter eum, & conſidera ſolitam benignitatem, humilitatem, & amorem ferventem ipſius, quomodo ſcilicet Thomæ monſtrat & aliis diſcipulis vulnera ſua, ut tolleret omnem obſcuritatem de cordibus eorum, ad ipſorum & noſtram utilitatem. Reſervavit quoque ſibi Dominus cicatrices vulnerum, maxime propter tria, ſcilicet ut faceret Apoſtolis fidem de ſua Reſurrectione, & ut ipſas oſtendat Patri, quando vult placare eum, & interpellare pro nobis: eſt enim noſter Advocatus: & etiam ut eas monſtret reprobis in die judicii. Stat ergo Dominus Je-

A ſus cum matre & Diſcipulis ſuis, per aliquam morulam loquens de regno Dei, & ipſi cum eo in lætitia magna, audientes iſta verba excelſa, & aſpicientes faciem ejus, plenam gaudio & decore. Attende bene eos circumcirca ſtantes, ſed Dominam familiarius juxta eum: Magdalenam vero ſemper ad pedes ejus conſidera. Sta & tu reverenter, a longe tamen, niſi forte miſericordia motus faciat te vocari. Tandem dicit eis, quod vadant in Galilæam in montem Thabor, ut dicitur, & ibi apparebit eis. Et benedictione data diſceſſit ab eis. Ipſi vero remanſerunt, ut prius, famelici & B ſitibundi de eo, ſed plurimum confortati.

CAPUT XCV.

Quod Dominus apparuit Diſcipulis in Galilæa.

POſt hæc Diſcipulis ad dictum locum pergentibus, iterum apparuit eis Dominus Jeſus, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & docentes eos ſervare, quæcumque mandavi vobis. Et confortamini: quia C ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi. Adoraverunt autem eum in ſuo adventu, & ſtant etiam nunc cum magna jucunditate cum eo. Conſidera bene eos, & ea quæ dicta ſunt modo ipſis: nam magnifica ſunt valde. Manifeſtat eis, qualiter eſt Dominus omnium: dat eis mandatum de prædicando: dat formam baptizandi: dat etiam vigorem eis permaximum, dum dicit, quod ſemper erit cum eis. Vides quantam jucunditatem dat eis, & quot oſtendit eis inſignia charitatis. His ergo dictis per Dominum data eis benedictione, diſparuit ab eis. *Math. 28.*

Digitized by Google

CAPUT XCVI.

Quod Dominus apparuit Diſcipulis ad mare Tiberiadis.

Ioan. 21 DIſcipuli vero adhuc remanſerunt in Galilæa. Iverunt autem quadam vice piſcatum ad mare Tiberiadis ſeptem ex ipſis, & per totam noctem nihil ceperunt. Mane facto, Dominus iterum apparuit eis, & ſtetit in littore maris. Attende autem hic, quæ acta ſunt, quia jucundiſſima ſunt. Quærens ergo Dominus, ſi aliquid cepiſſent, reſpondentibus, Non, dixit: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo, & multitudinem magnam ceperunt. Dixit itaque Joannes Petro: Dominus eſt. Tunc Petrus nudus exiſtens, ſuccinxit ſe tunica, & feſtinus venit per mare: alii vero navigio venerunt. Et cum deſcendiſſent, viderunt piſcem poſitum ſuper prunas, & panem paratum, Dominus enim hoc eis paraverat. Fecit etiam accipi de piſcibus eorum, & aſſari, & ſimul cum eis comedens, fecit convivium & feſtum magnum cum eis in littore maris. Et conſuetæ humilitatis ſuæ more miniſtrans eis panem eis porrexit, & fregit: & piſcem ſimiliter dedit eis. Stant ergo reverenter, & multum alacriter iſti ſeptem diſcipuli cum Domino ſuo, pariter cum eo comedentes, aſpiciunt faciem ejus deſiderabilem & jucundam, & exultant in cordibus ſuis. Accipiunt de ſacratiſſimis manibus ejus eſcas delectabiles, & reficiuntur non minus ſpiritualiter, quam corporaliter. O quale convivium eſt illud. Conſpice bene ſingula, & ſi potes, paſcaris cum eis. Attende nihilominus quæ ſequuntur, quia pulcherrima ſunt & utiliſſima. Nam completo iſto ſolemni convivio, dicit Dominus Petro: Diligis me, plus his? & Petrus: Domine tu noſti, qui amo te. Dicit ei Dominus: Paſce agnos meos, & cet. Sic ter interrogans, recommendavit ei gregem ſuum. In quo Domini benignitatem ſolitam conſidera, charitatem, & humilitatem. Aperte enim vides, quo modo diligenter affectuoſe imprimit, reiterat, & recommendat Petro animas noſtras. Iterum autem Dominus poſt hæc prædixit Petro mortem ipſius, dicens: Cum eſſes junior, cingebas te, &c. ſignificans, quod per Paſſionem crucis clarificaturus eſſet Deum. Et cum de Joanne Petrus quæreret: Hic autem quid? Dominus reſpondit: Sic eum volo manere, donec veniam; quaſi dicat: Nolo quod per viam paſſionis me ſequatur, ſed in ſenio & contemplatione requieſcet. Quamvis alii Diſcipuli intelligerent, quod non moreretur. Sed non erat hoc magnum donum, cum melius ſit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Attendiſti quam multa, & quam magnifica facta & dicta ſunt in hac apparitione. Poſt hoc diſparuit Dominus ab eis, & more ſolito rediit ad ſanctos patres. Diſcipuli vero cum magno gaudio remanſerunt, & poſt redierunt in Hieruſalem, &c.

Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

CAPUT XCVII

Quod Dominus apparuit plus quam quingentis fratribus ſimul, & de apparitionibus.

ITerum autem apparuit Dominus plus quam quingentis fratribus ſimul, ut dicit Apoſtolus: ſed quo loco aut quando non eſt ſcriptum. Sed ſtans benignus Dominus inter eos, prædicans, & loquens de regno Dei magna eos iucunditate replevit: Habes ergo duodecim apparitiones Domini poſt Reſurrectionem uſque ad Aſcenſionem, abſque duabus eum Aſcenſione proxime dicendis, & ſic fuerunt quatuordecim. Scire tamen debes, quod in Evangelio non ſunt ſcriptæ niſi decem. Nam quomodo apparuit matri, non eſt ſcriptum in aliquo loco, ſed ſic pie creditur. Quo modo autem apparuit Joſeph, dicitur in Evangelio Nicodemi. Quomodo 1 Cor. 15

Ibidem.

modo etiam Jacobo, ſcripſit Apoſtolus ad Corinthios: & etiam refert beatus Hieron. De iſta etiam de quingentis fratribus ſcripſit beatus Apoſtolus ibidem. Aliæ vero ſcriptæ ſunt in Evangelio. Potes etiam meditari de pluribus. Nam veriſimile eſt, quod benigniſſimus Dominus ſæpe matrem & diſcipulos viſitabat, & Magdalenam dilectam diſcipulam, confortans & exhilarans eos qui ſic vehementer de ſua paſſione fuerant contriſtati, & conterriti. Quod etiam beatus Aug. ſentire videtur, dicens de tempore poſt Reſurrectionem: Non omnia, inquit ſcripta ſunt; crebra erat eius cum eis converſatio. Et etiam forte ipſi ſancti Patres, maxime Abraham & David, ad quos ſpecialiter facta fuit promiſſio de filio Dei, veniebant cum eo ad videndum illam ſuam excellentiſſimam filiam matrem Domini, quæ pro eis omnibus gratiam invenit, & genuit Redemptorem. O quam lætanter eam reſpiciebant, & reverenter ſe inclinabant eidem, & omni qua poterant benedictione replebant, quamvis non viderentur ab ea. Potes etiam conſiderare in hoc benignitatem, charitatem, & humilitatem Domini, more ſolito, de quibus ſæpe fecimus mentionem, & in omnibus factis eius relucent. Quod etiam poſtquam glorioſe vicerat, & reſurrexerat, peregrinari adhuc voluit per quadraginta dies, ut ſuos diſcipulos confirmaret, & roboraret. Digne namque poſt tot annorum curricula, poſt tot labores & afflictiones, poſt tam ignominioſam & acerbam mortem poterat triumphator ad ſuam gloriam remeare, & per ſuos Angelos confirmare, & confortare Apoſtolos pro ſuo nutu: ſed quia hoc non patiebatur charitas ſua: perſonaliter voluit converſari cum eis apparens eis per quadraginta dies in multis argumentis, & loquens de regno Dei. Pro eis fecit hoc & pro nobis, ſed non advertimus. Dilexit te vehementer, & non diligitur, cum ad talem ac tantum ignem, non ſolum calefieri, ſed ardere debeamus. Nunc ad aſcenſionem veniamus.

CAPUT XCVIII.

De Aſcenſione Domini.

Circa Dominicam Aſcenſionem te vigilem eſſe oportet, ut ſi umquam toto mentis conatu, te præſentem exhibuiſti verbis & factis ejus, nunc facias multo magis. Nam hæc ſolemnitas omnes ſuperat alias, ut clarius infra tibi oſtendam. Et ſaltem hoc te animet ad attentionem, quod nunc Dominus diſceſſurus eſt corporali præſentia, completo ſuæ peregrinationis curſu. Unde verba & facta ipſius ſunt attentius conſideranda, qualibet enim anima fidelis debet ſponſum ſuum, Dominum ſuum, & Deum ſuum, in ejus diſceſſu vigilantiſſime obſervare, & quæ per eum dicuntur, & fiunt, viſceroſius mente amplecti, & eidem ſe devotius & humilius recommendare, & totaliter animum ſuum ab aliis abſtrahere. Quadrageſimo itaque die a Reſurrectione, ſciens Dominus Jeſus, quia venit ejus hora, ut tranſeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexiſſet ſuos, nunc vero in finem dilexit eos. Accipiens ergo de Paradiſo terreſtri ſanctos patres & alias animas, ſtans & benedicens Eliæ & Enoch, ibi remanentibus & adhuc viventibus, venit ad diſcipulos ſuos, qui erant in cœnaculo in monte Sion cum matre ipſius & aliis apparens eis, voluit etiam ante diſceſſum ſuum prandere cum ipſis, in ſignum memorialis dilectionis & gaudii. Omnibus ergo ſimul comedentibus, cum lætitia magna in hoc ultimo convivio Domini ſui. Dicit eis Dominus Jeſus: Tempus eſt, ut revertar ad eum qui miſit me, vos autem manete hic in civitate, quouſque induamini virtute ex alto: quia infra paucos dies replebimini Spiritu ſancto, prout vobis promiſi. Poſtea ibi-

Digitized by Google

tis per univerſum mundum prædicantes Euangelium meum, baptizando credentes, & eritis mihi teſtes uſque ad ultimum terræ. Exprobravit etiam incredulitatem eorum, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, ſcilicet Angelis ſuis non crediderunt. Hoc nunc maxime facit, cum de prædicando dicebat, quaſi daret eis intelligere: Multo magis debebatis vos Angelis credere, etiam antequam me videretis, quam gentes, quæ credent vobis prædicantibus, & me non videbunt. Fecit etiam hæc, ut cognoſcentes defectum ſuum remanerent humiliores, oſtendens eis in ſuo diſceſſu, quantum placebat ei humilitas, & quaſi eam peculiariter recommendaret eiſdem. Quærentibus autem eis de temporibus futuris, noluit reſpondere, quia non expediebat eis. Stant ergo, comedunt, & loquuntur, & gaudent propter præſentiam Domini ſui, ſed nihilominus turbati propter diſceſſum. Tanta enim amoris teneritudine diligebant eum, quod etiam verba diſceſſus ſui, non poterant æquo animo ſuſtinere.

Quid autem dicam de matre juxta eum prandente, quæ ſuper omnes ſic intenſe eum amabat? An non credis, quod, ad hæc verba diſceſſus filii, maternæ dilectionis tacta & commota dulcedine, reclinaret caput ſuum ſuper filium, & recumberet ſuper pectus ejus? Nam ſi Joannes hoc fecit in cœna, nunc multo magis meditari potes de ipſa. Unde ſuſpirans cum lacrymis eum rogabat, dicens: Filii mi, ſi diſcedere vis, ducas me tecum. Dominus autem conſolatus eam, dicebat: Rogo mater chariſſima, ne feras moleſte diſceſſum meum: quia vado ad Patrem. Te autem remanere hic expedit ad tempus, propter confirmandos credentes, poſtea veniam ad te, & aſſumam te ad gloriam meam. Ad quem mater, Fili mi dilectiſſime, fiat voluntas tua. Nam non ſolum remanere, ſed &

A mori parata ſum, pro animabus, pro quibus & mortuus fuiſti, ſed eſto memor mei. Dominus autem eam, & diſcipulos, & Magdalenam, & alias conſolabatur dicens: Non turbetur cor veſtrum, neque formidet: non relinquam vos orphanos, vado & venio ad vos, & ſemper ero vobiſcum. Tandem dicit eis, quod exeant in montem Oliveti, quia inde volebat aſcendere, & tunc diſparuit ab eis. Mater ergo & omnes alii ſine mora iverunt ad dictum montem, qui eſt ab Hieruſalem ad unum miliare, & ibidem iterum apparuit eis Dominus. Ecce quomodo habes hodie duas apparitiones. Tunc

B amplexatus eſt matrem valefaciens ei, & mater eum tenerrime. Diſcipuli autem & Magdalena, & omnes alii procidentes, & lacrymantes, deoſculati ſunt pedes ejus, ipſe vero ſuos Apoſtolos erigens, benigne oſculatus eſt.

Conſpice nunc eos bene, & cuncta quæ fiunt. Conſidera nihilominus ſanctos patres ibidem exiſtentes, inviſibiliter tamen, quomodo libenter & reverenter intuentur Dominam, & affectuoſe benedicunt, per quam tantum beneficium conſecuti ſunt. Quomodo etiam intuentur illos excelſos pugiles, & duces divini *exercitus, quos inter omnes elegit*

C Dominus, ad expugnandum, & vincendum univerſum mundum. Tandem completis cunctis myſteriis, cœpit Dominus Jeſus elevari ab eis, & aſcendere virtute ſua. Tunc mater & omnes alii procidebant in terram. Dicebat Domina: Fili mi benedicte, memor eſto mei, & propter diſceſſum non poterat lacrymas continere: gaudebat tamen multum, quod filium ſuum ſic glorioſe cernebat petere cœlum. Similiter & diſcipuli ejus dicebant: Domine pro te dimiſimus omnia, eſto memor noſtri. Ipſe vero elevatis manibus, facie ſerenus, & gaudens, regio more coronatus & ornatus, triumphaliter ferebatur in cœlum. Benedicens

Domini Aſcenſio.

eis

eis dixit: Conſtantes eſtote, & viriliter agite, quia ſemper vobiſcum ero. Aſcendebat autem, ſecum ducens illam nobilem multitudinem, iter pandens ad eos, ut dixerat Michæas propheta. Dominus itaque glorioſus, candidus, & rubicundus, ſplendens & gaudioſus, præcedebat eos, viam eis oſtendens, & ipſi cantantes & jubilantes, lætiſſimi ſequebantur eum, dicentes: Cantemus Domino, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Benedictus es Domine Deus noſter, qui ſalvos facis ſperantes in te; deducens populum tuum in exultatione, & electos tuos in lætitia. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua, ut liberentur dilecti tui. Aſcendens in altum proſperum iter faciens nobis, perducens nos in refrigerium, educis vinctos tuos in fortitudine, deſiderium noſtrum tribuens nobis. Intrabimus in domum tuam, & in conſpectu angelorum tuorum tibi pſallemus. Gloria laus, & honor, tibi ſit rex Chriſte Redemptor. Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino.

Mich. 2

Cœleſtium ſpirituum occurſus, cum Chriſtus in cœlos aſcendit.

Interim Autem Michael Præpoſitus Paradiſi pergens ad patriam, nuntiaverat quod Dominus aſcendebat. Ecce omnes ſpirituum ordines, feriatim per acies ſuas occurrerunt eidem, unus ex eis non remanſit, qui non veniret obviam Domino ſuo, & inclinantes ſe cum omni qua poterant reverentia, deducebant eum cum hymnis & canticis ineffabilibus. Quis enim poſſet cantus & jubilos, qui ab ipſis fiebant, explicare? Advenerunt ergo principes conjuncti pſallentes & dicebant. Alleluja, alleluja, alleluja.

Nomine qui in Domini rex benedicte venis:
Nunc tibi regnanti pangimus ecce melos.

Alleluja, alleluja, alleluja. Benedictus es Domine, qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos, alleluja, alleluja, alleluja. Dignus es Domine omni laude & honore, alleluja, quia victoriam glorioſe feciſti, allel. Confiteantur cœli mirabilia tua Domine allel. & virtutem tuam, allel. Ecce nunc aſcendunt tribus Domini, alleluja, ut confiteantur, & dicant tibi alleluja. Ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua, alleluia, alleluja alleluja. In hujuſmodi canticis & confeſſionibus Dominum honorabant utrinque coram ipſo exultantes, & eidem feſtum honorificum cum omni reverentia facientes. Et quis poſſet hoc gaudium enarrare?

Sed & illud quis dicere poſſet, quod tam beatiſſimi ſpiritus, quam ſanctiſſimi patres ſimul habuerunt; cum ſibi ad invicem occurrerunt? Superni ergo ſpiritus reverentia prius Domino exhibita, & canticis ejus expletis, illis cum magna jucunditate dicebant. Principes populorum bene vos venire gratulemur, alleluja, congregati eſtis cum Deo veſtro, alleluja; & vehementer elevamini, alleluja; pſallite ei; qui aſcendit ſuper cœlum cœli, alleluja, alleluja. Et ſancti Patres alacriter reſpondebant: Principes populi Domini, alleluja; cuſtodes & adiutores noſtri, alleluja; gaudium vobis & pax alleluja; pſallite & vos regi noſtro, alleluja. Exultate Deo adiutori noſtro, alleluja, alleluja, alleluja. Simul etiam ſe ad invicem adorantes dicebant: In domum Domini lætantes imus, alleluja alleluia: ſimul nos capiet urbs veneranda Dei, alleluia, oves paſcuæ Domini, portas eius & atria intremus, alleluia, in hymnis & canticis, alleluia, Dominus enim virtutum nobiſcum, alleluia, ſuſceptor noſter eſt, alleluia, alleluia. Vides ergo quod omnes iubilabant, & pſallebant. Nam juxta prophetam: Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Aſcendit autem Dominus Jeſus plane propter conſolationem matris & diſcipulorum, quouſque eum poterant videre. Ex tunc autem nubes ſuſcepit Pſal. 46

ſcepit eum ab oculis eorum, & in momento cum omnibus angelis & prædictis patribus ſanctis fuit in patria. Sic enim dicit prædictus propheta: Ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. Pennæ ventorum dicuntur ſummitates ventorum, id eſt, partes illæ, quæ præcedunt, & velociores ſunt. Et ipſe adhuc velocius aſcendit, ex quo nubem interpoſuit. Stabant ergo Mater, & diſcipuli, & Magdalena, & aliæ flexis genibus, & intuebantur in cœlum euntem illum, quouſque poterant.

Pſal. 103

O Quid erat videre Dominum ſic glorioſe aſcendentem, & quid ſi quis potuiſſet videre, & audire beatiſſimos ſpiritus, & animas ſanctas cum eo pariter incedentes, forte præ gaudio ſeparata fuiſſet anima talis a corpore, & cum eis etiam aſcendiſſet. Cum ergo ſic vultibus adhuc elevatis aſpicerent, ecce duo Angeli ſteterunt iuxta illos in veſtibus albis, dicentes: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Jeſus qui a vobis aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Redite ergo in civitatem, & expectate, ſicut dixit vobis. Conſidera hic, quomodo de ipſis Dominus fuit ſolicitus. Nam ſtatim cum evanuit ab oculis eorum, miſit Angelos ſuos, ne nimium ibidem ſtantes fatigarentur, & ut confortarentur audientes angelicum teſtimonium concordare ſecum de aſcenſione Domini ſui. Auditis ergo his verbis, domina humiliter rogavit Angelos, ut eam recommendarent filio ſuo. Illi vero ſe uſque ad terram inclinantes eidem, libenter ſuſceperunt mandatum eius, ſimiliter Apoſtoli, Magdalena, & omnes alii dixerunt eis. Illis itaque diſparentibus, ipſi redierunt in civitatem ad montem Sion, ibique morabantur, expectantes, ut Dominus Jeſus mandaverat eis.

Act. 1

Dominus autem Jeſus cum univerſa prædicta felici & magnifica multitudine, aperiens ianuas paradiſi, uſque tunc humano generi clauſas, triumphaliter intravit, & gaudenter patri genuflectens ait: Pater gratias ago tibi, qui mihi dediſti victoriam de omnibus adverſariis noſtris. Ecce amicos noſtros, qui captivi tenebantur, eos tibi præſento: ſed fratribus & diſcipulis meis, quos in mundo reliqui promiſi mittere Spiritum ſanctum, rogo te pater mi, ut impleas promiſſionem, & eos recommendo tibi. Tunc Pater erigens eum, fecit eum ſedere a dextris ſuis, & dixit: Benedicte fili mi, omnem poteſtatem & iudicium dedi tibi, de iſtis diſcipulis, & de miſſione Spiritus ſancti, pro tuo velle diſponas. Omnes autem ſancti patres & beatiſſimi *ſpiritus*, qui adorantes prociderant in facies ſuas, coram patre ſurgentes reinceperunt cantica ſua, & iubilabant coram Deo laudes. Si enim Moyſes & filii Iſrael, poſt tranſitum maris rubri, cecinerunt carmen Domino, dicentes: Cantemus Domino glorioſe, & cet. *Exod.* 15
Et Maria propheteiſſa ſoror eius, & *Ibidem*
reliquæ mulieres eam ſequentes, in tympanis & choris Domino Deo canebant, quanto magis nunc cunctis *2 Reg.* 6
adverſantibus ſuperatis? Similiter cum David deducebat arcam fœderis Domini Hieruſalem, totus populus canebat legitime, & David cum cantoribus citharam percutiebat, & omnes laudabant coram *Domino* in citharis ſuis & tympanis, & David ſaltavit totis viribus coram Domino: quanto nunc magis id faciebant, qui vere ſunt cum Domino in tanto gaudio conſtituti? Et ſi Joannes, ut in Apocalypſi refert, audivit vocem in *Apoc.* 14
cœlo, centum quadraginta quatuor millia citharœdorum, citharizantium in citharis ſuis, & cantabant, quaſi canticum novum, ante ſedem Dei & Agni. Quodcumque gaudium illud ſignificet, ego multo magis ipſum hodie contigiſſe, meditabor. Omnes ergo ibidem conſtituti pſallunt, omnes exultant, omnes lætantur, omnes cantant, omnes gaudent, omnes iubilant, omnes manibus plaudunt, omnes chorizant, omnes iu-

cun-

ſecundantur, omnes tripudiant. Vere nunc in ſuperna Hieruſalem auditur canticum lætitiæ, & per omnes vicos eius ab univerſis dicitur, Alleluia. Numquam ab origine mundi, tale feſtum, & tam ſolemne Paſcha celebratum eſt, nec umquam erit forte niſi in die iudicii, cum omnes ibi præſentabuntur electi cum corporibus glorioſis. Et propterea tibi dixi in principio, quod hæc ſolemnitas omnibus conſideratis, cunctis ſupereminet aliis. Percurras ſingulas, & videbis ſi verum loquor. Magnum Paſcha, & ſolemne feſtum eſt incarnatio Domini, & initium omnis noſtri boni: ſed hoc nobis non ſibi, nam ipſe tunc in thalamo Virginali inclusus eſt. Magnum etiam Paſcha eſt Nativitas eius: ſed & illud nobis. Nam ſibi compatiendum eſt, quia ad tantam paupertatem, vilitatem, & penuriam natus eſt. Magnum ſimiliter quo ad nos feſtum eſt Paſſio eius, quia tunc omnia peccata noſtra deleta ſunt. Nihil enim, ut ait Gregorius, nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet; ſed propter tormenta duriſſima, & mortem turpiſſimam, quam ſuſtinuit, nec ſibi fuit, nec nobis eſſe debet materia gaudii & lætitiæ. Magnum inſuper & ſolemne, & verum paſcha eſt Reſurrectio ipſius Domini Jeſu, tam pro ſe, quam pro nobis, quia ipſe glorioſus triumphator apparuit, & nos iuſtificati ſumus. Venerabilis itaque multum: & ideo ſingulariter in ipſo cantat Eccleſia: Hæc dies quam fecit Dominus, &c. ſecundum beatum Auguſtinum. Hæc dies ſanctior univerſis, quod exponi poteſt de præcedentibus. Nam hæc dies Aſcenſionis maior & ſanctior videtur, quia licet reſurrexit Dominus, adhuc tamen peregrinatur in terris, adhuc eſt clauſa paradiſi porta, adhuc ſancti patres non iverunt ad patrem, quæ omnia in Aſcenſione completa ſunt. Et ſi bene inſpicias, quidquid Deus fecit uſque modo, fecit ut perveniret ad hunc finem, &

Quare ſolemnitas Aſcenſionis præmineat aliis omnibus feſtivitatibus.

Pſal. 117

Auguſt. ſer. 116 de temp. ſem. 20

A fine hoc omnia ſua opera erant imperfecta. Nam cœlum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, facta ſunt propter hominem: homo autem propter gloriam habendam: ad ipſam vero uſque hodie, nullus quantumcumque iuſtus, pertingere poterat poſt peccatum. Vides quam magnificus, & mirificus ſit iſte dies. Similiter magnum Paſcha valde dies Pentecoſtes & eum multum ſolemnizat Eccleſia, & recte, quia tunc donum ſummum recipit, ſcilicet, Spiritum ſanctum. Sed & illud nobis non ſibi. Sed hodiernus Aſcenſionis dies, eſt proprie feſtum ſolemniſſimum Domini Jeſu, quia hodie incipit ſedere ad dexteram patris, & requiem capit a peregrinatione ſua. Et etiam proprie feſtum eſt omnium ſupernorum ſpirituum, quia novum gaudium ſuſcipiunt a Domino ſuo, quem ante ibi in humanitatis forma non viderant. Et quia hodie primo reſtaurari incipiunt ruinæ ipſorum in tanta multitudine beatorum, & proprie illorum egregiorum Patriarcharum, Prophetarum, & animarum ſanctarum, qui ad ſupernam patriam hodie primitus intraverunt. Si ergo feſtum facimus de aliquo ſancto migrante ad cœlos, quanto magis de tot millibus, & quanto magis de Sancto ſanctorum. Eſt etiam feſtum Dominæ, quæ filium ſuum regali diademate ſublimatum, ſic vidit tamquam Dominum verum, ſuper excelſa conſcendere. Eſt etiam nihilominus proprie feſtum noſtrum, quia humana natura hodie ſuper cœlos eſt exaltata, & quia niſi Chriſtus aſcendiſſet, illud ipſum etiam donum Spiritus ſancti, pro quo ſic merito ſolemnizamus, recipere nequibamus. Unde ipſe dicebat diſcipulis ſuis: Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Ad robur autem dicti mei, adduco Bernardum, qui de hac die ſic loquitur, in ſermone de aſcenſione Domini. Solemnitas iſta, chariſſimi, glo-

Joan. 16

Bern. ſer. 1 in Aſcenſ. Domini in prin.

Idem ſerm. 4 ſtatim a princ. glorioſa eſt. Conſummatio enim & adimpletio eſt reliquarum ſolemnitatum, & felix clauſula eſt totius itinerarii Jeſu Chriſti filii Dei vivi. Merito quidem ſolemnitatis & lætitiæ dies agitur, quando ſol ille ſupercœleſtis, ſol juſtitiæ, noſtris ſe præſentavit obtutibus. Magna quoque lætitia & exultatio multa nimis, quando conciſo ſacco lætitia circumdatus eſt, & noſtræ dedicavit primordia reſurrectionis. Verumtamen quid mihi & ſolemnitatibus iſtis, ſi converſatio mea uſque adhuc detinetur in terris? Dico ergo, non multo minus mihi tolerabilior videtur exilii huius habitatio, quam gehenna. *Joan. 16.* Denique niſi ego abiero paraclitus non veniet ad vos. Videſne quemadmodum ceterarum ſolemnitatum, ea quam hodie celebramus, & conſummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiam? Sicut enim cetera omnia pro nobis fecit, qui pro nobis natus eſt: ita quoque ipſius aſcenſio propter nos facta eſt, & facit pro nobis. Hucuſque Bernardus. Manifeſte ergo videas, quod ſolemnior eſt dies iſta omnibus aliis. Et anima quæ bene diligeret Dominum Jeſum, magis hodie exultaret, quam in aliquo die anni. Unde ipſe dicebat diſcipulis: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem. Et propterea credo me recte dixiſſe, quod numquam in patria fuit aliqua dies adeo ſolemnizata, ut iſta. Duravit autem gaudium & exultatio tanti feſti uſque ad diem Pentecoſtes. Et per hunc modum poteſt meditari. Aſcenſio enim Domini fuit hora ſexta, nam primo comederat hora tertia cum Diſcipulis ſuis. Quamvis ergo omnes in patria, ultra quam dici poſſet, exultarent: tamen prima die uſque ad aliam ſextam ſequentis diei Angeli fecerunt ſingulariter feſtum, & Dominus Jeſus oſtendit, vel fecit aliquam ſingularem familiaritatem & conſolationem. Secunda die fecerunt Archangeli. Tertia Principatus. Quarta Poteſtates. Quinta Virtutes. Sexta Dominationes. Septima Throni. Octava Cherubim. Nona Seraphim, qui ſunt novem ordines Angelorum. Et ſic hæc duraverunt uſque ad ſextam Sabbati vigiliæ Pentecoſtes. Et tunc feſtum fecerunt ſancti Patres, uſque ad horam tertiam diei Dominicæ.

CAPUT XCVIII.

De Miſſione Spiritus Sancti.

TUnc his completis, dixit Dominus Jeſus patri: Pater mi recordare promiſſi mei, quod feci de Spiritu ſancto fratribus meis. Cui pater: Fili mi, multum gratum habeo quod promiſiſti: tempus eſt, ut impleatur promiſſum tuum, dic ergo ad Spiritum ſanctum: Rogamus te, ut deſcendas ad diſcipulos noſtros, & eos repleas, conſoleris, robores, inſtruas, & cumulum virtutum & gaudiorum conferas eis. *Miſſio Spiritus ſancti.* Et ſtatim venit, *Act. 2.* & deſcendit in linguis igneis, ſuper centum & viginti Diſcipulos ſimul congregatos, & eos replevit omni gaudio, cujus virtute Diſcipuli vigorati, docti, & accenſi, ac illuminati, totum mundum circumcurrerunt, & pro magna parte ſibi ſubiecerunt. Nihilominus tamen superni cives, etiam poſtea laudaverunt, & ſemper laudant Dominum, & habent dies lætitiæ, & numquam deeſt ibi ſolemnitas, & gratiarum actio & vox laudis. Scriptum eſt enim: Beati qui habitant *Pſal. 83.* in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Feſtinemus itaque & nos ingredi in illam requiem, ubi tanta ſuperabundat indefectibiliter lætitia, & ad patriam noſtram totis conatibus ſuſpiremus. Odiamus huius miſeri, & putridi corporis noſtri compagem, & eius curam non faciamus in deſideriis, quod nos hic detinet carceratos, & peregrinos a tanto bono. Dicamus ergo cum Apoſtolo: Infelix homo, quis *Rom. 7.* me liberabit de corpore mortis huius? Et iterum: Quamdiu in hoc *2 Cor. 5.* corpore ſumus, peregrinamur a Domino.

Digitized by Google

mino. Epiſtarum. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Deſideremus ejus diſſolutionem, & eam continue poſtulemus a Domino: quia per nos eam cum ſalute conſequi non valemus. Et iterum, Saltem moriamur mundo, pompis & concupiſcentiis ejus. Abſtrahamus nos corde forti & perſeveranti, ab his rebus caducis, & a miſeris & brevibus conſolatiunculis harum viſibilium rerum, quæ inficiunt & vulnerat animas noſtras. Aſcendamus autem mente cum Domino, vel potius ad Dominum, & cum ipſo in cœlis ſit converſatio noſtra. Et ſic facientes, non ex toto ſimus peregrini, & advenæ, ut in tempore viſitationis nos ad ſe dignetur aſſumere, ipſe de quo loquimur. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus, & laudabilis in ſæcula ſæculorum Amen.

CAPUT XCIX.

Excitatio deſiderii ad Patriam, per mortis appetitum.

HAbes ergo ex prædictis dilectiſſima filia, vitam Domini Jeſu, tibi pro majori parte, in meditationibus traditam. Suſcipe reverenter, libenter, & gaudenter prædicta, & in eis tota devotione, hilaritate, ac ſolicitudine converſari non pigriteris: quia hæc eſt via tua, & vita tua, hoc eſt fundamentum, ſuper quo poteris magnum ædificium conſtituere. Ab hoc te incipere oportet, ſi vis ad ſublimiora aſcendere, prout in pluribus locis ſuperius habuiſti. Nam hæc vitæ Chriſti meditatio non ſolum per ſe dulciter paſcit, ſed ad majorem cibum tranſmittit. Hæc enim ſunt, quæ Dominus geſſit in carne, ſed longe ſublimius eſt, in ſpiritu intueri, ad quæ per hanc ſcalam pervenire poteris, ſed in hac interim immorandum, de quo ſic ait Bern. Ego hanc arbitror præcipuam inviſibili Deo eſſe cau-

Vita Chriſti fundamentum ædificii noſtri & cibi animæ.

Bern. ſuper Cant. ſer. 20 poſt med.

ſam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus converſari, ut carnalium videlicet, qui non niſi carnaliter amare poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret, ſpiritualium. *Et infra:* Monſtrabat diſcipulis altioris amoris gradum, cum diceret: Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. *Et paulo poſt:* In carnis igitur devotione interim conſoletur, qui vivificantem ſpiritum non habet, eo dumtaxat modo, quo habent illi, qui ajunt: Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus. Et iterum: Si cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus. Nam alias quidem nequaquam ſine Spiritu ſancto, vel in carne diligitur Chriſtus: & ſine illa plenitudine. Cujus tamen menſura devotionis hæc eſt, ut totum cor illa ſuavitas occupet, totum ſibi ab amore univerſæ carnis, ac carnalis illecebræ vendicet. Hoc quippe toto corde diligere eſt. Alioquin ſi carnis meæ quamlibet conſanguinitatem, vel voluptatem, forte præfero carni Domini mei, per quod me, videlicet minus ea implere contingat, quæ in carne manens, verbis & exemplis me docuit: nonne liquido conſtat, quod toto nequaquam diligo corde, cum illud diviſum habens, partem impendere videat carni ejus, partem intorquere ad propriam? Denique ait: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Ergo, ut breviter dicam toto corde diligere, eſt omne quod blanditur, de carne propria vel aliena, ſacroſanctæ carnis amore poſtponere. In quo & mundi æque gloriam comprehendo: quia gloria mundi eſt gloria carnis, & qui in ea delectantur, carnales eſſe non dubium eſt.

Joan. 6

Thren. 4

2 Cor. 5

Quid ſit toto corde Deum diligere.

Matt. 10

Vides quomodo etiam carnalis eſt hæc meditatio, reſpectu ſpiritualis, hoc non accipias, ut minuatur devotio, ſed ut fervor creſcat ad majora, ad quæ tamen per hæc tranſeundo, te ve-

venire oporteat, in hac etiam faveat tuus affectus, ut in eam te totum immergas. Bona eſt enim hæc meditatio carnalis, per quam vita carnalis excluditur, contemnitur, & vincitur mundus, ſed & ſic faciendo ſtabilies mentem, erudiens ad virtutes, & animi robur accipies, ut in prologo tibi dixi. Hæc ergo meditari ſit tota & una intentio tua, requies tua, cibus tuus, ſtudium tuum. Nam ex his non ſolum prædicta bona conſequeris, nec ſolum erunt tibi gradus ad cœleſtis patriæ & ad majeſtatis contemplationes, ſed etiam erit continua & perpetua conſolatio tua. Non enim qui ad maiorem contemplationem aſcendunt, hanc dimittere debent pro loco & tempore. Alioquin viderentur hanc quaſi vilem contemnere, quod eſſet magnæ ſuperbiæ. Unde recordare, quod habuiſti ſupra in tractatu hujuſmodi contemplationis, ſcilicet de humanitate Chriſti, quam beatus Bernardus, qui fuit altiſſimus contemplator, numquam dimiſit. Immo, ut in ſuis ſermonibus patet, eam ſuper modum amplectitur: & extollit.

Contemplatio & meditatio Vitæ Chriſti ſunt gradus, quibus pervenitur ad ſalutem.

CAPUT C.

De modo meditandi Vitam Chriſti, & de concluſione Opuſculi.

VOlo autem tibi tradere modum, quem teneas in meditando prædicta: ne ſi forte teipſam crederes pertingere & extendi ad omnia, quæ ſupra reperies, quaſi per molem gravem negligereris, maxime cum credam meditationibus prædictis unius hebdomadæ ſpatium convenire. Igitur ſcire debes, quod meditari ſufficit, ſolum factum quod Dominus fecit vel circa eum contigit fieri, vel dici ſecundum hiſtoriam Euangelicam, te ibidem præſentem exhibendo, ac ſi in tua præſentia fierent, prout ſimpliciter animo indictis cogitandi occurrit. Moralitates autem & auctoritates, quas ad tuam inſtructionem in hoc opere poſui, non expedit in medita-

A tionem adduci, niſi ſi qua virtus amplectenda, vel vitium deteſtandum, ipſa prima facie cogitationis occurrat. Eliges ergo in his meditandis, aliquam horam quietam, poſtea infra diem poteris diſcere moralitatem, & auctoritates, & eas ſtudioſe memoriæ commendare. Quod omnino te facere convenit, quia pulcherrimæ ſunt, & quæ te quaſi in tota vita ſpirituali valeant informare.

Meditationes vero ſic divide, ut die Lunæ incipiens, procurras uſque ad fugam Domini in Ægyptum. Et eo ibi dimiſſo, die Martis, pro eo redi- B
ens, mediteris uſque ad apertionem libri in ſynagoga, die *Mercurii* exinde, uſque *in miniſterium* Mariæ & Marthæ. Die Jovis abinde, uſque ad paſſionem. Die Veneris & Sabbati, uſque ad reſurrectionem. Die vero Dominica, ipſam reſurrectionem, & uſque in finem; & ſic per ſingulas hebdomadas, facias, ut ipſa meditationes tibi reddas familiares, quod quanto magis facies, tanto facilius tibi occurrent, atque iucundus. Libenter converſeris cum Domino Jeſu, & vitam ipſius tamquam Euangelium, ad immitationem beatæ Cæciliæ, in corde ſtudeas inſeparabiliter collocare.

Meditationes Vitæ Chriſti per omnes dies hebdomadæ diſtribuendæ.

C De cetero tempus eſt ſignandi librum, ſed ne meis verbis: *illud fiat* de uberibus patris Bern. de quibus tibi tot flores, & tam pulchros decerpſi. Fiat concluſio in nomine illius, qui eſt liber ſignatus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ad cujus laudem totus eſt liber. Unde beatus Bernard. quantum ad præſentem materiam ſpectat, ſic ait ſuper ille verbo: Oleum effuſum nomen tuum. Eſt proculdubio inter oleum & nomen ſponſi ſimilitudo, nec otioſe Spiritus ſanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici qualitate olei, quod lucet, paſcit, & ungit; ſi vos non melius habeatis; fovit ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Vide idem nunc de ſponſi nominet luce: prædicatum, paſcit re-

Concluſio Opuſculi.

Bern. ſuper Cant. ſer. 15 circa med.

De nomine Jeſu mira encomia.

recogitatum, invocatum lenit & ungit, & percurramus ſingula. Unde putas in toto orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato Jeſu: nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum? quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Et infra*: Nec tantum lux eſt nomen Jeſus, ſed & cibus eſt. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Jeſum. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus. Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, ſed eſt & medicina. Triſtatur aliquis veſtrum, veniat in cor Jeſus, & inde ſaliat in os. Et ecce ad exortum nominis hujus, quod eſt lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando, nonne ſi invocet nomen Jeſus, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui aliquando ſi ſtetit ante faciem ſalutis hujus nominis, infuit duritia, ut aſſolet, cordis, ignaviæ torpor, & rancor animi, languor acediæ? Cui fons forte ſiccatus lacrymarum, invocato Jeſu, non continuo eruit uberior, fluxit ſuavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti, invocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui, quæſo, in dubiis æſtuanti, & fluctuanti, non ſubito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adverſis diffidenti, ſi nomen adjutorii ſonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina. Denique & probare licet. Invoca, inquir, me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Nihil tam iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jeſum, hominem mihi propono mitem & humilem, & corde benignum, ſobrium caſtum, miſericordem, & omni denique puritate ac ſanctitate conſpicuum, eumdem ipſum Deum omnipotentem, qui ſuomet exemplo ſanet & roboret adjutorio. Hæc omnia mihi ſonant, cum inſonuerit Jeſus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium a potente, illa tamquam pigmentarias ſpecies, hoc tamquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum nemo facere poſſit. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius, quod eſt Jeſus. Jeſus ſalutiferum certe, quodque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tui omnes in Jeſum & ſenſus dirigantur & actus. Denique & invitaris. Pone me inquit, ut ſignaculum in brachio tuo. Sed hoc alias. Nunc vero habes unde & brachio medearis & cordi. Habes, inquam, in nomine Jeſu, actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos, adimpleas. Itemque unde tuos ſenſus aut ſerves, ne corrumpantur: aut ſi corrumpantur, ſanes. Idem: Quam pulcher es Angelis tuis Domine Jeſu, in forma Dei in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ patris, & quidem perpetuus, minimeque fucatus, candor vitæ æternæ. Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipſa tui hujus poſitione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit, ibi amplius gratia radiavit. Quam chara mihi oriris ſtel-

Marginalia: *Epheſ. 5* — Diſcurſus de nomine Jeſu, pulcher, & devotus. — *Pſalm. 94* — *Cant. 8* — *Idem ſer. 45 ſuper Cant. verſ. fin.* — *Num. 24* — *Iſa. 11*

ſtella ex Jacob: quam lucidus flos de radiſſe Jeſſæ egrederis: quam jucundum lumen in tenebris viſitaſti me oriens ex alto: quam ſpectabilis & ſtupendus etiam virtutibus ſupernis, in conceptu de Spiritu ſancto, in ortu de virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruſcationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum. Quam denique rutilans poſt occaſum ſol juſtitiæ, de corde terræ reſurgis, quam formoſus in ſtola tua. Demum rex gloriæ in alta cœlorum te recipis, quo modo non pro omnibus his omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tui? Hæc ergo, ſimiliaque puto de dilecto, intuentem ſponſam advertiſſe, cum diceret: Ecce tu pulcher es & decorus, neque hæc ſola, ſed inſuper aliquid proculdubio de natura decoris ſuperioris, quod noſtrum omnino prætervolat intuitum, & effugit experimentum. Ergo iteratio utriuſque decorem ſubſtantiæ deſignavit. Hæc Bernardus. Deo gratiarum actio viventi in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS TOMI DUODECIMI.

Digitized by Google

SERIES OPUSCULORUM,

Quæ Tomo Duodecimo continentur.

STimulus amoris	*pag.* 1.
De ſex aliis Cherubim.	93
De ſeptem itineribus æternitatis.	99
De Septem gradibus contemplationis.	204
Formula aurea de gradibus virtutum.	208
De modo confitendi, & de puritate conſcientiæ.	203
Diætæ ſalutis.	248
Meditationes vitæ Chriſti.	379

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google